CVRSVS THEOLOGICI IVXTA SCHOLASTICAM HVIVS TEMPORIS SOCIETATIS IESV METHODVM.

TOMVS OCTAVVS


DE SACRAMENTO POENITENTIÆ ET EXTREMÆ-VNCTIONIS,

AVCTORE

R. P. FRANCISCO AMICO CONSENTINO,

SOC. IESV SS. THEOLOGIÆ DOCTORE,

Eiusdemque olim in NEAPOLITANO Collegio, & in Celeberrima Archiducali Vniuersitate GRÆCENSI Societatis IESV, necnon in Antiquissima & Celeberrima Vniuersitate VIENNENSI publico PROFESSORE, atque eiusdem Vniuersitatis GRÆCENSIS Cancellario.



DVACI,

Ex Officinâ Viduæ BALTAZARIS BELLERI, sub Circino aureo, Anno M. DC. XL.

CVM GRATIA ET PRIVILEGIO.

ILLVSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO

PRINCIPI, AC DOMINO

D. IOANNI MARCO

EPISCOPO SECCOVIENSI

S. C. M. FERDINANDI III.

IN EXCELSO INTERIORIS AVSTRIÆ REGIMINE

LOCVM TENENTI, NECNON

ILLVSTRISSIMI ET REVERENDISSIMI

ARCHIEPISCOPI

PRINCIPIS SALISBVRGENSIS

PER VTRAMQVE STYRIAM

ET DECANATVM NEOSTADIENSEM

VICARIO GENERALI, &c.

SEu Theologiæ, ſeu generis humani conditione ita comparatum eſt, vt ſupremus Theologiæ labor ſit Pœnitentia. Bene enimverò, PRINCEPS ILLVSTRISSIME, quando illud cuius vulgo inuiſa eſt cauſſa, in partem mihi venit felicitatis. Ex hoc ſanè eſt, quòd ſupremus hic labor meus non modò audeat ſe TIBI ſiſtere, ſed & quòd debeat. Sic à Deo ter Optimo Maximo digreſſus Curſus Theologicus meus, & initium ſortitus bene ominatum, Cæſare Auſpice, iam metam è vicino proſpectans, ſub finem ad principium recurrit ſuum in TE, qui Cæſaris LOCVM TENES. Et verò ſi illud præcipuum Pœnitentiæ eſt munus, eæ ſunt partes, vt Diuini Numinis Primi Principij inuiolatum ius ſeruet, vides, ILLVSTRISSIME PRINCEPS, quanto debito, ac iure ſuo Pœnitentia mea TE VNVM reſpiciat, qui Sacrę Cæſareę Maieſtatis in excelſo Hęreditariarum

Prouinciarũ Interioris Austriæ regimine LOCVM TENENS, supremi Principis iura tutaris inconcussa: in quo & Sapientissimo Iudicio tuo, & nota Prouidentia, ita circumspicis singula, ita æquabili Iustitię lance vniuersa dispensas, vt Pœnitẽtia quod corrigat, prorsus non inueniat. Ex hoc autem ampliùs ad TE aspirat: nullibi feliciùs Pœnitentia hospitatur, quàm apud quem locum non habet. Reliquarum illa virtutum delectatur contubernio, quarum apud TE theatrum explicatum amplissimum videt. Percensere volentem singula, inhibet moderatio tua singularis, vt & hoc laudibus tuis accedat, quòd debitam virtuti laudem perferre in arduis ducas. Sed ea minimè inhibere potuerunt iam olim æquissima iudicia & Maiestatis Cæsareæ, & Illustrissimi ac Reuerendissimi Salisburgensis Archiepiscopi, dum ibidem Salisburgi in publica consiliorum luce versarere; dum Consistorium Sapientissimè dirigeres, & nota Sacratioris Theologię, iurisque Pontificij & Cæsarei dares argumenta: quando harum Prouinciarum bono publico destinabaris. Ita porrò Episcopale suscepisti munus, vt nouum splẽdorem dignitati adferres. Quis TE accuratior, dum Pontificios omnes numeros & Maiestatem adimples? Quis cum suauitate efficacior, dum assidua, eaque omnino Paterna subiectum populum oratione, ad Diuini Numinis amorem inflammas? Quis solicitus magis, dum peruigili oculo commissum TIBI à Deo gregem circumspicis? dum consilia in bonum publicum expedis? ita in omnia TIBI totus sufficis, siue pro Deo agendum, siue pro Cęsare. Et nequid deesset felicitati Tuæ, dum ad Diuiniora pacataque boni publici studia Illustrissimus Frater Tuus Ioannes Comes ab Altringer Sacrę Cæsarcę Maiestatis Camerarius, Consiliariusque bellicus, nec non Generalis Marischalcus, equitum simul & peditum Colonellus, pro Deo & Cęsare in hostes depugnat, & temporibus difficillimis fidelitatem in Austriacam Domum inter Heroës repręsentat: quando etiam in Belgium, vt Catholica arma moderaretur, expetitus est. Felix qui vtriusque Austriacæ Domus inclinatam in se beneuolentiam demereri potuit. Tunc verò tecum ipse commissus, & in certamen, dum ille & corporis obiectu sui & sanguine, gladium Suecicum hebetauit. Vicisti æquitate animi magnanimitatem Tuam, dum TIBI similis constitisti, sentiens, id quod erat, illum gloriæ immortali trophęum errexisse, quando sic cecidit, vbi stare meliùs nõ erat. Neque verò stetit hîc Martia virtus Altringeriana, quæ sacratiori conatu feliciter vlteriùs sese porrexit. Quando nimirum Frater alter Illustrissimus Comes Paulus Episcopus Tripolitanus Serenissimi Archiducis Leopoldi Gulielmi Suffraga-

neus

neus Argentinensis, & nuper in Castris Cæsareis Ferdinandi III. Vicarius Generalis eiusdemque Cæsareę Maiestatis Consiliarius, quà potestate, quà authoritate in spiritualibus ibi supremâ, pietatem inter arma, licentiæque militaris pericula fortiter constanterque defendit atque conseruat. Adaugeant & hanc superi felicitatem temporibus Consilijsque Tuis: perennabunt in TE labores illi gloriosi, Dei & publici boni caussâ suscepti: sępius numerari licebit subiecto populo sudorem illum pretiosum, dum Prouinciam omnem TIBI cōmissam lustras iteratò, & in plurimam sæpe diem Sacramentis latè confirmas. Habebit Clerus, vt ad Ecclesiasticam seueritatem & grauitatem, virtutum Tuarum vigili exemplo sese componat. Expeditum ius fasque gratiosa celeritate in Tribunalibus, Pauperes, Pupillique deprædicabunt. Sic vale PRINCEPS ILLVSTRISSIME, sic viue TIBI, Tuæque augmento dignitatis: faue, quod facis, Societati nostræ, in quam profusa sępius raræ cuiusdam beneuolentiæ palam ostendis argumenta: His ita, pro Cęsare, Prouincijs, Religionique consule, vt Cæsar in ista TIBI delegata potestate, quamoptimè sibi consuluisse glorietur. Ego (si tamen expedit) in eo gloriabor, quòd Auspice Deo, & Cæsare Theologicum stadium olim ingressus, nunc etiam, Deo, & TE CÆSARIS LOCVM TENENTE fauentibus, cursum omnino consummem; neque forsan ineptè, cùm bonus iste cursus existimetur, si finis principio consistat. E Collegio Archiducali Academico Græcensi Societatis IESV.

Illust.^mæ ac Reuer.^mæ Dominationis Tuæ

Humillimus in Christo seruus

FRANCISCVS AMICVS.

INDEX

INDEX DISPVTATIONVM ET SECTIONVM HVIVS OCTAVI TOMI.

DISPVTATIO PRIMA.

De natura pœnitentiæ virtutis.
Sectio I. *An pœnitentia sit virtus?* pag. 3
II. *An pœnitentia sit virtus specialis?* 5
III. *An pœnitentia sit virtus à cæteris distincta, & quodnam sit eius obiectum formale?* 7
IV. *An pœnitentia sit species iustitiæ?* 10
V. *Quodnam sit obiectum materiale pœnitentiæ?* 12
VI. *An pœnitentia sit virtus infusa?* 13
VII. *In quibus sit pœnitentia infusa?* 21

DISPVTATIO SECVNDA.

De actibus pœnitentiæ Christianæ.
Sectio I. *Quinam sint actus pœnitētiæ Christianæ?* 24
II. *In quo actu essentialiter consistat pœnitentia?* 26
III. *An actus pœnitentiæ Christianæ sit supernaturalis?* 27
IV. *Quotuplex sit actus pœnitentiæ Christianæ?* 30

DISPVTATIO TERTIA.

De Attritione.
Sectio I. *An attritio sit actus virtutis?* 31
II. *An quicunque dolor ex quouis motiuo, infra motiuum charitatis conceptus sit saltem cum sacramento sufficiens dispositio ad iustificationem?* 32
III. *An sola & omnis attritio supernaturalis sit sufficiens dispositio saltem cum sacramento ad iustificationem?* 34
IV. *Quo pacto attritio à contritione distinguatur?* 39

DISPVTATIO QVARTA.

De Contritione.
Sectio I. *Ex quo motiuo elici debeat contritio, vt sit proxima dispositio ad iustificationem.* 42
II. *Quo pacto contritio includat supernaturalem dilectionem Dei?* 43
III. *An ad contritionem sufficiat virtualis detestatio peccatorum?* 46
IV. *Quale propositum de cætero non peccandi requirat contritio?* 54
V. *An contritio necessariò cadat super omnia peccata memoriæ præsentia?* 57
VI. *An contritio debeat esse de omnibus mortalibus distinctè recogitatis, an tantùm confusè cognitis?* 61
VII. *An contritio certā requirat actus intensionē?* 65
VIII. *An ad contritionem requiratur certa temporis mora?* 68

DISPVTATIO QVINTA.

De effectu pœnitentiæ quoad mortalium peccatorum remissionem.
Sectio I. *An contritio sit vltima & infallibilis dispositio ad quorumcunque peccatorum remissionem?* 72
II. *An semper in hac vita vera pœnitentia haberi possit?* 78
III. *An remitti possit vnum peccatum mortale sine alio?* 79
IV. *An remissa culpa per contritionem remittatur omnis pœna culpæ debita?* 80
V. *An de potentia absoluta possit Deus remittere culpam non remisso debito pœnæ æternæ?* 81

DISPVTATIO SEXTA.

De remissione venialium peccatorum.
Sectio I. *An ad remissionem peccatorum venialium sit necessaria pœnitentia?* 92
II. *An ad remissionem culpæ venialis sit necessaria pœnitentia formalis?* 93
III. *Quisnam actus virtutis sufficiat ad remissionem culpæ venialis extra sacramentum?* 95
IV. *An & quo pacto venialia remittantur per sacramentum?* 98
V. *An sacramentalia remittant venialia ex opere operato?* 100
VI. *An ad remissionem venialium requiratur gratia habitualis?* 101
VII. *An venialia remitti possint per condignam satisfactionem?* 103
VIII. *An venialia remittantur per formam naturæ sua incompossibilem cum illis?* 108
IX. *An & quomodo venialia remittantur in alia vita?* 115

DISPVTATIO SEPTIMA.

De reditu peccatorum per pœnitentiam dimissorum.
Sectio I. *An de facto peccata dimissa redeant per subsequens peccatum?* 116
II. *An saltem de potentia absoluta peccata semel dimissa redire possint?* 119

DISPVTATIO OCTAVA.

De virtutum reparatione per pœnitentiam.
Sectio I. *An merita peccato mortificata per subsequentem pœnitentiam reuiuiscant?* 129
II. *An merita mortificata per pœnitentiam reuiuiscant ad præmium essentiale?* 132
III. *An antiqua merita semper resurgant ad totum præmium essentiale?* 135

DISPVTATIO NONA.

De præcepto contritionis.
Sectio I. *An de contritione sit speciale præceptū?* 139
II. *An præceptum contritionis statim obliget?* 140
III. *Quando præceptum contritionis obligat?* 142
IV. *An sacramentum Pœnitentiæ in omni casu suppleat præceptum contritionis?* 144

DISPVTATIO DECIMA.

De institutione & natura sacramenti Pœnitentiæ.

Sectio I. *An sit aliquod pœnitentiæ sacramentum à cæteris distinctum, à Christo institutum?* 147
II. *An sacramentum Pœnitentiæ fuerit à Christo quoad omnes suas partes completè institutum?* 148
III. *An sacramentum Pœnitentiæ in lege Euangelica sit medium necessarium ad remissionem peccatorum mortalium post Baptismum?* 153
IV. *In quo essentialiter consistat sacramentum Pœnitentiæ?* 157
V. *Quid in hoc sacramento sit res tantùm, sacramentum tantùm, res & sacramentum simul?* 160

DISPVTATIO VNDECIMA.

De forma sacramenti Pœnitentiæ.

Sectio I. *Quæ sit essentialis forma sacramenti Pœnitentiæ?* 161
II. *An forma sacramenti Pœnitentiæ deprecatoriè prolata sit valida?* 167
III. *An de essentia absolutionis sacramentalis sit, vt proferatur voce humana?* 168
IV. *An sacramentalis absolutio impendi possit absenti?* 169
V. *An Sacerdos per hæc verba,* Ego te absoluo, *à peccatis verè pœnitentem absoluat?* 172

DISPVTATIO DVODECIMA.

De Contritione.

Sectio I. *Quis dolor requiratur ad effectum huius sacramenti consequendum?* 174
II. *An attritio ad effectum huius sacramenti requisita debeat esse supernaturalis?* 178
III. *An ad effectum huius sacramenti sufficiat dolor supernaturalis tantùm quoad modum?* 179
IV. *An dolor ad validitatem huius sacramenti requisitus debeat necessariò confessionem præcedere?* 182
V. *An si pœnitens post dolorem, nouum peccatum committat, nouum debeat dolorem elicere cadentem supra omnia, an sufficiat de nouo tantùm peccato commisso dolere?* 187
VI. *An defectu doloris dari possit confessio valida, sed informis?* 190

DISPVTATIO DECIMATERTIA.

De Confessione.

Sectio I. *Qualis voluntas ad sacramentalem confessionem sit necessaria?* 194
II. *An sit essentiale confessioni sacramentali, vt propria pœnitentis voce fiat?* 195
III. *An peccata validè confessa, & remissa possint esse materia sacramentalis confessionis?* 196
IV. *An confessio debeat esse integra formaliter?* 205
V. *An confessio debeat esse integra quoad speciem & numerum peccatorum?* 207
VI. *An circumstantiæ notabiliter tantùm aggrauantes sint necessariò confitendæ?* 209
VII. *An semper confessio debeat esse integra materialiter?* 211
VIII. *Quæ causa ab integritate confessionis excusent?* 212
IX. *An propter integritatem confessionis sit explicanda persona complicis?* 214
X. *An dimidiari possit confessio in casibus reseruatis?* 217
XI. *An possit sacramentaliter absolui qui signa tantùm ostendit contritionis?* 224
XII. *Quando iteranda sit confessio?* 225
XIII. *An teneatur confessarius monere pœnitentem bona fide, sed inualide confessum?* 234

DISPVTATIO DECIMAQVARTA.

De sigillo Confessionis.

Sectio I. *An & quo iure obliget sigillum confessionis?* 235
II. *Ex qua confessione oriatur hoc sigillum?* 237
III. *Quæ res cadant in hoc sigillum?* 238
IV. *An possit confessarius de licentia pœnitentis de ipsius peccatis extra confessionem loqui?* ibid.
V. *Quas personas obliget hoc sigillum?* 239
VI. *An possit confessor vti aliquando notitia ex confessione comparata?* 240

DISPVTATIO DECIMAQVINTA.

De Ministro sacramenti Pœnitentiæ.

Sectio I. *An quilibet Sacerdos completam potestatem habeat absoluendi quemlibet in foro pœnitentiæ?* 241
II. *De iurisdictione ad forum pœnitentiæ requisita?* 246
III. *An approbatio Episcopi sit necessariò requisita ad validitatem sacramenti Pœnitentiæ?* 254

DISPVTATIO DECIMASEXTA.

De satisfactione Sacramentali.

Sectio I. *An Sacerdos habeat potestatem obligandi pœnitentem ad satisfactionem acceptandam?* 255
II. *Quem effectum conferat satisfactio à confessore iniuncta?* 258
III. *An satisfactio sacramentalis in peccato adimpleta suum sortiatur effectum?* 260
IV. *An satisfactio ab vno confessore imposita, possit ab alio mutari?* 263
V. *In qua nonnulla soluuntur dubia?* 264

DISPVTATIO DECIMASEPTIMA.

De præcepto diuino Confessionis.

Sectio I. *An confessio sit iure diuino præcepta?* 273
II. *An potuisset hoc sacramentum ab Ecclesia præcipi, si non fuisset à Christo institutum?* 274
III. *An satisfiat præcepto diuino per confessionem informem, sed validam?* 277
IV. *Quas personas obliget hoc præceptum?* 278
V. *Quo tempore præceptum diuinum confessionis fideles obliget?* 279
VI. *An præceptum diuinum obliget fideles ad confitendum per Interpretem vel scriptum, quando aliter non possunt?* 282

DISPVTATIO DECIMAOCTAVA.

De præcepto Ecclesiastico annuæ Confessionis.

Sectio I. *An sit latum præceptum Ecclesiasticum annuæ confessionis distinctum à præcepto communionis?* 291
II. *Per quam confessionem huic præcepto satisfiat?* 293
III. *Quas personas obliget hoc præceptum?* 294
IV. *An qui annuæ confessionis præceptum implere non potest, teneatur de peccatis contritionem elicere?* 296

V. *An hoc præceptum obliget pro aliqua determinata parte anni?* 298
VI. *An qui non est confessus intra annum, teneatur statim confiteri initio sequentis?* 300
VII. *An aliquando teneatur pœnitens tempus confessionis anticipare?* 304
VIII. *An sit aliqua pœna contra transgressores huius præcepti statuta, & an illa incurratur per fictam confessionem?* 306

DISPVTATIO DECIMANONA.

De Sacramento Extremæ-vnctionis.

Sectio I. *An Extrema-vnctio sit verum sacramentum?* 309
II. *An hoc sacramentum fuerit immediatè à Christo institutum?* 312
III. *Quænam sit huius sacramenti materia?* 313
IV. *Quot vnctiones sufficiant ad hoc sacramentum perficiendum?* 316
V. *Quæ sit huius sacramenti forma?* 319
VI. *Qui & quotuplex sit effectus huius sacramenti?* 322
VII. *Quando in hoc sacramento effectus conferatur?* 328
VIII. *Quisnam sit necessarius Minister huius sacramenti?* 330
IX. *Quodnam sit remotum subiectum huius sacramenti?* 332
X. *An hoc sacramentum sit natura sua iterabile?* 336
XI. *An teneantur fideles sub præcepto hoc sacramentum suscipere?* 337
XII. *An saltem Ministri sub præcepto teneantur hoc sacramentum infirmis ministrare?* 339
XIII. *An tempore pestis teneatur Parochus cum periculo vitæ hoc sacramentum administrare?* 340
XIV. *Quis ritus seruandus sit in hoc sacramento administrando?* 341

DISPVTATIO VIGESIMA.

De Indulgentijs.

Sectio I. *An sit in Ecclesia spiritualis thesaurus Christi & Sanctorum satisfactiones recondens?* 343
II. *Cuius potestatis actus sit Indulgentias concedere?* 347
III. *An quo vinculo Indulgentiæ fideles absoluant?* 349
IV. *An sint necessaria aliqua verba ad Indulgentias concedendas, & quo pacto illa sint interpretanda?* 354
V. *Quotuplex sit Indulgentia?* 357
VI. *Quis possit ordinaria potestate Indulgentiam concedere?* 359
VII. *Quinam sint Indulgentiæ capaces?* 366
VIII. *An & qualis dispositio requiratur ad Indulgentiam lucrandam?* 372
IX. *An & qualis causa requiratur ad Indulgentiæ validitatem?* 380
X. *Quot modis possint Indulgentiæ cessare?* 386

APPROBATIO.

Reuerendi Patris FRANCISCI AMICI, è Societate IESV, Eximij Theologi Tomus hic VIII. ac de Pœnitentiâ inscriptus, Cursui Theologico optimo coronidem imponit minimè pœnitendam; quem proinde, vt cæteros tomos, typis & immortalitate dignos censeo. Duaci 21. Martij, Anno 1640.

FRANCISCVS SYLVIVS S. Theologiæ Doctor, & eiusdem Regius ac ordinarius Professor.

CVRSVS THEOLOGICI IVXTA SCHOLASTICAM HVIVS TEMPORIS SOCIETATIS IESV METHODVM

TOMVS OCTAVVS

DE SACRAMENTO POENITENTIÆ ET EXTREMÆ-VNCTIONIS,

AVCTORE

R. P. FRANCISCO AMICO

CONSENTINO SOCIETATIS IESV

SS. THEOLOGIÆ DOCTORE,

Eiusdemq; olim in NEAPOLITANO Collegio, & in Celeberrima Archiducali Vniuersitate GRÆCENSI Societatis IESV, necnon in Antiquissima & Celeberrima Vniuersitate VIENNENSI publico PROFESSORE.

PROOEMIVM.

POst Sacramenta in genere, Baptismum, Confirmationem, & Eucharistiam, de quibus præcedenti Tomo; disputandum est in hoc postremo totius nostri Theologici cursus opere de Sacramento Pœnitentiæ, & Extremæ-Vnctionis: quarum illa ad vitam animę peccato extinctam suscitandam, instituta est. Vt enim teste Concilio Florentino in decreto de vnione Armenorum, supernaturalis animę vita Baptismo gignitur, Confirmatione roboratur, Eucharistia nutritur: ita eadem supernaturalis animę vita, peccati turbine

Concilium Florent.

 extincta,

extincta, Pœnitentię sacramento reuiuiscit, & efflorescit. Qua de causa sacramentum mortuorum dicitur. Sicut enim vermis, vt Chrysostomus homilia 5. ad populum Antiochenum circa medium, testatur, lignum, ex quo nascitur, rodit & consumit: ita pœnitentia, peccatum, ex quo originem ducit, destruit & absumit. Vnde Hieronymus in 16. caput Ezechielis, pœnitentiam *secundam tabulam* appellat: Quam & Tridentinum sessione 14. can. 2. ita appellandam esse definit: siquidem effracta naui Baptismalis innocentiæ, in qua tuti hoc mare tranabamus, paratur nobis pœnitentia, cui veluti fractæ nauis tabulę adnitentes, hinc inde spei & timoris condonatæ culpę fluctibus iactati, ad æternę vitę portum tendimus. Hęc enim, auctore Tertulliano lib. de pœnitentia c.4. *Peccatorum fluctibus mersum proleuat & in portum diuinæ clementiæ protelat.* Hęc est, auctore Lactantio Firmiano in epitome diuin. instit. *Vulnerum peccatorumq; sanatio, spes & portus salutis, quam qui tollit, viam vitæ sibi amputat. Hæc sola est*, vt Ambrosius scribit lib. 1. de pœnit. cap. 1. *quæ Domini quæsitam sanguine Ecclesiam propagat.* Quoniam verò pœnitentia duplex est; Altera virtus, Sacramentum altera: illa, vt Tridentinum docet sess. 14. cap. 1. & 4. omni tempore necessaria fuit; hæc tantùm in lege Euangelica. Illa iustificat sine sacramento Pœnitentiæ actu suscepto, licet non sine voto saltem implicito illius: hęc sine pœnitentia virtute, peccatorem non iustificat, cùm illam vt partem essentialem sui includat. De pœnitentia ex professo disputant Scholastici cum Magistro in quarto à dist. 14. vsque ad 22. inclusiuè, & Thomistę cum Angelico Doctore 3. parte q. 84. multi etiam antiqui Patres copiosè de illa scribunt, necnon recentiores Theologi, qui contra huius temporis hæreticos disputant: quos omnes compendiosè indicat Card. Bellarminus lib. 1. de pœnitentia cap. 1. nos ad clariorem notitiam, priùs de pœnitentia virtute, vtpote de re vniuersaliori, & præsupposita: tum de pœnitentia sacramento, postremò de Extrema-Vnctione, quæ ad reliquias peccatorum delendas instituta est, disputabimus.

Chrysost. Hieron. Concilium Tridentin. Tertullian. Lactantius Ambrosius. Trident. Magister. S. Thomas. Bellarm.

DISPV-

DISPVTATIO I.

De natura Pœnitentiæ virtutis.

SECTIO PRIMA.

An Pœnitentia sit virtus?

Erasmus. Lutherus. Tertullian. Athanas. Basilius. Cyprianus. Ambrosius. Hieron. August. Cyrillus Alex. Chrysost. Gregorius. Damascen. Anselmus. Bernardus.

1. QVOAD nominis significationem attinet, Notandum, pœnitentiam non importare solam animi resipiscentiam, & peccati agnitionem, propositúmve dumtaxat nouæ vitæ inchoandæ, vt Erasmus, & Lutherus autumant; sed odium insuper peccatorum, & detestationem præteritæ vitæ, vt Patres explicant, qui vbique pœnitentiam definiunt per dolorem, & detestationem peccatorum: quorum multa, eaque præclara extant testimonia. Tertullianus lib. de Pœnitentia c. 7. *Peccator,* inquit, *ante veniam deflere se debet.* Athanasius in quæstionibus breuioribus in sacram Scripturam q. vltima, pœnitentiam definiens, ait: esse nō solùm genuum inclinationem; sed abstinētiam à malo, & labores, lachrymas, & preces ad Deum pro præteritorum peccatorū remissione. Basilius in regulis breuioribus interrogatione 10. ita pœnitentiam describit: *Primum quidem,* inquit, *ea, hoc est anima, malè ante actam vitam suam odisse debet, eiusq́; memoriam abhorrere, ac detestari: scriptum est enim: iniquitatem odio habui, & abominatus sum.* Cyprianus sermone de lapsis, ad finem, ad pœnitentiam adhortans: *Agite,* inquit, *pœnitentiam plenam, dolentis, & lamentantis animi probate tristitiam.* Ambrosius in præfationem Psalmo 37. *Plena,* inquit, *est definitio pœnitentiæ, commemoratio delictorum, vt vnusquisque peccata sua velut quodam quotidiani sermonis castiget flagello, & commissa sibi flagitia condemnet:* Hieronymus in cap. 31. Ieremiæ pœnitentiam per signum doloris & planctus à posteriori agnoscit, his verbis: *& postquam ostendisti mihi ipsam pœnitentiam, percussi fœmur meum: quod dolentis, & plangentis, & super errore pristino plorantis indicium est.* Augustinus sermone tertio in natali domini paulò post initium: *pœnitentiam,* inquit, *certam non facit, nisi odium peccati, & amor Dei: quando sic pœnites, vt tibi amarum sapiat in animo, quod ante dulce fuit in vita, & quod te prius oblectabat in corpore, ipsum te cruciet in mente:* & lib. de vera & falsa pœnitentia c. 7. in fine: *pœnitentia,* inquit, *est quædam dolentis vindicta, puniens in se quod dolet commisisse.* Cyrillus Alexandrinus lib. de adoratione, & cultu in spiritu, & veritate multò ante medium: *tristitia,* inquit, *secundùm Deum pœnitentiam ad salutem non pœnitendam operatur.* Chrysostomus suprà citatus, vbi eleganti discursu probat, per solum dolorem peccati, & destrui peccatum, & amissa cum peccato dona nobis restitui: contrà verò per nullum dolorem alterius rei amissum bonum nobis restitui. Gregorius magnus Homilia 34. in Euangelia magis versus finem: *pœnitentiam agere est, & perpetrata mala plangere, & plangenda non perpetrare.* Damascenus in vitam Barlaam, & Iosaphat, pœnitentiam describit per lachrymas. Anselmus in 2. c. posterioris Epist. ad Corinth. *vera pœnitentia,* inquit, *est, cessare à peccato, & dolere, si de cætero desinas.* Bernardus lib. breuiorum sententiarum ante medium, quinque ad pœnitentiam requirit: plenam peccati cognitionem; pœnitentialem afflictionem; humilem confessionem; dignam pristinæ voluntatis correctionem, & perseuerantem successionem.

Concilium Florent. Trident.

2. Ad hæc Patrū testimonia accedunt Concilium Florent. suprà citatū, & Trid. sess. 14. c. 3. & c. & can. 4. pœnitentiam definientia per cordis contritionem, quæ dolorem, & detestationem de commisso peccato cum proposito non peccandi de cætero includit.

Lutheri & Erasmi temeritas. Cicero. Ouidius.

3. Ex his constat, quàm temerariè Erasmus, & Lutherus contra omnes antiquos Patres effutiuerint, pœnitentiam non odium, & detestationem peccati; sed solam cōsilij mutationem importare; neque illam deriuari à pœna; sed à ponè, contra omnes authores tam Ecclesiasticos; quàm profanos, vt constat ex Cic. 4. Tusc. Ouidio lib. 1. de Ponto, & alijs, qui verbo *pœnitere* vtuntur ad significandam detestationem facti cum desiderio puniendi. *Quomodo,* inquit Cic. *si naturalis esset ira, aut alius alio magis iracundus esset; aut finem haberet prius quàm esset vlta, vlciscēdi libido, aut quemquam pœniteret, quod fecisset per iram, vt Alexan. Regem videmus, qui cùm interemisset Clytum familiarem suum, vix à se manus abstinuit: tanta vis fuit pœnitendi.* Et Ouidius,

Pœnitet, ó si quid miserorum creditur vlli:
Pœnitet, & facto torqueor ipse meo:
Cumq́; sit exilium, magis est mihi culpa dolori:
Estque pati pœnam, quàm meruisse minus.

Tristitia est pœnarum prima.

4. Quoniam verò tristitia, quæ naturaliter coniuncta est cum odio, & detestatione peccati, est prima pœnarum, vt Scotus docet

Scotus, in 4. dist. 14. q. 1. §. *de tertio art.* circa medium, sublata enim tristitia, nulla esset pœna; ex hac pœna voluntariè assumpta, dicitur hæc virtus pœnitentia, quasi voluntaria pœnæ tenentia: nam, vt acutè ibidem Scotus §. *de secunda conclus. tenere* respectu pœnæ nō importat solam passionem, sed etiam actionem. Vnde idem est, *pœnam tenere*, atque *pœnam assumere*.

5. Declarata significatione nominis, oritur controuersia in titulo quæstionis positæ. An pœnitentia sit virtus. *Ratio dubitandi* est quadruplex prima, quia nulla virtus primariò est circa malum, sed circa bonum, in cuius prosecutione principaliter versatur: & amore cuius detestatur oppositum malum, vt temperātia primariò inclinat ad bonum temperantiæ; secundariò verò detestatur malum oppositum temperantiæ. Pœnitentia autem tota posita est in fuga, & detestatione peccati commissi.

6. Secvnda, pœnitentia est quædam tristitia, quam concipit animus ex peccato commisso. Tristitia autem, cùm sit quædam animi passio, virtus esse non potest: hæc enim in libera voluntatis electione consistit. Quapropter Aristoteles 4. Ethicorum vltimo docet, verecundiam, quæ est præsentis mali erubescentia, non esse virtutem.

7. Tertia. Nulla virtus est circa impossibile: pœnitentia autem est circa impossibile, cùm versetur circa malum præteritum, nolendo, vt illud sit commissum, quod est impossibile. Maior patet: nam virtus, cùm sit practica, supponit obiectum, circa quod practicè versatur possibile.

8. Qvarta. Virtus ex Philosopho septimo cœli Tex. 17. est dispositio perfecti ad optimum, hoc est, vt S. Thomas ibid. explicat, lect. 6. & 1. 2. q. 55. art. 1. & 2. est habitus perficiens subiectum, illudque disponens ad optimam operationem: sed operatio, ad quam habitus pœnitentiæ disponit, non est optima: tum quia est tristitia, quæ non est optima hominis operatio, tum quia in ea non sistit potentia, tanquam in vltimo termino, sed vlterius tendit ad reconciliationem cum Deo.

9. Dico tamen primò. Pœnitentia est propriè virtus: est S. Thomæ 3. p. q. 85. ar. 1. & reliquorum Scholast. in 4. dist. 14. Fundamentum est: quia detestari peccatū, quatenus est offensiuum diuini iuris, est conforme rectę rationi: ergo est actus studiosus: ergo habitus, ex quo talis actus procedit, est propria virtus. Posterior cōsequentia patet, quia nequit actus bonus esse ab habitu malo. Etenim hoc interest inter habitum & potentiam, quòd potentia est indifferens ad bonum & malum: habitus verò est determinatus vel ad bonum, vel ad malum. Vnde impossibile est, vt habitus nō sit bonus, si eius actus est bonus. Prior verò consequentia constat: nam regula virtutis est recta ratio, à qua omnes actus humani regulantur. Antecedens probatur: quia nō minùs est rationi conformis fuga mali, quàm prosecutio boni: eadem quippe recta ratio dictat, prosequendum esse bonum, & detestandum esse malum oppositum; quemadmodū eadem natura inclinat, ad prosecutionem boni sibi conuenientis, & ad fugam mali sibi disconuenientis. Confirmat S. Tho. in argumento. *Sed contrà*, quoniam de solis actibus virtutum dantur præcepta 2. Ethicorum primo: sed de actu pœnitentiæ datur præceptum, vt constat ex illis verbis Matth. 4. & Act. 2. *Pœnitentiam agite*, igitur pœnitentia est virtus.

S. Thomas. *Aristoteles.* *S. Thomas.* *In quo differant potentia & habitus.*

10. Dices. Virtutis non solùm est rectè, sed etiā delectabiliter operari, Authore Philosopho in Ethic. non semper autem qui pœnitentiam agit, delectabiliter operatur: igitur non semper actus pœnitentiæ est actus virtutis. Resp. concedo maiorem de virtute perfecta, & consummata, quæ non solùm dicit habitum; sed remotionem impedimentorum, quæ sunt passiones effrenes, quæ nō nisi multorum actuum exercitatione sedantur: nego autem maiorem de virtute imperfecta, & inchoata. Et quamuis pœnitentia supernaturalis sit perfecta, vtpote à Deo per se infusa; quoad facilitatem tamen pendet à frequentatione actuum, cùm virtus infusa det tantùm posse; non autem facilè posse; quod comparatur ex frequentatione actuum, quorum exercitio impedimenta, quæ difficultatem causabant, tolluntur.

S. Thomas. *Matth. 4.* *Actor. 2.* *Aristoteles.*

11. Dico secundò. Virtus pœnitentiæ primariò tendit ad prosecutionem boni; secundariò ad fugam, & detestationem mali. Assertio hæc colligitur ex S. Thoma præcitata quæst. ar. 3. In quo pro obiecto pœnitētię assignat ius diuinum vt recompensabile per actus pœnitentis: ergo per se primò tendit ad ius diuinum illæsum seruandū, circa quod ante illum commissum peccatū versari potest affectu complacentiæ, affectu cuius pœnitens detestatur peccata, siue commissa, siue committenda. Eadem assertio colligitur ex Scoto in 4. dist. 14. q. 2. ad 3. in Resp. 2. vbi docet, hanc virtutem manere in beatis, & futuram fuisse in statu innocentiæ.

S. Thomas. *Scotus.*

12. Fundamentum assertionis est: quia omnis auersio mali fundatur in amore alicuius boni, quod appetitum mouet ad detestādum malum oppositum tali bono. Cuius ratio à priori est; quia omne malum est detestabile per comparationem ad aliquod bonum, quo priuat: ergo id, quod primariò mouet appetitum ad detestandum malum, est bonū ipsum, cuius malū est priuatiuum. Cùm enim malum sit respectiuum, non mouet nisi in ordine ad bonum. Sicut natura non tendit ad destructionem vnius, nisi propter generationem, vel conseruationem alterius, quod principaliter mouet: ita voluntas non tendit ad detestandum malum, nisi propter bonum, quod principaliter mouet.

Omnis auersio mali fundatur in amore alicuius boni.

13. Dices. Pœnitentia formaliter importat detestationem & fugam mali: non igitur consistit in prosecutione boni. Resp. pœnitentiam sumi dupliciter; vno modo inadæquatè secundùm pręcisam & formalem habitudinem

tudinem deteſtandi malum; Alio modo adæquatè ſecundùm vtramque habitudinem, quã eſſentialiter includit, & deteſtandi malum, & proſequendi bonum: omnis quippe virtus, teſte S. Thoma 1. 2. q. 60. art. 4. per eandem indiuiſibilem rationem & inclinat ad bonum, illud proſequendo; & declinat à malo, illud deteſtando. Primo modo conſiderata pœnitentia dicit ſolam fugam mali; ſecundo importat etiam proſecutionem boni; quamuis ſecundùm nominis ſignificationem importet ſolam inadæquatam habitudinem deteſtandi malum.

S. Thomas.

Caietanus. *Argentin.*

14. Hinc deducitur contra Caiet. 3. parte quæſt. 85. art. 2. & alios, hanc virtutem fuiſſe in Chriſto Domino, quod docet Argent. in 4. diſt. 14. q. 1. art. 1. circa finem. Etenim licet hęc in Chriſto non fuerit ſecundùm peculiarem affectum deteſtandi peccatum à ſe commiſſum, fuit tamen ſecundùm affectum ſeruandi ius diuinum illæſum, & peccata deteſtandi ab alijs commiſſa: à fortiori ſequitur, hanc virtutem eſſe in beatis, non ſolùm ſecundùm affectum ſeruandi ius diuinum illæſum, & deteſtandi peccata ab alijs, ſed etiam à ſeipſis commiſſa, abſque vlla tamen triſtitia, cuius beati capaces non ſunt: nollent enim Deum fontem omnium bonorum offendiſſe. Legatur Maior in 4. diſt. 14. q. 2. propo. 3.

Hæc virtus fuit in Chriſto, & eſt in beatis.

Maior.

S. Thomas.

15. Ex his patet ad primam rationem dubitandi. Ad ſecundam verò concedit S. Thomas q. prænotata art. 1. ad 2. Minorem, de triſtitia paſſione; negat de triſtitia, quæ eſt ſecundùm voluntatis electionem, quo pacto eſt actus liberè à voluntate elicitus iuxta regulam rationis. Verecundiam autem ideò negauit Ariſtoteles eſſe virtutem, quia putauit, potiùs conſiſtere in paſſione corporis, quàm in electione voluntatis. Idque probat à ſigno: quia *rubeſcunt*, inquit, *qui pudore afficiuntur: ſicut pallent, qui mortem timent*. Cæterùm ſi verecundia conſideretur vt actus voluntatis electiuus, timens malum ex affectu honeſtatis oppoſitæ, erit propria virtus. Niſi dicamus, ideo verecundiam non eſſe virtutem, quia non eſt efficax fuga mali, quod ad virtutem requiritur, ſed inefficax duntaxat velleitas, quæ ſecum compatitur efficacem affectum mali, quod S. Thomas 3. p. qu. 85. art. 1. ad 2. probat à poſteriori: *quia*, inquit, *verecundia reſpicit turpe factum vt præſens, pro quo timet confundi*. Quia nimirum illud non retractat per efficacem affectum.

Ariſtoteles.

S. Thomas.

16. Ad tertiam, neganda eſt minor. Ad cuius probationem notandum, dupliciter voluntatem ferri poſſe in peccatum præteritum: Vno modo vt præteritum formaliter: Et hoc vel abſolutè deſiderando, vt peccatum commiſſum non ſit commiſſum: atque hic actus eſt impoſſibilis, cùm ſit ad obiectum impoſſibile, vt tale formaliter; vel facta hypotheſi, quod ſit poſſibile, vt peccatum commiſſum non fuerit commiſſum, & tunc poteſt & debet pœnitens velle, vt peccatum non ſit commiſſum, affectu ſaltem ſimplicis deſiderij, non autem affectu efficacis voluntatis, quia hæc ſupponit abſolutam obiecti poſſibilitatem, cum ordine ad executionem mediorum. Alio modo ferri poteſt voluntas in peccatum præteritum, vt moraliter præſens, per modum habitus nondum retractati: & ſic poteſt illud efficaciter deteſtari, & retractare per actum pœnitentiæ.

17. Ad quartam definitionem Philoſophi intelligendam eſſe de optima operatione non ſimpliciter, alioqui vna eſt tantùm optima operatio ſimpliciter, nempe operatio immediatè attingens Deum, quam ſoli beati exercent in patria, ſed de optima intra certum genus. In quo ſenſu neganda eſt minor: ad cuius priorem probationem negandum eſt, ſuppoſita culpa, triſtitiam de ea optimam non eſſe, cùm per illam tollatur, quod eſt ſummũ malum creaturæ intellectualis. Ad poſteriorem, concedo, per deteſtationem peccati, voluntatem, tanquam per medium vlteriùs tendere in recompenſationem iniuriæ diuinæ, & per eam in reconciliationem cum Deo: nego tamen, hoc eſſe contra virtutem vt ſic, ſed ad ſummum eſſe contra virtutem, quæ pro obiecto habet Deum vltimum finem, cui reliquæ virtutes ſubordinantur: talis eſt charitas, quæ quia pro obiecto habet Deum vltimum finẽ, omnis virtus illi ſubordinatur; nõ eſſe autem contra reliquas virtutes, quę quia immediatè verſantur circa media ad vltimum finem cõſequendum, in nulla earũ operatione potẽtia ſiſtit tanquam in vltimo termino ſimpliciter.

SECTIO II.

An pœnitentia ſit virtus ſpecialis?

18. PRIMA ſententia negat: eſt Altiſiodorenſis lib. 4. tract. 6. cap. 1. q. 3. Rubionis in 4. diſt. 14. q. 3. ar. 1. §. *Aliter dicunt alij*, Maioris q. 1. Fundamentum eſt: quia deteſtatio peccati pertinet ad quamlibet virtutem: quęlibet enim virtus inclinat ad bonum, & deteſtatur malum ſibi oppoſitum. Iuſtitia enim per eandem rationem inclinat ad iuſtũ, & declinat ab iniuſto: Temperantia inclinat ad honeſtatem temperantiæ, & declinat ab inhoneſtate intemperãtię: ergo pœnitere, quod eſt nolle peccaſſe, non eſt actus ſpecialis virtutis, ſed vagatur per omnes.

Altiſiodor. *Rubio.*

Maior.

19. Confirmatur: nam virtus ſpecialis nõ poteſt opponi omni vitio: quia ſicut habet determinatum bonum obiectiuum, à quo ſpecificatur; ita determinatum malum, cui opponitur. Vitium enim ſpecificatur à bono virtutis, cui priuatiuè opponitur. Atqui pœnitentia opponitur omni vitio, cùm omne vitium ſit obiectum pœnitentiæ, igitur pœnitentia non poteſt eſſe ſpecialis virtus.

20. SECVNDA ſententia Scoti in 4. diſt. 14. q. 2. art. 1. Gabrielis q. 1. art. 3. dub. 3. affirmantium, pœnitentiam quoad actum volendi

Scotus. *Gabriel.*

volendi vindicare peccata, & patienter sustinendi pœnam, esse virtutem specialem Iustitiæ punitiuæ, & patientiæ; quoad actus verò detestandi peccata, & gratanter acceptandi pœnam pro peccato commisso, esse virtutem generalem. Distinguit autem Scotus 4. actus in pœnitentia, velle vindicare in seipso peccatum; detestari peccatum; gratanter acceptare pœnam pro peccato: patienter sustinere pœnam peccato debitam. Primum ait esse iustitiæ vindicatiuæ, qua peccator vt minister Dei vindicat in seipso peccata, contra Dei legem commissa: vltimum, Patientiæ: reliquos duos cuiuslibet virtutis: nam quæuis virtus sub eodem motiuo tendit in bonum, & detestatur malum oppositum; & gratanter acceptat pœnam, vt reordinatiuam culpæ, & recompensatiuam offensæ illatæ, boniq; omissi restitutiuam.

4. Actus pœnitentiæ distincti à Scoto.

21. Tertia sententia affirmat, pœnitentiam esse specialem virtutem: Est Alensis 4. p. q. 12. memb. 1. art. 1. §. 2. S. Thomæ 3. p. q. 85. art. 2. & in 4. dist. 14. q. 1. art. 1. ad quęst. 3. Palud. q. 2. in fine, Capreoli q. 1. art. 3. ad argumenta Durandi secundo loco inducta, Richard. art. 1. q. 2. & art. 2. q. 1. & 2. Bonauent. 2. parte distinct. art. 1. q. 2. Durandi q. 2. Aureol. q. vnica, art. 1. Mayroni q. 3. Argent. q. 1. art. 1. Mars. q. 10. art. 1. in 2. parte eiusdem art. ad argumenta primo loco adducta, ad quintum, Soti q. 2. art. 2. Palatij disp. 2. concl. 2. Cani relectio. de pœnitentia parte 2. concl. 2. Medinę codice de pœnitentia tract. 1. q. 1. ad 4. Syluij & reliquorum recentiorum cum S. Thoma loco præcitato.

Alensis. S. Thomas. Paludanus. Capreolus. Richardus. Bonauent. Durandus. Aureolus. Mayronus. Argent. Marsilius. Sotus. Palatius. Canus. Medina. Syluius.

22. Pro explicatione præsentis controuersiæ notandum, quadrifariam dici posse virtutem generalem: primò prędicatione; secundò causalitate & imperio; tertiò obiecti vniuersalitate; quartò aggregatione multarum virtutum: Præsens controuersia non est de vniuersalitate in prædicando, nam hęc competit virtuti genericè sumptæ, vt prædicabili de subiectis speciebus, à quibus abstrahitur: nec de secunda & tertia, quia neutra pugnat cum virtute speciali, vt constat de charitate, quæ non solùm est vniuersalis in causando per imperium; sed etiam in obiecti vniuersalitate, quia respicit omne bonum ordinabile in Deum. Controuersia igitur sola est de vniuersalitate quarto modo sumpta.

Quadrifariam virtus aliqua generalis dici potest.

23. Dico primò. Virtus pœnitentiæ non est generalis aggregatione multarum virtutum. Fundamentum est: quia si hoc esset, non posset pœnitens vnico actu elicito à virtute pœnitentiæ detestari omnia peccata: Consequens est falsum; nam sicut omnia peccata conueniunt in ratione offensæ contra Deum: ita omnia debent posse vnico actu à virtute pœnitentiæ elicitò detestari. Sequela probatur: Etenim si pœnitentia non est vna specialis virtus, sed aggregatio multarũ, vnaquæque habebit suum obiectum limitatum, & distinctum ab obiecto alterius, ergo non poterit vna se extendere ad detestandum peccatum alterius. Exempli causa, temperantia non poterit se extendere ad detestandum peccatum iniustitiæ; nec contrà iustitia ad detestandum peccatum intemperantiæ, & sic de reliquis. Vnde ad detestanda peccata contra omnes virtutes, requirerentur actus omnium virtutum.

24. Ex quo vlteriùs sequeretur, non posse peccatorem vnico actu, & in instanti cum aliquo saltem sacramento iustificari: quia non potest iustificari, nisi detestetur omnia peccata: non posset autem omnia peccata detestari, nisi exercendo actus omnium virtutum: atqui non potest in instanti exercere actus omnium virtutum, cùm nequeat voluntas, saltem naturaliter, ad plura obiecta, & motiua specie diuersa per diuersos specie actus simul intendere: ergo non potest vnico actu, & in instanti iustificari.

25. Dices, Esse aggregationem earum virtutum, quarum singulæ respiciunt omnia peccata sub aliqua ratione communi, cuiusmodi sunt Charitas, Religio, Iustitia in Deũ, Spes, & similes, quarum vnaquæque fertur ad peccatum sub motiuo, & ratione vniuersali. Sed contrà, nam hoc modo pœnitentia superfluè poneretur consistere in aggregatione multarum virtutum, cùm saluari posset in vna tantùm ex enumeratis: Nam eatenus ab aduersarijs constituitur in aggregatione multarum virtutum, quatenus nulla per se sumpta sufficit ad detestanda vnico actu omnia peccata: at quęuis ex enumeratis sufficit ad detestanda vnico actu omnia peccata: igitur frustra illa ponitur in aggregatione earum omnium.

25. Dico secundò. Pœnitentia est virtus specialis, etiam si respiciat omnia peccata. Fundamentum est: quia virtus non sumit speciem ex obiecto materiali, sed ex obiecto formali: atqui obiectum formale, sub quo pœnitentia respicit omnia peccata, est vnum specie, nempe quatenus sunt læsiua diuini iuris: ergo etiam si pœnitentia respiciat omnia peccata, est tamen vna virtus specialis.

27. Ad fundamentum primæ sententiæ, distinguendum est antecedens: nam dupliciter quis peccatum detestari potest: vno modo ex motiuo particulari, quatenus est contra talem virtutem, exempli causa, temperantiam, vel iustitiam: alio modo ex motiuo vniuersali, quatenus est contra ius diuinum. Primo modo spectat ad quamlibet virtutem: Secundo ad virtutem pœnitentiæ.

28. Ad confirmationem Respondeo non posse virtutem specialem opponi omni vitio sub motiuo speciali, sub quo vnum vitium distinguitur ab alio, & singula opponuntur diuersis virtutibus; posse tamen opponi sub motiuo vniuersali, sub quo omnia conueniunt sub vna ratione contra aliquam honestatem obiectiuam. Atqui hoc modo opponitur pœnitentia omni vitio, quatenus omnia conueniunt sub ratione læsionis iuris diuini.

Qua ratione pœnitentia opponatur omni vitio.

29. Fun-

29. Fundamentum verò secundæ sententiæ partim solutum manet ex dictis, partim soluetur ex infrà dicendis.

SECTIO III.

An pœnitentia sit virtus à cæteris distincta, & quodnam sit eius obiectum formale?

MVlti ex ijs, qui putant pœnitentiam esse virtutem specialem, non distinguunt illam à reliquis virtutibus, sed reducunt ad aliquam ex ijs, quæ erga Deum assignari solent. Vnde cùm dicunt, pœnitentiam esse virtutem specialem, non sumunt terminum *Specialem*, prout distinguitur contra omnem aliam virtutem particularem, sed prout distinguitur contra aggregationem multarum virtutum: Quare licet hi conueniant contra authores præcedentis opinionis, qui putant pœnitentiam esse virtutem generalem, adhuc tamen discrepant, an illa sit à cæteris distincta.

Scotus, Aureolus, Mayronus, Durandus, Marsilius, Gabriel, Caietanus.

30. PRIMA sententia Scoti, Aureoli, Mayroni, Durandi, Marsilij, Gabrielis suprà cit. & Caietani tertia parte quæstione 85. art. 2. negantium, pœnitentiam esse virtutem à cæteris distinctam, sed illam reduci vel ad iustitiam simpliciter, quatenus hæc actu pœnitentiæ recompensat iniuriam Deo per peccatum illatam, vt Durandus, & Marsilius; vel ad peculiarem speciem iustitiæ vindicatiuæ, quatenus peccator vt minister Dei vindicat in seipso culpam contra Deum commissam, vt Aureolus, & Scotus, quoad primum illum actum pœnitentiæ volendi compensare iniuriam Deo illatam; vel ad virtutem Religionis, quatenus honorem Deo debitum, per peccatum sublatum restituit, vt Caiet. vel ad charitatem, quatenus ex complacentia Dei detestatur peccatum, vt malum & offensam Dei: eiusdem quippe virtutis est, diligere obiectum, & detestari oppositum; vel ad virtutem obedientiæ, quatenus satisfacit pro peccato contra diuinam legem commisso; vel ad spem, quatenus odit peccatum, vt priuatiuum æternæ gloriæ, & causatiuum æternæ pœnæ.

S. Thomas.

31. SECVNDA sententia est S. Thomæ 3. parte q. citata art. 2. & 3. affirmantis, pœnitentiam esse virtutem specialem, quam reducit ad speciem iustitiæ hominis ad Deum, qua ei pro nostro modo recompensamus iniuriam factam per peccatum: quæ iustitia quædam est, non subiectiua, & perfecta (nam hęc inter nos & Deum esse non potest) sed potestatiua, & imperfecta, qualis inter Patrem, & filium, Dominum, & seruum, reperitur. Eandem sententiam sequuntur Capreolus, Sotus, Nugnez, Suarez, Vasquez in præcitatum art. S. Thomæ, nec non Bonauentura, Richardus, Syluius & alij. Pro cuius explicatione,

Capreolus. Sotus. Nugnez. Suarez. Vasquez. Bonauent. Richardus. Syluius.

32. Notandum, difficultatem præsentis controuersiæ in eo præcipuè sitam esse, quòd non videtur assignabile speciale motiuum, ex quo moueri possit pœnitens ad sua peccata detestanda, quod reduci non possit ad aliquod motiuum ex assignatis in prima sententia. Igitur tota difficultas est in assignando motiuo, & obiecto formali distincto, ex quo moueri queat pœnitens ad sua peccata detestanda, esto ab ea moueri etiam possit ex aliquo alio motiuo: nam hoc non tollit, quin pœnitentia habeat suum speciale motiuum & obiectum, à quo specificetur, & à cæteris distinguatur; sicut non tollitur, quin obedientia habeat suum speciale motiuum à cęteris distinctum, ex quo moueri possit subditus ad exequendam voluntatem superioris, esto ad eam exequendam moueri possit ex alio motiuo, quàm ex motiuo obedientiæ. Hoc adnotato:

Varia de obiecto pœnitentiæ sententia refutantur.

33. Aliqui obiectum formale pœnitentiæ specialis, aiunt esse motiuum iustitiæ strictè sumptæ, cuius est, æqualitatem ponere inter offendentem & offensum. Sed contrà, quoniam, vt sequenti sectione ostendam, nequit inter Deum, & hominem esse perfecta, & rigorosa iustitia.

34. Alij obiectum Pœnitentiæ assignant honestatem, quæ est in ipsa recompensatione, qua propter peccatum commissum intendimus Deo satisfacere. Docent enim, præcipuum actum specialis pœnitentiæ esse, velle Deo satisfacere, non autem ipsam satisfactionem, quam per odium & detestationem peccati maximè exercemus; hanc enim putant esse actum charitatis, elicitum ex complacentia bonitatis increatæ, cùm hic solus actus sit sufficiens ad iustificationem: alioqui pœnitentia non esset sufficiens ad iustificandum peccatorem, cùm nullus actus infra charitatem sit sufficiens ad iustificandum hominem à peccato.

35. Sed contrà, tum quia falsum est, præcipuum actum pœnitentiæ non esse odium, & detestationem peccati, cùm Concilia, Patres, & Scholastici pœnitentiam definiant, per odium, & dolorem de commissis peccatis, vt ex prima sectione huius disputationis constat. Confirmatur: Pręcipuus finis, propter quem hęc specialis pœnitentia à Doctoribus adstruitur, est, vt per eam peccata detestemur: ergo detestatio peccatorum non potest esse extra sphæram motiui formalis pœnitentiæ. Tum quia non solùm potest Deo fieri recompensatio de peccatis commissis per actum contritionis, sed etiam attritionis, cum aliquo sacramento: cùm tamen aduersarij contendant, per solùm actum contritionis fieri recompensationem Deo, & per consequens solùm actum contritionis esse recompensationem offensæ diuinæ per peccatum illatæ.

36. Alij obiectum formale specialis pœnitentiæ dicunt esse, honestatem, quæ reperitur in ipsa reconciliatione seu pacificatione,

qua Deum per peccatum offensum nobis placamus, & reconciliamus. Distinguunt enim hi authores offensam ab iniuria, aiuntque iniuriam esse contra ius strictum, quod quis habet in suas res; offensam verò non semper esse contra ius, ac proinde non semper includere iniuriam: vt si Petrus nolit dare Paulo Amico petenti, & indigenti mutuò centum, nullam illi iniuriam infert, cùm nullum ius habeat Paulus supra centum Petri; rationabilem tamen ei causam præbet offensionis, cùm possit, & nolit in necessitate illi succurrere. Præterea si à Petro librum subripiam, simul illi iniuriam, & offensam infero: restituto tamen libro, tollitur iniuria, licet maneat offensa, quia adhuc manet rationabilis causa offensionis, quæ data fuit per furtiuam subreptionem libri, quæ per solam libri restitutionem non tollitur. Iniuria igitur recompensatur per iustitiam; offensa verò per aliam virtutem, quæ inclinat ad tollendam causam rationabilis offensionis & indignationis, si fortè data sit, vel si data non est, ad illam non dandam, ex motiuo moralis honestatis, quæ in mutua pacificatione relucet. Quòd si talis virtus, vt cõdistincta à iustitia reperitur inter homines, à fortiori reperiri debet inter homines & Deum. Quæ virtus optimo iure appellari potest pœnitentia, cùm habeat omnes conditiones, quas ad virtutem specialis pœnitentiæ Doctores requirunt. Nam primò habet motiuum condistinctum à cæteris virtutibus: Secundò iuxta modum loquendi Theologorum, præcipuè S. Thomæ, qui tertia parte q. 85. art. 2. volens probare, pœnitentiam esse specialem virtutem; inde probat: quia tendit *ad detestationem peccati in quantum est Dei offensa*. Non dixit, *in quantum est Dei iniuria*; nam hoc est proprium iustitiæ; neque, *in quantum est Dei irreuerentia*: nam hoc spectat ad virtutem religionis; neque, *in quantum est Dei inobedientia*: nam hoc est munus obedientiæ: sed *in quantum est Dei offensa*, quam tollere pertinet ad pœnitentiam. Et in 4. dist. 14. q. 1. art. 1. q. 3. ad 4. expressè hanc sententiam docet, his verbis: *Sicut enim est alicuius virtutis, vt homo placet eum, quem peccando offendit: ita etiam est alicuius virtutis, vt homo Deum placet, quem peccando offendit*. Quod vlterius probat ex illo modo loquendi Ecclesiæ, *Deus qui culpa offenderis, pœnitentia placaris*.

S. Thomas.

37. Verùm duo in hac sententia mihi displicent: primum, quòd pœnitentia specialis non sit virtus iustitiæ, ex eo quòd non tendat ad recompensandam iniuriam Deo, eò quòd peccatum non lædat ius aliquod Dei: sed solùm tendat ad tollendam causam offensionis, quæ per peccatum rationabiliter data est: cùm enim peccatum difformet actiones nostras morales, supra quas Deus habet strictissimum ius, vt illæ à nobis eliciantur conformes rectissimo ipsius dictamini, propriam iniuriam infert Deo, lædendo strictissimum hoc ius, quod habet in actiones nostras morales, ne difformes fiant sapientissimo ipsius dictamini. Proinde ex hoc capite negari non potest, quin pœnitentia specialis sit iustitia, quæ ad hoc strictissimum ius Dei compensandum tendit: quamuis aliunde defectu æqualitatis possibilis, nequeat esse iustitia perfecta & rigorosa. Neque exemplum à rebus humanis ductum est ad rem: quia potest homo offendi in aliquo, in quod nullum habet ius, vt ex allatis exemplis manifestè apparet: non potest autem Deus per peccatum offendi, quin aliquod eius ius lædatur: quia cùm non possit offendi, nisi per peccatum, per quod actiones nostræ morales difformantur rectissimo ipsius dictamini, ratione cuius, ob infinitam suam sapientiam, habet perfectissimum ius, vt omnes nostræ actiones morales debeant illi conformari, non potest aliquod Dei ius per peccatum non lædi.

Propriam iniuriam infert Deo, qui lædit ius eius regulatiuum quod in nostras actiones habet.

38. Secundò displicet, quòd motiuum specialis pœnitentiæ hæc sententia non ponat in honestate actionis, vt resarcitiua est diuinæ offensæ, seu iuris diuini læsi, sed potiùs, vt placatiua est Dei erga nos. Vnde pro fine *Cui* non assignat Deum, sed ipsum pœnitentem: quod est contra modum loquendi Patrum, & Conciliorum, quæ docent, per pœnitentiam nos primariò recompensare offensam per peccatum Deo illatam: sicut per virtutem Religionis recompensamus irreuerentiam factam Deo: non minùs enim pœnitentia pro fine *Cui* facienda est recompensatio, habet Deum, quàm eundem pro fine *Cui* restituendus est honor debitus, habeat Religio. Neque hinc sequitur, pœnitentiam, sicut nec Religionem, esse virtutem Theologicam: quia licet vtraque habeat pro fine *Cui* Deum, neutra tamen habet illum pro immediato obiecto & motiuo, in quod directè tendat: nam hoc est honestas ipsa actus humani.

Finis cui pœnitentiæ est Deus.

Pœnitentiã distingui à virtutibus Theolog.

39. Confirmatur: nam sicut spes ex eo quòd tendat in Deum, vt nobis bonum, non desinit esse virtus Theologica, quia ad hoc sufficit, vt obiectum, in quod immediatè tendit, sit bonum increatum: ita è conuerso, ex eo quòd pœnitentia tendit in honestatem recompensationis, vt resarcitiua est diuini iuris læsi, non desinit esse virtus moralis: quoniam ad hoc sufficit, vt obiectum, in quod immediatè tendit, & ex quo directè mouetur, sit creatum, esto indirectum & remotum sit bonum increatum.

40. Quòd autem S. Thomas citato loco peccatum appellet offensam, non autem iniuriam, non est, quia putat, per peccatum nullum ius diuinum lædi, nam p. 2. q. 87. art. 6. expressè docet, per peccatum iniuriam inferri Deo, sed offensam prædicto loco cum iniuria confundit.

S. Thomas.

41. Vltimò alij motiuum formale specialis pœnitentiæ assignant ipsum peccatum, vt expiabile per aliquam satisfactionem, quod motiuum distinguit pœnitentiam à cæteris virtutibus, quæ licet detestentur peccatum, vt contrarium proprio obiecto: non tamen, vlteriùs tendunt ad illud expiandum per aliquam satisfactionem: idque colligunt ex

S. Thoma

S. Thomas. S. Thoma 3. p. citata quæstione 85. art. 3.

42. Sed contrà: nam omnis virtus, quæ est ad alterum ex eodem motiuo tendit ad seruandum ius alteri, & ad recompensandum ius læsum per voluntariam aliquam satisfactionem: ergo resarcire ius diuinum læsum, non videtur proprium pœnitentiæ. Antecedens probatur: nam ex eodem motiuo pietatis filius mouetur ad resarciendam iniuriam Patri, & ad præstanda illi debita obsequia. Ex eodem motiuo Duliæ mouetur seruus ad recompensandam iniuriam Domino, & ad exhibendum illi debitum famulatum. Ex eodem motiuo amicitiæ, amicus compensat offensam amico, & illi debita officia præstat: ergo ex eodem motiuo, siue charitatis, siue Religionis, siue obedientiæ creatura per voluntariam satisfactionem recompensat iniuriam per peccatum Deo illatam, & illi debita obsequia & reuerentiam præstat. Cuius ratio à priori est, quoniam eadem est inclinatio virtutis ad seruandum ius, ne lædatur, & ad resarciendum læsum.

Sententia verior. 43. Quare dicendum, motiuum formale pœnitentiæ specialis esse ipsam honestatem recompensationis, quatenus resarcitiua est iuris diuini læsi, quod Deus habet vt prima regula in omnes nostras actiones morales: igitur est distincta virtus à cæteris. Consequentia patet: quia virtutes, quæ sunt ad alterum, diuersificantur ex diuersitate iurium, quæ formaliter respiciunt. Nam virtus, quæ respicit, diuersum ius, inducit diuersum debitum in operante, ex qua iuris, & debiti diuersitate nascitur diuersum obiectum formale virtutis, vt inductione constat in omnibus virtutibus ad alterum. Antecedens verò probatur: nam certum est, Deum vt primam regulam omnis moralis honestatis habere ius, ne morales actiones creatæ difformentur recto dictamini, quod ipse de huiusmodi actionibus habet: Sed huic regulę, & recto dictamini necessariò difformantur omnes actiones peccaminosæ, cùm omne peccatum, (teste *August.* Augustino libro 22. contra Faustum capite 277.) sit deuiatio à lege æterna Dei. Atqui *Ius primæ regulæ.* hoc ius est diuersum à reliquis, quæ Deus habet, vt primum principium, vt vltimus finis, vt supremus legislator: Igitur pœnitentia, quæ resarcit hoc ius, est specialis virtus à reliquis distincta. Maior, & minor assumptę patent. Minor subsumpta probatur: quoniam Deus, vt primum principium fundat ius supremi dominij, cui debetur supremus cultus Religionis: Vt summum atque increatum bonum ius vltimi finis, cui debetur amor charitatis super omnia: Vt supremus legislator fundat ius supremi gubernatoris, cui debetur summa obseruantia pręceptorum: Igitur vt prima regula omnium moralium actionum fundare debet peculiare ius imitabilitatis, & exemplabilitatis, cui debetur perfecta conformitas omnium nostrarum operationum moralium. *Ius imitabilitatis.* Atqui hoc ius per se primò respicit pœnitentia, ne lædatur per difformitatem moralium operationum, & vt lęsum per retractationem præcedentium, & conformitatem subsequentium actionum resarciatur. Quod inde constat, quoniam ex Tridentino sessione sexta capite sexto, & sessione 14. cap. 4. pœnitentia includit propositum nouę, & detestationem veteris vitæ: sed obiectum virtutis est illud, quod per se primò intenditur à virtute: ergo si emendatio ista morum per conformitatem ad primam regulam per se primò intenditur à pœnitentia, erit ipsius obiectum. *Tridentin.*

44. Confirmatur: nam duplex distinguitur pœnitentia; Altera naturalis & acquisita; Altera supernaturalis & infusa: atqui prima intendit honestatem morum per conformitatem ad regulam naturalis rationis: ergo secunda intendet honestatem morum per conformitatem ad regulam rationis supernaturalis, per fidem illustratæ: virtus enim acquisita & infusa non discriminantur, nisi penes motiuum naturale & supernaturale sub eadem vniuoca; vel analoga ratione honestatis: sicut intellectus naturalis, & supernaturalis; non differunt, nisi penes obiectum naturale & supernaturale, sub eadem analoga ratione intelligibilitatis.

45. Sed contrà hanc nostram doctrinam obijciet quis primò: nam hoc ius non videtur distingui à iure, quod Deus habet vt legislator: vt sic enim est prima lex, & norma omnium moralium actionum; est enim lex essentialiter regula moralium operationum: ergo idem est ius, quod Deus habet vt supremus legislator, & vt prima regula: nam ius primæ regulæ includitur in iure supremi legislatoris: igitur pœnitentia non distinguitur ab obedientia, quę respicit ius ipsum legislatoris.

46. Secundò. Potissimus actus pœnitentiæ est contritio: nam per hanc solam deletur peccatum extra sacramentum, vt docet Trident. sess. 14. c. 4. sed contritio includit actum dilectionis Dei super omnia, vt idem Concilium ibidem testatur: ergo pœnitentia non distinguitur à charitate: cuius est diligere Deum super omnia. *Trident.*

47. Resp. ad primum, negando antecedens: pro quo notãdum, legem, præter actum intellectus essentialiter includere actum voluntatis: cùm non solùm sit directiua, quod habet ab intellectu; sed etiam obligatiua, quod habet à voluntate, cuius tantùm est obligare. Regula verò adæquatè solùm constituitur per actum intellectus, cùm per se non habeat, nisi dirigere, & regulare. Quo fit, vt ius legislatoris formaliter sit ius obligandi subditos ad executionem legis per actũ voluntatis: nam hoc est formale & specificum in lege; vnde obedientia, cuius formale motiuum est hoc ius, per se respicit voluntatem legislatoris, vt testatur S. Thomas secunda secundæ q. 104. art. 2. vbi voluntatem superioris tacitam, aut expressam ait, esse obiectum obedientiæ: Ius verò primi regulantis, & dirigentis solùm est ius passiuę imitabilitatis & exemplabilitatis, ad quam non obligat *Lex includit actum intellectus, & voluntatis.* *Regula instituitur per actum intellectus.* *S. Thomas.*

Deus

Deus formaliter per voluntatem; sed per ipsummet increatum dictamen, quod propter suam infinitam prudentiam & sapientiam dignum est, cui omnes morales actiones creatæ conformentur: & consequenter pœnitentia, quæ respicit hoc ius, distinguitur formaliter ab obedientia, quoniam hæc respicit ius, vt formaliter præceptiuum; illa, vt formaliter regulatiuum seu directiuum. Nec refert, quòd regulatiuum includatur in præceptiuo: nam in ratione specificantis materialiter se habet, formaliter enim id solùm specificat, quod expressè & primariò intenditur, quod in pœnitentia est solùm ius directiuum seu regulatiuum: in obedientia verò est solùm præceptiuum. Neque ex eo, quòd obiectum pœnitentiæ materialiter includitur in motiuo formali obedientiæ, nequit, vt expressè intentum, specificare distinctam virtutem, vt constat de ipsamet obedientia, quæ materialiter includitur in omni opere bono præcepto: cùm tamen possit, vt expressè intenta, specificare distinctam virtutem obedientiæ specialis.

Obedientia respicit formaliter ius præceptiuũ, pœnitentia respicit formaliter ius regulatiuũ.

48. Dices. Omne peccatum formaliter est contra voluntatem Dei: igitur nequit pœnitens respicere ius Dei, vt primi regulantis, præscindendo à voluntate obligantis: nam hac præcisa nullum est debitum operandi in creatura. Resp. cum distinctione antecedentis: omne peccatum est contra voluntatem Dei, vel implicitam, vel explicitam, concedo: Pœnitentia autem præscindit quidem à voluntate Dei explicita, cùm hæc sit propria obedientiæ specialis; non autem à voluntate implicita, quæ includitur in omni opere bono necessariò: vti est voluntas implicita Dei obligandi nos ad sequendum rectum rationis dictamen.

Omne peccatum est contra implicitam voluntatem Dei.

49. Instabis. De pœnitentia est præceptum: sed præceptum supponit voluntatem explicitam: ergo pœnitentia non præscindit à voluntate explicita Dei. Resp. distinguẽdo minorem: supponit voluntatem formaliter & intrinsecè, ita vt sine illa non obligaret, nego; supponit voluntatem extrinsecè, & concomitanter, ita vt etiam sine illa obligaret, concedo: sicut dantur præcepta de ijs, quæ sunt iuris, & dictaminis naturalis, non vt ius ipsum naturale per huiusmodi extrinsecum præceptum simpliciter obliget, cũ sine illo adhuc obligaret; sed vt extrinseco etiam præcepto, & noua volũtate superioris obliget.

Pœnitentia supponit voluntatem Dei explicitam extrinsecè.

50. Ad secundum, fusiùs infrà; nunc breuiter Respondeo, contritionem, vt est vltima dispositio ad iustificationem, præter actum pœnitentię, includere etiam actum charitatis, reliquarumque virtutum Theologalium. Legatur S. Thomas 3. p. q. 85. pręcit. ar. 3. ad 4.

S. Thomas.

51. Ex dictis patet ad primam sententiam, quæ solùm probat, posse peccatorem ex alio motiuo, quàm pœnitentiæ, moueri ad detestanda sua peccata, quod non tollit, quin pœnitentia habeat suum speciale motiuum, ex quo moueri valeat, si velit, ex speciali motiuo illius operari.

SECTIO IV.

An pœnitentia sit species Iustitiæ?

52. Ratio dubitandi est duplex: Prima, quia proprium iustitiæ est, ponere ęqualitatem inter excessum & defectum. Implicat autem creaturam ponere æqualitatem inter excessum peccati; & defectum offensæ, quia nullam possumus pro offensa Dei condignam satisfactionem offerre. Secunda: Iustitia est virtus moralis, cuius obiectum sunt operationes humanæ: sed obiectum pœnitentiæ est ius diuinum recompensabile per satisfactionem: ergo pœnitentia non est species iustitiæ, sed potiùs virtus Theologica, cuius obiectum est Deus.

53. Communis tamen sententia S. Thomæ 3. parte q. 85. art. 3. Alens. 4. parte q. 12. m. 1. art. 1. §. 4. & q. 17. m. 6. art. 4. & reliquorum Scholasticorum in 4. distinct. 14. affirmat, pœnitentiam esse speciem iustitiæ. Fundamentum, quia est virtus ad alterum habens pro materia aliquid creatum: pro cuius explicatione,

Sentent. S. Thomas. Alensis, Reliqui.

54. Notandum, virtutem adæquatè diuidi in Theologicam, & moralem: Theologica est, cuius obiectum est Deus; moralis, cuius obiectum sunt actiones humanæ: Rursus moralem diuidi in virtutem ad se, & ad alterum. Virtus ad se dicitur, cuius obiectum sunt ipsæ passiones operantis, vt fortitudo & temperantia, quæ versantur in moderandis passionibus ipsius operantis; Illa in passionibus irascibilis; Hæc concupiscibilis. Virtus ad alterum est, cuius obiectum sunt actiones operantis, vt sunt alterius iuris adęquatiuæ, vt iustitia, quę tota versatur in adæquandis iuribus alteriuș. Tres autem conditiones habet iustitia, alteritatem iurium, æqualitatem compensationis, & debitum compensandi ex aliqua iure ortum; vnde quæ has tres conditiones perfectè participat, dicitur perfecta iustitia: quæ verò illas imperfectè tantùm participat, dicitur iustitia imperfecta, & potestatiua: siue hic defectus sit ex parte alteritatis iurium, vt inter Patrem, & filium; Dominum & seruum; Virum, & vxorem; Deum & hominem, quorum iura (teste Philosopho 5. Ethicor. 6.) non sunt perfectè condiuisa, siue ex parte æqualitatis, vt inter filium, & Patrem; discipulum, & Magistrum; hominem, & Deum, quoniam Deo, parentibus & Magistris, non possumus par reddere; siue ex parte debiti, quod duplex est, strictum & rigorosum, quod legale dicitur, cui in altero respondet perfectum ius exigendi tale debitum: quale reperitur intra duos contrahentes, nec non inter hominem, & Deum, in quo est perfectum ius exigendi, quidquid est in nobis, cui perfecto iuri respondet in nobis strictum debitum reddendi illi hæc omnia. Alterum dicitur

Virtus moralis, alia ad se, alia ad alterum.

Conditiones 3. requisita ad iustitiã

Aristot.

Duplex est debitum: legale & morale.

dicitur debitum solius condecentiæ, quod morale nuncupatur, cui in altero nullum respondet ius actiuum exigendi, sed tantùm passiuum recipiendi, quale est debitum misericordiæ, liberalitatis, amicitię, quia nec qui dat, habet legale debitum dandi; nec qui accipit, actiuum ius exigendi, quod accipit. Lege S. Thomam secunda secundæ q. 80. art. vnic. His adnotatis,

S. Thomas.

55. Dico primò. Pœnitentia non est virtus Theologica: est S. Thomæ quęst. citata art. 3 ad primum, & omnium Scholasticorum: Fundamentum, quia virtus Theologica habet pro obiecto formali Deum: fides enim credit obiecta reuelata, propter authoritatem Dei reuelantis; spes tendit in Deum, vt assequibilem per beatitudinem formalem: charitas diligit Deum propter seipsum, & reliqua propter Deum. Pœnitentia autem non habet pro formali obiecto Deum, sed actiones morales, vt conformabiles cum prima regula.

Cæteri S. Thomas.

56. Dices. Pœnitentia detestatur peccata propter Deum: ergo est virtus Theologica. Antecedens probatur, quia detestatur illa, vt sunt offensa Dei. Resp. Pœnitentiam detestari peccatum propter Deum, tanquam finem, cui detestatio peccatorum immediatè dirigitur, non tanquam formale motiuum, quo proximè mouetur ad ea detestanda: motiuum enim proximum, quo pœnitentia, vt distincta virtus, mouetur ad peccata detestanda, non est Deus, sed recompensatio ipsa iuris diuini læsi, quam recompensationem ingreditur Deus in obliquo, vt finis *Cui*, non in recto, vt finis *Qui*: sicut cùm quis ex affectu iustitiæ recompensat iniuriam Regi factam, Rex non ingreditur recompensationem vt motiuum quod, sed vt finis *Cui*, motiuum verò quod, est ipsa recompensatio, vt adæquatiua iuris læsi.

Deus non est formale motiuum pœnitentiæ.

57. Pro cuius intelligentia notat S. Thomas in 4. distinct. 14. q. 1. art. 1. ad quæst. 4. ad 2. virtutes esse in triplici differentia: aliæ habent pro obiecto, & fine Deum, vt Theologicæ; Aliæ nec pro obiecto, nec pro fine proximò; sed tantùm remoto, habent Deum, vt temperantia, fortitudo, quæ pro materia, & obiecto habent passiones operantis; pro fine proximo, animi quietem; pro fine vltimo, & remoto Deum: inter quas est etiam iustitia ciuilis, quæ pro materia habet actiones adęquatiuas Iurium ciuium; pro fine proximo Reipublicæ pacem; pro remoto Deum. Quædam verò sunt, quæ licet non habeant Deum pro obiecto: habent tamen ipsum pro fine proximo, ad quem omnes earum actus diriguntur, talis est Religio, & pœnitentia, quarum actus proximè ordinantur ad Deum: quę propterea propinquissimę sunt Theologalibus, à quibus proximè impetrantur: Deus igitur est finis non obiectum pœnitentiæ.

S. Thomas.

Virtutum differentia triplex.

58. Ex quo patet ad secundam rationem dubitandi; cuius minor est neganda, nam ius diuinum non est obiectum pœnitentiæ, sed finis *Cui*, à quo tantùm proximè specificatur ipsius obiectum, quod est recompensatio ipsa, quatenus honestatem accipit, per ordinem ad tale ius resarciendum.

59. Dico secundò. Pœnitentia est species iustitiæ, non subiectiua, & perfecta; sed potestatiua & imperfecta: est S. Tho. quæst. citata art. 3. & in 4 dist. 14. q. 1. art. 1. quæst. 5. prior pars constat, quia pœnitentia ordinat nos ad Deum in actionibus moralibus: At omnis virtus, quæ ordinat operantem ad alterum, pertinet ad iustitiam. Posterior probatur, nam iustitia subiectiua, & perfecta est illa, quæ perfectè participat tres illas conditiones, nempe iurium alteritatem, æqualitatem, & debitum: sed pœnitentia deficit in primis duabus conditionibus, quia nec ius, quod habet creatura in suas actiones, quibus compensat ius diuinum læsum, est perfectè condiuisum à iure, quod supra easdem actiones habet Deus ratione primi principij, & vltimi finis; Nec satisfactio, quam offert Deo in recompensationem, est æqualis offensæ illatæ; ergo. Contra hanc secundam partem opinantur Aureo. sup. cit. & Scotus, putantes, actum pœnitentiæ esse condignam satisfactionem pro peccato, de quo suo loco.

S. Thomas.

Aureolus. Scotus.

60. *Obijcies* primò. Potest pœnitens satisfacere Deo per actum temperantiæ, & fortitudinis: sed actus temperantiæ, & fortitudinis non ordinantur ad alterum, ergo non semper actus pœnitentiæ ordinantur ad Deū. Resp. distinguendo maiorem: potest pœnitens satisfacere Deo per actus temperantiæ, & fortitudinis elicitiuè, concedo; imperatiuè, nego: nam potest pœnitentia imperare quoscunque actus virtutis, & per tales actus à se imperatos, & à proprijs virtutibus elicitos Deo satisfacere: qui actus imperatiuè tantùm erunt pœnitentiæ, elicitiuè autem eius virtutis ex cuius motiuo proximè eliciuntur.

Temperantia, Fortitudo &c. possunt satisfacere Deo.

61. *Obijcies* secundò. Æqualitas iustitiæ non est secundùm rem, sed secundùm affectum: atqui secundùm affectum pœnitens adæquatè satisfacit Deo, quia qui facit quantum potest, censetur satisfacere ad ęqualitatem. Confirmatur, quia virtus spectanda est potiùs ex affectu; quàm ex effectu: nam solus affectus est in liberâ voluntate, & potestate operantis, cuiusmodi debet esse virtus. Resp. æqualitatem, quam spectat iustitia, esse quidem secundùm affectum, sed proportionatum suo obiecto: Non enim potest virtus elicitiuè se extendere ad obiectum alterius virtutis, quia nulla virtus potest transcendere limites sui obiecti: cùm igitur obiectum seu finis *Cui*, pœnitentiæ, sit ius diuinum per se inadæquabile, non poterit secundùm affectum absolutum, quem requirit virtus practica, intendere ęqualitatem inter tale ius & debitum. Vnde quantumcũque pœnitens intendat facere quantum potest, nunquam censetur ponere æqualitatem inter offensam, & peccatum: quia nec talis ęqualitas possibilis est ab homine puro, nec exigitur ab obiecto ipso pœnitentiæ.

62. Ad confirmationem, concedo virtutem potiùs spectandam esse ex affectu; sed proportionato

Virtus spectanda est ex affectu proportionato obiecto.

tionato proprio obiecto, qualis non est affectus satisfaciendi Deo ad æqualitatem, quia hic cùm sit impossibilis, non exigitur à virtute pœnitentiæ, quæ est virtus practica, per se spectans possibilitatem obiecti, & exercitam operationem circa illud.

SECTIO V.

Quodnam sit obiectum materiale pœnitentiæ?

63. PRIMA sententia affirmat, esse sola peccata à proprio supposito commissa: Est S. Thomæ in 4. dist. 17. q. 2. art. 2. quæstiuncula 2. & 5. Paludani dist. 14. q. 4. & aliorum: quorum fundamentum est: quia præcipuus actus pœnitentiæ est contritio: contritio autem nequit esse nisi de peccato proprio; ergo nec actus pœnitentiæ.

S. Thomas. Paludanus.

64. SECVNDA sententia docet, quodlibet peccatum tam actuale, quàm habituale; tam mortale, quàm veniale; tam præteritum commissum, quàm futurum committendum; tam proprium, quàm alienum; tam remissum, quàm non remissum, esse materiale obiectum pœnitentiæ: Est Argentinæ in 4. dist. 14. q. 1. art. 1. §. *Saluo igitur semper meliori iudicio:* Suarez disp. 2. sect. 1. addunt alij, pœnitentiam extendi etiam ad imperfectiones, & defectus non culpabiles.

Argentinas. Suarez.

65. Præsentis contrauersiæ decisio maximè pendet, in quo sensu & significatione sumatur pœnitentia. Pro cuius explicatione, notandum, pœnitentiam bifariam accipi posse: primò adæquatè pro habitu inclinante tam ad illæsum seruandum ius diuinum per actus conformes primæ regulæ, quàm ad detestandum malum diuino iuri contrarium. His adnotatis,

66. DICO primò. Pœnitentiæ adæquatè sumptę materiale obiectum sunt omnes actiones morales, vt conformabiles cum prima regula. Fundamentum est: quia pœnitentia adæquatè sumpta habet pro fine proximo *Cui* ius primæ regulæ: ergo adæquatum obiectum materiale ipsius sunt omnes actiones morales, vt conformabiles cum primâ regulâ. Antecedens constat ex dictis. Consequentia probatur; quia quidquid confert ad finem proximum virtutis, est materiale obiectum virtutis: obiectum enim materiale, & medium ad proximum finem virtutis consequendum, sunt idem, vt patet in artibus, quarum obiecta sunt media ipsa ad proprium finem artis consequendum: sed omnes actiones morales possunt esse media ad ius primæ regulæ, siue illæsum conseruandum, siue læsum resarciendum.

Obiectum virtutis materiale, & medium ad proximũ eius finem consequendum sunt idem.

67. Confirmatur: nam sicut iustitię adæquatè sumptæ materiale obiectum non solùm sunt actus humani, vt recompensatiui iuris lęsi, sed etiam vt conseruatiui eiusdem: ita pœnitentiæ adæquatè sumptæ materiale obiectum non solùm sunt actiones morales, vt recompensatiuę iuris diuini lęsi; sed etiam vt conseruatiuæ eiusdem.

68. *Obijcies* 1. Finis proximus coincidit cum obiecto formali in habitibus practicis: ergo si ius diuinum est finis proximus pœnitentiæ, erit obiectum formale ipsius. Resp. Concedo antecedens de fine proximo *Qui*; nego de fine proximo *Cui*: vt videre est tam in artibus, quàm in virtutibus. Ars enim fræni factiua pro obiecto formali & fine proximo *Qui* habet ipsum frænum affabre factum; finem verò *Cui*, ad quem proximè frænum ipsum dirigitur, equum. Obiectum formale, & finis proximus *Qui* iustitiæ, est honestas, quæ relucet in actione adæquatiuâ iuris alterius; finis verò proximus *Cui*, est ius ipsum alterius, ad quod adæquandum iustitia dirigitur. Obiectum formale & finis proximus *Qui* temperantiæ, & fortitudinis, est ipsa honestas actionis, vt moderatiuæ passionis concupiscibilis, & irascibilis; finis verò *Cui*, est homo ipse, in cuius commodum cedit moderatio ipsa passionum.

Finis proximus Qui, & obiectum formale in habitibus practicis coincidunt.

69. *Obijcies* 2. Obiectum materiale non debet includere formale: sed actiones morales vt conformabiles cum primâ regulâ includunt obiectum formale pœnitentię; includunt enim conformitatem ipsam cum primâ regulâ, quod est obiectum formale pœnitentiæ. Resp. distinguendo maiorem: obiectum materiale non debet includere formale constitutiuè & in recto, concedo; terminatiuè & in obliquo, nego. Cùm enim eadem actio moralis possit esse obiectum materiale diuersarum virtutum, vt restringatur ad obiectum materiale solius pœnitentiæ, additur in obliquo respectus, seu connotatio obiecti formalis pœnitentiæ.

Obiectum materiale potest includere formale terminatiuè, non cõstitutiuè.

70. DICO 2. Materiale obiectum pœnitentiæ inadæquatè sumptæ, pro habitu tantùm inclinante ad detestanda mala opposita iuri diuino, sunt omnia mala culpę, siue propria, siue aliena; siue pręterita, siue futura; siue personalia, siue originalia; siue dimissa, siue non dimissa; quin etiam actiones indifferentes, si dantur, & materialiter tantùm malæ, elicitæ cum inuincibili ignorantia malitiæ, & aliquo modo defectus etiam non culpabiles. De malis culpę constat, cùm omnia hęc opponantur iuri primæ regulæ, cùm omnia sint contra legem æternam Dei, & rectissimum dictamen ipsius: igitur omnia mala culpæ sunt materiale obiectũ pœnitentiæ. Consequentia prob. nam pœnitentię adæquatè sumptę finis est, illęsum seruare ius primæ regulæ: ergo eiusdem pœnitentię inadæquatè sumptæ pro habitu inclinante tantùm ad detestanda ea, quæ huic iuri opponuntur, materiale obiectum sunt omnia mala culpæ: nam omnis virtus ex eadem inclinatione ad suum obiectum formale inclinat etiam ad detestanda & remouenda omnia ea, quæ suo obiecto formali opponuntur. Cùm igitur pœnitentia specialis tanquam ad suum

Virtus inclinat ad remouenda ea quæ obiecto formali opponuntur.

ad suum motiuum formale inclinet ad honestatem moralis conformitatis omnium operationum moralium cum prima regula, cumque omnia mala culpæ huic honestati directè opponantur, omnia mala culpæ erunt materiale obiectum Pœnitentiæ, quamuis diuerso modo: nam peccata personalia propria præterita, vt destruenda per efficacem retractationem; futura vt vitanda & fugienda per diligentem cautelam; aliena vt detestanda per simplicem displicentiam & odium.

71. Quòd autem etiam actiones morales indifferentes (si dantur) sint materiale obiectum Pœnitentiæ, vt destruendum, patet: nam tales actiones non sunt conformes recto dictamini, quod Deus habet de actionibus moralibus: nam dictamen diuinum dictat, omnes actiones morales debere sibi positiuè conformari: actiones autem indifferentes non sunt positiuè conformes æterno dictamini, quod Deus habet de actionibus moralibus.

Spectan ad obiectum materiale pœnit. actiones materialiter malè.

72. Quòd verò actiones materialiter tantùm malæ, elicitę ex inuincibili ignorantia malitiæ, sint etiam obiectum materiale vt detestabile Pœnitentiæ, probatur: nam tales actiones, etsi non habeant difformitatem cum principio proximo libero, à quo sunt elicitæ, habent tamen difformitatem cum obiecto, cum quo tanquam cum proxima regula postulant conformari, ratione cuius difformitatis deuiant à prima regula, quæ non solùm dictat, eas esse conformandas cum suo principio proximo productiuo, sed etiam cum suo termino proximo regulatiuo, quod est obiectum.

Defectus non culpabiles.

73. Quòd demum obiectum Pœnitentiæ sint etiam defectus non culpabiles, qui nullam habent positiuam deformitatem, sed priuationem tãtùm maioris perfectionis moralis, quam actiones ipsæ morales aptæ erant habere, sic ostendo: Nam talis defectus in actione morali, est priuatio maioris conformitatis cum prima regula, quam operatio ipsa habere poterat à suo principio proximo operante: igitur circa illum versari potest Pœnitentia per actum displicentiæ, dolendo de priuatione maioris conformitatis, quam actio moralis habere poterat à suo proximo principio productiuo. Etenim prima regula non solùm dictat, omnes actiones morales conformandas esse cum recto dictamine diuino, sed etiam perfectè, iuxta proximi principij virtutem, vt si proximum principium sit potens producere actum honestum intensum vt octo, prima regula dictat, illum producendum esse vt octo, non vt vnum: proinde talis defectus maioris conformitatis cum prima regula potest esse obiectum displicentiæ, ac proinde obiectum Pœnitentiæ.

74. Dices. Nihil potest esse obiectum displicentiæ respectu Pœnitentiæ, nisi quod cedit in offensam Dei: sed tales actus non cedunt in offensam Dei, cùm non sint materia confessionis. Resp. negando maiorem; etenim cùm finis Pœnitentię sit perfectissimè illęsum seruare ius, quod Deus habet in omnes actiones morales, cumque hoc ius illæsum seruetur per omnimodam conformitatem actionum moralium cum prima regula, non solùm obiectum à pœnitentia detestabile erunt actiones positiuè difformes, sed etiam negatiuè non conformes, cuiusmodi sunt actus morales indifferentes, & operationes non plenè conformes cum eadem prima regula.

Actiones positiuè difformes 1. regulæ, & negatiuè.

75. Dico 3. Pœnitentiæ sumptæ pro habitu tantùm retractatiuo & correctiuo, materiale obiectum sunt propria peccata personalia commissa, etiam condonata. Fundamentum est, quia retractatio & emendatio non potest cadere, nisi in propria peccata personalia commissa, cùm non retractemus, aut emendemus, nisi quæ nos ipsi malè gessimus. Vnde neque in peccata futura cadere potest retractatio, & emendatio, sed tantùm odium & cautela. Quòd autem etiam in peccata cõdonata cadere possit retractatio, patet: nam etiam de peccatis nobis condonatis dolere, ac tristari possumus, quatenus à nobis commissa fuerunt.

76. Dico 4. non solùm malum culpæ, sed etiam malum pœnę, & quidem propinquius, quàm malum culpę, est materiale obiectum pœnitentiæ: est Aureoli in 4. distinct. 14. q. vnic. a. 1 Fundamentum est: quia malum pœnæ est proximè recompensatiuum iuris diuini, nam per pœnam voluntariè assumptam peccator proximus satisfacit Deo, & recompensat, quantum est de se, ius diuinum læsum: igitur est propinquius obiectum, quã malum culpæ. Illud namque est propinquius obiectum materiale, quod proximiùs attingit obiectum formale, & finem virtutis: sed recompensatio diuinæ iniuriæ, quæ est obiectũ formale pœnitentiæ, proximiùs attingitur per pœnam voluntariè assumptam: ergo.

Aureolus.

77. Ex dictis patet ad fundamentum primę sententiæ, quod tantùm procedit de pœnitentia pro habitu propriæ culpæ retractatiuo.

SECTIO VI.

An pœnitentia sit virtus infusa?

78. Prima sententia Scoti in 4. dist. 14. q. 3. §. *hic dicitur*, Durandi quæst. 2. numero 6. Mayroni quæst. 3. negantium. Fundamentum Scoti est: quoniam ex frequentatione actuum generabilis est in nobis habitus, per quam ad consimiles actus facilitemur. Nec obstat, quòd pœnitentia in detestandis peccatis propter Deum, nitatur regula supernaturali fidei: nam ea posita, potest voluntas, vt ibidem Scotus contendit, viribus proprijs elicere actus Pœnitentiæ, ijsque generare sibi habitum ad consimiles actus inclinantes.

Scotus. Durandus. Mayronus.

79. Fundamentum verò Durandi est, quia nulla datur virtus infusa, præter Theologales,

es, atqui pœnitentia non est virtus Theologalis, sed moralis; est enim, vt præcedente sect. probatum est, species Iustitiæ potestatiuæ: cuius est ius suum alteri reddere, siue Deo obedientiam, præcepta seruando; siue hominibus obseruantiam, debitum honorem tribuendo. Quòd si interdum appellatur infusa, id non tam dicitur ratione sui; quàm ratione virtutũ Theologalium, sine quarum actibus pœnitentia suas operationes exercere non valet, cùm in operando pendeat ab actibus virtutum Theologalium, repræsentantibus obiecta secundùm circumstantias, ad quas repræsentandas non se extendit ratio naturalis. Eandem sententiam sequitur Marsil. q. 10. a. 1. in secunda parte ar. ad argumẽta primo loco adducta, ad 1. vbi quamuis dicat, pœnitẽtiam simul infundi cum charitate; id tamen ipse intelligit de infusione per accidens, vti infunduntur scientiæ naturales: docet enim, pœnitentiam acquiri posse proprijs actibus. Ex hac sententia sequitur, habitum pœnitentiæ manere in peccatore, in quo cum fide, & spe manent omnes habitus quoad substantiam naturales.

Marsilius.

80. Secunda sententia, affirmat: est S. Thomæ 3. parte q. 85. a. 5. Caiet. ibidem, Soti in 4. dist. 14. q. 2. a. 5. §. *ex ijs tandem.* Cani relectione de Pœn. par. 2. conclus. vltima, Argent. in 4. dist. 14. q. 1. a. 1. ad 4 contra 3. p. a. Suarez, dis. 7. sect. 1. Vasquez in 3. p. q. cit. a. 5. dub. 2. Henriquez lib. 4. de sacra. c. 22. Syluij & aliorũ. Pro cuius cõtrouersiç explicatione.

S. Thomas. Caietanus. Sotus. Canus. Argentin. Suarez. Vasquez. Henriquez. Syluius. Trident.

81. Dico 1. Datur aliqua pœnitentia per se infusa: primum fundamentum est, quia datur ex Triden. sess. 6. can. 3. aliquis actus pœnitentiæ, quem sine speciali auxilio gratiæ elicere non possumus: ergo datur aliquis habitus pœnitentiç per se infusus. Consequentia probatur: quia ad hoc dantur habitus infusi, vt sint proxima principia actuum supernaturalium, ad quos eliciendos viribus naturæ sumus impotentes. Igitur si datur actus pœnitentiæ, quem natura proprijs viribus attingere nõ potest, dabilis etiam est habitus per se talis actus productiuus, ac proinde supernaturalis & infusus.

82. Secundum fundamentum est, quia omnis virtus, quæ hominem ordinat ad finem supernaturalem, est per se infusa: atqui Pœnitentia hominem ordinat ad finem supernaturalem: igitur est per se infusa. Minor elucet: quia per pœnitentiam homo consequitur remissionem peccatorum, quæ sola impediebant consecutionem finis supernaturalis, iuxta illud Ieremiæ 18. *Si pœnitentiam egerit gens illa à malo suo, agam & ego pœnitentiam super malo, quod cogitaui, vt facerem ei:* & Ezechielis 18. *Si impius egerit Pœnitentiam vita viuet, & non morietur.* Maior vero probatur: nam virtus, quæ hominem ordinat ad finem supernaturalem, excedit vires naturç: ergo nequit viribus naturæ acquiri: igitur debet à Deo infũdi. Vtraque consequentia constat. Antecedens probatur: nam si posset viribus naturæ acquiri virtus, quæ hominẽ ordinat ad finem supernaturalẽ, posset homo viribus naturæ, supernaturalem finem consequi: quæ est hæresis Pelagiana.

Virtus quæ ordinat ad finem supernaturalem est infusa.

Ier. 18. Ezech. 18.

83. Confirmatur. Non minùs sunt necessariæ virtutes infusæ, quæ immediatè versantur circa media ad finem supernaturalem conducentia; quàm quæ immediatè versantur circa ipsum finem supernaturalem: Atqui pœnitentia immediatè versatur circa media ad finẽ supernaturalem cõducentia: igitur est virtus per se infusa. Minor patet: quia pœnitẽtia versatur circa remissionem peccatorum, exhibendo satisfactionem pro iniuria per peccata Deo illata, remissio autem peccatorum est mediũ per se ducens ad finẽ supernaturalem. Maior probatur, quia media debent proportionari fini; sicut virtus medijs, ad quæ attingenda ordinatur. Etenim cùm medium sit causa finis in executione: cumque nequeat medium naturale esse causa finis supernaturalis, non poterit virtus acquisita, quæ ordinatur ad media tantùm naturalia, esse sufficiens ad consequendum finem supernaturalem.

84. Dico secundò. Præter habitum pœnitentiç per se infusum, datur etiam habitus pœnitentiæ acquisitus, ijsdem actibus pœnitentiæ infusç in essentia supernaturalis, diuersæ tamen speciei ab infuso, facilitans tantùm potentiam ad consimiles actus eliciendos, nõ autẽ dans posse simpliciter, sicut dat habitus ipse infusus. Assertionem hãc expresè tradit Bacchо in 3. d. 29. q. vnic. a. 3. ad finem, vbi impugnatis rationibus, quibus alij hanc sententiam probant, duplici ratione illam ipse confirmat, qua nos etiam infrà vtemur. Eandem docent Petrus Bergomas, in concordantijs locorũ S. Thomæ dub. 697. & Petrus Hurtadus de anima disp. 16. s. 8. Vasquez verò prima secundæ. disp. 79. c. vlt. & 83. n. 1. vtramque sententiæ partem problematicè defendit. Cęterùm illam tanquam à Theologis concessam refert & admittit Bannez 1. par. q. 1. a. 2. dub. 2. in fine: quam etiã approbat Molina ibidem a. 3. disp. 3. in fine, & Azor lib. 3. Instit. moral. c. 21. nisi quòd hi Authores velint, habitum, qui gignitur ex actibus supernaturalibus, esse quoad essentiam naturalem, eò quòd effectus naturalis eminenter contineatur in causa supernaturali. Verùm meminisse oportuit Molinã, quod supra tradidit a. 2. disp. 2. ad 4. nempe habitum Theologicum in Catholico esse in substantia supernaturalem, eò quòd in illum influat saltem vna causa supernaturalis, quç est habitus ipse fidei infusæ, potiori igitur ratione asserere debuit, habitum genitum ex actibus supernaturalibus esse in essentia supernaturalem: cùm in illum influat sola causa supernaturalis, quç sunt actus ipsi supernaturales, qui tantùm sunt adæquata causa huiusmodi habitus acquisiti.

Baccho.

Petrus Bergomas. Petrus Hurtadus. Vasquez. Bannez. Molina. Azor.

85. Hæc eadem sententia colligitur ex S. Tho. q. 17. de veritate ar. 1. ad argumenta secundo loco adducta ad 4. vbi docet, ex actibus charitatis infusæ gigni habitum dilectionis in nobis: eadem autem ratio est de quouis alio habitu infuso. Quòd si ibidem dicat, hunc habitum esse eiusdem rationis cum habitu ipso infuso, intelligendus est vel eiusdem rationis genericæ: quia vterque est

S. Thomas.

Explicatur

quoad

quoad substantiam supernaturalis; vel eiusdem rationis reductiuè: quia talis habitus acquisitus reducitur ad speciem infusi, cùm vterque tendat ad idem obiectum formale, licet vnus per modum potentiæ, alter per modum facilitantis tantùm. Nec sibi contrarius est in 1. 2. qu. 51. a. 4. ad 3. vbi negat, ex actibus habitus infusi gigni in nobis aliquem habitum, sed præexistentem tantùm confirmari ac roborari: Quoniam, vt cit. loco notauit Petrus Bergomas, solùm in præcitato loco 1. 2. negat S. Doctor, ex huiusmodi actibus gigni in nobis habitum eiusdem, non autem diuersæ rationis cum infuso.

Petrus Bergomas.

Dari habitum pœnitentiæ supernaturalem acquisitum probatur experientia.

86. Probatur assertio ratione, & primò quoad primam partem, nempe quòd ex actibus pœnitentiæ infusæ acquiratur aliquis habitus ab infuso diuersus, manifesta constat experientia. Constat enim, maiorem promptitudinem in eliciendis actibus pœnitentiæ experiri eum, qui diu, quàm qui nunquam, vel rarò in illis se exercuit. Atqui maior hæc promptitudo aliunde oriri non potest, quàm ex aliquo habitu per huiusmodi frequentatos actus acquisito. Minor probatur, nam hæc oriri non potest ab habitu ipso infuso; ergo ab aliquo acquisito per ipsosmet frequentatos actus. Consequentia constat: nam hæc maior promptitudo, cùm sit nouus effectus, nouam causam habere debet, ex qua oriatur: hæc autem esse non potest, nisi vel habitus ipse infusus; vel aliquis per ipsosmet actus infusi habitus acquisitus: igitur si non est habitus ipse infusus, necessariò erit aliquis acquisitus. Antecedens autem probatur: nam sæpè homo actus pœnitentiæ exercet in statu peccati, in quo caret habitu pœnitentiæ infusæ, quo simul cum reliquis habitibus infusis, (si fidem & spem excipias, quæ non nisi hæresi, & desperatione amittuntur) homo per peccatum priuatur: cùm tamen in eo statu maiorem promptitudinem eliciendi actus pœnitentiæ experiatur, qui frequentiùs, quàm qui rariùs huiusmodi actus exercuit.

87. Nec dici potest, in tali casu maiorem hanc promptitudinem oriri ex vberiori auxilio Dei excitantis, promouentisque peccatorem ad huiusmodi Pœnitentiæ actus eliciendos: tum quia nulla est lex, aut debitum, quo teneatur Deus vberiori auxilio ad pœnitentiam excitare illum, qui frequentiùs, quàm qui rariùs in actibus pœnitentiæ se exercuit: alioqui tale auxilium fieret tali homini debitum: Tum quia fieri potest, vt qui rariùs in actibus pœnitentiæ se exercuit, plura habuerit merita, quàm qui frequentiùs in illis se exercuit, vt si diu vixit in gratia, exercendo plures, intensioresue actus Charitatis erga Deum, & proximum; quàm alter, qui sæpe peccando, plures actus pœnitentiæ informes exercuit: Tum quia pari modo quis dicere posset, maiorem facilitatem, & promptitudinem, quam experimur ex frequentatione actuum naturalium, oriri ex maiori vberiorique concursu, quo Deus concurrit cum illo, qui frequentiùs, quàm qui rariùs actus naturales exercuit: Tum demum, quoniam etiamsi vterque eodem præueniatur auxilio, maiorem cæteris paribus facilitatem experietur qui frequentiùs, quàm qui rariùs in iisdem actibus se exercuit. Nam ille præter auxilium, quoad huiusmodi actus supernaturales excitatur, maiorem etiam promptitudinem habet ex assuetudine eorundem.

A paritate actuum naturalium.

88. Secundò eadem pars assertionis probatur à paritate actuum naturalium: nam si ex frequentatione actuum naturalium gignitur habitus, cur non etiam ex frequentatione actuum supernaturalium gignetur habitus? cùm nullum huius rei assignari possit discrimen. Confirmatur: nam vel habitus acquisiti consistunt in speciebus rectè ordinatis, & radicatis: vel in qualitate à speciebus distincta: Si in speciebus rectè ordinatis, manifestè constat, actus supernaturales habitum gignere, cùm euidenter constet, actus supernaturales relinquere speciem sui, vt patet ex reminiscentia, quam de præteritis actibus supernaturalibus habemus, quæ sine specie actus, cuius rememoramur, fieri non potest. Si in qualitate à speciebus distincta, adhuc assertio probatur: quia non est maior ratio, cur hanc efficaciam gignendi habitum habeant actus naturales, & non habeant supernaturales: præsertim cùm eodem modo per frequentationem actuum supernaturalium, ac naturalium reddamur promptiores ad eosdem consimiles eliciendos.

Caietanus. Medina. Valentia. Suarez. Salas. Curiel. Turrianus.

89. Contra hanc primam partem assertionis sentiunt Caiet. prima secundæ, quæst. 51. a. 4. Medina ibidem, Valentia disputatione 4. quæst. 3. punct. 4. Suarez libro sexto de gratia capite vltimo, Salas Tract. 10. disput. 3. sectione 6. Curiel prima secundæ, quæst. 112. a. 2. dub. 2. §. 5. ad tertium, Turrianus secunda secundæ, disp. 46. dub. 9. & alij docentes, nullum habitum neque naturalem; neque supernaturalem per actus supernaturales in nobis gigni. Vnde ad experientiam de maiori promptitudine, quam ex frequentatione actuum supernaturalium experimur, Respondent prædicti authores, vel illam oriri ex maiori intensione habitus infusi, qui per huiusmodi frequentatos actus supernaturales meritoriè augetur; vel ex maiori vberiorique auxilio, quo Deus hominem, qui in huiusmodi actibus frequentiùs se exercuit, præuenit; vel ex habitu aliquo naturali acquisito ex frequentatione non ipsorum actuum supernaturalium, sed naturalium, qui plerumque cum ipsis actibus naturalibus exercentur; vel certè illam oriri ex sublatione impedimentorum, & meliori dispositione organorum, quæ per huiusmodi frequentationem actuum supernaturalium magis perficiuntur: cùm non valeat animus in corpore existens operari, nisi dependenter à sensibus, & organis.

90. Verùm ptimum responsum non subsistit: cùm hanc facilitatem homo non solùm experiatur in statu gratiæ, sed etiam in statu peccati, in quo caret habitu infuso pœnitentiæ, cæterarumque virtutum supernaturalium, excepta fide, & Spe. Secundum impugnatum est suprà. Tertium facilè confutatur, primò: quia nullus habitus naturalis facilitare potest circa actus supernaturales: sed ex frequentatione actuum supernaturalium homo experitur facilitatem circa ipsos actus supernaturales: igitur maior hæc facilitas oriri non potest ex aliquo habitu naturali. Minor constat experientia, qua maiorem experimur circa ipsos actus supernaturales promptitudinem ex maiori frequentatione eorundem. Maior probatur ratione: quia nullus habitus potest potentiam facilitare, nisi per ordinem ad motiuum, ad quod potest habitus ipse se extendere: Atqui nullus habitus naturalis potest se extendere ad motiuum actuum supernaturalium; quia cùm hoc sit supernaturale, est extra sphæram habitus naturalis, qui nequit se extendere, nisi ad motiuum naturale, à quo specificatur: igitur nullus habitus naturalis potest potentiam facilitare circa actus supernaturales. Secundò, quia sæpè potentia exercet actus supernaturales, nullum exercendo circa idem obiectum materiale actum naturalem, vt constat tum de anima separata; tum de Angelo in statu beatitudinis: cùm tamen negari non possit, quin vterque ex frequentatione actuum supernaturalium maiorem experiatur in eo statu promptitudinem. Quod sanè euidens est, si habitum constituamus in recta coordinatione, & maiori radicatione specierum. Nam certum est, tam animam separatam, quàm Angelum beatum habere species rememoratiuas suorum præteritorum actuum supernaturalium: quæ species magis ac magis per huiusmodi frequentatos actus radicatæ, ac perfectæ facilitant potentiam animi, vel Angeli ad consimiles actus efficiendos, non minùs; quàm in nobis. Suppono autem, non omnium obiectorum supernaturalium Beatos proprias & intuitiuas habere species, sed aliqua intelligere per species tantùm abstractiuas; & consequenter posse per maiorem, & maiorem frequentationem actuum circa ea perfectiores, & perfectiores species abstractiuas comparare, quibus promptiores redduntur ad eadem obiecta intelligenda. Quòd si habitum constituamus in qualitate à speciebus diuersa, recurrit eadem sæpe repetita ratio; cur nimirum actus naturales habeant vim causandi habitum sibi proportionatum, & illam non habeant actus supernaturales?

Beati aliqua intelligunt per species tantum abstractiuas.

91. Ex his patet ad quartum Responsum, tum quia hoc pacto non facilitarentur potentiæ inorganicæ, sed tantùm organicæ: cùm tamen potentiæ inorganicæ, ob indifferentiam in operando, maximè sint habitus capaces: tum quia saltem in anima separata, & Angelo non sunt organa, ex quorum impedimentorum sublatione oriri posset hæc facilitas, quam ex frequentatione huiusmodi actuum acquirunt.

92. SECVNDA verò pars assertionis, de qua grauior est inter doctores controuersia, habitum nimirum ex supernaturalibus actibus comparatum, esse in essentia supernaturalem, probatur 1. Nam habitus naturalis, vt suprà demonstratum est, non potest potentiam facilitare ad actus supernaturales: sed iste habitus ponitur ad facilitandam potentiam circa actus supernaturales: ergo.

Potentiæ inorganicæ sunt capaces habitus

93. Neque dicas, facilitare potentiam ad actus supernaturales tantùm mediatè, facilitando circa actus naturales, qui simul exercentur cum ipsis actibus supernaturalibus: nam hoc modo non esset necessarius habitus naturalis productus ab actibus supernaturalibus; sed sufficeret habitus naturalis productus ab ipsis actibus naturalibus, qui simul exercentur cum actibus supernaturalibus, vt altera sententia philosophatur: quippe cum superfluus esset hic habitus naturalis productus ab actibus supernaturalibus, cùm totam facilitatem, quam ex frequentatione huiusmodi actuum experimur, conferre posset habitus naturalis productus ab actibus naturalibus, posito quòd in hac sententia non debeat huiusmodi habitus facilitare circa actus supernaturales immediatè.

94. Secundò. Vel habitus acquisitus consistit in speciebus magis perfectis & radicatis, vel in qualitate à speciebus distincta. Si in speciebus magis perfectis, & radicatis, cùm species actuum supernaturalium, sint supernaturales, habitus quoque ex ijs genitus, supernaturalis sit oportet. Quòd autem species actuum supernaturalium sint supernaturales, probatur: Tum quia Angelus, vel animus separatus habet reminiscentiam præteriti sui actus supernaturalis: hæc autem, vt per se patet, fieri non potest per speciem naturalem, cùm nulla species naturalis sit repræsentatiua obiecti supernaturalis: ergo eandem speciem præteriti actus supernaturalis habet animus corpori coniunctus, cùm hæc species producatur ab actu supernaturali, naturaliter & necessariò: igitur si illa producitur in animo separato quæ est supernaturalis, etiam in animo coniuncto producetur supernaturalis, cùm in vtroque sit eadem causa: siquidem actus in producenda specie sui non pendet ab alia concausa, cùm ipse ex se, sit adæquata causa productiua speciei repræsentatiuæ sui. Tum quia actus supernaturalis, vt supernaturalis est formaliter, intelligibilis est: ergo per speciem supernaturalem: ergo productiuus est speciei supernaturalis sui repræsentatiuæ. Antecedens patet, quoniam intelligibilitas est proprietas entis

Species actuum supernaturalium sunt supernaturales.

vt sic:

vt sic: implicat enim esse ens, & non esse intelligibile, cùm implicet esse ens, & non posse terminare intellectus notitiam. Prior consequentia constat, cùm nequeat obiectum supernaturale, vt supernaturale intelligi per speciem naturalem. Posterior, de qua tantùm est controuersia, probatur tum à paritate actus naturalis: etenim si hic est productiuus speciei naturalis adæquatè repræsentatiuæ sui, cur non etiam actus supernaturalis erit productiuus speciei supernaturalis adæquatè repræsentatiuæ sui? vix enim huius rei afferri potest discrimen. Tum quia cùm actus supernaturalis ponatur productiuus speciei naturalis, cur non speciei supernaturalis, quæ magis proportionatur ipsius intelligibilitati? Tum quia species ista naturalis, cuius ponitur productiuus actus supernaturalis, est omnino frustranea & inutilis in Angelo, & animo separato: quia, cùm per eam non possit Angelus, vel animus separatus præteriti sui actus supernaturalis reminisci, frustra ponitur, cùm non ob alium finem illa ponenda sit, quàm vt per eam possit Angelus, vel animus separatus præteriti sui actus supernaturalis reminisci. Vnde cohærentiùs philosophantur ij, qui omninò negant, actum supernaturalem vllam sui speciem producere; eò quòd talis species naturalis sit omnino inutilis, & superflua: quamquam hi non effugiunt argumentum à paritate actus naturalis petitum, cùm non sit maior ratio, cur actus naturalis producat speciem sui, & non etiam actus supernaturalis.

Actus supernat. sui productiui specierum supernat.

95. Confirmatur: nam vel Angelus habet reminiscentiam præteriti sui actus supernaturalis, quà supernaturalis est formaliter, vel non. Secundum dici non potest, alioquin valde imperfecta poneretur potentia Angeli, quæ non posset reminisci actus à se producti. Si primum, cùm talem reminiscentiam habere non possit Angelus per speciem naturalem, illam habere debebit per speciem supernaturalem expressiuam actus supernaturalis, vt supernaturalis. Vel ergo talis species producitur ab ipso actu supernaturali, & habetur intentum; vel à Deo: & hoc ideo esset, quia actus supernaturalis esset impotens ad producendam speciem supernaturalem repræsentatiuam sui. Et contrà est, tum quia si potest actus naturalis producere speciem repræsentatiuam sui, cur idem non poterit actus supernaturalis? Tum quia cùm hic idem actus per aduersarios ponatur speciei naturalis productiuus, dici non poterit, hoc prouenire ex defectu virtutis productiuę: nam sicut ponitur productiuus speciei naturalis; ita poni posset productiuus speciei supernaturalis, & quidem cohærentiùs, & conformiùs ipsius intelligibilitati, quod cùm sit ens supernaturale, connaturaliter possit intelligi per speciem supernaturalem, proprię intelligibilitati proportionatam: præsertim cùm eadem, vel fortè maior sit difficultas ponendi illum productiuum speciei naturalis. Tum demum quia si actus supernaturalis producit speciem repræsentatiuam sui, producit illam vt causa naturalis, & necessaria: ergo producit illam vt perfectè assimilatiuam sui: cùm omnis causa naturalis non impedita producat effectum quantum potest sibi similem: ergo producit illam vt supernaturalem, cùm hæc sit magis assimilatiua ipsius.

96. Si verò habitus constituatur in qualitate à speciebus distincta, recurrunt eadem argumenta suprà facta: tum à paritate actuum naturalium, qui sicut gignunt habitum sibi similem; ita & actus supernaturales: Tum quia gignunt illum vt causa naturalis, & necessaria, proinde vt perfectè sibi similem: tum quia habitus naturalis non iuuat ad facilitandam potentiam circa actus supernaturales, circa quos ex frequentatione actuum supernaturalium facilitatur potentia præsertim Angeli, & animi separati.

97. Tertia pars assertionis, quòd nimirum hic habitus, ex actibus supernaturalibus genitus, sit diuersæ speciei ab infuso, probatur 1. quia infusus dat simpliciter posse, assimilatur enim potentiæ, sine qua nequit actus simpliciter fieri; acquisitus verò confert solam facilitatem, prǽsupponens potentiam completam per habitum infusum: correspondet enim hic habitui naturali acquisito, qui supponit potentiam sufficientem ad actum: quo fit, vt sola potentia cum hoc habitu non sit sufficiens ad actum supernaturalem pœnitentię eliciendum: quemadmodum nec natura sine pœnitentia cum solo habitu acquisito esset sufficiens ad eliciendum actum naturalem. Cuius ratio est, quia hic habitus acquisitus non supplet influxum potentiæ, sed obiecti, qui diuersus est ab influxu potentiæ: potentia autem ad actus supernaturales non habetur, nisi per habitum infusum.

Habitus supernat. infusus dat posse simpliciter, acquisitus facilitat.

Habitus supernat. acquisitus supplet influxum obiecti, non potentia.

98. Secundò. Hic physicè augetur, & intenditur ab actibus pœnitentię infusæ; sicut cæteri habitus acquisiti augentur, & intenduntur ab actibus, ex quibus generantur, cùm idē sit generans, & intendens. Ille nec produci, nec augeri physicè potest ab actibus, propter quos infunditur. Assumptum prob. quia cùm ille dat simpliciter posse, vt ex Concil. cōstat, habet rationem potentiæ: potentia autem nec produci, nec intendi potest à suis actibus: tum quia supponitur ab ijs, vt ipsorum principium: tum quia, cùm actus sint diuersę rationis à potentia, non possunt illam intendere, cū intentio fiat per gradus eiusdē rationis. Conf. nam iuxta probabilem sententiam actus intendunt habitum per speciem sui: potentia autem non est intensibilis per speciem; ergo.

99. Tertiò habitus infusus pœnitentiæ per peccatum mortale deperditur vnà cum reliquis habitibus infusis, excepta fide, & spe, quæ ex Trident. non deperduntur, nisi per oppositos actus infidelitatis, & desperationis: acquisitus verò remanet, vt constat ex facilitate,

Trident.

amisso infuso, peccator experitur ad supernaturales actus pœnitentię exercendos, quā non experitur, qui nunquam tales actus exercuit.

100. Quartò, habitus infusus est simplex qualitas, quæ ad plura se extendit, quàm habitus ex ipsius actibus genitus: quoniam ille respondet potentiæ; hic habitui potentiæ actibus comparato: atqui ad plura se extendit potentia, quàm ipsius actus & consequenter habitus ipsius actibus genitus.

101. Contra vtramque assertionis partem obijcitur primò. Omnis habitus aut est naturalis, aut supernaturalis; omnis supernaturalis est infusus, omnis naturalis est acquisitus: igitur nullus datur supernaturalis acquisitus. Maior patet, quoniam naturale, & supernaturale sunt membra adæquatè diuidentia ens, cùm implicet dari ens, quod re ipsa neque sit naturale, neque supernaturale. Minor probat. quia omnis habitus supernaturalis excedit vires naturæ, proinde nequit, nisi à Deo infundi.

102. Secundò. Nequit hic habitus genitus ex actibus habitus infusi esse diuersæ speciei ab ipso: nam omnis habitus acquisitus natura sua tendit in idem obiectum formale, in quod tendunt actus ipsi, quibus acquiritur: sed actus habitus infusi, quibus hic habitus acquiritur, tendunt in obiectum formale sui habitus, à quo producuntur: ergo etiam habitus his actibus genitus tendit in idem obiectum formale, in quod tendit ipse habitus infusus. Minor clara est: cum nō possit actus respicere obiectum formale diuersum ab obiecto formali sui habitus. Maior etiam constat: tum quia omnis habitus acquisitus inclinare debet potentiam ad consimiles actus, quibus est genitus, & consequenter ad consimile obiectum & motiuum formale: tum quia nequeunt actus gignere habitum inclinantem ad diuersum obiectum formale.

103. Tertiò, sequeretur, dari in nobis duas fides; duas spes; duas charitates, supernaturales: quarum alterutra esset frustranea. Prę ter quam quod inauditum est apud Theologos, dari duas fides; duas spes; duas charitates supernaturales.

104. Quartò falsum est, huiusmodi habitum acquisitum supernaturalem manere in peccatore: alioqui posset peccator per illum se ipsum iustificare. Item sequeretur, eundem habitum supernaturalem manere in damnatis, quod falsum est, aliàs in ijs etiam maneret habitus Fidei, qui per peccatum non amittitur.

105. Quintò. Cùm hic habitus non sit distinctus à speciebus, quas relinquunt actus ipsi supernaturales habitus infusi, non potest inclinare ad actus virtutum: quoniam habitus non inclinat ad actus, nisi adiuuando potentiam ad tales actus producendos: sed potentia productiua actuum virtutum, est voluntas, ad quam iuuandam non conducunt species, quæ solùm deseruiunt intellectui: eam quippe potentiam iuuant habitus, cum qua possunt coagere: adiuuant enim habitus potentiam, cum illa coagendo: nam coagendo cum potentia, faciunt, vt illa minus agat, quàm ageret, si cum ea habitus non coageret, ac proinde vt minùs conetur, adeoque vt magis facilitetur.

106. Sextò. Vel hic habitus concurrit ab ipsam substantiam actus supernaturalis, vel ad modum tantùm. Si primum; ergo non differt ab infuso, cuius est producere substantiam actus; si secundum, explicari non potest, quinam sit iste modus, ad quem habitus ipse supernaturalis acquisitus concurrit.

107. Septimò. Visio beatifica non gignit speciem sui in intellectu beati; ergo neque alij actus supernaturales. Antecedens constat. Consequentia probat. quia non est maior ratio diuisione beatifica, & reliquis actibus supernaturalibus.

108. Octauò. Possunt omnia saluari per habitum acquisitum naturalem, qui comparatur per actus naturales, qui simul exercentur cum ipsis actibus supernaturalibus: ergo frustra ponitur iste habitus supernaturalis acquisitus per actus supernaturales.

109. Nonò ex S. Thomę 1. 2 q. 51. a. 4. omnis habitus supernaturalis disponit hominem ad finem excedentem facultatem naturæ: ergo omnis habitus supernaturalis est producibilis tantùm à Deo. Antecedens constat: nam omnis habitus est propter aliquam operationem: ergo omnis habitus supernaturalis, est propter operationem supernaturalem omnis autem operatio supernaturalis disponit ad finem supernaturalem excedentem naturæ facultatem. Consequentia verò probat. nam si aliquis habitus supernaturalis producibilis esset per actus creaturæ, posset creatura se ipsam disponere ad finem supernaturalem excedentem propriam naturam. *S. Thomas.*

100. 10. Si species, quam producit actus supernaturalis, esset supernaturalis, posset per eam intellectus humanus cognoscere suum actum supernaturalem, ac proinde actum charitatis erga Deum; adeoque certus fieri de sua iustificatione, contra Trident. sess. 6. cap. 9. vbi definit, nullum certò scire posse, se gratiam Dei consecutum esse. Qui autem per propriā speciem euidēter cognoscit, se elicuisse actum charitatis erga Deum, certus est, se Dei gratiam consecutum esse: cùm de fide sit, ad actū charitatis erga Deum gratiam consequi. *Trident.*

111. 11. Ex hac sententia sequeretur, initium salutis esse in nostra potestate, contra illud Oseæ 13. *perditio tua Israel. tantummodo in me auxilium tuum*. Sequela prob. nam in nostra potestate est, vti huiusmodi specie, vel habitu ad eliciendos actus consimiles ijs, ex quibus est genitus: qui actus nos ad finem supernaturalē consequendū proximè disponerent. *Osee 13.*

112. 12. Sequeretur, non modò fore supernaturalem speciem, per quam reminiscimur actus supernaturalis pręteriti, sed etiam speciem, per quā reminiscimur ipsius reminiscentiæ: nec non speciem, per quam reminiscimur

remi-

reminiscentiam ipsius reminiscentiæ,& sic in infinitum.

Habitus supernaturalis alter per modum potentiæ, alter per modum facilitantis potentiam.

113. Resp. Ad primum, negando minorem quoad priorem partem, vt constat de habitu Theologico, qui in multorum sententia est supernaturalis quoad essentiam, vt fusè probo tomo 1. Disp.1. sect. 4. & tamen hic non infunditur,sed acquiritur medijs actibus Theologicis: distinguendus igitur est duplex habitus supernaturalis, alter per modum potentiæ,dans posse simpliciter;alter per modum facilitantis potentiam, supponens illam completam per habitum infusum. Prior habitus infunditur;posterior acquiritur: ad probationē autem minoris,concedo omnem habitum supernaturalem excedere naturę vires:nego autem,hunc habitum acquiri nudis naturæ viribus;sed vt eleuatis per gratiam: acquiritur enim per actus supernaturales,qui non eliciuntur,per solas naturæ vires;sed cum gratia operante,& cooperante.

114. Ad secundum, admisso toto discursu in argumento facto, adhuc negandum est,habitum acquisitum non distingui specie ab infuso;quemadmodum licet actus ipse supernaturalis tendat in idem motiuum formale,quod respicit habitus infusus, à quo actus ipse producitur;adhuc actus specie distinguitur ab habitus: non enim eiusdem speciei sunt actus,& habitus fidei; actus, & habitus charitatis,& vniuersaliter nullus actus est eiusdem speciei cum potentia,à qua producitur. Habitus autem infusus est instar potentię respectu actus,cuius est productiuus, vt supra probatum est:Distinguitur igitur habitus acquisitus specie tam ab habitu infuso, quàm ab actu, à quo gignitur, per diuersum modum tendendi in idem motiuum formale:nam habitus infusus tendit per modum potentiæ: actus per modum formalis expressionis, vel inclinationis vitalis;habitus verò acquisitus per modum facilitantis in actu primò.

Acquisitus distingui tur specie ab infuso, per diuersum modum tendendi.

115. Ad tertium negatur sequela. Etenim non eodem modo se habent fides, & charitas infusa, & acquisita : nam infusa se habet vt potentia ordinata ad plura ; acquisita, vt habitus determinatus ad vnum, & consequenter non possunt ambæ simpliciter venire nomine fidei ; & charitatis: nam hæ absolutè important virtutem infusam per modum potentiæ ad plures actus se extendentis . Quamuis igitur dici possint plures habitus fidei & charitatis , non tamen plures fides, & charitates. Vnde negandum est, alterutram esse superfluam:nam vna est propter posse simpliciter ; altera propter facilitatem ; quam facilitatem non dant habitus infusi , quantumuis intensi, vt experientia constat , & ratio etiam suadet, cùm sint per modum potentiæ : sed habitus acquisiti.

Dantur plures habitus Fidei, charitatis non plures fides, charitates.

Hurtadus.

116. Ad quartum concedit Hurt. assumptum: nam habitus acquisitus est , inquit, facilitas potentiæ completæ in actu primo ad agendum : sine habitu autem infuso , qui peccato amittitur , potentia non est in actu primo completa ad actus supernaturales: ergo in ea non manet facilitas ad actus supernaturales. Verùm negandum est assumptum, ob rationem in assertione assignatam, nempe quia etiam in peccatore manet facilitas ad exercendos consimiles actus supernaturales, in quibus antea se exercuerat : quæ facilitas, vt probatum est, reduci non potest, nisi ad huiusmodi habitum supernaturalem acquisitum. Ratio verò est, quia non solet Deus per peccatum nobis auferre , quæ medijs nostris actibus acquisiuimus : sed quæ Physicè tantùm pendent ab ipso . Nec ratio Hurtadi contra nos concludit : quia licet in peccatore non maneat potentia completa in actu primo proximo ad operãdum supernaturaliter,quia hæc peccato amittitur : manet tamen in actu primo remoto , complebilis per extrinsecum auxilium Dei. Nec sequitur, per hunc habitū posse peccatorem se ipsum iustificare,quia hic non est operatiuus sine extrinseco saltem auxilio Dei, complente potentiam in actu primo ad agendum:quod auxilium gratis datur peccatori. Neque absurdum est, huiusmodi habitus manere in damnatis:sicut etiam in ijs manent habitus Theologiæ & characteres in essentia supernaturales.

Supernaturales acquisiti manent in damnatis.

117. Ad quintum,negatur antecedens: ad cuius probationem distinguenda est maior: habitus non inclinat ad actus, nisi iuuando potentiam vel effectiuè, vel obiectiuè: species autem relictæ ab actibus virtutis infusæ, licet voluntatem non adiuuent effectiuè,adiuuant tamen illam obiectiuè, quatenus proponendo clariùs , & efficaciùs obiectum, fortiùs illam trahunt ad illud amplectendum. Vnde concedo, species effectiuè tantùm deseruire intellectui , obiectiuè tamen deseruire etiam voluntati , quam facilitant , melius, ordinatiùs & cum pluribus motiuis illi obiectum proponendo.

Species relictæ ab actibus virtutis infusæ voluntatem adiuuant obiectiuè.

118. Dices. Species eatenus facilitant voluntatem , quatenus melius , & clarius illi obiectum proponunt : sed species actuum supernaturalium , cùm non sint species obiectorum, sed actuum, non possunt illi melius, & clariùs proponere obiectum , sed actum, cuius tantùm sunt species. Respondeo ex eo quod actus sit ipsa obiecti repræsentatio, in qua proximè , & immediatè cernitur obiectum, vt latè probo tomo 1. disp.9. sect. 3. eo ipso quod species facilitat potentiam ad actum, facilitat etiam ad obiectum, cuius est formalis expressio.

119. Ad sextum. Respondeo, hunc habitum concurrere ad substantiam ipsam actus supernaturalis. Nego tamen, hoc esse propriū habitus infusi, sed commune cum acquisito, cæterum proprium habitus infusi est , producere actum per modum potẽtiæ: sicut proprium habitus acquisiti est,ad eundem actum concurrere per modum facilitantis.

120. Ad septimum , negatur consequentia: & ratio discriminis est euidens : nam eatenus necessaria est species, vel habitus ab actibus relictus , quatenus potentiam iuuare

possunt,

Cur visio beatifica non producit speciem sui in intellectu Beati.

possunt, vel ad præteritum actum reminiscendum, vel ad alios consimiles promptiùs faciliusque eliciendos: visio autem beata, cùm semper sit se ipsa præsens intellectui Beatorum, magnaque cum facilitate ac voluptate à Beatis eliciatur, neque eget specie, vt per eam beatus illius reminiscatur; neque habitu acquisito, vt ad illam; vel ad alias consimiles eliciendas facilitetur. Sicut, quia substantia Angeli se ipsa semper est præsens intellectui Angelico, quam sine vlla difficultate perenniter intelligit, non eget ad eam intelligendam vel distincta specie, vel superaddito habitu.

121. Ad octauum, negatur assumptum: tum quia non solùm experimur facilitatem ad actus naturales: sed etiam ad supernaturales: Tum quia ratio ipsa suadet, quòd quemadmodum ex actibus naturalibus producitur habitus naturalis; ita ex actibus supernaturalibus produci debeat habitus supernaturalis.

Non omnis habitus supernat. sufficienter disponit hominem ad finem supernat.

122. Ad nonum, distinguendum est antecedens; omnis habitus supernaturalis disponit ad finem supernaturalem sufficienter, & nego; nam hoc est proprium solius habitus infusi, qui quoniam hominem disponit ad finem supernaturalem per modum potentiæ, & principij completi, tribuentis posse simpliciter, per se ipsum hominem sufficienter disponit ad illum: insufficienter, & concedo. Habitus igitur supernaturalis acquisitus disponit ad finem supernaturalem insufficienter, & dependenter ab alio, nempe ab ipso habitu infuso, vel ab aliquo supplente efficacitatem habitus. Cùm enim hic non tribuat simpliciter posse; sed tantùm faciliteт potentiam ad actus supernaturales eliciendos, supponit potentiam completam per habitum infusum, vel per aliquid æquiualens, ex quo patet ad consequentiam: nam solus habitus supernaturalis infusus est producibilis à solo Deo. Ad probat. verò eiusdem consequentiæ, neganda est sequela: quia cùm hic habitus, vt dictum est, non producatur nudis naturæ viribus, sed vt eleuatis per concursum supernaturalem, non sequitur, quòd creatura producendo illum per actus à se elicitos, possit per suas vires se ipsam disponere ad finem supernaturalem; sicut, ex eo quòd creatura cum concursu supernaturali producat in se actum supernaturalẽ, qui est proxima, & formalis dispositio ad finẽ supernaturalem consequendum, nõ sequitur, quod se ipsam disponat ad finem supernaturalẽ: sed tantùm, quòd ad illum se disponat, vt eleuata per gratiã, & auxiliũ supernaturale indebitũ.

Species supernat. determinat intellectum iuxta exigentiam ipsius.

123. Ad decimum, Negatur sequela. Ratio est, quia species supernaturalis non determinat intellectum humanum, nisi iuxta exigentiam, & capacitatem ipsius, qui, vt coniunctus corpori, non postulat connaturaliter determinari, nisi cum ordine ad phantasmata, instar quorum omnia in hac vita intelligit: nam hic est connaturalis modus intelligendi ipsius, dum est corpori coniunctus; adeoque nequit per huiusmodi speciem intuitiuè ferri in actum ipsum supernaturalem secundùm se, sed solùm abstractiuè, & ad instar phantasmatis, cum quo illum intelligit. Nec propterea huiusmodi species supernaturalis superfluè ponitur in intellectu humano coniuncto corpori, quia saltem illa vti poterit separatus à corpore.

124. Ad 11. neganda est simpliciter sequela. Ad euius probationem Resp. 1. esto in nostra potestate sit, vti huiusmodi specie, vel habitu supernaturali; quia tamen hæc ipsa species, vel habitus est causatus ex antecedenti auxilio gratię diuinæ, nempe ex actibus supernaturalibus, qui producti sunt cum auxilio gratiæ, dici non potest simpliciter, hanc notitiam esse in nostra potestate, cùm ea radicaliter pendeat ex præcedenti auxilio diuino: Sicut non potest simpliciter dici, principium salutis esse in nostra potestate, esto in nostra potestate sit, applicare habitum supernaturalem nobis inhęrentem: quia hæc ipsa potestas nobis data pendet à gratia antecedenter facta. Secundò, esto in nostra potestate sit, vti huiusmodi specie; vel habitu ex pręteritis actibus supernaturalibus acquisito, adhuc dici non potest simpliciter, principium salutis esse in nostra potestate: quoniam ad salutem consequendam non sufficit sola notitia actus supernaturalis pręteriti: sed requiritur, vt ex tali notitia voluntas moueatur ad consimilem actum producendum, ad quem requiritur specialis concursus Dei supernaturalis, qui in nostra potestate non est. Aliud quippe est, posse nos habere notitiam supernaturalis actus præteriti: aliud posse elicere actum consimilem actui supernaturali præterito. Ex eo autem, quòd possimus habere notitiam actus supernaturalis præteriti, non sequitur, quòd possimus elicere actum consimilem actui supernaturali pręterito; nam ad hunc requiritur vel habitus infusus, vel certè auxilium diuinum indebitum, vim habitus infusi supplens, sine quo habitu infuso vel auxilio indebito vti non possumus habitu supernaturali acquisito, cùm hic necessariò supponat, vel habitum infusum; vel auxilium indebitum per modum principij.

Quomodo non sit in nobis principium salutis.

Quid requiratur vt possimus actum supernat. elicere similem præterito.

Dãtur species supernat. relictæ actibus supernat. reflexis.

125. Ad 12. transeat totum. Neque vllum est absurdum, concedere huiusmodi species supernaturales relictas ex actibus reflexis supernaturalibus, cùm hoc sit necessariò concedendum in hac sententia, in qua posito, quòd quiuis actus supernaturalis relinquat speciem supernaturalẽ sui, quod hactenus efficaciter probatum est; quid noui est, quòd quiuis actus reflexus supernaturalis relinquat speciem supernaturalẽ sui? Quòd autem omnis actus reflexus circa actum directum supernaturalem, sit supernaturalis, & consequenter supernaturalem speciem sui relinquat, patet: nam dato, quòd omnis actus circa obiectum supernaturale sit supernaturalis, necessariò sequitur, omnem actum reflexum circa directum supernaturalem, fore supernaturalem.

126. DICO 3. Pręter habitum pœnitentiæ supernaturalis, datur habitus pœnitentiæ naturalis: est Richardi in 4. distinct. 14. a. 4. q. 1. Fundamentum est; quia naturaliter cognoscitur peccatum esse contrarium rationi: ergo potest voluntas viribus proprijs illud detestari, vt contrarium rationi: igitur ex talibus actibus gigni potest habitus facilitans voluntatem ad consimiles actus eliciendos. Posterior consequentia constat. Prior probatur, quia detestari peccatum, vt contrarium rationi, non excedit vires naturales voluntatis creatæ.

Richardus.

127. DICES. Pœnitentia detestatur peccatum, vt est offensa Dei: nequit autem voluntas viribus proprijs detestari peccatum, vt offensa Dei est, cùm hoc non possit naturaliter cognosci. Resp. distinguendo de pœnitentia naturali, vel supernaturali; & de offensa Dei vt primæ regulæ naturalis vel supernaturalis: & rursus vt primæ regulæ implicitè, vel explicitè cognitæ. Porrò concedo, pœnitentiam supernaturalem detestari peccatum, vt est offensa contra Deum primam regulam supernaturalem: atque hoc fieri non posse solius naturæ viribus: Nego tamen, pœnitentiam naturalem detestari non posse peccatum, vt est offensa contra Deum primam regulam naturalem, saltem implicitè cognitam per ipsam rationem naturalem. Hoc ipso enim, quòd peccatum cognoscitur contrarium rationi, implicitè cognoscitur, vt contrarium primæ regulæ, cuius participatio est ratio ipsa naturalis, vt fusè probo in 3. tomo disp. 17. sect. 7. Atqui hoc fieri potest viribus naturæ cum solo concursu generali Dei, pręsertim per actus, qui magnam difficultatem non supponunt. Ex his patet ad fundamentum Scoti, quod solùm probat de habitu supernaturali acquisito.

Quomodo pœnitentia naturalis tendat in ius prima regula.

128. Ad fundamentum Durandi, negatur maior, quoniam vt docet S. Tho. 1. 2. q. 63. a. 3 q. 4 non solùm dantur virtutes infusæ Theolog. sed etiam morales, quę specie differunt à moralibus acquisitis, tum ex diuerso fine, quoniam illę ordinantur ad finem supernaturalem, hę ad naturalem; tum ex diuersa regula, à qua regulantur; cùm morales infusæ regulentur à lege diuina; Morales acquisitæ à lege rationis. Fundamentum autem concedendi virtutes morales infusas vltra Theologicas, est, vt homo non solùm proportionetur erga finem supernaturalem, ad quem proportionatur per virtutes Theologicas: sed etiam ad ea, quæ sunt ad talem finem; ad quem proportionatur per virtutes morales infusas: quemadmodum idem homo non solùm proportionatur ad finem naturalem per potentias naturales: sed etiam ad ea quæ sunt ad finem naturalem, per virtutes morales acquisitas.

S. Thomas.

Cur præter morales virtutes acquisitas cõcedenda sint etiam infusæ morales.

SECTIO VII.

In quibus sit pœnitentia infusa?

129. DE quinque est controuersia: primò de Christo Domino, 2. de ipsius Genitrice: 3. de Angelis, dum fuerunt in via: 4. de primis parentibus in statu innocentiæ: 5. de hominibus beatis, an in illis maneat habitus pœnitentię infusæ, quem hic cum gratia, reliquisque habitibus supernaturalibus acceperunt. Certum autem est, habitum pœnitentię non manere in damnatis, in quibus omnes habitus infusi simul cum gratia deperduntur: contrà verò certum esse debet, eundem habitum vna cùm cæteris omnibus supernaturalibus manere in animabus purgantibus.

130. PRIMA sententia negat, in his omnibus esse habitum pœnitentiæ infusæ; est Vasquez 3. parte q. 85. a. 4. dub. 2. probat 1. de Christo, & Beata Virgine: quia hi peccare non potuerunt: Pœnitentia autem versatur circa proprium peccatum, tanquam circa propriam materiam. Probat 2. de primis Parentibus, & Angelis: quoniam tam in illis, quàm in his non potuit primum peccatum esse veniale, cumquo manens habitus pœnitentiæ habere potuisset actum circa illud per retractationem; sed mortale, quod cùm destruat habitum pœnitentiæ, frustra illis datus fuisset, cùm nec ante peccatum habere potuisset actum defectu materiæ, quæ est proprium peccatum; nec post peccatum, cùm ille per peccatum destruatur. Probat 3. de hominibus beatis maximè ijs, qui nunquam peccarunt, nam in illis qui aliquando peccarunt, probabiliter concedit habitum pœnitentiæ. Ratio, quia qui nunquam peccarunt, vt infantes ab originali iustificati ex hac vita decedentes, nullum possunt actum Pœnitentiæ in Patria exercere: nam si quis esset, esset complacentia seu gaudium de recompensa facta Deo propter peccata à se commissa: atqui hi nullum commiserunt peccatum; & consequenter nullam fecerunt recompensam Deo de proprio peccato: ergo nullam possunt habere complacentiam de recompensa facta Deo propter peccatum à se commissum.

Vasquez.

131. SECVNDA sententia hunc habitum negat in Christo, & Angelis beatis: est S. Thomæ in 4. distinct. 14. q. 1. ar. 3. quæstiunc. 3. ad secundum, & quęstiunc. 4. Richar. art. 3. quæst. 2. Palud. quæst. 4. Soti, q. 2. ar. 5. circa finem, Valentiæ tertia parte disputatione 7. quæstione 2. puncto 3. Henriquez libro quarto, de Sacramentis capite 35. Nugnez tertia parte quæst. 85. artic. 4. dub. 2. Fundamentum cur in Angelis non sit habitus pœnitentię

S. Thomas. Richardus. Paludanus. Sotus. Valentia. Henriquez. Nugnez.

nitentiæ (nam de Christo ratio allata est in prima sententia) est: quia Angelus est natura sua immutabilis, quod enim semel elegit, nunquam mutat: Pœnitentia autem est habitus inclinans ad retractandum, quod aliquando elegimus: igitur nequit esse in Angelo, in quo non potest suum actum exercere. Ob eandem rationem non est in eo habitus castitatis infusæ, quia hæc virtus non potest in Angelo habere suum actum.

132. TERTIA sententia hunc habitum admittit in Christo, & reliquis omnibus suppositis supra numeratis: est Argentinæ in 4. distinctione 14. quæst. 1. artic. 1. §. *Saluo igitur semper meliori iudicio*, Marsilius quæst. 10. artic. 2. ad sextum, Suarez disp. 7. sect. 11. Coninck de pœnitentia disp. 1. dub. 3. in fine. quoad beatam Virginem hanc sententiam admittunt etiam Paludanus, Sotus, & Valentia: quamquam Paludanus ex falso principio habitum pœnitentiæ in beata Virgine admittit, quia nimirum putat, beatam Virginem potuisse ante generationem filij peccare. Nam si intelligit de peccabilitate antecedente, etiam post generationem filij potuit peccare: si verò intelligit de peccabilitate consequenti, vti intelligere debet, falsum est, beatam Virginem peccare potuisse ante generationem filij, cùm eodem modo ante, ac post fuerit impeccabilis impeccabilitate consequente.

Argentin. Marsilius. Suarez. Coninck.

Paludanus. Sotus. Valentia.

133. Est igitur 3. hæc sententia *probabilior*: Fundamentum verò desumendum est ex iactis nostris principijs. Etenim cùm pœnitentiæ specialis obiectum non sit tantùm malum culpæ, circa quod versatur actu fugæ, & detestationis; sed etiam bonum, circa quod versatur actu prosecutionis, & complacentiæ; nec tantùm malum culpæ proprium; sed etiam alienum, poterit hæc virtus habere proprium actum in ijs etiam, qui peccare non possunt; possunt enim Christus, beata Virgo, & Beati actu efficaci velle omnes suos actus perfectissimè conformare cum prima regula, etiamsi illos à prima regula difformes producere non possint: sicut de facto Christus, B. Virgo, & Beati omnes efficaciter volunt omnia præcepta, tam iuris diuini; quàm naturalis seruare, etiamsi illa propter impeccabilitatem non possint non seruare. Præterea potuerunt Christus, & B. Virgo in hac vita tristari de alienis peccatis, quatenus erant actiones difformes à prima regula. Porrò vt possit aliquis habitus non esse ociosus in subiecto, sufficit, vt in illo aliquem actum ex proprio motiuo exercere possit, alioquin, neque in Christo, neque in Beatis admittendus esset habitus charitatis: quia in his charitas non potest actum contritionis exercere: immo nec vlla alia virtus, cùm omnis virtus ex eodem motiuo, quo inclinat ad prosequendam honestatem sui obiecti, inclinat etiam ad retractandam malitiam contra illud commissam: quam cùm nec Christus, nec Beati committere possint, nulla in eis admittenda esset virtus.

134. Confirmatur: nam ob eandem rationem, vt cum multis probo in quarto tomo, manet habitus spei in beatis, quia licet non possit in ijs hæc virtus exercere actum circa beatitudinem, quam iam possident: exercere tamen possunt actum fruitionis de ipsa consecutione beatitudinis: spectat enim ad perfectum statum beatificum, vt nullus actus à beatis eliciatur, nisi à principio intrinsecè completo, cùm hic sit perfectior, & connaturalior modus operandi. Cæterùm, quia pœnitentia communiter accipitur pro sola inclinatione ad detestanda propria peccata, ideo communiter ea in Christo, & B. Virgine à Doctoribus negatur.

In beatis manet habitus spei.

135. *Obijcies*, in Christo, & Beatis non manet fides: ergo nec Pœnitentia. Antecedens constat authoritate omnium ferè doctorum. Consequentia verò probatur: nam sicut ponitur in Christo, & Beatis, habitus pœnitentiæ propter aliquos actus, quos exercere potest independenter à peccato proprio: pari ratione admitti deberet fides propter aliquos actus, quos exercere potest independenter ab obscuritate obiecti, quę naturaliter saltem pugnat cum clara notitia, quam beati habent de rebus. Sequela probatur, quia posset fides exercere in Beatis actum claræ notitiæ in attestante.

136. Respondeo negando consequentiam. Ratio discriminis: quoniam fides nullum habere potest actum, qui saltem naturaliter non pugnet cum clara notitia, quam Beati habent de rebus, cùm essentiale motiuum fidei sit, vel authoritas diuina obscurè reuelata; vel saltem obscuritas ipsius obiecti materialis reuelati, cuiusmodi est actus euidens in attestante, qui licet habeat claritatem attestationis seu reuelationis, non tamen habet claritatem, sed obscuritatem obiecti attestati, quod, adhuc posita euidentia attestationis, manet in se ipso obscurum & ineuidens; ac proinde assensus, qui circa ipsum versatur, erit obscurus & ineuidens; quamuis sit clarus, & euidens respectu motiui formalis, quod est diuina attestatio, quæ per talem actum euidenter cognoscitur.

Cur fides non maneat in Beatis.

137. Dubium Theologo non indignum manet hic discutiendum, cur scilicet habitus fidei, & spei; non autem pœnitentiæ infusę maneat in peccatore: cùm non minùs peccator in statu peccati egeat actu pœnitentiæ; quàm fidei, & spei, vt à peccato resurgere valeat. Ad quod dubium respondendum est, rationem discriminis esse: quoniam pœnitentia specialis non est per se necessaria ad iustificationem peccatoris: cū ipsius actus ex proprio motiuo elicitus nec sit proxima dispositio ad iustificationem extra sacramentum: nec necessarius, vt cum aliquo Sacramento peccator valeat iustificari: cùm quiuis dolor ex quocūq; motiuo supernaturali; ac proinde ex motiuo etiā spei elicitus, sit sufficiēs dispositio ad gratiā cum aliquo Sacramento mortuorū consequendam

Cur habitus fidei, & spei maneat in peccatore habitus pœnitentiæ deperdatur.

quendam. Spes autē necessaria est in peccatore; tum quia sine illa nullum potest arduum opus ad salutem spectans peccator aggredi: tum quia, vt possit peccator, siue in, siue extra Sacramentum amissam gratiam recuperare, debet illam à Deo sperare, ac proinde habere debet habitum spei, vi cuius possit perditam iustificationem ab intrinseco principio inchoare. Maior igitur est ratio, cur in peccatore maneat habitus spei, quàm pœnitentię: quia in ordine ad iustificationem consequendam habitus spei pręstat, quidquid pręstaret habitus pœnitentiæ. Contrà verò habitus pœnitentiæ non potest pręstare, quidquid pręstaret habitus ipse spei: quia per habitum spei potest peccator elicere dolorem, saltem cum aliquo Sacramento sufficientem ad iustificationem: non potest autem per habitum pœnitentię aggredi opus arduum salutis; nec à Deo veniam sperare: quia hi actus, cùm inuoluant proprium motiuum spei, nequeunt elici ab habitu pœnitentiæ. Et quamuis hi actus elici possint per solum auxilium extrinsecum, vt tamen connaturaliùs, firmiùs, & perseuerantiùs elici valeant, relinquit Deus in peccatore habitum spei.

138. Dices. Eadem ratione deberet Deus etiam reliquos habitus in peccatore relinquere, vt per intrinsecum principiū connaturaliùs, firmiùs, & perseuerantiùs posset per eorū actus perditam gratiam recuperare. Resp. negando sequelam: tum quia aliqui habitus directè opponuntur cum peccato, vt charitas: aliqui ordinantur ad statum supernaturalem perficiendum, vnde supponunt illum: constituitur autem status supernaturalis per gratiam habitualem, quę cum peccato pugnat: aliqui etiamsi deseruire possint ad vitam spiritualem inchoandam, vt habitus pœnitentiæ specialis; quia tamen hoc totum sufficienter, vt ostensum est, præstat habitus ipse spei, necessarium non fuit, talem habitum in peccatore relinquere: ex alia verò parte expedit, vt homo per peccatum hoc habitu priuetur, vt diligentiùs ad hunc, & reliquos recuperandos se disponat.

139. Ex dictis patet ad fundamenta 1. sententiæ, quæ omnia supponunt, obiectum pœnitentię esse sola peccata à se commissa. Cæterum S. Tho. 1. parte q. 93. a. 3. expressè docet primis parentibus infusum fuisse cum reliquis virtutibus habitum pœnitentiæ: Eundem concedit in hominibus Beatis in quarto dist. 14. q. 1. a. 3. quæstiunc. 2. 3. & 4. Nec refert, quòd beati semper operentur ex perfectissimo motiuo charitatis propter Deum summè dilectum, quam rationem insinuat Vasquez: nam hinc sequeretur, nullum habitum, præter charitatem, concedendum esse in Beatis, cùm nullus sit habitus, cuius actus imperari non possit à charitate. Esto igitur Beati omnia operentur ex motiuo charitatis, imperatiuè: quia tamen possunt, & interdum operantur ex motiuo aliarum virtutum elicitiuè, debent habere habitus infusos reliquarum virtutum, vt illos per intrinsecum principium connaturaliùs eliciant.

S. Thomas. *Vasquez.* *Cur præter habitum charitatis remaneant etiam alij habitus supernaturales in beatis.*

140. Ad fundamentum 2. sententiæ esto Angeli sint inflexibilis naturæ, adhuc potuit in illis esse habitus pœnitentię ad illæsum seruandum ius primæ regulæ. Secundò falsum est Angelos non posse, quod semel elegerunt mutare, licet difficulter propter intellectus perspicacitatem, qua omnia pręuident, antequam se determinent. Cæterùm non repugnat, Angelum mutare sententiam ex innata sua libertate, quam habet ad illam continuandam, vel deponendam. Quod concedere tenentur Thomistæ respectu primi actus, quem omnes Angeli principio suæ creationis elicuerunt, quem S. Tho. 1. parte quæst. 63. art. 5. ad 3. docet, fuisse meritorium, ac proinde liberum: quem tamen actum Angeli mali liberè mutarunt transeuntes ex illo in actum prauum. Non igitur ex hoc capite repugnat, fuisse in Angelis habitum pœnitentię. Ex alio tamen capite videtur repugnare, quia cùm necessariò primum peccatum Angelorum fuerit mortale, frustra propter illud infusus fuisset habitus pœnitentię proprij peccati retractatiuus: tum quia talis habitus fuisset perditus per peccatum mortale: tum quia, vt suppono ex secundo tomo disp. 18. sect. 7. difficul. 5. post peccatum non habuit Angelus ad resurgendum paratum auxilium. Adhuc tamen dicendum est, non fuisse hunc habitum in Angelis ad proprium peccatum retractandum frustraneum: quoniam ad hoc sufficit, vt simpliciter potuerint venialiter peccare; potuisse autem Angelos venialiter peccare suppono ex eodem secundo tomo disp. 20. sect. 2.

DISPVTATIO II.

De Actibus pœnitentiæ Christianæ.

SECTIO PRIMA.

Quinam sint actus pœnitentiæ Christianæ?

Duplex series actuum in pœnitentia distinguitur.

1. SIcut pœnitentia adequatè sumpta duplex habet obiectum, alterum bonum, vt prosequatur: alterum malum, vt detestetur; ita duplex series actuum in ea distingui potest; Alia circa bonum prosequendum; Alia circa malum detestandum. Circa bonum prosequendum hi actus distingui possunt, simplex affectus, & complacentia de obiecto, seu fine, qui actus dicitur voluntas: quia est primus, quem elicit voluntas circa finem. Intentio, quæ est efficax voluntas assequendi finem per certa media. Electio, quæ est consensus voluntatis in media ad finem conducentia. Vsus actiuus, qui est actiua applicatio potentiarum ad executionem mediorum. Vsus passiuus, qui est ipsa passiua applicatio earundem potentiarum ad media exequenda. Executio ipsa mediorum. Gaudium seu fruitio de fine assecuto.

Actus qui versantur in prosecutionem boni

2. Circa malum verò distingui possunt hi actus, simplex odium peccati: intentio destruendi malum, ex fine recompensandi ius diuinum læsum: Electio mediorum, quę ad peccatum destruendum conducunt: Applicatio potentiarum ad huiusmodi media exequenda. Sunt autem hęc media, seria cogitatio de grauitate peccati ducta ex damnis, quę causant: displicentia seu detestatio peccati commissi, quod explicatur his verbis, *Nollem peccasse*: Tristitia seu dolor de peccato commisso, qui cōsequitur ad pręcedentem actum displicentię: Propositum pręcauendi peccata in futurum: Satisfactio per varias pœnas, vt plenior fiat recompensatio diuinę Maiestati læsæ: Gaudium de ipsa displicentia peccati, & recompensatione Diuinæ iniurię. Aduerte tamen, hos actus non semper explicitè, & distinctè interuenire. Nam sæpe ex simplici odio peccati pœnitens mouetur ad displicentiam, & tristitiam peccati commissi absque explicita, & distincta intentione finis, & electione mediorum; sed implicita duntaxat, & exercita, inclusa in ipsa efficaci voluntate detestandi peccata, in qua sæpe virtualiter includitur propositum præcauendi peccata in futurum. Omissa prima serie actuum, explicanda est secunda, quę est propria pœnitentiæ, de qua disputamus.

Actus qui versantur circa fugā mali.

Hos actus non semper explicitè sed aliquando implicitè pœnitens exercet.

3. Est autem odium, simplex fuga mali abstrahens à malo præsente, præterito, & futuro; sicut complacentia, est simplex affectus boni, abstrahens à bono præsente, pręterito, & futuro. Intentio est efficax voluntas destruendi peccatum per media ordinata. Detestatiò, & displicentia est fuga mali præteriti. Tristitia est animi passio, causata ex apprehensione interna mali pręsentis, vel ad modum præsentis. Dolor verò ex apprehensione externa mali pręsentis; sicut Timor ex apprehensione mali futuri: licet pro eodem à Concilijs vsurpentur tristitia, & dolor: vtrumque tamen differt à displicentia, & detestatione peccati, tanquam effectus separabilis à causa. Displicentia enim, & detestatio de peccatis commissis absque tristitia, & dolore reperiuntur in ijs, qui sunt tristitię & doloris incapaces, vt docet S. Thomas 3. parte q. 88. art. 8. cæterùm tristitia non est, vt putarunt Scotus in 4. dist. 14. q. 2. a. 1. conclus. 2. Ochamus q. 9. a. 1. & Gabriel qu. 1. ar. 1. Notabili 1. mera passio voluntatis, naturaliter consequens ad actum detestationis, & obiecti; sed actus ab ea elicitus: cùm sit vitalis motus animi, de cuius essentia est, vt actiuè procedat ab intrinseco principio vitę.

Tristitia & dolor quomodo differat à displicentia & detestatione peccati.

S. Thomas. Scotus. Ochamus. Gabriel.

4. His adnotatis: controuersia est, an omnes enumerati actus, sint actus pœnitentiæ specialis. Præcipua controuersia est de tribus: nempe de intentione destruendi, seu vindicandi peccatum in recompensationem diuinę iniurię, de detestatione ipsa peccati; & proposito præcauendi peccata in futurum.

5. PRIMA sententia affirmat, solum actum puniendi peccata ex fine recompensandi diuinam iniuriam, esse pœnitentiæ specialis: detestationem verò ipsam peccati, vel esse virtutis generalis, vt Scotus præcitato loco docet: vel charitatis, vt Vasquez putat in 3. partem q. 85. ar. 2. & 3. Fundamentum, quo nititur Vasquez ad hanc sententiam asserendam, est: quia detestatio ipsa peccati habet pro immediato obiecto Deum: est enim odium peccati ex complacentia, & bonitate increata Dei. Intentio autem satisfaciendi Deo per actum charitatis non habet pro immediato obiecto Deum, sed ipsum actum charitatis: igitur sola intentio satisfaciendi Deo, est actus pœnitentiæ specialis: non autem detestatio ipsa peccati. Antecedens quoad primam

Scotus. Vasquez.

partem

partem probat: quoniam si detestatio ipsa peccati non esset ex complacentia, & bonitate increata Dei, non esset ad iustificationem sufficiens: nam solus actus charitatis, est ad iustificationem sufficiens.

6. Probat idem antecedens quoad secundam partem. Intentio satisfaciendi Deo per actum charitatis, est quidam actus reflexus, habens pro immediato obiecto ipsum actum directum charitatis, non Deum: tum quia nullus actus reflexus habet pro immediato obiecto, obiectum ipsius actus directi, sed solùm actum directum: tum quia velle diligere Deum, non est ipsum diligere Deum, alioqui possemus iustificari per solum actum volendi diligere Deum. Igitur solus hic actus, est actus pœnitentiæ specialis. Consequentia prob. quoniam pœnitentia specialis duo habere debet, & Deum pro immediato fine *Cui*, & aliquem actum humanum iniuriæ diuinæ recompensatiuum pro obiecto formali: cùm enim pœnitentia non sit virtus Theologica, sed moralis, non potest habere Deum pro formali obiecto: cùm autem sit recompensatiua diuinæ iniuriæ, debet habere Deum pro immediato fine, cui facienda sit recompensatio. Sed hæc duo habet intentio detestandi peccatum in recompensationem diuinæ iniuriæ; quæ tamen non habet ipsa peccati detestatio: ergo.

7. Quòd si illi obijcias, quoniam per eandem virtutem satisfacimus, & intendimus satisfacere homini: ergo similiter & Deo. Respondet, disparitatem esse, quia satisfactio, & satisfactionis intentio, qua proximo satisfacimus, versantur circa idem obiectum, nempe circa externam submissionem, quam proximo in recompensationem iniuriæ exhibemus. Vnde satisfactio, & intentio satisfaciendi homini sunt idem. Intentio verò satisfaciendi Deo, & satisfactio ipsa sunt circa diuersa: nam prior pro obiecto habet actum ipsum internum charitatis; posterior verò Deum.

8. Neque hinc sequitur, in quacunque alia virtute ponendam esse specialem virtutem circa actum reflexum specie diuersam ab ea, quæ est circa actum directum: quoniam in nulla, inquit, alia virtute reperitur specialis difficultas circa actum reflexum, qualis reperitur in virtute pœnitentiæ.

9. SECVNDA sententia est S. Thomæ in 4. distinct. 17. quæst. 2. art. 2. ad quæst. 4. Vegæ lib. 13. in Trid. cap. 21. negantium, propositum cauendi peccata in futurum esse actum pœnitentiæ specialis; sed vel prudentiæ, cuius munus est in futurum prouidere, vt S. Thomas opinatur; vel charitatis, & obedientiæ, ad quas spectat velle in omnibus Deo placere, & in nullo ei displicere, vt Vega putat.

S. Thomas. *Vega.*

10. TERTIA sententia est Suarez disp. 3. sect. 2. Henriq. lib. 4. de Sacramentis c. 23. & aliorum affirmantium, omnes supradictos actus, esse actus pœnitentiæ specialis. Pro cuius controuersiæ declaratione,

Vasquez. Henriquez alij.

11. DICO 1. Non solùm intentio satisfaciendi Deo pro iniuria illata, sed satisfactio ipsa, quæ principaliter consistit in detestatione, & dolore peccati commissi, est actus pœnitentiæ specialis. Fundamentum, quoniam vt ex prima sectione primæ disputationis constat, Patres semper pœnitentiam definiunt per dolorem, & detestationem peccatorum: ergo non potest dolor, & detestatio peccatorum à pœnitentia excludi, cùm maximè propter hos actus pœnitentiæ habitus nobis infundatur. Et sanè mirum est, non posse à pœnitentia elici actum detestatiuum peccatorum, propter quem maximè pœnitentia datur.

12. Explicatur: nam dupliciter potest peccator detestari culpam: Vno modo vt offensa Dei est formaliter: hoc est, quatenus malum Dei est ex complacentia, & amore ipsius: Alio, vt offensa Dei est materialiter, formaliter autem vt malum nostrum est, hoc est, quatenus est contra rationem supernaturalem, quæ dictat non esse Deum offendendum, & offenso esse per pœnitentiam satisfaciendum. Vnde motiuum huius actus non est bonitas increata Dei; sed bonitas creata ipsius actus detestatiui, quatenus iuxta regulam rationis supernaturalis recompensatiuus est iniuriæ diuinæ. Potest igitur peccator non ex primo, sed ex secundo motiuo detestari sua peccata, at tunc detestatio peccati erit actus pœnitentiæ, non charitatis. An autem talis detestatio peccati sit sufficiens dispositio ad iustificationem, infrà. Confirmatur contra Vasquez: quia non minùs voluntas satisfaciendi Deo, quàm detestatio ipsa peccati potest esse ex motiuo charitatis: sed hoc non obstante, voluntas satisfaciendi per ipsum est actus pœnitentiæ; ergo & detestatio ipsa peccati.

Detestabile peccatum vt offensa Dei est formale, vel materialiter, formaliter vt malũ nostrum.

13. DICO 2. Non solùm detestatio peccati præteriti; sed etiam propositum cauendi in futurum, est actus pœnitentiæ: est Alens. 4. parte quæstione 17. membro 3. articulo 9. ad finem. Fundamentum, quia vtrumque peccatum præteritum & futurum contrariatur iuri primæ regulæ; ergo vtrumque potest peccator detestari ex motiuo pœnitentiæ, cuius est detestari peccatum, quatenus contrariatur iuri primæ regulæ.

Alensis.

14. Confirmatur ex Alensi: nam sicut non diceretur castus aut iustus, qui non proponeret in perpetuum se continere, aut iustum facere; ita nec pœnitens, qui non proponeret in futurum non peccare. Cuius ratio est: quia virtus, quantum est de se, importat immobilitatem, & perseuerantiam in subiecto.

Virtus importat immobilitatem in subiecto.

15. DICO 3. Gaudium de dolore, & displicentia peccati, quatenus recompensat Deo ius læsum primæ regulæ, est actus pœnitentiæ: Fundamentum est, quia eiusdem virtutis

virtutis est elicere actum, & gaudere de illo ex eodem motiuo:. ergo idem actus pœnitentiæ est, detestari peccatum ad recompensandam iniuriam Deo, & gaudere de tali detestatione propter idem motiuum. Dixi, *ex eodem motiuo*; nam si gaudium sit de detestatione peccati ob aliud motiuum, non pertinebit ad pœnitentiam, sed ad eam virtutem, ex cuius motiuo elicitur.

16. Sed contrà dices: Gaudium opponitur dolori, aut saltem minuit illum: ergo non potest esse actus pœnitentię, cujus est dolere de peccato commisso. Respondeo negando antecedens, tum quia sunt circa obiecta materialia diuersa: nam dolor est circa peccatum, quod de se est malum, gaudium circa detestationem peccati, quę de se est bona: tum quia, vt rectè S. Thomas in 4. dist. 17. quęst. 2. art. 3. quęstiuncula 1. ad 3. tale gaudium non minuit; sed auget displicentiam, quam pœnitens habet de peccato: sicut omnis operatio augetur per propriam delectationem.

S. Thomas.

Omnis operatio augetur per propriam delectationem.

17. Ad fundamentum primæ sententiæ, nego omnem detestationem peccati habere pro immediato obiecto Deum, sed illam dumtaxat, quæ elicitur ex motiuo charitatis; neque est necesse, vt omnis detestatio peccati eliciatur à charitate, sed ad summum illa, quæ requiritur vt proxima dispositio ad iustificationem extra sacramentum.

18. Ad fundamentum secundæ, nego propositum cauendi peccata in futurum esse actum prudentię, cùm hęc sit virtus intellectualis; Propositum verò cauendi peccata in futurum, sit actus voluntatis. At nulla virtus vnius potentiæ potest elicitiuè concurrere ad actum alterius potentiæ: ergo. Cęterùm S. Thom. explicatur, vt velit hoc propositum esse actum prudentiæ directiuè & imperatiuè, non autem elicitiuè. Nego etiam, semper hoc propositum esse actum obedientiæ, vel charitatis; sed dico posse aliquando elici à virtute pœnitentiæ; nempe quando elicitur ex motiuo compensandi ius diuinum læsum; aut conformandi nostros actus cum iure primæ regulæ.

Propositum est actus pœnitentiæ elicitiuè, prudentiæ directiuè.

SECTIO II.

In quo actu essentialiter consistat pœnitentia?

19. HÆc controuersia in duplici sensu agitari potest. Primò in ordine ad pœnitentiam, in quo actu illa formaliter consistat. Secundò in ordine ad gratiam, & peccati condonationem. Nunc in priori sensu, infrà posteriori. Tres autem sunt actus; de quibus est controuersia: Intentio satisfaciendi Deo ex motiuo compensandi illi iniuriam, Detestatio peccati, & Tristitia ad detestationem peccati naturaliter consequens. Et quidem qui putat, solùm primum actum esse pœnitentię specialis, consequenter docet, in eo essentialiter pœnitentiam consistere; Aliorum verò qui putant, omnes prędictos actus, esse pœnitentiæ specialis diuersæ sunt sententiæ.

20. PRIMA sententia Henriquez lib. 4. de Sacramentis cap. 22. contendentis, omnes tres actus simul essentialiter integrare Pœnitentiam, ita; vt vnus sine alijs non sit integra, & perfecta contritio. Fundamentum est, quia pœnitentia est quędam resarcitio diuinę offensę: nemo autem resarcit offensam, nisi voluntaria, & reali pœnę perpessione: sicut nec creditori soluit, nisi reali debiti restitutione: ergo nisi cum intentione satisfaciendi, reipsa sequatur detestatio, & dolor de peccatis, non perfectè, & integrè resarcitur offensa Dei.

Henriquez.

21. SECVNDA sententia Coninck disp. 1. dub. 2. opinantis, pœnitentiam intrinsecè, & formaliter consistere in duobus; in detestatione, & dolore; & quidem in dolore principaliter. Fundamentum est, quia peccator nec verè, nec seriò potest peccatum, vt habitualiter pręsens detestari, nisi simul doleat se peccasse: quia hic dolor ex tali detestatione necessariò sequitur in subiecto capaci; sicut gaudium ex vehementi amore boni præsentis; nec rursus potest de eo verè dolere, quin ipsum detestetur, sicut non possumus gaudere de bono præsenti, quin ipsum amemus. Quòd autem in dolore præcipuè consistat, probat: quia pœnitentia afflictionem importat: hæc autem in dolore; non in nuda detestatione reperitur. Minor probatur: quia Beati pręterita peccata detestantur, vellent enim, si fieri posset, nunquam peccasse: & tamen in ipsis nullus est actus pœnitentiæ defectu doloris, cuius sunt incapaces.

Coninck.

22. TERTIA sententia Alens. 4. parte quæstione 17. membro 1. art. 1. §. 2. Caiet. tom. 1. opusc. tract. 4. quæst. 1. initio, Ochami in 4. quęst. 3. §. 4. *dico*, Gabrielis dist. 14. quęst. 1. art. 2. conclus. 5. Soti dist. 17. q. 2. art. 1. conclus. 1. Vegę lib. 13. in Trident. cap. 22. propositione 10. Nauarri in summa cap. 1. num. 2. & 16. affirmantium, pœnitentiam essentialiter consistere in detestatione, seu displicentia peccati. *Quæ sententia probabilior est, & sequenda:* Colligitur ex S. Thoma in 4. dist. 17. quæst. 2. art. 1. quęstiuncula 1. & 2. ad primum, vbi quamuis illam explicet per dolorem existentem in parte rationali, non autem in parte sensitiua; adhuc tamen dolorem explicat per ipsam displicentiam, & detestationem peccati, vt patet ex quæstiuncula secunda ad primum, & distinctione 14. quæstione 1. art. 1. quæstiuncula 3. idem docet 3. parte quęst. 84. art. 8. Eodem modo loquitur, Richard. distinct. 17. art. 1. quæstione 1. Petrus Soto de sacrament. Pœnitentiæ lect. 14. & reliqui Scholastici. Patres autem, & Concilia

Alensis. Caietanus. Ocham. Gabriel. Sotus. Vega. Nauarrus.

S. Thomas.

Richardus. Petrus Soto. Reliqui.

aut pro

aut pro eodem vsurpant dolorem, & detestationem: aut certè intelligunt dolorem non formaliter, sed causaliter, vt explicat Nauarrus. Fundamentum est, quia in eo actu constituenda est formaliter pœnitentia, quo posito, & omni alio sublato ponitur pœnitentia, & quo sublato, & omni alio posito, tollitur pœnitentia: sed posita tantùm detestatione, & sublata intentione, & dolore ponitur pœnitentia: contrà verò, sublata tantùm detestatione, & posita intentione, & dolore, tollitur pœnitentia. Maior constat. Minor probatur quoad primam partem: quia in ipsa detestatione includitur formalis oppositio ad peccatum, cùm sit fuga, & retractatio ipsius, nec non formalis resarcitio offensæ diuinæ, cùm sit displicentia peccati ex motiuo ipsius recompensationis: sed hæc duo includit formaliter pœnitentia, est enim retractatio peccati ex motiuo recompensationis diuinæ iniuriæ: ergo posita tantùm detestatione, ponitur formaliter pœnitentia.

Voluntas pœnitendi non est formale pœnitentia:

23. Probatur quoad secundam partem, & 1. de intentione: nam intentio pœnitendi, non est ipsum formale pœnitere, quamuis elici possit ab habitu pœnitentiæ: sicut voluntas diligendi, non est ipsum formale diligere. Cuius ratio est: quia pœnitentia formaliter importat ipsum actum exercitum pœnitendi, sicut & dilectio ipsum actum exercitum diligendi.

Nec habet immediatā oppositionem cū peccato.

24. Confirmatur 1. Quia voluntas pœnitendi non habet directam, & immediatam oppositionem cum peccato: nam per hunc actum præcisè non retractatur peccatum: sed solùm imperatur actus ipse retractatiuus peccati, qui est ipsa peccati detestatio: nam hæc tantùm formaliter pugnat cum complacentia peccati.

Tridentin.

25. Confirmatur 2. Nam actus pœnitentiæ est necessarius ad sacramentum Baptismi & confessionis, vt definit Concilium Trident. sess. 6. cap. 7. & sess. 14. cap. 3. & 4. & can. 4. sed actus pœnitentiæ, vt idem Concil. definit, includit detestationem peccatorum: ergo detestatio peccatorum, non intentio ipsa detestandi peccata, est proprius, & præcipuus actus pœnitentiæ.

26. Probatur 2. de tristitia: nam hęc est veluti passio naturaliter consequens ad actum detestationis; nam licet actiuè eliciatur à voluntate, non tamen liberè formaliter: ergo non potest in ea formaliter consistere pœnitentia; tum quia pœnitentia, vt recompensatiua offensæ debet esse maximè libera: tristitia autem non est libera in se; sed in causa, nempe in actu detestatiuo: tum quia posset tristitia impediri ex incapacitate subiecti; cùm tamen pœnitentia non debeat posse ab extrinseco impediri. Confirmatur. Ita se habet tristitia ad pœnitentiam, sicut gaudium ad amorem: sed hoc non spectat ad amorem essentialiter: ergo nec illa ad pœnitentiam essentialiter.

Tristitia nō est libera in se, sed in causa.

27. Ad fundamentum primæ sententiæ, distinguo minorem de perpessione pœnæ, vt pœnæ formaliter, vel vt pœnæ causaliter; ad resarcitionem autem offensæ non est necessaria perpessio pœnæ, vt pœna est formaliter, sed sufficit, vt pœna est causaliter; vt rectè Scotus dist. 14. quæst. 2. §. *de secundo* in fine, *quia plus*, inquit, *delet meritoriè peccatum actus causatiuus tristitiæ; quàm ipsa tristitia*: nam eò magis actus resarcit offensam; quò magis est meritorius: quia quò magis est meritorius, eò efficacior est ad impetrandam reconciliationem ab offenso: Est autem actus magis meritorius, quò magis est virtuosus: magis autem virtuosus est actus detestationis, quàm dolor ex eo secutus, quia magis voluntarius, magisque directè oppositus peccato: legatur Scotus loco præcit.

Scotus.

28. Ad fundamentum secundæ sententiæ, concedo, naturaliter non posse peccatorem verè peccatum detestari, quin doleat se peccasse; quia dolor est naturalis passio detestationis: nego tamen, non posse detestari essentialiter, nisi doleat, quia detestatio est prior, & causa doloris, ab eoque separabilis; sicut amor à gaudio: Contrà verò implicat, peccatorem verè de peccato dolere, quin illud detestetur: quia dolor supponit essentialiter odium, & detestationem peccati; sicut gaudium amorem, & complacentiam obiecti.

29. Ad aliud, concedo, pœnitentiam importare aliquam afflictionem, saltem causalem, qualis est detestatio peccati: nego autem, Beatos non habere verum actum pœnitentiæ, colligitur ex S. Tho. 3. p. quæst. 84. art. 8. vbi docet, Beatis displicere peccata pręterita, sine omni tamen dolore, & tristitia, cuius capaces non sunt: displicentia autem, & detestatio peccati præteriti, est verus actus pœnitentiæ. Cæterùm, quia secundùm communem nominis notionem, pœnitentia importat pœnam, quæ formaliter consistit in ipsa tristitia actuali, communiter non dicitur in Beatis esse actus formalis pœnitentiæ.

S. Thomas.

SECTIO III.

An actus pœnitentiæ Christianæ sit supernaturalis?

30. SVppono duplicem supernaturalitatem; Alteram quoad modum, quæ solùm se tenet ex parte producentis: vt cùm producitur effectus suprà, aut præter exigentiam proximarum causarum: vt oculi restitutio cæco facta, entitatiuè est naturalis, cùm in entitate non differat à productione, quam natura ipsa à principio habuisset, si impedita non fuisset; est autem supernaturalis quoad modum, quia est supra ac præter exigentiam naturæ, quæ in his circumstantijs, & dispositionibus oculi productionem non postulat. Alteram quoad substantiam,

Supernaturalitas altera quoad modum; altera quoad substātiam.

tiam, quę entitatiuè est supra omnem exigentiam & capacitatem subiecti, quæque à sola natura in quocunque statu posita produci non potest: vt gratia, visio beata, habitus infusi, qui à solo Deo, vel non nisi media aliqua causa creata supernaturali produci possunt. Controuersia igitur est, an actus pœnitentiæ sit supernaturalis alterutro ex his modis.

31. PRIMA sententia negat, actum pœnitentiæ esse aliquo ex his modis supernaturalem; sed elici posse viribus naturæ cum solo generali concursu Dei: etiam vt dispositio est de congruo ad ipsam iustificationem: est S. Thomæ in 2. dist. 5. quæst. 2. art. 1. Scoti in 4. dist. 14. quæst. 2. §. *de secundo*, Bassoli quæst. 1. art. 3. §. *secundo dico*, & art. 4. ad 1. & quęst. 2. art. 2. Aureoli art. vlt. §. *si autem loquamur*, Gabrielis quęst. 1. art. 2. post quintam conclus. Mayroni distinct. 15. q. 3. quorum fundamentum est: quia potest homo naturaliter cognoscere, peccatum esse offensiuum Dei, illudque vt sic naturaliter detestari: aut certè si aliqua requiritur supernaturalis notitia, vt illud à creatura cognoscatur vt offensiuum Dei, poterit habita tali notitiâ voluntas viribus proprijs illud detestari: ergo nihil est in actu pœnitentiæ, quod vel in substantia, vel in modo postulet causam supernaturalem.

S. Thomas. Scotus. Bassolus. Aureolus. Gabriel. Mayronius.

32. SECVNDA sententia est eiusdem S. Thomæ in 2. distinctione 28. art. 4. & de veritate quęst. 24. art. 15. Bonauenturæ in 2. distinctione 28. art. 2. quæst. 1. Durandi quæstione 5. num. 7. Caiet. tom. 1. opusc. tract. 4. quæst. 1. §. *sed occurrit hic non dissimulandum dubium*, & prima secundæ quæstione 109. art. 1. Marsilij in 4. quæst. 10. art. 1. in 2. parte ad primum, affirmantium, actum pœnitentiæ esse supernaturalem solùm quoad modum; vel quia in ordine prouidentię naturalis Deus speciali modo excitat electos ad actus pœnitentiæ per aliquid naturale, vt per hominis exhortationem, per ægritudinem, vel quid simile: qui actus ex speciali auxilio naturali Dei à creatura elicitus est dispositio ex parte hominis ad gratiam impetrandam. Ita S. Thomas, Bonauent. & Durand. Quorum fundamentum est: quia per id debet homo se posse ad gratiam præparare, quod est in sua potestate. Confirmat Durand. quia illud bonum, quod habet immediatum ordinem ad gratiam, est præparatorium ad ipsam: sed bonum morale, quod est in potestate hominis, est huiusmodi: ergo. Vel quia Deus in ordine prouidentiæ naturalis, peculiari motione mouet voluntatem creatam, iam contritam contritione naturali, faciendo, vt hæc ipsa contritio, quæ sine peculiari motione esset tantùm naturalis, & nullo pacto dispositio ad gratiam, nisi tantùm ex parte hominis, fiat meritoria, & vltima dispositio ad gratiam, ac proinde supernaturalis quoad modum, inuariata quoad substantiam actus: ita Caiet. cuius fundamentum est, quia ex vna parte dilectio Dei super omnia est in nostra potestate, quia sicut in nostra potestate est, constituere nobis pro vltimo fine delectationem veneream; ita & Deum, etiam vt beatitudo Sanctorum est: Ex alia verò parte non possumus certò scire, nos esse in charitate, alioqui certi essemus, quòd sumus in gratia, ac proinde certi esse possemus, nos diligere Deum super omnia, detestarique peccatum super omne delectabile: ergo contritio, & dilectio Dei super omnia non est vltima dispositio ad gratiam, quamuis ad eam prærequiratur: quia nunquam Deus mouet voluntatem creatam supernaturali motione ad gratiam recipiendam, nisi illam supponat contritam contritione naturali; licet non omnem voluntatem contritam contritione naturali, Deus moueat supernaturali motione ad gratiam recipiendam, ac proinde non est in se supernaturalis, sed fit supernaturalis formaliter per ipsam motionem supernaturalem Dei, à qua eleuatur ad esse vltimæ dispositionis, ad rationem meriti, & esse contritionis formatæ; cùm antea solùm esset contritio informis, seu attritio.

S. Thomas. Bonauent. Durandus. Caietanus. Marsilius. S. Thomas. Bonauent. Durandus. Caietanus.

33. TERTIA sententia Alensis 4. parte quęstione 17. memb. 4. ar. 7. §. 1. ad obiecta. Sancti Thomæ prima secundæ quęst. 109. art. 6. Richardi in secundo distinctione 28. art. 1. quæst. 2. Ægidij quæst. 1. art. 3. Arimin. quæst. 1. art. 2. & 3. Argent. in quarto distinct. 17. quæst. 1. art. 1. ad secundum, Soti quæst. 2. art. 5. §. *diximus autem*, Cani relectione de sacramento Pœnitentiæ p. 2. concl. vlt. Suarez disp. 3. sect. 6. Henriquez lib. 4. de Sacram. cap. 22. Vasquez 3. parte quęstione 85. art. 5. dub. 2. affirmantium, actum pœnitentiæ esse supernaturalem quoad substantiam. Pro cuius sententiæ explicatione,

Alensis. S. Thomas. Richardus. Ægidius. Ariminens. Argentin. Sotus. Canus. Suarez. Henriquez. Vasquez.

34. DICO 1. Actus pœnitentiæ Christianæ non potest esse naturalis. Fundamentum: quia actus naturalis fieri potest solius naturę viribus; nequit autem actus pœnitentiæ Christianæ fieri solius naturæ viribus: igitur nequit actus pœnitentiæ Christianę esse naturalis. Maior patet: nam actus naturalis continetur intra vires potentiæ naturalis. Minor constat 1. authoritate Scripturę, quæ donum pœnitentiæ tribuit Deo, tanquam speciali Authori: sola autem ea tribuuntur Deo, vt speciali authori, quæ pendent ex speciali motione ipsius: nam quæ merè naturalia sunt, ea non dicuntur specialia dona Dei, cùm sint omnibus communia. Maior habetur Ieremiæ 31. *Postquam enim conuertisti me, egi pœnitentiam.* In quem locum Hieronymus, *ergo id ipsum*, inquit, *quod agimus pœnitentiam, nisi Dei nitamur auxilio, implere non possumus.* Et paucis interiectis: *Vide, quantum sit auxilium Dei, & quàm fragilis humana conditio, vt hoc ipsum, quod agimus pœnitentiam, nisi nos*

Ierem. 31. Hieron.

Dominus

Dominus ante conuertit, nequaquam implere valeamus. 2. ad Timoth. 2. *Nequando*, inquit Apostolus, *Deus det illis pœnitentiam ad cognoscendam veritatem, & resipiscant à diaboli laqueis.* Quem locum interpretans Chrysostomus homil. 6. *Tu plantas*, inquit, *tu rigas, ille seminat, & fructus parere facit, atque ad incrementum perducit.* & in eundem locum Anselmus ita scribit: *non enim aliquid proficit, nisi cùm facit, vt peccati sui quemcunque pœniteat: & quis hoc dat, nisi qui respicit Petrum negantem, & fecit flentem? ideò non solùm cùm agitur pœnitentia: verùm & vt agatur, necessaria est eius misericordia.*

2. ad Tim. 2. Chrysost. Anselmus.

35. Eandem veritatem expressè docuerunt Leo Papa Epist. 91. ad Theod. Episc. Foroiuliensem, & August. de fide ad Pet. cap. 31. *Ipsam*, inquit ille, *pœnitentiam ex Deo credimus inspiratione conceptam: Firmissimè*, inquit iste, *tene, & nullatenus dubites, neminem hic posse hominum pœnitentiam agere, nisi quem Deus illuminauerit, & gratuita sua misericordia conuerterit.* Hinc ipsam veritatem definit Tridentin. sessione 6. can. 3. his verbis: *Si quis dixerit, sine præueniente Spiritus sancti inspiratione, atque eius adiutorio, pœnitere posse sicut oportet, vt ei iustificationis gratia conferatur, anathema sit.*

Leo Papa. August. Trident.

36. Eadem veritas prob. ratione. Actus pœnitentiæ Christianæ disponit hominem ad iustificationem, per hòc enim distinguitur à quauis alia pœnitentia, quę ad iustificationem non disponit, vt ex citatis verbis Concil. colligitur, in quibus supponitur aliqua pœnitentia, quæ ad iustificationem non disponit. Quod autem ad iustificationem disponit, nequit fieri solius naturæ viribus, vt idem Concil. loco cit. & Arausicanum 2. can. 6. 9. & 20. definiunt: alioqui sola natura inchoare posset iustificationem, contra diuina oracula.

Ratio. Concilium Tridentin. & Arausic.

37. Confirmatur. Obiectum formale, quod respicit pœnitentia Christiana est supra naturalem capacitatem hominis; est enim detestatio peccati, quatenus recompensatiua est iuris, quod Deus, vt prima regula tam naturalis, quàm supernaturalis, habet in omnes actiones morales, etiam supernaturales creaturæ intellectualis: repugnat autem, creaturam proprijs viribus attingere obiectum, quod est supra naturalem capacitatem ipsius: ergo repugnat viribus proprijs elicere actum pœnitentiæ Christianæ.

38. Dico 2. Actus pœnitentiæ Christianæ non solùm est supernaturalis quoad modum, sed etiam quoad substantiam, colligitur ex citato loco Trident. vbi ad pœnitendum sicut oportet, non solùm requirit diuinam inspirationem, quæ se tenet ex parte principij moraliter excitantis, ac suadentis; sed etiam Spiritus sancti adiutorium, quod se tenet ex parte principij physicè concurrentis, & concausantis. Quod clariùs expressit Concil. Mileuit. II. can. 4. vbi definit, non modò necessariam nobis esse gratiam, vt cognoscamus, quid agere debeamus, quod se tenet ex parte principij moralis; sed etiam quid efficere valeamus, quod se tenet ex parte principij physicè concurrentis: Repugnat autem, actum fieri physico concursu gratiæ, & non esse in entitate supernaturalem, cùm physicus concursus tendat ad ipsam entitatem actus, cùm sit essentialis via & tendentia ad illum. Ex iisdem Concil. testimonijs manifestè colligitur falsitas illius sententiæ, quæ docet, sufficere solam notitiam supernaturalem ad actum pœnitentiæ Christianæ: cùm expressè citata Concil. præsertim Mileuit. præter gratiam tenentem se ex parte intellectus, requirat gratiam tenentem se ex parte voluntatis.

Concil. Trident. Concil. Mileuit. Repugnat actum fieri physico concursu gratiæ, & non esse in entitate supernaturalem.

39. Secundò probatur ex communi Theologorum sententia admittentium habitum per se infusum pœnitentiæ Christianæ: quo posito, sic argumentor. Datur habitus per se infusus pœnitentiæ Christianæ: ergo ipsius actus est supernaturalis quoad substantiam. Consequentia probatur: nam habitus per se infusi non dantur propter actus supernaturales tantùm quoad modum, cùm ad huiusmodi actus producendos sufficiant habitus acquisiti naturales quoad substantiam, cum potentia naturali adiuta aliquo concursu indebito intra ordinem naturæ; sed dantur propter actus in essentia supernaturales, quorum principium nequit esse potentia naturalis, vel habitus acquisitus cum concursu tantùm indebito naturali. Igitur habitus pœnitentiæ Christianæ est quoad substantiam supernaturalis, alioqui frustra propter eum daretur habitus infusus supernaturalis.

Habitus supernaturales infusi dantur propter actus supernaturales quoad substantiam.

40. Tertiò probatur à priori. Actus pœnitentiæ Christianæ est per se dispositio ad iustificationem; sed dispositio est in eodem ordine cùm forma, ad quam disponit, vt inductione constat: ergo cùm gratia, quæ est forma iustificans, sit supernaturalis quoad substantiam, etiam actus pœnitentiæ Christianæ erit supernaturalis quoad substantiam. Nec refert, quòd non sit proxima; sed remota tantùm dispositio ad gratiam; nam remotior dispositio est fides, quæ pręcedit actum ipsum pœnitentiæ; & tamen, quia per se disponit ad gratiam, est supernaturalis quoad substantiam.

Dispositio est in eodem ordine cum forma.

41. Quartò. Non implicat actus pœnitentiæ supernaturalis quoad substantiam: ergo de facto concedendus est. Antecedens constat, tum à paritate reliquorum actuum supernaturalium, Fidei, Spei, Charitatis, & visionis beatificæ, qui cùm procedant ex habitibus supernaturalibus infusis, sunt supernaturales quoad substantiam: Tum quia nulla est repugnantia, neque vt ens supernaturale est, alioqui nullum dari posset ens supernaturale quoad substantiam; neque vt actus est supernaturalis vitalis, cùm in omnium sententia visio & amor beatificus sint supernaturales quoad substantiam; Neque

vt est actus vitalis supernaturalis talis virtutis, nempe pœnitentiæ; cùm neque ex hoc capite assignari possit peculiaris repugnantia. Consequentia verò probatur: tum quia connaturaliùs homo disponitur ad gratiam supernaturalem per actum pœnitentiæ supernaturalem quoad substantiam, quàm per actum pœnitentiæ supernaturalem tantùm quoad modum, vt per se patet: cùm magis ac meliùs proportionetur fini supernaturali quoad substantiam, qualis est visio gloriosa. Tum quia per actus supernaturales quoad substantiam meliùs saluatur necessitas habituum infusorum, qui, vt probatum est, non dantur, nisi propter actus supernaturales quoad substantiam, cùm ad actus supernaturales quoad modum sufficiat potentia naturalis cum habitu acquisito, & aliquo concursu extraordinario intra ordinem naturæ.

42. Dico 3. Præter actum pœnitentiæ supernaturalis datur actus pœnitentię naturalis: est Richardi in 4. distinct. 14 art. 4. q. 1. contra Vasquez 3. p. q. 85. art. 5. dub. 2. in fine. Assertio hæc primò colligitur ex citato loco Trident. quod dum ad pœnitendum sicut oportet requirit speciale auxilium, non obscurè indicat, dari aliquod pœnitere non sicut oportet, ad quod non requiritur speciale auxilium Dei: hoc autem aliud esse non potest, quàm actus pœnitentiæ naturalis, qui quoniam non procedit ex supernaturali motiuo, neque ex aliquo speciali concursu indebito, non est supra vires naturæ, proinde produci potest naturæ viribus: vnde hoc ipso non est ad iustificationem sufficiens, cùm nullus actus possit esse sufficiens dispositio ne quidem remota ad iustificationem, nisi procedat ex speciali auxilio Dei dato per Christum: cùm omnis dispositio ad iustificationem debeat inchoari à gratia Dei.

Richardus. Vasquez. Trident.

Omnis dispositio ad iustificationem debet inchoare à gratia Dei.

43. Probatur 2. ratione. Potest ratio naturalis cognoscere peccatum; vt auersiuum à Deo, & deuiatiuum à primâ regulâ, & consequenter læsiuum diuini iuris; ergo potest voluntas illud naturaliter cognitum inefficaciter saltem detestari, & odio habere: dixi, *inefficaciter*, quoniam efficax detestatio peccati includit virtuale propositum seruandi totam legem naturalem, quę sine speciali gratia per Christum seruari non potest, vt ex 3. tom. suppono.

Tota lex naturalis sine speciali gratia per Christum seruari non potest.

44. Confirmatur. Potest homo naturaliter diligere Deum vt auctorem bonorum naturalium dilectione saltem inefficaci; ergo & odio habere peccatum, vt illi contrarium. Antecedens probatur: quia hoc non excedit naturales vires creaturæ: & aliàs homo inclinat ad amandum suum benefactorem. Consequentia verò constat; nam qua ratione diligimus bonum, detestamur malum illi oppositum, cùm eadem sit inclinatio in bonum prosequendum, & in oppositum malum euitandum.

45. Fundamentum autem primæ sententiæ solùm procedit de actu pœnitentię naturalis, qui ad iustificationem non sufficit. Ad fundamentum secundæ, concedo in potestate hominis esse, ad gratiam se præparare, sed ex speciali auxilio Dei, quod nunquam homini denegatur. Ad confirmationem, nego minorem, loquendo de bono morali merè naturali, hoc enim nullum habet ex natura sua ordinem, & connexionem cum gratia.

46. In sententia verò Caiet. displicet primò, quòd possit homo naturaliter diligere Deum, vt beatitudo Sanctorum est: nam sic est obiectum supernaturale excedens vires naturales creaturę; secūdò quòd possit creatura viribus proprijs, saltem quantum est ex parte sua, disponere se ad gratiam, vt Caiet. præcit. loco prima secundę concedit: nam licet Deus, vt ipsemet docet, non teneatur illam acceptare per motionem gratuitam; tamen quantum est ex parte hominis ponitur dispositio ad gratiam, quod falsum est: quia dispositio habet aliquam proportionem, connexionémve cum forma, ad quam disponit: si igitur homo viribus proprijs potest, quantū ex parte sua est, disponere se ad gratiā, poterit aliquo modo viribus proprijs gratiā attingere. Tertiò nequit explicari, quæ sit illa supernaturalis motio, per quam actus ipse naturalis contritionis fiat supernaturalis, & vltima dispositio ad gratiam, vt fusiùs infrà. Propter quod hanc Caiet. opinionem Sotus in 4. dist. 17. q. 2. art. 5. appellat nunquam auditam, & nulli credendam.

Inconuenientia ex sent. Caiet.

Sotus.

47. Ad auctoritatem S. Doctoris dicendum est, illum mutasse sententiam in summa, vt Caiet. ipse testatur prima secundæ q. 109. art. 6.

Caietanus.

SECTIO IV.

Quotuplex sit actus pœnitentiæ Christianæ?

48. Voco pœnitentiam Christianam, quę ad gratiam aliquo modo disponit, siue in, siue extra sacramentum; siue remotè; siue proximè, quo pacto idem est ac pœnitentia supernaturalis; quia nullus actus naturalis vt sic potest suapte natura ad gratiam disponere, cùm inter dispositionem, & formam debeat seruari proportio. Hoc posito,

Quæ sit pœnitentia Christiana.

49. Vnica assertio sit: duplex est pœnitentia Christiana; altera perfecta, quæ contritio dicitur; altera imperfecta, quæ attritio nominatur. Diuisio est Trident. sess. 14. c. 4. & omnium Scholasticorum: Perfecta ex eodem Trident. est, quę vim habet iustificandi ex se independenter ab actuali susceptione sacramenti, quęque per se medium est ad cōciliandum hominem cum Deo. Imperfecta est, quę de se non sufficit ad iustificandum, sufficit autem cum sacramento Baptismi, vel Pœnitentiæ. Fundamentum diuisionis est, quia omnis pœnitentia aut detestatur peccatum ex supremo motiuo, quatenus malū Dei est, & sic dicitur pœnitentia perfecta seu contritio,

Trident. omnes Scholastici.

Quæ sit perfecta, quæ imperfecta pœnitentia.

tritio; aut ex aliquo motiuo infra Deum, & sic dicitur pœnitentia imperfecta, siue attritio.

50. Confirmatur: nam contritio est actus omnium perfectissimus, quem cum auxilio Dei potest peccator elicere, cùm procedat ex supremo motiuo, quod creatura rationalis eleuata potest attingere, ergo est perfecta pœnitentia: Vnde August. lib. de vera, & falsa pœnitentia cap. 17. vocat illam simpliciter *conuersionem*, ad differentiam attritionis, quam vocat *versionem*, quia infallibiliter secum affert perfectam amicitiam, & conuersionem Dei ad nos. De vtroque actu pœnitentiæ disputabimus, & primò in hac disputatione de imperfecta, sequenti de perfecta.

August.

DISPVTATIO III.

De Attritione.

SECTIO PRIMA.

An attritio sit actus virtutis?

1. RAtio dubitandi: Quoniam attritio ex Trident. sess. 14. cap. 4. concipitur ex gehennæ metu; qui autem detestatur culpam propter pœnam, magis odit pœnam, quàm culpam: hoc autem ordinatum non est, quoniam implicitè & virtute includit hunc affectum, peccata non detestarer, nisi eis imposita esset pœna. Propter hoc est hęresis Lutheri damnantis dolorem ex timore pœnæ conceptum, quippe qui homines facit hypocritas, & magis peccatores; tum quia est extortus, & violentus, cùm originem ducat à pœnâ, quæ timetur, non à iustitia, quæ amatur: tum quia quod non fit ex charitate, non fit ex corde; quod non fit ex corde, simulatum est & fictum: tum quia non est verum odium, quod in amore non fundatur: ergo non potest verum esse odium peccati, quod ex timore nascitur; sed tantùm quod ex amore iustitiæ progignitur. Demum, si timor seruilis est bonus, erit etiam bonus timor mundanus: atque timor mundanus bonus non est, quippe qui homines malos facit; ergo nec timor seruilis.

Trident.

Error Lutheri.

2. Catholica verò sententia est à Trident. definita sess. 14. cap. 4. dolorem ex gehennæ metu conceptum, si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniæ, *non solùm non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem: verùm donum Dei esse, & Spiritus sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis; sed tantùm mouentis, quo pœnitens adiutus viam sibi ad iustitiam parat.* Quæ veritas sumitur ex varijs Scripturæ locis Prouerb. primo: *timor domini principium sapientia:* quod idem repetitur Ecclesiastici 1. Quæ loca Basilius Homil. in principium Prouerb. multò post initium, Beda in 1. cap. Prouerb. Aug. tract. 9. in Epist. Ioan. aliquantò post initium, Gregor. Homil. 19. in Ezech. ante medium; Bernard. sermone 23. in Cant. magis ad finem, & Epist. 9. ad Archiepisc. Colon. nec non Magister sententiarum cum tota Schola Theolog. in 3. dist. 34. explicant de timore seruili: nam hic est, qui sapientiam inchoat; non filialis, qui illam perficit & consummat: Ecclesiastici 1. *Timor Domini expellit peccatum.* Qui locus intelligendus est de expulsione mediata, & inchoatiua, non de immediata & vltima, quæ fit per actum charitatis, eundem timorem ex pœnarum metu concipiendum docuit Christus discipulos suos Matth. 10. *Timete*, inquit, *eum, qui potest & animam & corpus perdere in gehennam.* Hunc ipsum pœnarum metum sępe per Prophetas inculcat peccatoribus Deus, vt eo vtiliter concussi à peccato resipiscant.

Trident. Prouerb. 1. Ecclesiast. 1. Basilius. Beda. August. Gregorius. Bernardus. Magister tota Schola Theolog. Ecclesi. 1. Matth. 10.

3. Eandem veritatem docent Patres, qui sæpe fideles ad hunc salubrem timorem ex pœnarum metu concipiendum adhortantur. Hieron. in 2. cap. Micheæ circa medium: *Qui pudore*, inquit, *& verecundia non tenentur, agant pœnitentiam saltem comminatione pœnarum:* & in primum Malachiæ explicans illa verba: *Filius honorat Patrem, & seruus Dominum suum*, ita scribit: *vult itaque primùm Deus, vt Filij eius simus, & bonum voluntate faciamus: si hoc non consequi volumus, vt saltem seruos nos habeat, & à malis per suppliciorum formidinem recedamus.* Chrysostomus 1. lib. de compunctione cordis: *hoc solùm*, inquit, *est, quod exposcitur à nobis, vt semper recordemur mala nostra, & ad animum reuocemus, & conscientiam gestorum nostrorum habeamus ante oculos, vt pro his supplicemus Deo, vt gehennam ponamus in conspectibus nostris* &c. Aug. in Psalm. 127. de hoc timore metu pœnæ concepto ita loquitur: *ille timor nondum castus, præsentiam Domini, & pœnas timet, timore facit, quidquid boni facit, non timore amittendi bonum illud; sed timore patiendi illud malum: non timet, ne perdat amplexus pulcherrimi sponsi; sed timet, ne mittatur in gehennam. Bonus est, & ille timor, vtilis est.* De quo etiam timore suprà dixerat:

Hieron. Chrysost. August.

Habent timorem, & per timorem continent se à peccatis. Timent quidem; sed non amant iustitiam; Cùm autem per timorem continent se à peccato, fit consuetudo iustitiæ, & incipit quòd durum erat amari, & dulcescit Deus, & iam incipit homo iustè viuere, propterea non quia timet pœnas; sed quia amat æternitatem. Ecce quomodo iuxta doctrinam Augustini, timor iste seruilis ex pœnarum metu conceptus, bonus est, & vtilis, quippe qui initium est timoris filialis. Patribus consentiunt Scholastici.

Attritio ad Deum implicitè ordinatur.

4. Fundamentum huius veritatis est: quoniam detestari peccatum ad euitandam pœnam peccato debitam, est actus de se bonus & honestus; nam licet proximè ordinetur ad euitandam pœnam, ex cuius timore elicitur; non tamen excludit Deum vltimum finem, ad quem implicitè ordinatur. Confirmatur: nam hic modus vitandi peccata propter pœnas à Deo impositas, est maximè connaturalis homini existenti in peccato, qui maximè ducitur timore supplicij: Deus autem, quantum fieri potest, se accommodat modo operandi connaturali hominis in eius salute procuranda. Vnde sicut in quauis bene constituta Republ. duplex est modus excitandi, & impellendi ciues ad virtutes consectandas, & vitia declinanda; Alter per amorem præmiorum; Alter per timorem pœnarum: ita Deus summus Gubernator hoc duplici modo homines ad salutem excitat, & impellit; tum spe & amore præmiorum; tum metu, & timore pœnarum.

Non semper tenemur plus detestari culpam quàm pœnam.

5. Ex his patet ad rationem dubitandi: nam esto qui peccatum detestatur propter pœnam, plus actu detestetur pœnam; quàm culpam, cùm pœna sit ratio detestandi culpam: Nego tamen, huiusmodi actum non esse honestum: tum quia non semper tenemur actu plus detestari culpam; quàm pœnam: tum quia non tollit, quin propter alia motiua, & rationes possimus plus culpam detestari, quàm pœnam: falsum autem est, in tali actu contineri illam conditionalem: *peccarem, si peccato non esset imposita pœna*: quia in eo motiuo non sistit vltimò affectus; sed tantùm proximè. Vnde virtute tendit etiam ad Deum finem vltimum: sicut actus spei proximè & formaliter tendit ad Deum vt bonum ipsi speranti, virtute autem & implicitè ad Deum secundùm se.

Attritio est sufficienter libera.

6. Ad primum Lutheri, nego antecedens: nam licet huiusmodi detestatio non sit ita libera; sicut quæ fit amore iustitiæ: non tamen caret libertate sufficiente ad actum humanum, cùm sit à principio intrinseco libero. Nec refert, quòd originem ducat ab aliquo extrinseco, quia hoc non cogit voluntatem. Nam adhuc eo posito, posset voluntas non agere; sicut etiam amor Dei originem ducit ab obiecto extrinseco: quod quia non cogit voluntatem, non dicitur coactus, neque est contra naturam hominis, interdum ad operandum moueri metu pœnæ.

7. Ad 2. Nego maiorem: nam qui de peccatis dolet metu pœnæ, non fictè & simulatè, sed verè & seriò dolet; nec tantùm externum actum; sed etiam internum affectum à peccato reuocat, alioqui sibi contradiceret: quia non doleret vitando, sed incurrendo pœnam, si tantùm fictè, & simultatè doleret.

Verum odium fundatur in amore boni proximè, vel remotè.

8. Ad 3. Esto omne verum odium in amore fundetur: quia omnis detestatio mali supponit amorem boni: nego tamen, in eo semper fundari proximè, sed posse fundari remotè tantùm, sic odium peccati ob metum gehennæ proximè fundatur in timore pœnæ, remotè in amore supernaturalis beatitudinis. Vnde falsum est, solum odium immediatè ortum ex amore iustitiæ, secundùm se esse verum odium.

Quis timor mundanus, quis seruilis?

9. Ad 4. nego sequelam maioris: nam timor mundanus est timor creaturæ, affectu cuius non veretur homo offendere Deum: timor verò seruilis est timor Dei, quem timet offendere metu pœnæ, quam peccatis infligit; quo fit, vt ille non tollat affectum peccandi; sed potiùs sit causa peccati; hic & tollit peccatum; & affectum ipsum peccandi.

SECTIO II.

An quicunque dolor ex quouis motiuo infra motiuum charitatis conceptus sit saltem cum sacramento sufficiens dispositio ad iustificationem?

Ratio dubitandi ex Tridentino.

10. RAtio dubitandi est, quoniam Concil. Trident. sess. 14. c. 4. assignans motiuum attritionis sufficientis cum sacramento pœnitentiæ ad iustificationem, non solùm assignat gehennam; sed alias etiam pœnas, ipsamque peccati turpitudinem: ergo ex quouis motiuo infra charitatem elicita, erit sufficiens dispositio cum sacramento ad iustificationem: quia contra quoduis motiuum virtutis infra charitatem potest esse turpitudo peccati sufficiens motiuum ad concipiendum dolorem ad iustificationem in sacramento requisitum. Nam sicut quæuis virtus infra charitatem habet pro motiuo peculiarem suam honestatem: ita contra eandem honestatem opponitur specialis turpitudo, propter quam moueri potest voluntas ad dolorem concipiendum. Ex quo sequitur, omnem timorem vitandi peccatum, siue sit propter pœnas ab humano iudice impositas; siue propter extrinsecum aliquod malum infamiæ, ægritudinis vel damni temporalis; siue propter ipsam turpitudinem, & deformitatem, quam habet peccatum cum recto dictamine rationis naturalis, fore sufficientem dispositionem cum sacramento ad iustificationem.

Conclusio.

11. Dicendum tamen est, non quemcunque dolorem ex quouis motiuo infra motiuum charitatis conceptum, esse sufficientem cum sacramento ad iustificationem. Hæc as-

Tertio primò colligitur ex Trident. sess. 6. can. 3. vbi dum indicat, esse aliquem dolorem, qui non est sicut oportet ad iustificationem requisitus, non obscurè innuit, non omnem dolorem esse cum sacramento, de quo ibi potissimùm agit, ad iustificationem sufficientem.

12. Secundò probatur ratione: Nam is dolor est cum sacramento ad iustificationem sufficiens, qui aliquo modo animum peccatoris conuertit ad Deum obiectum supernaturale: Atqui non omnis dolor animum conuertit ad Deum obiectum supernaturale: ergo non omnis dolor est sufficiens dispositio cum sacramento ad iustificationem. Minor est clara: nam nec dolor peccati propter infamiam apud homines contractam; nec propter pœnas ab humano iudice impositas; nec propter damnum in corpore, vel externis bonis passum; nec propter deformitatem ipsius peccati cum humana ratione, animum conuertit ad Deum obiectum supernaturale: cùm hæc omnia motiua sint merè naturalia, à sola ratione naturali, absque vlla notitia infusa fidei, cognoscibilia, & detestabilia. Maior probatur: nam is dolor est sufficiens cum sacramento ad iustificationem, qui opponitur peccato: sed is tantùm dolor opponitur peccato, qui ex aliquo motiuo supernaturali conceptus animum conuertit ad Deum obiectum supernaturale. Maior constat: Nam sicut de ratione connaturalis dispositionis, qualis est detestatio peccati ad iustificationem consequendam, est, vt sit eiusdem ordinis cum forma, ad quam connaturaliter disponit: ita de ratione eiusdem est, vt opponatur contrariæ formæ, quam debet expellere: cùm hic sit primarius effectus formalis dispositionis, habilitare, aptumque reddere subiectum ad formam, ad quam connaturaliter disponit: habilitat autem illud, contrariam formam expellendo per suum effectum formalem. Minor probatur: nam omne peccatum mortale in hoc statu naturæ eleuatæ per gratiam ad finem supernaturalem includit auersionem à Deo fine, & obiecto supernaturali: nam omne peccatum mortale in hoc statu committitur cum aliqua notitia saltem implicita, & confusa Dei finis, & obiecti supernaturalis; vel quam saltem peccator habere debebat, & consequenter non potest dispositiuè expelli, nisi per actum, qui sit conuersio ad Deum obiectum supernaturale: cùm non minùs dispositio expulsiua peccati debeat conuertere hominem ad Deum, quàm ab eodem auertit ipsum peccatum. Confirmatur, nam vt attritio etiam cum sacramento ad iustificationem sufficiat, debet ex Trident. includere spem veniæ, quæ necessariò procedere debet ex motiuo supernaturali, cùm non possit naturaliter cognosci, veniam peccati esse à Deo certò exspectandam.

Tridentin. Peccatum committitur cum notitia Dei finis supernaturalis.

Trident.

Quo motiuo dolor sit sufficiens dispositio ad iustificationem cum sacramẽto.

13. Ex dictis deducitur primò, non modò dolorem peccati propter gehennæ metum; sed ob quascunque pœnas à Deo infligendas, etiamsi temporales sint, vt propter pœnas purgatorij, corporis ægritudines, damnum, & amissionem bonorum temporalium, esse sufficientem dispositionem cum sacramento pœnitentiæ ad iustificationem. Prior pars Coroll. expresè definitur à Trident. sess. 14. cap. 4. Posterior verò apertè colligitur ex eodem, dum præter gehennalem pœnam, assignat alias temporales, quarum *timore vtiliter concussi Niniuitæ pœnitentiam egerunt, & misericordiam à Deo impetrarunt.*

14. Cõfirmatur. per earundem pœnarum timorem præparamur ad iustificationem, per quarum patientem tolerantiam pro peccatis satisfacimus; sed ex eodem Concil. cit. sess. 14. c. 9. per patientem pœnarum temporalium à Deo inflictarum tolerantiam pro peccatis satisfacimus: ergo per earundem pœnarum à Deo infligendarum timorem ad iustificationem præparamur. Maior probatur: quia non minùs satisfactio pro peccatis debet esse supernaturalis, cùm debeat ex Christi meritis procedere, vt idem Concil. c. 8. docet; quàm dolor ad iustificationem disponens: Igitur si illa est supernaturalis per tolerantiam pœnarum temporalium à Deo inflictarum, poterit & hic esse supernaturalis per timorem pœnarum temporalium à Deo infligendarum.

Trident.

15. Deducitur 2. Eam dumtaxat peccati turpitudinem esse sufficiens motiuum attritionis Christianæ, quæ opponitur alicui perfectioni diuinæ supernaturaliter cognitæ. Fundamentum est: quia ea tantùm peccati turpitudo est sufficiens motiuum attritionis Christianæ, quæ opponitur peccato in hoc statu commisso: sed peccatum in hoc statu commissum includit auersionem à Deo obiecto supernaturali: ergo ea tantùm turpitudo peccati erit sufficiens motiuum Christianæ attritionis, quæ opponitur alicui perfectioni diuinæ supernaturaliter notæ: vt sunt irreuerentia contra Deum finem supernaturalem, ingratitudo, inobedientia, & similia.

Quæ peccati turpitudo sit sufficiens motiuum Christianæ attritionis.

16. Deducitur 3. Nullam turpitudinem contra virtutem, & honestatem naturalem esse sufficiens motiuum attritionis Christianæ; quin etiam nullam turpitudinem contra virtutem & honestatem supernaturalem esse sufficiens motiuum Christianæ attritionis, nisi quatenus talis turpitudo detestatur vt læsiua alicuius perfectionis diuinæ. Dupliciter enim potest detestari turpitudo contra virtutem supernaturalem; vno modo quatenus est contra virtutem supernaturalem, vt nostra perfectio est; alio, quatenus participatio est alicuius perfectionis diuinæ, cui mediatè saltem peccati turpitudo opponitur. Hoc posteriori, non priori modo, est motiuum sufficiens Christianæ attritionis: nam eatenus est sufficiens motiuum Christianæ attritionis, quatenus aliquo modo opponitur alicui perfectioni diuinæ supernaturaliter cognitæ.

17. *Obijcies* 1. Non repugnat, aliquem in hoc statu peccare absque sufficienti notitia Dei finis, & obiecti supernaturalis: ergo non omne

omne peccatum in hoc statu commissum est auersio à Deo fine & obiecto supernaturali: & consequenter non omnis attritio debet esse ex motiuo supernaturali. Posterior consequentia patet, prior probatur: nam culpabilis auersio à Deo fine, & obiecto supernaturali supponit sufficientem notitiam eiusdem Dei finis, & obiecti supernaturalis.

Peccatum naturale non deletur sola attritione naturali.

18. Resp. supposito casu, concedo, tale peccatum non esse contra Deum finem, & obiectum supernaturale: negandum tamen est, illud posse remitti sola attritione naturali, quia vel remitteretur extra sacramentum: & falsum est illud remitti posse sola attritione naturali: quia cùm saltem esset contra Deum finem naturalem, non sufficeret attritio naturalis; sed ad minimum necessaria esset contritio naturalis: quia sicut non sufficit sola attritio supernaturalis, sed requiritur contritio supernaturalis ad remittendum extra sacramentum peccatum contra Deum, finem & obiectum supernaturale: ita nec sufficit attritio, sed necessaria ad minimum est contritio naturalis ad remittendum extra sacramentum peccatum contra Deum finem, & obiectum naturale. Vel tale peccatum remitteretur cum aliquo sacramento: & tunc necessarius esset dolor supernaturalis, tum propter proportionem ad gratiam formam supernaturalem, ad quam peccator accedere debet dispositus: tum propter actus fidei, spei, & pœnitentiæ supernaturalis, quos elicere teneretur peccator circa Deum iam cognitum vt finem supernaturalem, cùm non posset ad sacramentum accedere, nisi instructus fide, spe, & pœnitentia supernaturali.

19. *Obijcies* 2. Peccator per attritionem non necessariò conuertitur ad Deum obiectum supernaturale: igitur conuersio ad Deũ obiectum supernaturale necessaria non est ad iustificationem cum sacramento consequendam. Antecedens probatur, quia sufficit, vt peccator de peccato doleat ob timorem pœnæ: sed timor de peccato ob timorem pœnæ non conuertit animum peccatoris ad Deum; sed solùm illum auertit à malo culpæ propter malum pœnę, quod timetur: ergo.

Attritio implicitè & mediatè cõuertit peccatorem ad Deum.

20. Resp. distinguendo antecedens: attritio non necessariò conuertit animum peccatoris ad Deum explicitè & immediatè, concedo; implicitè & mediatè, nego. Nam hoc ipso quòd animum peccatoris auertit à peccato propter pœnas à Deo infligendas, implicitè & mediatè, seu indirectè conuertit ad Deum, tanquam ad supremum iudicem pœnarum.

21. *Obijcies* 3. Attritio non detestatur peccatum vt offensam Dei: ergo neque cum sacramento sufficit ad iustificationem. Consequentia probatur: quia non potest esse sufficiens ad iustificationem, nisi sit sufficiens ad recompensationem offensę, & reconciliationem cum Deo; non est autem sufficiens ad recompensationem offensæ, & reconciliationem cum Deo, nisi peccatum detestetur vt offensam Dei. Maior constat, quoniam iustificatio peccatoris essentialiter importat condonationem offensæ ex parte Dei offensi, qui vt condonet, aliquam postulat satisfactionem ex parte offendentis. Minor probatur: quia, vt detestatio culpæ sit sufficiens ad recompensationem offensę, fieri debet intuitu offensi.

Attritio detestatur peccatum vt est offensa Dei non explicitè, sed implicitè.

22. Resp. distinguendo antecedens: attritio non detestatur peccatum vt offensam Dei formaliter & explicitè, concedo: materialiter & implicitè, nego: quia dum illud detestatur, vt est contra aliquam honestatem, & legem creatam, implicitè etiam detestatur, vt est contra honestatem, & legem increatam: etenim cùm lex creata sit participatio legis increatæ, qui peccatum detestatur, quod est contra legem creatam, implicitè etiam illud detestatur, vt est contra legem ipsam increatam: sicut è contrario, qui offendit legem creatam, simul etiam offendit legem increatam. Vtriusque ratio est, quia lex creata est expressa manifestatio legis increatæ, quæ nobis per creatam promulgatur & intimatur.

Lex creata est expressa manifestatio legis increatæ.

Attritio fieri potest contritio, sed extrinsecè.

23. Ex dictis resoluitur illa quæstio, an attritio fieri possit contritio? Nam si sensus est, attritionem intrinsecè mutari in contritionem, falsum est: nam cùm attritio, & contritio sint actus essentialiter diuersi, non potest vnus intrinsecè mutari in aliũ. Si verò sensus est, attritionem extrinsecè tantùm mutari in contritionem, quia nimirum suscepta gratia per sacramentum, ea, quæ ex intrinseco motiuo erat, & perseuerat attritio, dicitur ex superueniente gratia contritio, quia habet effectum contritionis, quod est esse gratum, & amicum Deo, verum est: & in hoc sensu explicandi sunt authores, cùm dicunt, attritionem fieri contritionem. Notat autem Sotus in 4. dist. 17. q. 2. art. 5. Concl. 2. significantiùs dicendum esse: hominem ex attrito fieri contritum per aduenientem gratiam; quàm attritionem fieri contritionem: quia hic posterior modus significat mutationem intrinsecam attritionis in contritionem. Legatur S. Thomas in 4. dist. 17. q. 2. art. 1. quæstiuncula 3.

Sotus.

S. Thomas.

SECTIO III.

An sola, & omnis attritio supernaturalis sit sufficiens dispositio saltem cum sacramento ad iustificationem?

24. PRIMA sententia negat solam attritionem supernaturalem esse sufficientem dispositionem cum sacramento ad iustificationem; est Soti in 4. dist. 14. q. 1. art. 1. §. *Hoc autem discrimen*, & quæst. 2. art. 5. §. *& confirmatur*, & dist. 17. q. 2. art. 5. & dist. 18. q. 3. art. 3. §. *atqui meminisse oportet*, & §. sequenti, & lib. 2. de natura & gratia cap. 14. in fine, & 15. vbi affirmat; attritionem Christianam cum sacramento Baptismi, & pœnitentiæ

Sotus.

tentiæ ad iustificationem sufficientem, non necessariò esse supernaturalem. Docet enim citato cap. 14 de natura & gratia, tam attritionem, quàm contritionem elici posse vel ex speciali auxilio Dei; vel naturę viribus: & quidem ad iustificationem extra sacramentum semper requiri contritionem supernaturalem, ex speciali auxilio Dei elicitam; ad iustificationem verò in sacramento recipiendam sufficere naturalem, naturæ viribus productam.

25. Eandem sententiam sequitur Nugnez in supplemento ad 3. partem S. Thomæ q. 1. art. 2. dub. 2. vbi defendens hanc Soti opinionem ait; illam esse quidem intelligendam de attritione naturali quoad substantiam: supernaturali tamen quoad modum: quatenus eadem attritio naturalis quoad substãtiam ordinatur ab actu spei ad sacramentum: ratione cuius ordinationis eadem attritio euadit supernaturalis, & sufficiens cum sacramento ad gratiam iustificationis consequendam.

Nugnez.

26. Pro hac sententia citatur Canus de sacramento pœnitentiæ parte 3. sed ibi solùm docet, omnem displicentiam imperfectam de peccatis dici posse attritionem: quam bifariam diuidit in naturalem, quæ solis naturæ viribus haberi potest; & in supernaturalem, ad quam speciali auxilio opus est, vt constat ex §. *primum itaque genus*, & ex §. *postremum discrimen*. Cæterùm an attritio naturalis sit attritio Christiana ad iustificationem cum sacramento sufficiens ibi non definit: immo dubitat, an eam Theologi attritionem appellauerint. Illam tamen insinuat in sexta parte §. *tertio etiam attritio*: vbi sub dubio affirmat, attritionem procedentem ex amore naturali Dei super omnia esse sufficientem d[illegible]sitionem cum sacramento Baptismi, & pœnitentiæ ad iustificationem.

Canus.

27. Fundamentum, quod ex Soto dist. 14. q. 2. art. 5. colligere potui, hoc est. Attritio requisita ad iustificationem in sacramento, solùm requiritur vt remotio obicis, cùm tota iustificatio fiat virtute sacramenti: atqui obex tollitur per quamcunque attritionem, etiam naturalem: est enim obex, complacentia, & affectus in peccatum, qui tollitur per solam sublationem ipsius complacentiæ, & affectus, & consequenter per quamcunque peccati detestationem: nam quæuis peccati detestatio tollit affectum, & complacentiam erga illud. Confirmatur. Sufficit actus absolutionis, & confessionis naturalis ad validitatem, & affectum sacramenti pœnitentię: ergo etiam sufficiet attritio naturàlis, cùm non minùs ille; quàm hic integret essentialiter sacramentum pœnitentiæ.

28 Secvnda sententia negat, saltem necessariam esse attritionem supernaturalem quoad substantiam; sed sufficere ait supernaturalem tantùm quoad modum: est eorum, qui docent, actus fidei, spei, & pœnitentiæ esse tantùm supernaturales quoad modum. Fundamentum esse potest: quia cùm talis attritio sit ex speciali auxilio per Christum, qui non solùm nobis promeruit auxilia specialia ordinis supernaturalis; sed etiam naturalis, erit sufficiens dispositio cum sacramento ad iustificationem. Supponit autem hęc sententia, dari quædam auxilia specialia intra eundem ordinem naturæ indebita creaturæ intellectuali, quæ nobis præparantur per Christum, qui huiusmodi auxilia nobis promeruit. Nam omnia ea auxilia nobis Christus promeruit, quę nobis per peccatum protoparentis sublata fuere: fuerunt autem per peccatum non solùm nobis sublata auxilia indebita ordinis supernaturalis; sed etiam naturalis.

29. Confirmatur: nam talis actus ex speciali auxilio ordinis naturalis elicitus, est meritorius, cùm fundetur in meritis Christi, ex quibus sufficientem valorem desumit ad merendum: ergo à fortiori idem actus erit sufficiens dispositio cum sacramento ad iustificationem: cùm plus requiratur ad merendum coram Deo; quàm ad disponendum subiectum ad recipiendam iustificationem in sacramento: quia quod deest dispositioni, supplere potest virtus ipsa sacramenti.

30. Tertia sententia affirmat, attritionem Christianam sufficientem cum aliquo sacramento ad iustificationem, esse supernaturalem quoad substantiam, nec sufficere supernaturalem tantùm quoad modum; & multò minùs purè naturalem. Hanc sententiam docent Henriquez lib. 4. de sacramentis c. 26. n. 5. Suarez disp. 5. sect. 2. & disp. 20. sect. 4. Ægidius Coninck de sacramento Pœnitentiæ disp. 4. dub. 5. num. 34. ad finem, & alij. Pro cuius explicatione,

Henriquez. Suarez. Ægidius Coninck

31. Dico 1. Sola attritio supernaturalis quoad substantiam est sufficiens dispositio cum aliquo sacramento ad iustificationem. Assertio hæc primò colligitur ex Trident. sess. 14. c. 4. affirmante, attritionem, quæ peccatorem disponit ad gratiam impetrandam in sacramento Pœnitentiæ, esse donum Dei, & Spiritus sancti impulsum: & sess. 6. can. 3. vbi ad pœnitendum sicut oportet, vt nobis iustificationis gratia conferatur, requirit Spiritus sancti inspirationem, atque adiutorium. Cùm igitur in hoc canone Concilium non distinguat pœnitentiam, quæ requiritur ad iustificationem extra sacramentum, à pœnitentia, quæ sufficit cum sacramento; sed absolutè definiat, ad pœnitendum sicut oportet, vt nobis iustificationis gratia conferatur, speciali adiutorio Spiritus sancti opus esse, manifestè sequitur, vtramque pœnitentiam, tam perfectam, quæ requiritur ad iustificationem extra sacramentum; quàm imperfectam, quæ cum sacramento sufficit, esse supernaturalem quoad substantiam. Confirmatur. Non minùs Concil. citato can. requirit speciale auxilium, & adiutorium Spiritus sancti ad actum pœnitentiæ, quàm ad actus fidei, spei, & charitatis: sed actus fidei, spei, & charitatis, etiam vt disponunt cum sacramento ad iustificationem, debent, aduersarijs etiam fatentibus, esse supernaturales quoad

Trident.

substan-

substantiam: ergo etiam actus pœnitentiæ, cùm non sit potior ratio de illis, quàm de hoc.

Ad connaturalem dispositionem requiritur vnitas ordinis inter ipsam dispositionẽ & formam, ad quam tendit.

32. Probatur 2. Attritio requiritur vt dispositio ex parte subiecti ad connaturaliter recipiendam gratiam iustificationis: ad connaturalem autem dispositionem requiritur vnitas ordinis inter dispositionem, & formam, ad quam dispositio ipsa tendit. Sola autem attritio supernaturalis quoad essentiam habet vnitatem ordinis cum gratia iustificationis, ad quam disponit: ergo ea tantùm est sufficiens ad connaturaliter disponendum animum peccatoris ad gratiam iustificationis in sacramento recipiendam. Maior probatur: nam omnis dispositio tendit ad habilitandum subiectum ad formam ipsam recipiendam: habilitat autem illud, ponendo illud in eodem ordine, in quo est ipsa forma, ad quam disponitur. Minor assumpta ostenditur: quia cùm dispositio ad formam sit proprietas eiusdem formæ, vt inductione patet in dispositionibus naturalibus, connaturaliter requirit vnitatem ordinis cum forma ipsa, ad quam disponit. Minor verò subsumpta patet, nam sola attritio supernaturalis quoad substantiam participat eundem ordinem supernaturalitatis cum gratia iustificante.

33. Dices. Esto dispositio naturalis & physica debeat seruare hanc ordinis vnitatem cum forma, ad quam disponit: id tamen necessarium non est ad dispositionem moralem, quæ non tam subiectum habilitat ex intrinseca natura sua; quàm ex voluntate extrinseca acceptantis. Talis autem est attritio ad effectum sacramenti requisita, quę non ex intrinseca natura sua; sed ex extrinseca voluntate Christi requiritur ad gratiam iustificationis per sacramentum recipiendam.

34. Sed contrà: tum quia gratis dicitur, hanc ordinis vnitatem, & proportionem seruandam non esse inter attritionem vt dispositionem, & formam iustificationis per sacramentum recipiendam; cùm hic sit connaturalior modus, quem semper Deus, quoad fieri potest, seruat in rebus. Tum quia hæc vnitas ordinis inter dispositionem, & formam; etiam virtute sacramenti recipiendam, manifestè colligitur ex cit. locis Concil. Trident. Cùm igitur huic nostræ sententiæ faueant, & connaturalior modus rerum; & Concilia, quorum est, ex Spiritus sancti assistentia reuelatas veritates Ecclesiæ declarare, illa tanquam longè probabilior erit alteri præferenda.

Tridentin.

35. Probatur 3. Attritio ad iustificationem etiam virtute sacramenti recipiendam, debet esse ex motiuo supernaturali: ergo necessariò est in substantia supernaturalis. Antecedens patet: nam elici debet ex motiuo diuina fide proposito: debet enim procedere ex notitia Dei supernaturalium bonorum largitoris, & pœnarum inflictoris: quæ motiua solo naturæ lumine cognosci non possunt. Consequentia verò probatur: quia motiuum dat speciem actui, trahendo illum ad eundem proportionalem ordinem, in quo ipsum est; ergo motiuum supernaturale quoad substantiam, specificando actum, trahit illum ad eundem ordinem proportionalem supernaturalitatis, in quo ipsum est.

Motiuum trahit actũ quem specificat ad eundem ordinem, in quo ipsum est.

36. Dices 1. Circa motiuum supernaturale versari potest actus merè naturalis, vt circa authoritatem Dei reuelantis versari potest actus fidei naturalis, velut cùm hæreticus credit aliquem articulum fidei, propter ipsam authoritatem Dei reuelantis, cùm talis actus non possit esse fidei infusæ supernaturalis, erit actus fidei acquisitæ naturalis. Igitur potest circa motiuum supernaturale, qualis est auctoritas Dei reuelantis, versari actus naturalis. Secundò, Deus vt clarè visibilis, est in ordine actus puri: & tamen non trahit visionem beatificam, quam specificat, ad eundem ordinem actus puri, in quo ipse est: Falsum igitur est, motiuum trahere actum, quem specificat, ad eundem ordinem, in quo ipsum est.

Actus quo hæreticus credit articulum fidei, est naturalis.

37. Resp. ad primum, negando antecedens; ad cuius probationem, concedendum est, actum illum, quo Hæreticus credit vnum articulum, esse naturalem quoad substantiam: negandum tamen est, talem actum ab hæretico elici propter authoritatem Dei, tanquam propter motiuum formale, propter quod immediatè moueatur ad articulum fidei credendum: sed solùm elici propter auctoritatem Dei, vt obiectum materiale. Cur autem in eo casu hæreticus non habeat auctoritatem Dei reuelantis, vt obiectum, & motiuum formale; sed tantùm vt obiectum materiale, explicatur tomo 4. vbi disputatur de virtutibus Theologicis. Cùm igitur obiectum materiale non [illegible] moueat potentiam ad actum eliciendum; sed solùm extrinsecè terminet, non specificat illum, & consequenter non trahit illum intra eundem ordinem, in quo ipsum est.

38. Ad secundum Resp. ideo Deum actum purum non trahere visionem beatificam, quam solùm in ratione entis supernaturalis specificat, in eundem ordinem actus puri, in quo ipse est, quia visio beata, sicut & quiuis actus creatus, non est capax talis ordinis: est autem omnis actus creatus capax ordinis supernaturalis, dispar igitur est ratio de ordine supernaturalitatis, & actus puri.

39. Dico 2. Non omnis attritio supernaturalis quoad substantiam est sufficiens cum sacramento ad iustificationem. Fundamentum est: quia multi actus attritionis eliciuntur ex motiuo supernaturali; qui tamen cum sacramento ad iustificationem sufficientes nõ sunt: igitur non omnis attritio supernaturalis quoad substantiam cum sacramento sufficiens est ad iustificationem. Consequentia patet ex dictis: cùm omnis attritio ex motiuo supernaturali, sit supernaturalis quoad substantiam: igitur si aliqua attritio ex motiuo supernaturali cum sacramento ad iustificationem sufficiens non est, sequitur, non omnem attritionem supernaturalem quoad substantiam

esse

esse sufficientem cum sacramento ad iustificationem.

Quæ attritio supernaturalis sit insufficiens ad iustificationem cum sacramento.

40. Antecedens verò constat 1. de attritione concepta ex turpitudine peccati contra aliquam virtutem supernaturalem, quatenus perfectio nostra est, seu quatenus dirigitur ad nos perficiendum, non quatenus diuinæ perfectionis participatio est. Etenim cum omnis attritio ad iustificationem sufficiens debeat aliquo modo peccatorem conuertere ad Deum: sicut peccatum illum auertit à Deo: cumque attritio concepta ex turpitudine peccati contra virtutem supernaturalem, quatenus perfectio nostra est, seu quatenus ad nos perficiendum ordinatur, non vt participatio est diuinæ perfectionis, peccatorem ad Deum non conuertat, non erit cum sacramento, ad iustificationem sufficiens, etiamsi sit quoad substantiam supernaturalis, vtpotè ex supernaturali motiuo concepta.

41. Constat secundò de attritione inefficaci elicita ex aliquo motiuo supernaturali. Certum quippe est, circa motiuum supernaturale non modò versari posse actus efficaces, & obedientiales, vt vocant; sed etiam inefficaces, & simplices complacentias. Possumus enim per modum simplicis complacentiæ, velle placere Deo, etiam vt auctor est bonorum supernaturalium, ex eodemque motiuo de ipsius supernaturalibus perfectionibus gaudere; nec non de offensis contra ipsum à nobis commissis inefficaciter dolere; & tamen non efficaciter conari ad tollenda peccata per condignam pœnitentiam, & efficax propositum seruandi omnia ipsius præcepta. Porrò tales actus, etiam inefficaces, sunt quoad substantiam supernaturales, cùm sint ex motiuo supernaturali; cùm tamen non sint etiam cum sacramento ad iustificationem sufficientes: nam vt attritio sit cum sacramento ad iustificationem sufficiens, debet, vt Trident. definit sess. 14. cap. 4. excludere voluntatem peccandi: attritio autem, quæ tantùm inefficaciter peccatum detestatur, non excludit voluntatem peccandi, cùm adhuc peccator retineat efficacem affectum erga illud.

Trident.

42. Constat 3. de attritione efficaci circa vnum peccatum, & non circa reliqua: Vt si quis efficaciter detestetur blasphemiam contra Deum, quatenus specialem irreuerentiam continet contra Deum, non autem peccata intemperantiæ; vel iniustitiæ contra proximum. Cùm enim non possit per sacramentum remitti vnum peccatum mortale sine reliquis: cumque nullum peccatum mortale in sacramento remitti possit, nisi de illo aliquis præcedat dolor, saltem sub aliqua ratione communi cadente super omnia peccata, non poterit talis attritio esse cum sacramento ad iustificandum sufficiens.

43. *Obycies* 1. Nullus habitus, vel auxilium supernaturale inclinat ad imperfectè dolendum de peccatis: ergo nullus actus supernaturalis inefficax elici potest ex motiuo supernaturali. Resp. negando consequentiam: nam defectus, cum quo talis actus producitur, non prouenit ex habitu, vel auxilio supernaturali, quæ quantum in ipsis est, inclinant ad perfectè operandum; sed ex libertate creata nolente cum tali habitu, vel auxilio perfectè operari, sicut non est defectus potentiæ motricis, quod homo valens, & robustus tardè incedat; sed voluntatis nolentis applicare illam ad incedendum iuxta perfectam, & adæquatam ipsius virtutem. Cùm igitur habitus infusi, & auxilia supernaturalia dentur creaturæ intellectuali, tanquam potentiæ sub ordinatæ ipsius libertati, vt ijs pro libitu vtatur ad actus supernaturales, non erit defectus ipsorum habituum, vel auxiliorum, si perfectè, & adæquatè iuxta eorum virtutem non applicentur ad actus producendos, cùm eorum applicatio ad operandum pendeat à libertate creaturæ.

Habitus supernaturalis quantum est ex se inclinat ad perfectè operandum.

44. *Obycies* 2. Actus inefficax non est virtuosus, tum quia caret definitione actus virtuosi, quæ secundùm Philosophum, *est dispositio perfecti ad optimum:* tum quia non firmat animum ad virtutem, cùm vi talis actus homo non auertatur ab opposito vitio. Respondeo concedo, talem actum non esse perfectè virtuosum, vt adductæ rationes demonstrant: nego tamen, non participare aliquam saltem rationem virtutis, alioqui essent extra omnem sphæram habituum, & auxiliorum supernaturalium, quæ nequeunt influere in actus purè indifferentes, & nullo pacto virtuosos. Quod autem participent aliquam rationem virtutis, constat: tum quia tales actus sunt conformes rectæ rationi, & honestati sui obiecti, quamuis non perfectè, & adæquatè: tum quia in homine iusto sunt meritorij, & in peccatore saltem de congruo merentur aliquod auxilium supernaturale, cùm cedant in aliquod obsequium Dei.

Actus inefficax est verè virtuosus licet imperfectè.

45. Ad fundamentum primæ sententiæ negandum est quod ex Soto dicebatur, per attritionem naturalem tolli obicem ad sacramentum: nam obex ad sacramentum est affectus ad peccatum: affectus autem ad peccatum non tollitur, nisi tollatur auersio peccatoris à Deo, à quo per peccatum fuit auersus: Quamdiu enim manet talis auersio in peccatore, manet affectus habitualis ipsius in peccatum. Porrò hæc auersio, cùm sit à Deo obiecto, & fine supernaturali, non tollitur, nisi per conuersionem ad eundem Deum vt obiectum, & finem saltem *Cui* supernaturalem: quæ conuersio solius naturæ viribus fieri nequit. Est igitur obex ad sacramentum, peccatum non sufficienter retractatum contra Deum finem, & obiectum supernaturale.

Ad Soti fund.

46. Ad confirmationem, quod attinet ad absolutionem, neganda est consequentia: nam absolutio in sacramento Pœnitentiæ non requiritur vt dispositio subiecti ad gratiam,

Absolutio non requiritur vt dispositio ad gratiam.

tiam, sed tantùm vt extrinseca causa, siue physica, siue moralis ad gratiam ipsam causandam. Attritio verò non solùm requiritur vt extrinseca causa productiua gratię, sed etiam vt intrinseca dispositio subiecti ad eandem gratiam recipiendam. Porrò dispositio, vt probatum est, connaturaliter exigit vnitatem ordinis cum forma ipsa ad quam disponit; cùm eadem, quæ est dispositio ad formam, sit etiam proprietas formæ. Confirmatur: nam si quid propositum argumentum probaret, probaret etiam, quod sicut absolutio ex humano, imò ex prauo fine impensa, sufficit ad effectum sacramenti; ita dolor ex humano, vel etiam ex prauo fine conceptus, sufficeret ad effectum sacramenti.

sed vt causa.

47. Quòd attinet ad confessionem, dicendum est, eo modo, quo illa capax est supernaturalitatis, debere etiam esse ordinis supernaturalis: est autem illa tanquam actus exterior solùm capax supernaturalitatis extrinsecè, & per denominationem ab interno imperio pœnitentiæ supernaturalis, à quo, vt sit legitima, & ad effectum iustificationis consequendum sufficiens, imperari debet. Vnde sicut confessio imperata à dolore ex humano fine concepto sufficiens non est ad sacramenti effectum consequendum; ita neque imperata à dolore ex naturali motiuo elicito.

Confessio est supernaturalis extrinsecè & denominatiuè.

48. Cæterùm falsum est, quod Nugnez docet, sufficere ad effectum sacramenti consequendum, vt attritio sit tantùm supernaturalis extrinsecè & concomitanter, ratione actuum fidei, & spei supernaturalium, qui illam in sacramento comitantur: cùm Concil. non minùs requirat speciale auxilium, & adiutorium Spiritus sancti ad ipsum actum formalem pœnitentiæ; quàm ad actus Fidei & Spei. Nec satisfacit dicendo, attritionem ipsam euadere intrinsecè supernaturalem per passiuam ordinationem ad effectum supernaturalem sacramenti, ad quem ordinatur per ipsum supernaturale imperium spei: tum quia hoc modo etiam dolor mundanus ex humano fine conceptus ordinari posset per supernaturale imperium spei ad effectum sacramenti, & consequenter etiam hic fieri posset sufficiens dispositio ad iustificationem sacramentalem: quod tamen, & meritò ibidem Nugnez negat. Tum quia hæc passiua ordinatio est extrinseca attritioni: ergo non potest illam reddere intrinsecè supernaturalem. Neque extrinsecum imperium supernaturalis spei efficere poterit, vt dolor à potentia naturali eliciatur quoad substantiam supernaturalis: cùm nulla virtus imperans per suum imperium efficere possit, vt potentia imperata operetur extra suum obiectum: Cùm igitur dolor iste in sententia Soti & Nugnez elici debeat à potentia naturali, siquidem per ipsos elicitur viribus naturæ, non poterit per solùm extrinsecum imperium spei supernaturalis elici quoad substantiam supernaturalis, cùm talis effectus sit extra spæram potentiæ naturalis operantis viribus proprijs, quæ per extrinsecum imperium non mutatur in suo modo operandi: tum quia hæc Nugnez explicatio apertam inuoluit implicantiam, dum ait: attritionem istam esse quoad substantiam naturalem, & tamen per coniunctionem cum imperio spei euadere intrinsecè supernaturalem.

Ad Nugnez.

49. Ad fundamentum secundæ sententiæ concedo, actum elicitum ex speciali auxilio indebito ordinis naturalis esse ex meritis Christi; nec non alicuius præmij apud Deum meritorium saltem de congruo: nego autem, esse sufficientem dispositionem ad gratiam iustificantem, siue extra, siue in sacramento. Ratio discriminis est: quoniam dispositio, cùm eadem sit simul proprietas formæ, ad quam disponit: calor enim, qui est dispositio ad formam ignis, est simul proprietas ignis; & frigus, quod est dispositio ad formam aquæ, est simul proprietas aquæ, suaptè natura poscit, vt sit eiusdem ordinis cum forma: Meritum verò, cùm tantùm sit opus obsequiosum à præmiante requisitum ad præmium retribuendum, ex natura sua non postulat, esse eiusdem ordinis cum pręmio. Imò cùm pręmium principaliter fundetur in liberalitate pręmiantis, per se non requirit opus meritorium eiusdem ordinis, & perfectionis. Quod si de facto inter meritum condignum, & gloriam hæc vnitas ordinis seruatur, id non est ex natura meriti, & præmij vt sic: sed quia, cùm inter condignè merentem, & pręmiantem intercedere debeat amicitia (supponit enim retributio præmij merentem amicum præmianti, vt possit illius obsequium esse præmianti gratum, & acceptum) & inter creaturam, & Deum nequeat sine gratia sanctificante intercedere amicitia illam necessariò in condignè merente supponit, quæ gratiam in merente supposita omnia illius opera reddit condigna.

Cur non omnis actus meritorius sit dispositio cum sacramento ad iustificationem?

50. Instabis 1. Potest opus honestum naturale coniunctum per auxilium speciale cum meritis Christi fieri meritum saltem de congruo respectu alicuius auxilij supernaturalis: ergo idem coniunctum cum ijsdem meritis Christi fieri poterit sufficiens dispositio saltem de congruo ad gratiam iustificationis in sacramento.

51. Resp. negando consequentiam. Ratio discriminis est: quoniam dispositio, vt dispositio formaliter, requirit ab intrinseco vnitatem ordinis cum forma, cùm debeat simul esse naturalis proprietas illius: Meritum autem, cùm per se non requirat vnitatem ordinis cum præmio, poterit ab extrinseco illam participare. Quæ ratio discriminis à priori in eo fundatur, quod meritum comparatur ad pręmium, vt aliquid morale: comparatur enim ad illud vt actus obsequiosus à præmiante requisitus: fieri autem potest, vt præmianti magis placeat, & obsequiosior sit actus diuersi, quàm eiusdem ordinis, dignificatus alienæ, quàm propriæ personæ authoritate. Dispositio verò com-

rò comparatur ad formam, ad quam disponit, vt physica proprietas illius, ac proinde per intrinsecam suam naturam ordinatur ad illam: qui ordo, cum fundetur in ipsa physica entitate dispositionis, non poterit ab extrinseco suppleri.

52. INSTABIS 2. Opus honestum naturale ex speciali auxilio per Christum elicitum, non solùm est meritorium alicuius auxilij supernaturalis; sed etiam dispositio ad iustificationem: Nam quidquid conducit ad iustificationem, disponit ad illam, cùm nil aliud sit disponere, quàm præparare, & habilitare subiectum ad formam recipiendam: quidquid autem conducit ad formam recipiendam, præparat, & habilitat ad illam. Quod autem huiusmodi opus ex auxilio per Christum elicitum ad iustificationem conducat, probatur: nam sæpe à tali opere inchoatur hominis iustificatio: vt ego ipse latè probo in 3. tomo.

Dispositio ad iustif. vna perfecta, altera imperfecta.

53. Resp. duplicem distinguendo dispositionem; alteram perfectam, quæ ex intrinseca natura sua; alteram imperfectam, quæ ex extrinseca dumtaxat ordinatione alterius subiectum disponit ad formam. Porrò opus honestum elicitum ex speciali auxilio Dei ordinis naturalis, disponit ad iustificationem; sed imperfectè, & ex extrinseca dumtaxat voluntate Dei: Attritio verò supernaturalis quoad substantiam disponit perfectè, & ex intrinseca natura sua subiectum ad formam iustificationis.

Cur attritio ex speciali auxilio ordinis naturalis sit insufficiens dispositio in sacramēto.

54. Cæterùm cur dici non possit saltem imperfectè, & ex ordinatione Dei attritionem ex speciali auxilio ordinis naturalis elicitam ad iustificationem in sacramento disponere, multiplex assignari potest ratio. Prima & potissima, quia Concilia id negant, dum æquè Spiritus sancti adiutorium requirunt ad proximam dispositionem extra sacramentum; atque in sacramento: cùm tamen, aduersarijs etiam fatentibus, proxima dispositio ad iustificationem extra sacramentum debeat esse supernaturalis quoad substantiam. Secunda, quia si attritio naturalis esset cum sacramento dispositio ad gratiam, esset proxima dispositio ad illam: vt autem eadem attritio naturalis extra sacramentum sit dispositio ad gratiam, necesse non est, vt sit proxima, sed tantùm remota: potior autem est ratio, vt proxima; quàm remota dispositio, sit eiusdem ordinis cum forma, ad quam disponit. Tertia, quia magis expedit, vt qui supernaturali fide instructus ad sacramentum accedit, ad illud accedat cum dolore ex supernaturali motiuo concepto: Contrà verò qui non dum est supernaturali fide illustratus, vt Ethnicus nondum de fide diuina instructus, ad suauiorem, connaturalioremve modum operandi spectat, vt priùs disponatur per actus honestos naturales, ex speciali auxilio Dei elicitos, quàm per actus ordinis supernaturalis. Quarta, quia attritio quoad substantiam naturalis ex solo speciali auxilio Dei elicita, non sufficienter retractat peccatum mortale contra Deum finem supernaturalem commissum; proinde non potest esse proxima dispositio ad remissionem peccati in sacramento: Opus verò ex speciali auxilio ordinis naturalis productum, non est proxima; sed remota tantùm dispositio extra sacramentum ad remissionem peccati mortalis.

55. Ex his patet ad confirmationem; falsum quippe est, plus requiri ad promerendam iustificationem; quàm ad disponendum subiectum ad illam recipiendam. Nam etiam dispositio de congruo promeretur iustificationem: & simul etiam intrinsecè habilitat subiectum ad illam recipiendam: quam intrinsecam habilitatem non necessariò confert meritum.

SECTIO IV.

Quo pacto attritio à contritione distinguatur?

Variæ distinctiones.

56. ALiqui contritionem ab attritione distinguunt, vel per maiorem durationem, & intensionem actus; vel per acceptationem Dei; vel informationem gratiæ. Priores docent, eundem numero actum sine certa temporis duratione: vel intensione gradus, dici attritionem: contritionem verò nuncupari post certam temporis durationem, & gradualem perfectionem. Posteriores verò asserunt, eundem actum amoris Dei super omnia viribus naturæ elicitum, antequam à Deo acceptetur, dici attritionem; postquam verò fuerit à Deo acceptatus; vel extrinseca voluntate; vel intrinseca motione, dici contritionem. Postremi demum pronunciant, eundem numero actum antequam informetur gratia, esse attritionem; postquam autem est gratia informatus, fieri contritionem.

Refellūtur.

Penes motiua & obiecta est distinctio actuum.

57. Verùm contra hos omnes vnicum, & efficax argumentum est, quia cùm attritio, & contritio sint actus, qui versantur circa diuersa motiua, & obiecta, penes ea sumenda est eorum distinctio potiùs; quàm penes temporis durationem; vel gradus intensionem, aut diuinam acceptationem; vel gratiæ informationem: eò quòd hæc omnia vel sunt extrinseca actibus, eosque supponunt in sua specie per ordinem ad sua obiecta constitutos: vel certè si sunt intrinseca, vt perfectio gradualis, illa non pertinent ad speciem; sed ad indiuiduationem actus: cùm species actus non sumatur ex maiori, vel minori perfectione graduali; sed ex diuerso ordine, & tendentia ad diuersum obiectum. Nam hæc sola est forma, quæ tribuit speciem actui: gradualis autem intensio solùm perficit actum intra suam speciem: quod patet, nam singuli gradus eiusdem actus tendunt ad idem obiectum formale: ac proinde singuli gradus actus sortiuntur eandem speciem ab eodem motiuo formali, in quod omnes tendunt.

Primum discrimen.

58. Primum ergo ac potissimum discrimen inter attritionem; & contritionem sumendum est ex diuerso motiuo formali, in quod tendunt. Porrò formale motiuum, in quod contritio tendit, est peccatum vt offensiuum Dei, eique aduersatiuum vt supernaturali fini super omnia diligibili. Formale autem motiuum, in quod tendit attritio est peccatum detestabile propter aliquod motiuum infra Deum super omnia diligibilem. Quo fit, vt formale motiuum contritionis semper sit idem, nempe peccatum detestabile vt offensiuum Dei vltimi finis super omnia diligibilis: Motiuum verò attritionis, sit multiplex, sicut multiplex est motiuum, quo peccatum est detestabile infra Deum super omnia diligibilem: nam quot sunt motiua, quibus infra Deum super omnia diligilem, detestabile est peccatum, tot sunt motiua attritionis: ac proinde multiplex specie, iuxta multiplicem varietatem motiuorum potest esse attritio, non autem contritio, quæ semper vno eodemque nititur motiuo. Prętereà semper immediatum motiuum attritionis est aliqua honestas creata, Deus autem solùm extrinsecè terminat actum attritionis Christianæ, vt finis *Cui*: immediatum verò motiuum, quo nititur contritio ad peccatum detestandum, est Deus ipse, ex cuius complacentia mouetur ad illud detestandum.

Ex dato discrimine sequũtur 5.

59. Ex hoc essentiali discrimine sequuntur hæc alia. Primum, quòd omnis contritio necessariò cadit super omnia peccata: cùm omnia peccata sint offensiua Dei, eique aduersatiua vt vltimo fini super omnia diligibili: non autem attritio, quæ esse potest de peccato, vel vt causatiua peculiaris pœnæ à Deo inflictæ, vel vt continente specialem deformitatem, & irreuerentiam contra Deum.

60. Secundum quòd immediatè sequitur ex præcedente, est, quod contritio excludit omnem affectum peccati: quia cùm detestetur omnia sub ratione communi, nequit retinere affectum ad aliquod particulare: cùm hoc repugnet efficaci displicentię de omnibus in communi: Contrà verò attritio, quia esse potest de aliquo peccato particulari, retinere potest complacentiam circa alia. Non enim implicat, voluntatem vi vnius actus supernaturaliter detestari vnum peccatum vt tale formaliter; & vi alterius actus naturaliter sibi complacere in alijs. Sicut per actum Fidei, & Spei supernaturalis retrahimus voluntatem à peccato infidelitatis, & desperationis; cùm tamen vi eiusdem actus illam non necessariò retrahamus à reliquis peccatis. Cuius ratio est, quia non quæuis attritio supernaturalis opponitur cuilibet peccato: igitur non quæuis affectum remouet ab omnibus; sed tantùm ab eo, cuius est specialis attritio. Consequentia constat, quia affectus ad peccatum non remouetur, nisi per oppositam displicentiam. Antecedens probatur: nam omnis oppositio, vel est formalis, & expressa, quæ fundatur in expressa detestatione peccati; vel virtualis, & implicita, quæ fundatur in motiuo vniuersali cadente super omnia. Neutram autem oppositionem habet attritio elicita ex motiuo speciali contra vnum peccatum ad alia, ad quæ neque ex speciali; neque ex vniuersali motiuo se extendit: cùm nec ea detestetur formaliter, vt constat; nec virtualiter, quia non detestatur peccatum particulare ex motiuo communi, cadente super omnia.

Attritio supernaturalis non semper opponitur cuilibet peccato.

61. Tertium discrimen. Attritio potest esse informis; contritio autem nunquam. Ratio huius discriminis est: quoniam attritio neque ex natura sua; neque ex diuina promissione affert secum infallibiliter gratiam iustificantem: Contrà verò contritio ex diuina promissione infallibiliter secum habet annexam diuinam amicitiam, & perfectam conuersionem Dei per infusionem gratiæ sanctificantis ad peccatorem.

62. Quartum discrimen. Non semper vna attritio, etiamsi sit efficax respectu peccati, quod detestatur, sufficit ad iustificationem peccatorum in sacramento obtinendam. Nam quando attritio est de peccato solùm secundùm specificam rationem peccati, non sufficit vna attritio pro omnibus peccatis, sed tot debent multiplicari, quot sunt peccata specie diuersa, at semper vna contritio sufficit pro omnibus peccatis: quia semper contritio est ex motiuo vniuersali, cadente super omnia.

63. Quintum discrimen. Omnis contritio progignitur ex timore filiali erga Deum: non autem attritio, quæ esse potest ex timore seruili. Notanter dixi, *esse potest*: quia non repugnat, vt etiam attritio oriatur, & de facto interdum oritur ex timore filiali, qualis est attritio concepta ex simplici, & inefficaci complacentia Dei; vel ex turpitudine peccati contra peculiarem honestatem virtutis, & perfectionem diuinam.

Attritio vna vniuersalis; altera particularis.

64. Ex his colligitur duplex genus attritionis supernaturalis; alterum vniuersalis cadentis supra omnia peccata; alterũ particularis cadentis solùm super aliquod peccatum speciale, vt opponitur alicui virtuti speciali: Prius attritionis genus est, quæ peccata detestatur ex motiuo vniuersali, velut ex motiuo pœnæ æternæ, amissionis beatitudinis, notabilis deformitatis nostrarum moralium operationum cum recto dictamine primæ regulæ: omnia enim hęc motiua sunt vniuersalia, vnde repugnat aliquo ex his motiuis, vt vniuersali formaliter detestari vnum peccatum sine alijs. Repugnat enim peccatorem detestari peccatum propter metum pœnæ æternæ, vel amissionis supernaturalis beatitudinis, & non detestari omnia peccata mortalia, cùm omnia peccata mortalia causent pœnam æternam, & priuent sempiterna beatitate. Similiter repugnat, hominẽ detestari peccatũ, quatenus est notabiliter difforme cum dictamine primæ regulæ, & nõ simul detestari cętera peccata mortalia, cùm cætera

etiam

etiam peccata mortalia sint notabiliter difformia cum dictamine primæ regulæ. Nisi quis velit detestari peccatum, non quatenus est notabiliter difforme cum dictamine primæ regulæ, sed quatenus intra eandem notabilem difformitatem cum prima regula, continet specialem aliquam, quam non continent cætera peccata. at tunc motiuum detestandi peccatum non est vniuersale; sed particulare, limitatum ex intentione operantis ad certam speciem, & malitiam peccati. Vnde tale motiuum pertinebit ad attritionem posterioris generis, quæ peccatum detestatur ex aliquo motiuo particulari, siue hoc motiuum sit tale ex natura sua, siue ex intentione operantis.

Voluntas nō potest operari contra motiuum efficaciter intentum.

65. Pro maiori autem intelligentia, notandum est, non posse voluntatem operari contra motiuum, quod sibi in operando præfixit: alioqui cùm motiuum sit maximè, & principaliter ab operante intentum, si posset contra illud operari, posset simul illud efficaciter velle, & efficaciter non velle; efficaciter velle, quia illud sibi præfixit vt finem, & scopum suę operationis; efficaciter non velle, quatenus non adhiberet media, ad illud consequendum, sed potiùs media ad illud destruendum: vnde simul haberet oppositas intentiones respectu eiusdem, quod implicat. Posito igitur, quod peccator in detestando peccato pro motiuo sibi pręfigit liberationem à pœnis æternis; vel consecutionem sempiternæ beatitatis, aut recompensationem diuini iuris læsi, non potest vnum peccatum detestari, non detestatis reliquis omnibus: cùm quodlibet peccatum opponatur motiuo, quod sibi in peccato detestando præfixit. Vnde si posset adhuc stante motiuo non omnia peccata detestari, simul vellet, & non vellet idem motiuum: vellet, quatenus illud per suam operationem consequendum proposuit: non vellet, quatenus ad illud consequendum non adhiberet detestationem omnium peccatorum, quæ necessaria est ad consecutionem talis motiui. quare hoc ipso quod non adhiberet media efficacia ad consecutionem finis præintenti, cùm posset, necessariò deberet mutare motiuum, cùm nequeat homo operari contra motiuum efficaciter intentum.

Quando attritio censeri possit vniuersalis.

66. Ex hoc principio infertur, quod quotiescunque, voluntas ex tali motiuo vniuersali peccata detestatur, nisi expresse illud limitet ad rationem particularem, semper censeatur omnia peccata sub vna ratione communi detestari: ac proinde attritio, quę hoc modo detestatur vnum peccatum sub motiuo cadente super omnia, erit sufficiens cum sacramento ad iustificationem consequendam. Est & aliud signum à posteriori dignoscendi, quando attritio detestando vnum tantùm peccatum, censeatur simul detestari & reliqua omnia, quæ tunc menti non occurrunt: nimirum quando vi talis attritionis ex eodem motiuo conceptæ homo prorumperet in formalem detestationem omnium, si omnia essent memoriæ præsentia. Sed de his plura sequenti disputatione, quippe quæ communia sunt cum contritione.

67. Ex omnibus hactenus de attritione dictis manifestè infertur, vt Christiana attritio sit cum aliquo sacramento sufficiens dispositio ad iustificationem, non necessariò debere esse alicuius virtutis specialis: sed sufficere vt illa ex quacunque virtute, & motiuo supernaturali eliciatur, modò efficax sit, & voluntatem ad omnia peccata excludat. Corollarium hoc non obscurè colligitur ex Concil. Trident. sess. 14. c. 4. vbi plura motiua assignat attritioni, quæ sufficiens est ad gratiam impetrandam in sacramento pœnitentiæ. Nam primò assignat dolorem conceptum ex turpitudine peccati: secundò metum gehennæ, & pœnarum. Porrò dum docet, dolorem conceptum ex turpitudine peccati sufficere cum sacramento ad iustificationem, virtute simul docet, dolorem conceptum ex turpitudine cuiuscunque peccati contra quamcunque honestatem supernaturalem esse sufficientem ad eandem iustificationem in sacramento pœnitentiæ obtinendam. Cùm enim hæc Concilij propositio sit indefinita, & in materia doctrinali, æquiualet propositioni vniuersali. Et ratio id etiam probat: nam illa attritio est sufficiens cum sacramento ad iustificationem, quæ tollit obicem ad sacramentum: illa autem attritio tollit obicem ad sacramentum, quę sufficienter tollit affectum ad peccatum: Porrò illa attritio sufficienter tollit affectum ad peccatum, quæ actu animum peccatoris efficaciter conuertit ad Deum, à quo auerterat peccatum: sed omnis attritio concepta ex aliquo motiuo supernaturali cum ordine ad Deum obiectum, & finem supernaturalem *Cui*, si animum peccandi excludat, efficaciter conuertit animum ad Deum: igitur omnis attritio concepta ex motiuo supernaturali cum ordine ad Deum obiectum, & finem supernaturalem *Cui*, si voluntatem peccandi excludat, erit sufficiens dispositio cum sacramento ad iustificationem. Cæterùm, cùm dicitur attritio ex turpitudine peccati concepta sufficere ad iustificationem cum sacramento, vel intelligitur de turpitudine peccati sub aliqua ratione communi cadente super omnia, vel de ratione particulari, quę sit sufficiens prorumpere in detestationem reliquorum, si menti occurrant.

Trident.

DISPVTATIO IV.

De Contritione.

SECTIO PRIMA.

Ex quo motiuo elici debeat Contritio, vt sit proxima dispositio ad iustificationem?

EX dictis constat, actum pœnitentiæ, quæ est ipsa detestatio peccati, elici posse ex varijs motiuis; quæritur nunc, ex quo motiuo elici debeat, vt proximè disponat ad gratiam iustificantem extra sacramentum.

Scotus. Bassolus. Richardus. Durandus. Altisiodor.

2. PRIMA sententia Scoti in 4. distinct. 14. quæstione 2. §. *de secundo*, Bassoli qu. 2. art. 2. Richardi art. 7. q. 1. Durandi dist. 17. q. 1. n. 8. Altisiodor. lib. 4. tract. 3. cap. 2. affirmantium, sufficere ex motiuo satisfaciendi Deo, vel consequendi remissionem peccatorum, aut reconciliationem cum Deo, vitæque emendationem: aut ex motiuo religionis vel obedientiæ, vt videtur Durand. docere. quam sententiam probabilem putat Suarez disp. 4. sect. 2. num. 13. Fundamentum: quia talis actus est vera pœnitentia: sed veræ pœnitentiæ in Scriptura promittitur remissio peccatorum, Ezechielis 18. *Si impius egerit pœnitentiam, omnium iniquitatum eius non recordabor.*

Suarez. Ezech. 18.

Gabriel.

3. SECVNDA sententia Gabr. in 4. dist. 14. quæst. 1. art. 2. post conclus. 5. opinantis, sufficere ex motiuo amoris Dei naturalis: quia hic est nobilissimus actus, quem potest creatura viribus proprijs elicere: Dispositio autem ad gratiam debet antecedere ipsam gratiam, cùm sit ipsius causa. Quòd autem requiratur, vt fiat ex motiuo amoris, & non alterius virtutis, ostendit: quia vt actus sit vltima dispositio ad gratiam, debet esse perfectè circumstantionatus in genere moris, potissima autem circumstantia in genere moris, est finis: ergo, vt sit vltima dispositio ad gratiam, debet habere circumstantiam finis, ac proinde elicitus propter Deum vltimum finem.

Palatius.

4. TERTIA sententia Palatij in 4. distinctione 17. disp. 1. probabiliter putantis, actum pœnitentiæ ante baptismum elicitum ex alio motiuo, quàm charitatis; modò probabiliter putetur esse elicitus ex motiuo charitatis, simul cum voto ad baptismum, esse vltimam dispositionem ad iustificationem extra sacramentum. Fundamentum: quia minor pœnitentia requiritur ad delenda peccata commissa ante, quàm post baptismum: sicut minor etiam, pœnitentia requiritur ad delenda eadem peccata per baptismum; quàm per sacramentum pœnitentiæ.

Alensis. S. Thomas. Paludanus. Capreolus. Argentin. Ocham. Sotus. Canus. Medina. Petrus Sotus. Vega. Palatius. Nauarrus. Henriquez. Suarez. Vasquez. Valentia. Bellarm. Coninck.

5. QVARTA sententia Alens. 4. parte quæst. 17. memb. 2. art. 1. S. Thomæ quodlibeto primo quæst. 5. art. 9. quarto contra gent. cap. 72. 3. parte quæst. 85. art. 2. & 86. art. 3. & 6. ad secundum, Palud. in 4. dist. 17. quæst. 1. art. 1. Capreol. quæst. 1. art. 1. conclus. 1. Argent. q. 1. art. 3. Ochami q. 9. ad quartum dubium, Soti q. 2. art. 2. Cani de Sacramento pœnitentiæ prima parte prof. 1. 2. & 3. Medinæ codice de pœnitentia tract. 1. quæst. 4. Petri Soti quæst. 14. de integritate & perfectione pœnitentiæ, Vegæ lib. 13. in Trident. cap. 21. Palatij in 4. dist. 14. disp. 4. & distinct. 17. disp. 1. Nauarri in summa cap. 1. num. 21. Henriquez lib. 4. de Sacramentis cap. 24. Suarez disp. 4. sect. 2. Vasquez in sect. 85. art. 2. dub. vnic. n. 45. Valent. disp. 7. quæstione 8. puncto primo, Bellarm. lib. 9. de Pœnitentia cap. 7. & 9. Coninck, disp. 2. dub. 2. affirmantium, vt actus contritionis proximè disponat ad gratiam & peccati remissionem extra sacramentum, debere esse ex motiuo charitatis, adeò vt oppositum erroneum censeat citato loco Vasq. pro explicatione,

Trident.

6. DICO. Vt contritio sit proxima dispositio ad gratiam, procedere debet ex supernaturali dilectione Dei. Colligitur ex Trident. sess. 6. cap. 6. vbi describens pœnitentiam adultorum ad iustificationem necessariam, docet, eam procedere ex dilectione Dei: & sess. 14. cap. 4. Pœnitentiam, quæ extra sacramentum hominem cum Deo reconciliat, affirmat esse charitate perfectam. deducitur ex Scriptura Lucæ 7. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum:* vbi peccatorum remissio soli dilectioni tribuitur. Eandem docent Patres, præsertim August. serm. 7. de tempore circa initium: *Pœnitentiam*, inquit, *certam non facit nisi odium peccati, & amor Dei*, & contra Cresconium lib. 2. cap. 12. *Mundantur*, inquit, *sacrificio contriti cordis; mundantur, & eleemosynis, mundantur ipsa, quæ supereminet omnibus, charitate; quæ vna si adsit, omnia illa*

Luc. 7. Augustinus.

recte fiunt; si autem desit illa, omnia frustra fiunt. Cùm ergo inter opera, quibus à peccatis mundamur, numeret ipsam contritionem: quam tamen docet, frustra fieri, si desit charitas, euidens est, vt pœnitentia valeat ad peccati remissionem, egere consortio charitatis. Affertur locus de vera, & falsa pœnitentia; sed hic liber Augustinus non est, vt constat ex cap. 17. eiusdem lib.

7. Ratio à priori est: quia perfecta conuersio Dei ad creaturam, quæ fit per gratiam iustificantem, supponit saltem de lege ordinaria extra sacramentum perfectam conuersionem peccatoris ad Deum; nequit autem fieri perfecta conuersio peccatoris ad Deum absque supernaturali dilectione eiusdem. Minor patet, quoniam omnis alia conuersio inferior est ista; hæc verò ex genere & obiecto suo formali, est omnium suprema: quia est ad Deum diligibilem propter se. Maior probatur, primò ex Scriptura, in qua ad perfectam conuersionem Dei ad creaturam supponitur perfecta conuersio creaturæ ad Deum, Zachariæ primo, *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos.* Quòd autem conuersio creaturæ debeat esse perfecta, patet Ioelis 2. *Conuertimini ad me in toto corde vestro:* Deuteron. 4. *Cùm quæsieris Dominum Deum tuum, inuenies, si tamen toto corde quæsieris.* Cæterùm si interdum in Scriptura habetur, quòd conuersio Dei ad nos præcedit conuersionem nostri ad Deum, intelligitur de conuersione Dei inchoata, & imperfecta, quæ fit per gratiam excitantem. lege Trident. loco præcit.

Zachar. 1.

Ioel. 2.

Deuter. 4.

Trident.

8. Secundò probatur maior ratione: quoniam conuersio Dei ad creaturam per gratiam iustificantem, est conuersio in genere amicitiæ, quæ connaturaliter saltem, & extra sacramentum supponit sublationem fundamenti inimicitiæ ex parte creaturæ, quæ est illa virtualis auersio ab vltimo fine, quam creatura incurrit, per peccatum mortale: nam quodlibet peccatum mortale est virtualis saltem auersio à Deo vltimo fine; Vnde quamdiu hæc virtualis auersio non est per oppositum actum perfectè retractata, non censetur saltem connaturaliter creatura disposita ad terminandam supernaturalem amicitiam Dei ad se. Atqui hæc non perfectè retractatur, nisi per actum dilectionis Dei supernaturalis: quia hæc sola perfectè nos conuertit ad Deum finem vltimum diligibilem propter se, cùm reliquæ virtutes immediatè conuertant, vel ad Deum diligibilem nobis, vt spes; vel ad aliquid creatum rectæ rationi conforme.

Fundamentum inimicitia inter Deum, & peccatorem est auersio ab vltimo fine.

9. Ad fundamentum primæ sententiæ, nego cuicunque pœnitentiæ in Scriptura promitti peccatorum remissionem; sed solùm quæ hominem ex toto corde ad Deum conuertit: hæc autem requirit motiuum charitatis.

10. Ad fundamentum 2 Constat ex dictis, non quemcunque nobilissimum actum esse dispositionem ad gratiam; sed quem potest creatura elicere viribus ipsius gratiæ: cæterùm actus antecedit gratiam iustificantem, ad quam disponit, non tamen auxiliantem, vi cuius elicitur.

11. Ad fundamentum 3. Nego antecedens: nam quidquid sit de iustificatione, quæ fit per Baptismum, & pœnitentiam, certè ea, quæ fit ex opere operantis extra sacramentum, eandem poscit dispositionem, siue fiat ante; siue post Baptismum.

SECTIO II.

Quo pacto contritio includat supernaturalem dilectionem Dei?

12. Tripliciter potest dilectio Dei includi in actu pœnitentiæ: Primò virtualiter elicitiuè, si nimirum ipsa peccatorum detestatio eliciatur ex motiuo charitatis: Secundò formaliter imperatiuè, si ipsa peccatorum detestatio imperetur à virtute charitatis: Tertiò merè concomitanter, quatenus extrinsecè tantùm coniungitur cum actu, vel habitu charitatis. prima dilectio dicitur virtualis, inclusa in ipsa explicita detestatione peccatorum propter Deum: Secunda formalis imperans: Tertia formalis concomitans, supponens detestationem peccatorum. controuersia igitur est, qualis dilectio sufficiat ad actum contritionis, vt sit vltima dispositio ad gratiam.

Dilectio Dei includitur in actu pœnitentia. 1. Virtualiter elicitiuè. 2. Formaliter imperatiuè. 3. Concomitanter.

13. Prima sententia Scoti in 4. dist. 14. q. 2. §. *de secundo* Aureol. art. vlt. Mayro. dist. 15. q. 3. Richard. dist. 17. art. 1. q. 2. Palud. q. 1. art. 1. Caiet. tom. primo opusc. tract. 4. q. 1. asserentium, sufficere dilectionem concomitantem. Docent enim eundem actum pœnitentiæ viribus naturæ, aut ex alio motiuo, quàm supernaturalis dilectionis, elicitum, antequam coniungatur cum habitu charitatis infusæ, dici attritionem: & actum imperfectæ pœnitentiæ; & solùm de congruo disponere ad remissionem peccatorum: coniunctum verò cum habitu charitatis infusæ, dici contritionem, fierique actum perfectæ pœnitentiæ; & de condigno disponere ad remissionem peccatorum atque hoc modo docent, attritum fieri contritum, nempe per superuenientem habitum infusæ charitatis, quæ, quia est forma omnium virtutum, coniuncta cum earum actibus, reddit illos formatos & perfectos.

Scotus. Aureolus. Mayronus. Richardus. Paludanus. Caietanus.

14. Secunda affirmat, necessariam esse dilectionem formalem imperantem. Docent Canus relectione de sacramento Pœnitentiæ, parte prima prop. 2. Petrus Soto lect. 4. 14. & 16. de pœnitentia, Coninck disp. 2. de effectu pœnitentiæ dub. 6. conclus. 1. Indicat S. Thom. q. 85. art. 6. vbi asserit: actum di-

Canus. Petrus Soto. Coninck.

lectionis Dei natura præcedere actum pœnitentiæ: cùm sit ratio, & causa ipsius. Colligitur ex Trident. sess. 6. cap. 6. vbi requirit dilectionem Dei, vt causam pœnitentiæ, & detestationis peccati. Fundamentum, quia ex Scripturis, & Patribus perfecta pœnitentia procedit ex dilectione Dei: ergo procedit ex illa tanquam ex actu imperante distincto.

Trident.

15. Confirmatur: quia ad perfectam pœnitētiam requiritur formalis dilectio Dei; nam hoc indicant Patres: sed formalis dilectio Dei non saluatur in solo actu detestationis peccati, etiam ex motiuo charitatis elicito: Nam vt actus dicatur formalis dilectio Dei, non satis est, vt eliciatur à charitate; sed requiritur, vt directè tendat in Deum, vt in obiectum *Quod*, & non tantùm, vt in obiectum *Quo*: alioqui etiam amor proximi, qui diligitur propter Deum, tanquam propter rationem *Qua*, dicetur formalis amor Dei.

16. Tertia sententia Durandi in 4. distinctione 17. quæstione 1. num. 7. Ochami quæst. 9. ad 4. dubium, Maio. distinct. 14. quæst. 1. §. ex ista propositione, Gabr. q. 1. art. 2. post quintam conclusionem, Soti q. 2. art. 5. §. *hinc ergo*, & lib. 2. de natura & gratia cap. 13. & 16. Cani relect. de Pœnitent. parte 1. circa finem ad tertium, qui non est sibi contrarius: nam suprà docuerat, primum actum contritionis imperari ab amore Dei formali præsente, secundum autem & reliquos elici posse vi amoris præteriti. Cordub. lib. 1. Theolog. quæstionum quæstione 1. §. *dubitatur secundo*, Vasquez quæst. 85. artic. 2. dub. vnic. numero 43. Suarez disp. 4. sect. 2. docentium, sufficere dilectionem virtualem, inclusam in ipsa detestatione peccati, elicitam propter Deum. Pro præsentis controuersiæ explicatione,

Durandus. Ochamus. Maior. Gabriel. Sotus. Canus. Corduba. Vasquez. Suarez.

17. Dico 1. Pœnitentia, vt formata habitu charitatis, non disponit ad iustificationem, & peccati remissionem. Fundamentum est: quoniam vt sic supponit iustificationem, & peccati remissionem; ergo non disponit ad illam. Consequentia constat: quia nulla forma disponit ad effectum formalem, quem includit, alioqui disponeret ad seipsam; adeoque eadem esset simul dispositio, & forma, & consequenter causa materialis, cuius causalitatem gerit dispositio, & formalis simul. Antecedens probatur: quoniam iustificatio ex Trid. sess. 6. cap. 7. est ipsa gratiæ, & donorum infusio, qua formaliter fit ipsa peccatorum remissio. Igitur nequit pœnitentia, vt formata habitu charitatis, disponere ad iustificationem, in qua formaliter includitur ipsa charitatis infusio, & peccatorum remissio. Vnde Scotus cit. loco versu Resp. & Bassolus art. 2. solùm concedunt: Pœnitentiam, non quidem vt charitate formatam, sic enim consequitur, inquiunt, iustificationem, & peccati remissionem; sed quæ est formata charitate, & in sensu diuiso, disponere ad iustificationem. Verùm hæc responsio incidit in aliud absurdum, nempe actum pœnitentiæ, vt est præuia dispositio ad iustificationem, non includere dilectionem Dei: cùm in hac sententia actus pœnitentiæ, vt præcedit habitum charitatis, non procedat ex dilectione Dei.

Quid iustificatio. Trident. Scotus. Bassolus.

18. Dico 2. Actus pœnitentiæ, extrinsecè tantùm coniunctus cum actuali motione Dei, non est vltima dispositio ad iustificationem, contra Caiet. asserentem, eundem actum naturæ viribus elicitum esse attritionem, & dispositionem ad gratiam solùm ex parte hominis; non autem simpliciter: cùm infallibile non sit, Deum ad talem actum suam motionem infundere: eundem verò actum fieri contritionem per motionem Dei eleuantem illum ad esse supernaturale, sine qua motione non esset talis actus vltima, & infallibilis dispositio ad iustificationem.

Caietanus.

19. Assertio hæc probatur 1. auctoritate S. Thomæ in 4. distinctione 17. quæstione 2. art. 1. quæstiuncula 3. vbi expressè impugnat hanc Caiet. sententiam, negatque eundem numero actum ex informi fieri formatum, adueniente charitate: idque probat duplici ratione; Prima: quia adueniente actu charitatis seu contritionis, cessat attritio, cùm nequeat attritio mutari in contritionem. Secunda: quia contritio producitur ex habitu pœnitentiæ infusæ, quæ non antecedit; sed consequitur gratiam.

S. Thomas.

20. Secundò probatur eadem assertio ratione. Quoniam vel ista motio est nouus actus, quo creatura cum speciali auxilio Dei detestatur peccatum ex motiuo supernaturali charitatis; & sic superfluus est primus, qui naturaliter cessat adueniente perfectiore: vel est noua tantùm dependentia, & conseruatio prioris actus naturalis, per quam idem actus liberè continuatur à creatura, sub nouo respectu ad auxilium, & agens supernaturale.

21. Et contra hoc est: quia si talis motio est per modum nouæ actionis conseruatiuæ intrinsecè influentis in præcedentem actum, difficilè saluatur, quo pacto entitas ipsius actus maneat naturalis, mutata eius actione in supernaturalem; cùm actio essentialiter sit via & tendentia ad ipsam entitatem actus; vnde repugnare videtur, actionem intrinsecè, & entitatiuè mutari de naturali in supernaturalem, intrinsecè non mutata ipsa entitate termini: cùm nequeat actio actu non communicare esse termino, & consequenter actio supernaturalis esse supernaturale: cùm actio essentialiter sit ipsa formalis communicatio esse termini.

Repugnat actionem mutari intrinsecè, non mutata entitate termini.

22. Confirmatur. Vel prior actio naturalis, adueniente noua actione supernaturali, cessat; vel simul manet cum illa. Si primum: ergo non solùm vt actio Dei est, sed etiam vt est actio creaturæ, supernaturalis est: quia cùm sit vna indiuisibilis actio Dei,

Dei, & creaturæ, non poterit simul esse naturalis ex parte creaturæ, & supernaturalis ex parte Dei: cùm implicet, vnam eandemque actionem simul esse entitatiuè naturalem, & supernaturalem. Neque dici potest, talem actum conseruatiuè pendere tantùm à Deo, & non à creatura: cùm de essentia actus liberi sit, actiuè procedere à principio intrinseco libero.

De essentia actus liberi est actiuè procedere à principio intrinseco libero.

23. Si verò dicatur secundum; contrà est primò, nam hæc responsio admittit, eundem effectum adæquatè procedentem ab vna causa, vlterius procedere ab alia: quod est contra ipsummet authorem 3. parte q. 67. art. 6. §. *Ad penultimam demum quæst.* asserentem, impossibile esse, à duabus eiusdem rationis totalibus causis eundem per se prouenire effectum. Nec dici potest, huiusmodi causas esse diuersæ rationis: nam vtraque concurreret in genere causæ efficientis principalis: Nam tam creatura esset causa efficiens principalis actionis naturalis; quàm Deus actionis supernaturalis. Secundò quia hæc responsio admittit, eundem effectum conseruari duplici actione, naturali, & supernaturali simul: quod videtur repugnantiam inuoluere. Nam actio naturalis necessariò communicat esse naturale; actio verò supernaturalis esse supernaturale: cùm nequeat esse modus, & non actu dare, quidquid potest: cùm igitur actio entitatiuè supernaturalis formaliter contineat in ratione viæ, & communicationis formalis, esse supernaturale, sitque tantùm modus, & non entitas, implicat esse in termino, & non communicare illi esse supernaturale. Vnde sequeretur; eundem terminum simul habere esse naturale, sibi actu communicatum per actionem naturalem; & esse supernaturale, sibi actu communicatum per actionem supernaturalem.

Repugnat effectum conseruari actione naturali, & supernaturali.

24. Vel demum hæc motio diuina est tantùm passiuus vsus Dei, quo liberaliter vtitur actu naturali creaturæ ad iustificationem ipsius, passiuè tantùm ipsa concurrente. Et contrà est: quoniam aut semper Deus habenti naturalem contritionem infallibiliter infundit liberalem suam motionem: & sic homo certus esse posset de sua iustificatione: nam cùm ex Caiet. homo possit esse certus de sua contritione naturali, si certus quoque est, quod habenti naturalem contritionem Deus infallibiliter infundat suam motionem, per quam contritio naturalis fit vltima dispositio ad gratiam, certus esse poterit de sua iustificatione, quod est contra Concil. Trident. sess. 6. c. 9. & ipsummet Caiet. Aut non semper habenti naturalem contritionem Deus infundit suam motionem: & cùm non sit in nostra potestate talem motionem habere, aut aliquid efficere, quo illam habere possimus, non erit in nostra potestate nostra salus, contra illud Ecclesiastici 15. *Ante hominem vita & mors, bonum & malum, quod placuerit ei, tribuitur illi.* Nam etsi salus nostra principaliter sit à Deo, qui solus sine nobis illam inchoat; ita tamen ex se paratus est, omnia ad consecutionem illius conferre, vt infallibile omninò sit, nunquam ex parte sua defuturum, si creatura fecerit, quantum in se fuerit: cùm tamen in hac Caiet. sententia, etiamsi creatura fecerit, quantum in se fuerit; infallibile tamen non sit, eam salutem consecuturam. Nam postquam elicuit actum naturalis contritionis, quod est facere quantum in se est, adhuc certum non est, quòd sit salutem consecutura, cùm adhuc pendeat ex motione diuina, quam Deus habenti actum naturalis contritionis non semper infallibiliter infundit. Vnde non posset defectus salutis tribui nobis; sed Deo, contra illud Oseæ 13. *Perditio tua ex te Israel.* At verò si dicamus, Deum infallibiliter per liberum suum decretum omnibus offerre proportionata auxilia supernaturalia, quibus vnusquisque possit, si velit, actum contritionis supernaturalis, qui solus extra sacramentum est vltima dispositio ad gratiam, elicere, optimè saluatur & libertas nostra in consequenda salute; quoniam his auxilijs infallibiliter nobis præparatis, in nostra potestate est, cum illis cooperari; vel non cooperari: & simul nostræ salutis inchoatio soli Deo tribuitur: quia solus Deus, nullis nostris præcedentibus meritis, huiusmodi auxilia, sine quibus actus supernaturalis contritionis elici non posset, nobis præparat: & defectus salutis nobis tantùm tribui potest; quia nostrum tantùm est, cum talibus auxilijs non cooperari. At respondebit Caiet. etiam in mea sententia defectus salutis tribuitur tantùm nobis non cooperantibus diuinæ motioni, per quam salutem consequi possemus. Verùm hæc responsio supponit secundum modum à nobis impugnatum: supponit enim, Deum infallibiliter actum naturalis contritionis elicienti suam motionem infundere; proinde peccatorem certum esse posse de sua iustificatione.

Caietanus. *Trident.* *Ecclesiastici 15.* *Oseæ 13.* *Caietani responsio occurritur.*

25. DICO 3. Perfecta contritio non necessariò supponit dilectionem Dei formalem, à qua imperetur; sed sat est virtualis, quam includit in ipso actu detestationis. Hanc assertionem Sotus lib. 2. de natura & gratia cap. 16. putat esse S. Doctoris, præsertim 3. parte quæst. 85. art. 5. vbi ipsam peccati displicentiam propter Deum appellat actum charitatis. Fundamentum verò assertionis est; quia possibile est, vno actu ferri in peccatum detestandum propter Deum summè diligibilem: atqui talis actus sufficit ad iustificationem: ergo. Maior constat: nam potest quis vno actu ferri in plura ordine aliquo inter se connexa: Sic intellectus vno actu fertur in præmissas & conclusionem; hanc ex illis deducendo: voluntas in medium, & finem; vnum propter aliud intendendo: ergo simul poterit in peccatum, & in Deum; in peccatum tanquam id, quod detestatur; in Deum: tanquam id, propter quem, & amore cuius detestatur. Sicut cùm Deo bonum aliquod diligimus, vno actu simul tendimus in bonum, quod amamus; & in Deum, cui bonũ illud amamus, qui respectu

Sotus. *S. Thomas.* *Potest quis vno actu ferri in plura ordine aliquo inter se connexa.*

boni

boni amati dicitur amor concupiscentiæ; respectu verò Dei, cui tale bonū amatur, amor amicitiæ: ita cū detestamur peccatū, vt malum & offensam Dei, detestamur illud, vt obiectū *Quod*, propter Deum, tanquam propter finem *Cui*: quæ detestatio respectu peccati dicitur fuga, auersio, odium abominationis; respectu Dei, prosecutio, conuersio, amor amicitiæ implicitus, & virtualis. Minor verò probatur: nam ea pœnitentia sufficit ad iustificationem, quę procedit ex motiuo charitatis, & dilectionis Dei, vt ex diuinis oraculis & SS. Patribus colligitur: talis autem est hic actus pœnitentiæ, cùm non minoris charitatis, & dilectionis sit, detestari malum amico, quàm velle bonum eidem: eiusdem quippe virtutis est, diligere bonum proprij obiecti, & detestari malum illi oppositum.

26. Nec refert, quòd contritio sit tantùm amor virtualis, & non formalis: cùm non minùs possit esse perfectus & efficax amor virtualis, quàm formalis, cùm vterque procedat ex eodem motiuo vltimato diuinæ bonitatis, propter quam peccatum detestamur: solùmque amor virtualis inclusus in actu contritionis differt à formali, quòd formalis habet Deum pro obiecto *quo*, *quod*, & *cui*: virtualis verò, pro obiecto *quod* habet peccatum; pro obiecto verò *quo*, & *cui* Deum ipsum, propter quem peccatum detestatur: actus autem principaliter specificatur ab obiecto & motiuo *quo*, non autem ab obiecto *quod*, cùm illud concurrat formaliter, hoc tantùm materialiter.

In quo differat amor virtualis inclusus in contritione, à formali.

Actus principaliter specificatur ab obiecto quo.

27. Secundò probatur eadem assertio ex illo communi Patrum axiomate fundato in Ezechiel. 18. & 33. *In quacunque die:* hoc est tempore, vt communiter exponunt, *ingemuerit peccator, omnium iniquitatum eius non recordabor:* sed peccator detestando peccatum propter Deum, verè ingemit, & non nisi propter Deum: ergo neque Deus recordabitur ampliùs iniquitatum eius.

Ezech. 18. & 33.

28. Tertiò. Illa est perfecta pœnitentia, quę perfectè conuertit peccatorem ad Deum: Illa autem pœnitentia perfectè conuertit peccatorem ad Deum, quæ tantùm ipsum conuertit in Deum, quantùm peccatum auerterat à Deo: atqui detestatio peccati propter Deum tantùm conuertit peccatorem in Deū, quantùm peccatum auerterat à Deo. Peccatum enim formaliter conuertit peccatorem in creaturam: virtualiter verò & interpretatiuè auertit à Deo: sed detestatio peccati propter Deum, formaliter auertit peccatorem à creatura, & formaliter indirectè saltem, & in obliquo conuertit peccatorem in Deum, dum peccatum detestatur vt malum, & offensam Dei.

29. Quartò ex opposita sententia sequitur, non posse peccatorem vnico actu iustificari: cùm in opposita sententia duo requirantur actus, alter dilectionis; alter pœnitentiæ, realiter inter se distincti. Quo fit, vt si peccator, detestato peccato propter Deum, statim moreretur, in hac sententia non saluaretur: quia hic non elicuisset actum dilectionis formalis; cùm tamen hic verè ingemuisset in Deum.

30. Quintò. Non minùs attritio procedere debet ex motiuo alicuius virtutis infusæ, quàm contritio ex motiuo charitatis: sed vt attritio sit sufficiens dispositio cum sacramento ad iustificationem, satis est, vt sit expressa detestatio peccati propter motiuum talis virtutis: ergo vt contritio sit sufficiens dispositio ad iustificationem extra sacramentum, sat erit, vt sit expressa detestatio peccati, propter motiuum charitatis.

31. Ad fundamentum primæ sententiæ, negandum est, vel contritionem solius naturæ viribus elicitam, esse dispositionem de congruo ad iustificationem; vel vt charitate informatam, posse disponere ad illam, cùm charitate informata includat effectum ipsum, ad quem deberet disponere, qui est ipsa charitas.

Ad fund. 1. sent.

32. Ad fundamentum secundæ, dicendum est, vel Scripturas & Patres loqui de pœnitentia, quæ ordinariè concipitur ex dilectione formali imperante, quippe quæ facilior est, & visitatior: cùm altera sit difficilior: supponit enim, voluntatem humanam vno actu ferri in peccatum per modum detestabilis, & in Deum per modum diligibilis: & ideo Trident. & S. Thomas prioris tantùm meminerunt. Vel intelligendi sunt de dilectione virtuali, quæ est vera & propria dilectio, cùm sit actus formalis charitatis, non minùs; quàm dilectio ipsa formalis: solùm enim dicitur virtualis, quia non est per modum prosecutionis respectu obiecti *Quod*, nec tendit in Deum, vt in obiectum *Quod*; sed solùm tanquam in motiuum *Quo*, & finem *Cui*: Vnde S. Thomas suprà citatus illum appellat motum charitatis: quia procedit ex motiuo charitatis.

Ad fund. 2. sent.

Trident. S. Thomas.

33. Ad confirmationem, negatur assumptum, si formalis dilectio intelligitur actus per modum complacentiæ, & prosecutionis respectu obiecti *Quod*. Neque hanc requirentes Patres, virtualem negant: sed huius potiùs meminerunt, quia visitatior est, & facilior: vel certè per dilectionem Dei intelligunt etiam virtualem, quæ saltem sub nomine charitatis comprehenditur, quæ communis est ad dilectionem formalem, & virtualem; seu contritionem, & amorem.

SECTIO III.

An ad contritionem sufficiat virtualis detestatio peccatorum?

34. Dicitur virtualis detestatio peccatorum dilectio ipsa formalis Dei, quatenus de se efficax est prorumpere in formalem detestationem peccatorum, quoties menti occurreret, aut ea per tempus excogitare liceret:

ceret: qui enim efficaciter diligit Deum super omnia, vi talis dilectionis paratus est tollere quidquid tali dilectioni aduersatur: quia verò peccata nondum retractata aduersantur tali dilectioni, qui Deum super omnia diligit, vi talis dilectionis paratus est ea omnia destruere ac detestari: & quia illa detestari non possumus, nec tenemur, nisi menti occurrant; aut per tempus excogitare liceat, potest esse formalis, & efficax dilectio Dei super omnia, absque formali detestatione peccatorum, cùm per ipsam dilectionem non stet, quin prorumpat in formalem detestationem peccatorum. Quo fit, vt vnum actum virtute contineri in alio, nihil aliud sit, quàm vnum actum habere talem connexionem cum alio, vt vno posito, necessariò ponendus sit & alius: aut si non ponitur vnus, necessariò tollendus sit & alius: sic electio mediorum virtute continetur in intentione finis: quia hac posita, necessariò ponenda est & illa: aut si electio non ponitur, necessariò tollenda est & finis intentio. Controuersia igitur est, an sola detestatio virtualis, inclusa in ipsa dilectione formali, sufficiat ad perfectam pœnitentiam.

Quid sit vnum actũ virtute contineri in altero.

35. Vt autem certa ab incertis seiungamus, notandum est: omnes conuenire, quod aliquando necessaria sit pœnitentia formalis, & expressa peccatorum detestatio in eo, qui peccata commisit. Primò quia id apertè colligitur ex Scriptura, quæ pœnitentiam sæpe inculcat vt necessariam ad salutem: *pœnitentiam agite*, Actorum 2. *Nisi pœnitentiã habueritis, omnes simul peribitis*, Luc. 13. Quæ, & sexcenta alia loca Patres explicant de pœnitentia formali: nec possunt de sola virtuali explicari: tum quia id non patitur Scripturę proprietas: tum quia id exigit natura perfectę reconciliationis, vt offendens perfectè retractet offensam. Nec obstat, quod alia etiam opera virtutum Scriptura numeret inter media salutis: nam ea solùm numerat vt media remota, quatenus disponunt ad perfectam pœnitentiam, vt ex alijs Scripturæ, & Patrum testimonijs apertè colligitur. Secundò, quia id docet Trident. sess. 14. c. 4. vbi describens actum contritionis per animi dolorem, & detestationem de peccato commissam, cum proposito non peccandi de cætero, sic ait: *Fuit quouis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius, & in homine post Baptismum lapso, ita demum præparat ad remissionem peccatorum:* Ergo formalis pœnitentia, quę in peccati dolore & detestatione consistit, necessaria est ad peccati remissionem.

Actor. 2. Luc. 13.

Trident.

36. Conueniunt 2. hanc pœnitentiam formalem esse necessariam necessitate medij: cũ non solùm impediat peccatum pręsens, pręsterque ne labamur in distinctum peccatũ, illam exercendo tempore debito, quod præcepti proprium est: sed etiam conferat primam gratiam, & deleat peccata pręterita, si non inueniat deleta; quod est proprium munus medij proximè ad salutem necessarij.

Quodnam sit propriũ munus medij ad salutem necessarij.

37. Tertiò certum quoque est apud Scholasticos, quod & docet S Thomas 3. p. q. 84. ar. 7. ad primum: pœnitentiam formalem esse necessariam iure naturali diuino; non tantũ in positiuo, ad iustificationem peccatoris, contra Medinam Codice de pœnitẽtia tract. 1. q. 2. contendentem, id tantùm esse de iure diuino positiuo. Fundamentum est: quia iustificatio, cùm sit opus perfectę reconciliationis, & amicitiæ hominis peccatoris ad Deum, suapte natura postulat formalẽ detestationem, & offensę retractationem. Assumptum probo: nã posita fide, quod peccata sint offensa Dei, sine cuius retractatione non potest fieri perfecta reconciliatio, ius naturæ dictat, peccata esse detestanda, ac perfectè retractanda, detestantur autem & perfectè retractantur per formalem pœnitentiam, quia hæc tantùm directè opponitur peccato.

S. Thomas.

Medina.

Supposita fide ius natura dictat peccata esse retractãda.

38. Sed obijcit Medina 1. Talis pœnitentia nõ est natura sua condignè satisfactoria Deo. Secundò: Nullum opus nostrum est Deo satisfactorium, nisi quatenus Deus dignatur illud acceptare: ergo nisi ipse statuisset modũ, quo deberemus illi satisfacere, nunquam ius naturæ talem modum satisfaciendi dictasset: igitur quod nunc teneamur Deo per contritionem satisfacere, non est iuris naturalis; sed diuini positiui. Tertiò. Ius naturæ non obligat, nos detestari offensam proximo illatam; sed solùm illi satisfacere iuxta qualitatem, & quantitatem damni, aut iniuriæ illatæ: ergo, nec obligat detestari iniuriam illatam Deo; sed solùm ad satisfaciendum illi, eo opere exteriori, vel interiori, quod ipse assignauerit.

Ad Medinam.

39. Resp. ad primum: Esto tale opus non sit Deo condignè satisfactorium, ius tamen naturæ dictat, ex parte nostra faciendum esse, quidquid cum diuina gratia possumus: quemadmodum esto rusticus nullum possit condignum opus satisfactorium Regi pro illata iniuria offerre, iure tamen naturæ tenetur, ad faciendum quantum potest.

40. Ad 2. Esto nullum opus nostrum pro offensa Deo oblatum sit condignè satisfactorium, nisi ipse acceptauerit: potest tamen cum auxilio eiusdem elicitum esse de congruo satisfactorium: & hoc sufficit, vt ius naturæ dictet, illud esse Deo exhibendum; quia ius naturæ dictat, faciendum esse, quantum ex parte nostra fieri potest.

41. Ad 3. nego consequentiam: ratio discriminis, quia satisfactio, quam Deo exhibemus, non solùm debet esse recompensatiua iniuriæ, sed etiam reconciliatiua amicitiæ diuinæ, cùm Deus per hominum peccata non solùm offendatur, vt Dominus; sed etiam vt amicus: non potest autem satisfactio esse reconciliatiua amicitiæ, nisi per offensæ retractationem; quia vt satisfactio mereatur offensi amicitiam, fieri debet motiuo amicitiæ propter ipsum amicum: non potest autem fieri motiuo amicitię propter ipsum amicum, nisi fiat cum perfecta retractatione, & detestatione offensę illatæ amico: Nam hoc poscit natura perfectæ amicitiæ, vt amicus

Cur Deo & satisfacere, & detestari peccatum teneamur, proximo tantùm satisfacere.

amicus doleat de offensa amici, vt offensa amici est: quia igitur quæcunque peccata nostra offensa Dei sunt, vt ei perfectè satisfaciamus vt amico, non satis est, nouam ei tantùm satisfactionem exhibere: sed etiam antiqua peccata detestari. Adde, quod peccatum non est læsiuum proximi nisi ratione alicuius damni, vel iniuriæ, quam illi infert: Vnde non tenemur pro illo proximo satisfacere; nisi quatenus est illi nociuum, & iniuriosum: At verò secundùm omnem rationem, quam peccatum includit, est offensiuum Dei, cùm sit contra ipsius legem, & voluntatem: Igitur tenemur illud secundùm omnem rationem detestari, ac perfectè retractare. Cæterùm nota hæc non obligare ex puro iure naturæ, sed supposita fide, quod peccatum sit offensiuum Dei. His adnotatis vt certis, controuersia superest, an interdū sola pœnitentia virtualis inclusa in actu dilectionis, sit perfecta, & sufficiens ad iustificandum hominem à peccatis.

Canus. Petrus Sotus. 42. PRIMA sententia Cani relectione de pœnitentia parte 3. §. *de charitate.* Petri Soti lect. 4. de necessitate pœnitentiæ circa finem, negantium, in vllo casu, etiam naturalis obliuionis, & inuincibilis ignorantiæ, ac martyrij per Christum perpessi, sufficere pœnitentiam virtualem in eo, qui peccata commisit; sed semper requiri pœnitentiam formalem peccatorum, saltem in genere ab eo, cui nulla occurrit memoria peccatorum in specie.

Sotus. 43. Fundamentum Soti est: quia implicat, esse veram dilectionem Dei in peccatore, sine formali pœnitentia, & detestatione peccatorum: Nam ea est natura charitatis, & dilectionis Dei super omnia, vt statim peccatorem excitet ad formalem detestationem offensæ contra Deum, saltem in genere, si specialiter memoriæ non occurrat.

Canus. 44. Fundamentum Cani, primum est: quia pœnitentia formalis est necessaria ad salutem vt medium: Quæ autem necessaria sunt vt media, licet admittant excusationem, ne peccemus, quando ex ignorantia inuincibili omittimus; non tamen excusationem admittunt, vt sine illis iustificemur. Sicut, quia fides Christi, & Baptismus sunt necessaria vt media, licet ignorantes excusentur, ne peccent, in Christum non credendo, & Baptismum non suscipiendo, haud tamen sine illis saluantur.

45. Secundum fundamentum ipsius est, si in aliquo casu sola pœnitentia virtualis sufficeret, in nullo formalis esset necessaria: nam in tantùm necessaria est formalis, in quantum Scriptura inculcat, necessariam esse pœnitentiam: ergo si hæc in aliquo casu explicari potest de sola virtuali, in omni casu admitti posset eadem explicatio.

46. Tertium fundamentum. Nemo adultus Baptizatus iustificari potest absque sacramento pœnitentiæ, saltem in voto: nemo autem votum sacramenti pœnitentiæ habere potest, sine peccatorum formali displicentia: ergo nemo saluari potest absque formali pœnitentia peccatorum.

47. Quartò probat, quod necessaria sit pœnitentia formalis, etiam in casu martyrij: quia passio pro Christo suscepta à peccato non iustificat, nisi sit ex charitate, Authore S. Thoma secunda secundæ q. 124. art. 2. ad secundum, & 3. parte q. 66. art. 12. ad secundum: sed charitas in eo, qui peccauit, non remittit peccata sine pœnitentia, teste eodem 3. parte q. 84. art. 5. ad secundum. Confirmat, quia voluntas efficax martyrij, & martyrium actu perpessum quoad essentialia non differunt: ergo si martyrium sine formali pœnitentia peccata remittit, eadem quoque remittit efficax voluntas martirij. *S. Thomas.*

48. Quintò. Passio pro Christo suscepta in eo, qui est hæreticus, vel schismaticus, non remittit peccatum hæresis, vel schismatis, nisi prius fuerit Ecclesię aggregatus; ergo nec in eo, qui peccauit, nisi prius illū pœniteat; cùm non minùs pœnitentia, quàm fides, & Ecclesię vnitas sint media necessaria ad salutem.

49. Sextò. Non potest quis mortem oppetens pro Christo ante Baptismum, sine voto saltem Baptismi iustificari; ergo nec post Baptismum sine voto saltem pœnitentiæ sacramenti; ergo nec sine formali pœnitentia, quam votum ipsum sacramenti Pœnitentiæ includit.

50. SECVNDA sententia affirmat, sufficere virtualem pœnitentiam inclusam in ipso actu dilectionis formalis ad remissionem peccatorum; est S. Thomæ 3. p. q. 87. art. 1. Caiet. ibidem §. *ad secundum dubium*, Scoti in 4. dist. 14. q. 1. §. *Ex his ad solutionem*, Bassol. q. 2. art. 2. Maioris q. 1. conclus. 5. Gab. q. 1. art. 2. concl. 2. Soti dist. 15. q. 1. art. 2. §. *ad argumenta*, & seqq. & l. 2. de natura & gratia c. 16. Adriani quodlib. 7. q. 4. Bellarmini lib. 2. de sacramento Pœnitentiæ c. 9. Ioannis Med. Cod. de pœnitentia tract. 1. q. 2. Vegæ lib. 6. in Trident. c. 34. Nauarri in summa c. 1. num. 10. Valent. disp. 7. q. 3. punct. 2. Henriquez lib. 4. de sacramentis c. 2. num. 3. Suarez disp. 9. sect. 1. Vasquez 3. p. in qu. 86. art. 2. dub. 1. Coninck disp. 2. de effectu pœnitentiæ dub. 6. concl. 3. & aliorum. Verùm citati Authores diuisi sunt: nam S. Thomas & Coninck virtualem pœnitentiam solùm admittit de peccatis inuincibiliter oblitis. Maior in solo actu martyrij, quem docet sine formali detestatione peccata remittere: Sotus, Bellarmin. Henri. Suar. illam in vtroque casu admittunt, tam inuincibilis obliuionis, quàm martyrij: Reliqui verò absolutè affirmant, efficacem dilectionem Dei remittere peccata. Pro pręsentis controuersiæ declaratione, *S. Thomas. Caietanus. Scotus. Bassolus. Maior. Gabriel. Sotus. Adrianus. Bellarm. Ioannes Medina. Vega. Nauarrus. Valentia. Henriquez. Suarez. Vasquez. Coninck.*

51. DICO 1. Potest aliquando peccator per solam pœnitentiam virtualem iustificari. Fundamentum est: nam alioqui daretur casus, in quo peccator destitueretur ordinario medio ad salutem, contra Scripturam vbique Dei misericordiam exaggerantem, qui non vult mortem peccatoris; sed magis vt conuertatur, & viuat; quique vt testatur Trident. sess. 6. cap. 11. non prius ipse deserit, *Trident.*

quam

quam deseratur. Sequelam verò probo: quia si post moralem diligentiam nullum occurrat peccatum; non teneor habere contritionem: quia non tenemur conteri, nisi de peccatis, quæ post diligentem discussionem menti occurrunt. Colligitur ex Trident. sess. 14. cap. 5. Nam sicut ea tantùm tenemur confiteri, vt ibidem Concil. docet, ita de ijs tantùm contritionem habere. Quod si interdum præceptum contritionis obligat, etiamsi nullum occurrat peccatum in specie, id non est, quia talis contritio necessaria est in omni casu, in quo tenemur iustificari; sed in aliquo casu speciali, de quo infra: ergo in eo casu sufficiens erit pœnitentia virtualis, inclusa in ipso actu dilectionis Dei super omnia, vt cum S. Thoma, excepto Cano, fatentur omnes. Et ratio à priori est, quoniam dilectio supernaturalis, præsertim efficax, est perfecta conuersio creaturæ ad Deum: ergo statim illi respondet conuersio Dei ad creaturam. Consequentia constat ex illo Zachariæ primo: *conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos:* alioqui, si posita perfecta conuersione creaturæ ad Deum, Deus non conuerteretur ad creaturam, pateretur se vinci à creatura. Antecedens probo: nam dilectio, quæ non excitat ad obseruantiam alicuius præcepti, non defectu sui; sed vel defectu occasionis nondum occurrentis, vel probabilis scientiæ de tali præcepto, non est necessariò imperfectior ea, quæ currente occasione, & scientia ad talis præcepti obseruantiam excitat: sed dilectio Dei, quæ excitat ad formalem detestationem peccatorum, quæ post diligentem excussionem, menti occurrunt, est perfecta conuersio animæ ad Deum, & sufficiens dispositio ad iustificationem: ergo etiam dilectio, quæ ad talem detestationem non excitat, non defectu sui, sed inculpabilis ignorantiæ peccatorum, potest esse conuersio perfecta ad Deum, & sufficiens dispositio ad iustificationem. Consequentia patet. Minor infrà. Maior probatur: nam quando omissio præcepti non est voluntaria, non minuit perfectionem dilectionis, quæ solùm se extendit ad ea, quæ humano modo fieri possunt: sed omissio formalis detestationis peccatorum, quæ post diligentem discussionem, non occurrunt, voluntaria non est, cùm non sit cognita ergo.

Trident. *S. Thomas.* *Zachar. 1.*

52. Confirmatur, quia Scripturæ, & Patres non minùs ad actum contritionis requirunt dilectionem Dei; quàm detestationẽ peccatorum: sed saluatur perfecta contritio cum sola dilectione virtuali, vt supra probatum est: ergo à fortiori eadem saluari poterit cum sola detestatione virtuali. Monet tamen Henriquez, tutius esse, vt sic oblitus sub conditione, si fortè peccauit, conteratur: Nam si hæc reuera est medium necessarium ad salutem, non iustificabitur homo, nisi illam reipsa adhibeat. Nec nostra opinio est adeò certa, vt opposita sua careat probabilitate.

Henriquez.

53. Dico 2. quæuis dilectio, ex qua per se nata est sequi formalis detestatio quorumcunque peccatorum mortalium, quæ menti occurrerent, est sufficiens dispositio ad iustificationem: Contrà verò nulla dilectio Dei, ex qua per se nata non est sequi talis detestatio peccatorum, est sufficiens dispositio ad iustificationem. Hęc est regula ad dignoscendum, quænam dilectio Dei sit sufficiens ad iustificationem. Eamque colligo ex S. Thoma, Caiet. Medina, Nauarro, Vega, & alijs, qui propterea docent, non sufficere dilectionem simplicis complacẽtię, qua Deo sua ipsius bona, & perfectiones amamus: quoniam possumus Deo sua bona, & perfectiones amare; & tamen nolle de peccatis pœnitere, nouamque inchoare vitam, per efficacem obseruantiam omnium præceptorum; sed debere esse obedientialem, qua firmiter efficaciterque proponamus, proposito saltem virtuali, omnia eius præcepta seruare, inter quæ potissimum est, formali pœnitentia detestari præteritam vitam.

Quæ dilectio Dei sit sufficiens dispositio ad iustificationem. *S. Thomas. Caietanus. Medina. Nauarrus. Vega.*

54. Ratio posterioris partis regulæ est; quoniam talis dilectio compatitur secum affectum ad peccatum: vnde neque cum sacramento, est sufficiens ad iustificationem, vt ex Concil. Trident. sess. 14. c. 4. apertè colligitur. Ratio verò prioris partis eiusdem regulæ est, quia talis dilectio perfectè conuertit creaturam ad Deum: siquidem actu continet perfectam conuersionem ad Deum, & virtute etiam formalem detestationem peccatorum: Idem enim dilectionis actus essentialiter est conuersio in Deum, & auersio à creatura: sicut idem motus essentialiter est accessus ad vnum terminum, & recessus ab opposito. Vnde vi huius perfectæ conuersionis in Deum super omnia diligibilem, apta est excitare peccatorem ad formalem detestationem omnium peccatorum, quæ vel menti occurrunt, vel probabiliter occurrere possunt. Quod autem ad illam interdum non excitet, non est ex defectu sui; sed vel inculpabilis memoriæ peccatorum, vel opportunitatis temporis, in quo aut vrget præceptum maius: vt in profitenda fide, coram Tyranno, dum ad vtrumque simul animus attendere nequit; aut non potest simul in eodem momento vtrumque actum dilectionis, & detestationis elicere: hoc autem efficacitati dilectionis non obest, cùm per ipsam non stet, quo minùs opportuno tempore ad formalem detestationem peccatorum excitet.

Trident.

55. Adhuc grauior controuersia superest, an formalis dilectio Dei, vt sit proxima dispositio ad iustificationem, debeat statim peccatorem excitare ad formalem detestationem peccatorum, quæ menti occurrunt, vel occurrere probabiliter possunt: an verò illam differre valeat in aliud tempus opportunius, quando præceptum currit de formali pœnitentia, & interim iustificari per solum actum dilectionis formalis.

56 Hanc posteriorem partem sequuntur Medina Codice de pœnitentia tract. 1. q. 12.

Medina.

Nauarrus. Valentia. Caietanus. Gabriel. Vega.

§. occurrit, Nauarrus, Valentia; Caietanus 3 p. q. 87. art. 1. ad 2. dubium: pro qua citantur Gabriel, Vega, ex quibus tamen oppositum colligitur: Docet enim Vega, dilectionem disponentem ad iustificationem esse talem, vt ex ea cõtinuò sequatur omnium peccatorum detestatio, quæ memoriæ occurrunt. Gabriel expressè affirmat, ad perfectam dilectionem Dei necessariò sequi detestationem peccatorũ, quæ menti occurrunt: quia non potest quis, inquit, diligere Deum super omnia, & non nolle peccasse, si peccatum occurrerit memoriæ. Fundamentum huius opinionis est: quia pœnitentia est præceptũ affirmatiuum, de cuius ratione est, non obligare semper; sed suo tempore. Igitur poterit peccator tempore, quo pœnitentia formalis non obligat, habere dilectionem Dei super omnia, absque pœnitẽtia formali peccatorum, quæ tunc menti occurrunt; sed solùm habere propositum pœnitendi tempore suo: ergo statim hic iustificabitur sine formali pœnitentia peccatorum, quorum præsentem memoriam habet. Hæc vltima consequentia probatur, quoniam dilectio Dei super omnia perfectè cõuertit animum peccatoris ad Deum, & aliunde non statim tenemur ad obseruantiam præceptorum: ergo dilata pœnitentia formali ad tempus debitum, dilectio statim peccatorem iustificabit.

Corduba. S. Thomas.

57. Priorem verò partem docent reliqui Doctores citati, quibus adde Cordubam lib. 1. q. Theologicarum q. 15. estque aperta sententia S. Thomæ 3. p. q. 86. art. 2. & 87. art. 1. in quorũ primò docet, impossibile esse remitti peccatum sine pœnitentiæ virtute. Et ne intelligi possit de pœnitẽtia virtuali, subdit: *vnde requiritur ad remissionem diuinæ offensæ, quod voluntas hominis sic immutetur; vt conuertatur ad Deum cum detestatione conuersionis prædictæ.* In secundo verò affirmat, ad peccati mortalis remissionem non sufficere pœnitẽtiam virtualem, nisi quantum ad peccata oblita post diligentem inquisitionem. Pro cuius sententiæ explicatione,

Petrus Sotus. Dominicus Sotus.

58. Dico 3. Non est sufficiens dispositio ad gratiam iustificantem dilectio, quæ non statim peccatorem excitat, vel ad formalem detestationem peccatorum, quorum memoriam habet: vel ad diligentem discussionem eorum, quæ probabiliter possunt memoriæ occurrere; vel ad detestationem in genere, si dubius sit, an aliquid commiserit, cuius memoria non occurrit. Atque in hoc sensu veram puto sententiam Petri Soti citata lect. 4. & Dominici Soti in 4. dist. 15. q. 1. art. 2. nempe non posse esse veram dilectionẽ Dei obedientialem sine formali detestatione peccatorum, cùm repugnet peccatorem diligere Deum super omniã, & non statim intimo affectu detestari, quidquid eius maiestatem offendit. Colligitur hæc nostra assertio ex Trident. sess. 14. c. 4. vbi postquam contritionem definiuit, esse animi dolorem, & detestationem de peccato commisso, subdit: *fuit autem quouis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius.* Et paulò pòst: *declarat*, inquit, *S. Sinodus, hanc contritionem non solùm cessationem à peccato, & vitæ nouæ propositum, & incboationem; sed veteris etiam odium cõtinere.* Huc spectant omnes Scripturæ, & Patrum authoritates, quæ probant, necessariam esse pœnitentiam ad iustificationem peccatoris, quæ saltem intelligi debent de pœnitentia formali eorum peccatorum, quæ menti occurrunt.

Trident.

59. Probatur hæc eadem assertio rationibus. Prima sit. Expressa detestatio peccatorum est ad iustificationem necessaria iure naturæ, orto ex ipsa natura reconciliationis, quæ supponit in reconciliando offensæ retractationem; vel saltem efficacem voluntatem, illam statim, ac potest retractandi: ergo nequit talis retractatio sine vrgente causa differri. Antecedens constat ex dictis, & docet expressè S. Thomas 3. parte q. 84. art. 5. ad secundum vbi, *requirit*, inquit, *charitas, quod homo doleat de offensa in amicum commissa.* Consequentia verò probatur: quia quando præceptum obligat ex natura ipsa actionis, quæ exercetur, & non ex sola voluntate instituentis, statim obligat, atque actio ipsa exercetur. Nam tunc actio ipsa, ex suppositione quod exercetur, affert secum obligationem præcepti in ipso operante. Nec potest in aliud tempus præceptum differri; nisi simul cum præcepto differatur & actio, cum qua naturaliter connectitur ipsa executio præcepti. Cuius ratio est, quia quando obligatio fundatur in ipsa natura actionis, executio ipsa præcepti pertinet ad complementum actionis. Vnde non exercet completam actionem, qui præcepti executionem voluntariè omittit. Atqui naturali iure tenemur ex suppositione, quod aliquam actionem exercemus, integram illam exercere: vt ex suppositione quod oramus, tenemur attentè orare: & aliter faciendo, transgredimur præceptum actionis orandi. Igitur ex suppositione, quod exerceamus reconciliationem nostri cum Deo, iure naturæ tenemur, præter conuersionem dilectionis in Deum, formalem etiam auersionem à peccatis, quæ memoriæ occurrunt; vel probabiliter occurrere possunt, exercere.

S. Thomas.

60. Secvnda ratio sit à paritate iustificationis, quæ fit virtute sacramenti pœnitentiæ: in qua non satis est dilectio sine formali detestatione peccatorum, vt habetur de consecratione distinctione 4. cap. *Omnis* & apertè colligitur ex Tridentin. sessione 14. cap. 3. & 4. vbi materiam sacramenti pœnitentiæ assignat dolorem de peccatis: ergo à fortiori non satis erit ad iustificationem, quæ fit extra sacramentum, ad quam maior procul dubio dispositio requiritur.

61. Tertia ratio ducitur ex ipsa natura dilectionis Dei super omnia, qualis necessaria est ad iustificationem extra sacramentum. Etenim qui efficaciter diligit Deum super omnia, non potest non detestari

formaliter

formaliter peccata, quorũ est conscius: quia perfecta charitas non exponit se dubio, relicta via certa; alioqui non esset super omnia, quia saltem non esset supra illud dubium, supra quod voluntariè, & ex electione non operatur, cùm possit, omittẽdo viam certam de pœnitentia formali. Atqui dubiũ saltem est, & quidem practicè probabile, an in eo casu sola pœnitentia virtualis sit sufficiens recompensatio ex parte nostra pro offensa contra Deum commissa: ergo talis dilectio non esset iuxta leges perfectæ amicitiæ, quæ dictat, in dubio standũ esse pro amico, eiusque causæ fauendum, præsertim in re graui, in qua agitur de graui iniuria amici, eiusque amicitiæ dissolutione. Neque valet, si dicas, hoc dubiũ practicè tolli per oppositam sententiam probabilem: quia cùm hoc non pendeat ex opinione operantis, sed ex natura rei, & voluntate diuina, secundùm quam, si illa est necessaria, etiamsi probabiliter putes, te ad illam nõ teneri, adeoque excuseris à nouo peccato, non propterea reipsa iustificaberis, Deoque satisfacies: ac proinde semper verum erit, sic operantẽ non agere iuxta leges perfectæ amicitiæ, quę dictat, superandum esse omne dubium grauis offensionis amici, quod non ex nostra opinione; sed ex natura rei, & amici voluntate pendet.

62. Confirmatur. Etenim qui relicta via certa, sequitur dubiam, præsertim in casu, in quo rei consecutio non pendet ex opinione operantis; sed ex natura rei, & voluntate alterius, non satisfacit præcepto charitatis propriæ, & proximi: vt qui relicta aqua naturali, baptizaret in artificiali, nõ satisfaceret precepto charitatis, quo tenemur proximo subuenire in graui necessitate spirituali: ergo multò minùs satisfaceret pręcepto charitatis erga Deum, qui perfectiorem altioremque postulat amorem à suis creaturis.

63. *Obijcies 1.* Ex hoc sequeretur, teneri eum, cui neque in genere occurrit memoria peccatorum, ad habendam pœnitentiã formalem saltem in genere; nam hæc est tutior via. Resp. negando sequelam. Etenim non quæuis maior securitas obligat ad eam sequendam; sed quæ oppositam partem reddit practicè dubiam. Cæterùm maior securitas, quæ est in elicienda pœnitẽtia formali, nulla occurrẽte neque in genere memoria peccatorum, non reddit oppositam partem practicè dubiam; sicut reddit maior securitas, quę est in elicienda pœnitẽtia formali statim ac peccata memoriæ occurrunt: nam maior illa securitas non habet, nisi vnum; vel alterum authorem: nec vlla nititur probabili ratione; hæc verò, & multos habet graues auctores, & pluribus, ijsque efficacibus nititur rationibus. Quòd si quis priuata opinione putet, sententiam de elicienda pœnitẽtia formali circa peccata in genere, esse practicè probabilem, & consequenter oppositam esse practicè dubiam, procul dubio tenetur illam sequi, & non sequendo, non posset habere veram, & sufficientem dilectionem Dei super omnia, eò quòd nõ superaret practicum dubium, quod in opposita sententia ipse probabiliter apprehenderet.

64. *Obijcies 2.* Non tenemur, præter dilectionem virtualem inclusam in detestatione formali peccatorum, elicere formalem dilectionem erga Deum: ergo nec tenebimur, præter detestationem virtualem inclusam in dilectione formali, elicere detestationem formalem. Resp. negatur consequẽtia. Ratio discriminis: quia plus tenetur peccator ad remouẽdum malum, quod ipse per peccatum intulit Deo, quàm ad volendum bonum eidem Deo; quoniam ad illud tenetur duplici titulo, amicitię, & iustitiæ; ad hoc tantùm titulo amicitię: Ergo non solùm tenetur ad illa virtualiter detestanda titulo amicitiæ, sed etiam formaliter detestanda titulo iustitiæ: exigit enim iustitia pro recõpensatione offensæ formalem retractationem illius: nam dum illa non retractatur, semper censetur moraliter manere.

Plus tenetur peccator ad remouendũ malũ, quod intulit Deo quàm ad volendum ei bonum.

65. Ex dictis patet ad fundamentum oppositæ sententiæ. Nam licet præceptum de pœnitentia formali sit affirmatiuum; est tamen de iure naturæ fundatum in ipsa natura recõciliationis, quæ naturaliter supponit in reconciliando formalem detestationem offensę, aut saltem efficacem voluntatẽ detestandi, cum primum potest: Deus autem semper obligat iuxta naturam præcepti.

66. Dico 4. Vt Deus remittat peccatũ, non expectat ex parte nostra formalem detestationem peccatorum; sed statim condonat, posita efficaci dilectione virtualiter includente detestationem peccatorum. Cuius ratio est, quia formalis detestatio peccatorũ nõ requiritur, vt vim tribuat dilectioni, quæ cũ sit causa detestationis, nõ potest vim accipere ab ipsa; sed solùm requiritur vt effectus naturaliter cõsequens ad efficacẽ dilectionẽ Dei: ergo vt sit causa disponens ad iustificationem, non pendet à detestatione peccatorum, tanquam à causa formaliter tribuente efficacitatem; sed solùm tãquam à signo indicante veram, & efficacem dilectionẽ, quæ de se talem infert detestationem peccatorũ. Quo fit, vt pœnitentia formalis solùm requiratur vt pręceptũ naturaliter seruandũ, cùm primum seruari potest; dilectio verò vt causa formaliter disponens ad iustificationẽ: sicut pœnitentiæ sacramentum non concurrit cũ ipso actu contritionis in eo, qui iustificatur extra sacramentum, vt dispositio ad iustificationem; sed solùm vt præceptũ suo tẽpore exequendum, vt docuit Trid. sess. 14 c. 4

Detestatio formalis est effectus naturaliter consequens dilectionem efficacem Dei.

Pœnitentia formalis requiritur vt preceptum naturaliter seruandum.

Trident.

67. Potissimum fundamentum huius nostræ assertionis desumitur ex Scripturis, & Patribus, qui iustificationem tribuunt dilectioni: Lucę 7. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Vbi remissio peccatorum nõn tribuitur pœnitentiæ, & lachrymis Magdalenæ; sed dilectioni. 1. Petri 4. *Charitas operit, hoc est, delet, multitudinem peccatorum.* August. tract. 5. in Epist. Ioan. circa medium de dilectione Dei hæc scribit:

Luc. 7.

1. Petri 4.

August.

dilectio ergo sola discernit inter filios Dei, & filios diaboli: quàm si solam habeas, subdit inferiùs, *sufficit tibi:* Gregor. apud Bellarm. lib. 2. de Pœnitent. cap. 13. *Attende*, inquit, *quanta sit indulgentia vitalis velocitas, quanta misericordia Dei commendatio: vt confitentis desiderium comitetur venia, antequam ad cruciatum perueniat pœnitentia:* quid autem est confitentis desiderium, quàm dilectio in Deum? Quid pœnitentiæ cruciatus, quàm peccatorum displicentia, & detestatio? & tamen ait, dilectionem præcedere, eamque statim comitari peccatorũ veniam. Bernar. Epistola 107. post medium: *Nemo se amari diffidat, qui iam amat. libẽter Dei amor nostrũ, quem præuenit, subsequitur.* Vnde Petrus Soto non dubitat asserere tanquam de fide, quòd vera dilectio Dei remittat peccatum.

Gregorius. Bernardus. Petrus Soto.

68. Secundò probatur rationibus. Prima sit ab absurdo: nam alioqui sequeretur eum, qui in instanti perfectissimè Deum super omnia dilexit, si in tempore sequenti, in quo eliciendus erat actus detestatiuus peccatorũ, moreretur, aut in phrenesim incideret, non saluari; quòd impium est, & contra citata testimonia; pręsertim si mors contingat ex vehementia diuini amoris. Sequela patet: Nã si peccator nõ iustificatur in instanti, in quo dicit actum amoris; sed in quo exercet actũ detestationis, non recipit gratiam iustificantem in instanti, in quo amat; sed in instanti, in quo detestatur; ergo si contingat mors in instanti, in quo exercenda erat detestatio, nõ saluatur; quia nemo saluatur sine gratia.

69. SECVNDA: in omnium sententia, Cano & Soto exceptis, aliquando sola dilectio sine pœnitentia formali à peccatis iustificat, vt in martyrio, & ignorantia inuincibili peccatorum; ergo etiam quando adiunctam habet pœnitentiam formalem, ipsa est, quæ dispositiuè iustificat, non pœnitentia formalis; nisi tantùm terminariuè, & in voto. Consequentia probatur. Nam ita se habet dilectio ad pœnitentiam formalem post breue tempus exercendam in peccata, quæ paulò pòst excogitata occurrunt; sicut dilectio ad pœnitentiam formalem exercendam in peccata, quæ inculpabiliter oblita post longum tempus memoriæ occurrunt, quoniam in neutro casu pœnitentia formalis omittitur statim exerceri culpabiliter, sed inculpabiliter, eò quòd nequeat voluntas vel plures actus simul exercere, vel incognitum detestari; ergo si vna iustificat ante pœnitentiam formalem exercitam, iustificabit & altera. Cuius ratio à priori est, quia quando actus omittitur statim exerceri sine culpa operantis, nihil minuit de perfectione alterius, à quo in exercitio pendet, quia tunc omissio actus non oritur ex defectu efficacitatis actus imperantis; sed ex incompossibilitate actus imperandi: talis est formalis detestatio peccatorum, quæ naturaliter exerceri nequit simul cum actu dilectionis, eò quòd duo actus simul ab eadem potentia naturaliter exerceri nequeunt.

70. Iuxta hanc, & præcedentem assertionem conciliantur Scripturæ & Patres, qui modò nostram iustificationem tribuunt pœnitentiæ; modo charitati: nam vtraque ad iustificationem concurrit; dilectio per modum formalis dispositionis, pœnitentia per modum præcepti naturalis.

Dilectio ad iustificationem concurrit vt dispositio, pœnitentia vt præceptum naturale.

71. *Obijcitur* 1. Ex præcitato loco Lucæ 7. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilixit multum:* tunc Christus Magdalenæ peccata dimisit, quando protulit illa verba: *remittuntur ei peccata multa:* ergo non statim atque illa diligere cœpit, consecuta est remissionem suorum peccatorum: cùm remissio peccatorũ fuerit ei collata de præsenti, propter dilectionem elicitã de præterito, vt verba illa, *quia dilixit multum*, demonstrant.

Luc. 7.

72. Resp. negando cum Bellar. lib. 2. de sacra. Pœnitentiæ cap. 14. antecedens. non enim verba illa Christi fuerunt causa remissionis peccatorum; sed signum dumtaxat condonationis collatæ, & sensibilis confirmatio illius. Sicut nec illa alia verba, quæ ad eandem mulierem conuersus Christus dixit: *remittuntur tibi peccata tua* fuerunt causa remissionis peccatorum, cùm iam illa supponerentur remissa; sed confirmatio dumtaxat collatæ remissionis.

Bellarm.

73. *Obijcies* 2. Sententia affirmans, posse formalem detestationem peccatorum differri ad tempus præcepti, est probabilis: ergo licitè possumus ea vti: igitur sola dilectione Dei super omnia, absque formali detestatione peccatorum poterit peccator iustificari. Resp. negando vltimam consequentiam: Nam licet talis sententia probabilis sit, cum ea tamen consistere non potest efficax dilectio Dei super omnia. Nam efficax dilectio Dei super omnia operatur iuxta viam certam, relicta probabili, alias non esset super omnia: Nam hoc ipso quod, relicta via certa, operaretur iuxta probabilem, exponeret se probabili periculo non diligendi Deum super omnia: quoniam fieri posset, vt secundùm hanc opinionem probabilem non exhiberet Deo sufficientem satisfactionem pro offensis, ac proinde adhuc maneret in peccato, & inimicus Deo, & consequenter non amaret illum super omnia, auferendo omne fundamentum etiam probabile inimicitiæ cum Deo. Cùm igitur nequeat peccator extra sacramentum iustificari, nisi per actum dilectionis Dei super omnia, vt ex Scripturis Patribus, & Concilijs colligitur; cumque nequeat hunc actum habere operãdo iuxta sententiam probabilem, omissa certa, sequitur, non posse peccatorem extra sacramentum iustificari, nisi per dilectionem Dei statim imperantem formalem detestationem peccatorum.

74. Instabis: Si probabile est, peccatorem non teneri ad formalem detestationem peccatorum statim faciendam, nõ repugnat, vt hæc opinio reipsa vera sit. Ponatur igitur quod sit vera, iam tunc poterit peccator iustificari, etiamsi formalem detestationem

peccatorum

peccatorum differat ad tempus præcepti; nam tunc ponitur quod ex diuina institutione ad iustificationem extra sacramentum necessarium est. Resp. negando vltimam sequelam: nam esto talis opinio sit reipsa vera; aliunde tamen defectu dilectionis Dei super omnia ad iustificationem extra sacramentum requisitæ, quam iuxta talem opinionem operando peccator habere non posset, non iustificaretur. Ex quo noua pro nostra sententia sumitur confirmatio: quia cùm ex Scripturis, Concilijs, & Patribus, vt certum habeamus, ad iustificationem extra sacramentum requiri dilectionem Dei super omnia; cumque hoc consistere non possit cum opinione probabili de non statim conterendo, sequitur hanc opinionem non esse probabilem, cùm nunquam posset habere effectum, quia nunquam consistere posset cum dilectione Dei super omnia, quæ ad iustificationem extra sacramentum ex voluntate Dei requiritur.

75. In vno tantùm casu posset hæc sententia habere effectum, non per se, sed per accidens: si nimirum cessante dilectione Dei super omnia, homo non statim, sed post conscientiæ discussionem proponat peccata detestari, & interim opposita sententia probabili persuasus, differat formalem detestationem peccatorum in tempus præcepti. Tunc ex vna parte iste homo supponeretur iustificatus dilectione Dei super omnia, quæ ex certa sententia elicita statim imperauit propriæ conscientiæ discussionem, & post eam formalem detestationem peccatorum: ex alia verò parte operando iuxta probabilem sententiam de differenda formali detestatione peccatorum, non peccaret: ergo sic operando non amitteret gratiam acceptam vi præcedentis dilectionis Dei super omnia: quia gratia semel recepta non amittitur, nisi per peccatum: ergo si talis dilatio formalis detestationis peccatorum facta iuxta probabilem sententiam post acceptam gratiam, non est peccaminosa, per eam non amittitur gratia. Nec dici potest, hoc ipsum non statim conteri post discussionem factam, esse signum, præcedentem dilectionem Dei non fuisse super omnia, ac proinde insufficientem ad iustificationem: nam potuit illa esse super omnia, quia potuit statim imperare discussionem conscientiæ, & post illam detestationem peccatorum; & nihilominus potuit postea homo cessante tali dilectione mutare sententiam operando iuxta oppositam probabilem. Hoc enim eo modo saluatur, quo pacto quis habere potuerit dilectionē Dei super omnia, & nihilominus postea, mutata voluntate, iuxta probabilem sententiam peccatorum detestationem differre ad aliud tempus. Quin puto hominem in hoc casu manere iustificatum, etiamsi hæc opinio reipsa vera non sit, quia sufficit, vt solùm secundùm prudentum iudicium sit probabilis, vt homo iuxta illam operando non peccet.

76. Ex quo sequitur, non ipsam formalem detestationem peccatorum, sed imperium de ipsa formali detestatione peccatorum esse necessarium ad dilectionem Dei super omnia: quia licet vi dilectionis Dei super omnia non statim sequi debeat formalis detestatio peccatorum, cùm illa differri possit post diligentem conscientiæ discussionem, statim tamen sequi debet imperium de ipsa formali detestatione peccatorum post discussionem facienda, alioqui non esset efficax dilectio Dei super omnia.

77. Dices. Ergo prima nostra ratio ducta ab integritate actionis, quam ex suppositione quod exerceamus, integrè exercere tenemur, nihil probat. Resp. negatur consequentia: tum quia saltem tenemur integrè illam exercere, durante dilectione Dei super omnia: tum quia etiam hac cessante, tenemur integram actionem exercere, nisi persuadeamur opposita sententia probabili: tum quia saltem tenemur integrè illā exercere, quando omnia peccata sunt memoriæ præsentia per examen antea factum.

78. Ex dictis deducitur 1. Peccatorem interdum iustificari per actum pœnitentiæ; nempe quando vnico actu detestatur peccata propter Deum, quia tunc idem actus est charitatis, & pœnitentię simul; interdum per solam dilectionem formalem cum voto saltem implicito pœnitentiæ formalis exercendæ in peccata, vel quæ actu occurrunt, aut diligentia adhibita possunt occurrere; vel quæ inculpabiliter oblita aliquando sunt occursura.

79. Deducitur 2. Eum qui iustificatur absque pœnitentia formali defectu inculpabilis memoriæ peccatorum, teneri, cùm primùm ea mentem subeunt, detestari, si nullam detestationem saltem in genere de ijs habuit: est Henriquez lib. 4. de Sacram. cap. 28. n. 4. Fundamentum, quia cùm hoc præceptum sit naturale fundatum in ipsa natura reconciliationis, posito quòd defectu inculpabilis obliuionis non fuit statim adimpletum, adimplendum est, cùm primùm potest: potest autem cùm primū oblita peccata mentem subeunt: nisi velit aliam opinionem sequi de differenda detestatione peccatorum.

Henriquez.

80. Deducitur 3. eum, qui elicuit actum dilectionis Dei super omnia, non teneri postea ad pœnitentiam formalem ex motiuo charitatis; sed posse illam exercere ex quouis alio motiuo inferioris virtutis. Fundamentum, quia tunc pœnitentia imperata facit vnum in genere moris cum dilectione imperante. Tametsi opposita sententia, quę affirmat, teneri ad detestationem formalem peccatorum, ex motiuo charitatis, sit etiam probabilis, & securior; quia extra sacramentum homo tenetur ad perfectissimam pœnitentiam, quæ procedit ex motiuo charitatis.

81. Deducitur 4. Pœnitentiam formalem, quando est distinctus actus à dilectione, esse

Pœnitentia formalis quando ne-

essaria necessitate medij, quando praecepti.

tantùm necessariam necessitate praecepti naturalis: quando verò nō est distinctus actus, esse necessariam necessitate medij. Fundamentum: quia quando est distinctus actus à dilectione, non ipsa; sed dilectio confert dispositiuè primam gratiam: Ipsa verò ad summum auget; vel conseruat primam gratiam per dilectionē antecedenter collatam: quando verò non distinguitur à dilectione, ipsa simul cum dilectione confert primam gratiam: atqui necessaria necessitate medij sunt, quæ conferunt primam gratiam: reliqua verò, quæ vel primam collatam augent; vel conseruant; vel saltem præstant, ne nouum peccatum committatur, sunt tantùm necessaria necessitate præcepti.

Ad Sotum.

82. Ad argumenta primæ sententiæ. Ad fundamentum Soti concedo, implicare dilectionem Dei diligibilis super omnia, qua lis ad iustificationem extra sacramentum requiritur, sine pœnitentia formali, posita dubia saltem peccatorum memoria, vt ex dictis constat: nego tamen, illam implicare, nulla occurrente memoria peccatorum: quia nulla virtus inclinat ad operandum, nisi iuxta connaturalem modum operandi subiecti: connaturalis autem modus operandi hominis, est, operari ex aliqua obiecti notitia: ergo si nulla præcedat peccatorum notitia, saltem in genere, & sub dubio, nullam tenemur peccatorum displicentiam habere.

83. Ad primum fundamentum Cani, nego pœnitentiam formalem esse necessariam, vt vnicum medium ad iustificationem; sed suppleri posse per actum perfectiorem, in quo ipsa virtualiter contineatur, præsertim quando defectu memoriæ peccatorum; vel opportunitatis temporis nō potest ipsa formalis pœnitentia exerceri. Quemadmodum Baptismus, & pœnitentia sacramentum sunt necessaria necessitate medij, & non tantùm præcepti: quia vtraque conferunt primam gratiam; cùm tamen possint per alios actus suppleri, quando ea in re haberi non possunt. Nec est eadem ratio de fide, quæ, quia teste Tridentino, sess. 6. cap. 8. est fundamentum, & initium salutis, nequit per alios actus suppleri: quia omnis alius actus ad salutem saltem proximè necessarius supponit fidem vt initium, & fundamentum: cùm enim ipsa sit cognitio supernaturalium obiectorum, supponitur ad omnem actum supernaturalis virtutis, qui proximè necessarius est ad salutem consequendam. Dixi *proximè*, vt excluderem remotas dispositiones, quæ sæpe fundantur in actibus virtutum moralium supernaturalibus tantùm quoad modum, qui per se notitiam supernaturalis obiecti non supponunt; vt fusè in 3. tomo.

Trident.

84. Ad secundum, neganda est sequela: quia cùm pœnitentia formalis sit peccatori naturali iure præcepta, debet quando potest formaliter exerceri: cæterùm potest interdum saluari per solam virtualem, quando formalis, defectu memoriæ peccatorum haberi non potest.

85. Ad 3. Resp. dupliciter posse adultum baptizatum in voto sacramenti Pœnitentiæ iustificari: vno modo, habendo memoriam peccatorum; & tunc nequit iustificari absque formali detestatione peccatorum, quorum habet memoriam cum proposito ea suo tempore confitendi: alio absque vlla memoria peccatorum; & tunc non necessariò tenebitur habere pœnitentiam formalem; sed simplex dumtaxat propositum confitendi suo tempore. Quare falsa est vniuersaliter minor.

86. Ad 4. Distinguenda est minor. Etenim tunc charitas sine pœnitentia à peccatis non iustificat, quando illam peccator habere potest, & non habet: secus quando illam habere non potest, vel defectu memoriæ peccatorum, vt idem S. Tho. docet q. 87. art. 1 vel vrgente maiori præcepto: vt in Martyrio, vt reliqui Thomistæ sentiunt.

S. Thomas.

87. Ad confirmationem 1. Nego antecedens: nam martyrium actu perpessum habet aliquod priuilegium, quod non habet in voto tantùm susceptum: vnde non insigniuntur laureola, nisi actu Martyres, propter quod docet S. Doctor. secunda secundæ q. 124. art. 4. mortem secutam esse de ratione Martyrij. Secundò distinguo consequens, nam si efficax voluntas martyrij sit ex perfecta charitate, & nullam habeat probabilem notitiam peccatorum adiunctam, iustificabit à peccatis; sicut & martyrium, quando ipsi martyri, vel nulla occurrit memoria peccatorum; vel vrget maius præceptum de profitenda fide coram Tyranno.

S. Thomas. Mors secuta est de ratione Martyrij.

88. Ad 5. Nego consequentiam, eiusque probationem: Nam fides est necessaria vt initium, & fundamentum totius spiritualis ædificij: sine qua nullus actus potest esse acceptus saltem proximè ad salutem, cùm, teste Paulo ad Hebræos 11. impossibile sit sine fide placere Deo; quo pacto necessaria non est pœnitentia.

Ad Heb. 11.

89. Ad 6. Negatur vltima consequentia: nam sicut potest martyr iustificari per solum votum Baptismi, aut pœnitentiæ sacramenti, quando ea in re haberi non possunt; ita & per votum pœnitentiæ virtutis, quando maiori præcepto vrgente, vel nulla occurrente peccatorum memoria, in re exerceri non potest.

SECTIO IV.

Quale propositum de cætero non peccandi requirat contritio?

90. OMnes Catholici conueniunt, ad perfectam pœnitentiam requiri propositum de cætero non peccandi, quod expressè definiunt Florent. in decreto de sacramento pœnitentiæ, & Trident. sess. 14. cap. 4. cuius ratio est: quia perfecta pœnitentia

Concilium Florent. Trident.

tentia animum perfectè auertit à peccato: ergo non solùm auertit illum à peccatis præteritis per detestationem; sed etiam à futuris per propositum melioris vitæ. Controuersia tamen est, quale debeat esse hoc propositum: est autem duplex, expressum seu formale, & implicitum seu virtuale, essentialiter inclusum in ipsa formali, aut virtuali detestatione peccatorum.

Propositum vnum formale, alterū virtuale.

91. PRIMA sententia Caiet. tom. primo opusc. tract. 4. q. 1. *§. quoad secundum*, Soti in 4. distinct. 15. q. 1. art. 2. *§. sed nihilominus opinio*, Cani relectione de sacramento pœnitentiæ in prima, & secunda conclus. Bellar. lib. 2. de pœnitentia cap. 6. & 7. requirentium propositum formale; adeò, vt oppositam sententiam aliqui apud Veg. 13. in Trident. cap. 21. appellent errorem perniciosum. Primò: quia contraria sententia est contra antiquos Scholasticos, qui omnes ad perfectam pœnitentiam requirunt propositum de cætero non peccandi: vt Alens. 4. parte q. 17. mem. 3. art. 9 §. 2. Bonau. in 4. dist. 14. in 2. parte distinct. 5. dub. 4. circa textum S. Tho. 3. parte qu. 85. art. 3. & 5. & quæst. 86. art. 2 & 87. art. 1. ad primum & q. 90. art. 4. & 3. contra gentes cap. 158. & in 4. dist. 17. quæst. 2. art. 1. quæstiuncula 1. & 2. ad quartum, Scotus in 4. dist. 14. q. 4. ad secundum, Durand. q. 2. Palud. q. 1. ar. 1. quin Magister ipse in 4. dist. 14. cap. 1. ex Ambrosio, Aug. Greg. pœnitentiam definit virtutem, qua commissa mala cum emendationis proposito detestamur: & quod caput est, citata Concilia Florent. & Trident. contritionem definiunt per huiusmodi propositum de cætero non peccandi. Nec possunt, inquit Bellar. intelligi de proposito implicito: quia cùm hoc contineatur in ipsa detestatione peccati, superfluum fuisset, iterum in definitione contritionis addere, in qua principaliter tale propositum continetur: Constat ex illis verbis: *Declarat Sancta Synodus, hanc contritionem non solùm esse cessationem à peccato, sed vitæ nouæ propositum, & inchoationem.*

Caietanus. Sotus. Canus. Bellarm. Alensis. Bonauent. S. Thomas. Scotus. Durandus. Paludanus. Magister. Concilium Florent. & Tridentin. Bellarm.

92. Secundò, quia est contra Scripturas Ezechiel. 18. *Si impius egerit pœnitentiam, ab omnibus peccatis suis, & custodierit omnia præcepta mea* &c. & eodem cap. in fine, *proijcite à vobis omnes præuaricationes vestras, & facite vobis cor nouum, & spiritum nouum.* Amos 5. *Odite malum, & diligite bonum.* ad Ephes. 4. *Deponite veterem hominem, & induite nouum.* In quibus authoritatibus præter detestationem vitæ præteritæ, semper additur propositum nouæ vitæ.

Ezech 18. Amos 5. Ad Ephes 4.

93. Tertiò probatur eadem sententia rationibus. Primò: quia perfecta pœnitentia, teste S. Thoma 1. 2. q. 113. art. 5. est motus, quo anima per gratiam mouetur à statu peccati ad statum iustitiæ, iuxta illud: *declina à malo & fac bonum:* hic autem includit recessum à malo per detestationem vitę prioris, & accessum ad bonum per desiderium, & propositum vitæ melioris. Confirmatur, quia principalis finis pœnitentiæ, est emendatio vitæ; ergo in ea principaliùs includitur propositum vitæ melioris: ergo sicut in ea detestatio vitæ prioris includitur formaliter; ita & propositum vitæ melioris.

S. Thomas.

94. Secundò. Perfecta pœnitentia includit obedientialem dilectionem Dei: ergo formale propositum de cætero non peccandi, consequentia probatur: quia obedientialis dilectio includit promptam, & efficacem voluntatem in omnibus Deo placendi: ergo formale propositum exequendi diuinam voluntatem, & ampliùs non transgrediendi eius præcepta.

95. Tertiò ex Alens. non est vera virtus, quæ non importat firmum propositum perseuerandi in futurum: ergo non est vera pœnitentia, quæ non importat firmum propositum de cætero non peccandi.

Alensis.

96. Quartò. Formale obiectum pœnitentiæ est recompensatio diuinæ offensæ: sed hæc includit voluntatem exequendi diuina præcepta: ergo voluntas non peccandi de cætero est essentialis pœnitentiæ. Maior constat ex dictis. Minor prob. quoniam offensa recompensatur per exhibitionem honoris, & obsequij offenso debiti; sed hic honor, & obsequium maximè Deo præstatur per obseruantiam præceptorum: ergo expressa voluntas exhibendi Deo honorem per obseruantiam omnium præceptorum, est de ratione pœnitentiæ, consequentia constat: quia obiectum formale debet à virtute expressè intendi: quoniam virtus ex Aristotele debet esse propter ipsam honestatem.

Aristoteles.

97. SECVNDA sententia Maioris in 4. dist. 14. q. 1. circa initium, Argent. dist. 17. q. 1. art. 1. ad 3. Medinæ codice de pœnitentia tract. 1. q. 3. *§. ad aliud* Vegę in Trident. lib. 13. cap. 21. & 22. Valent. disp. 7. q. 8. de contritione puncto 1. Petri Soti lect. 17. de perfectione contritionis circa finem, absolutè affirmantium, sufficere propositum virtuale inclusum in ipsa detestatione peccatorum, vel obedientiali dilectione Dei licet Maior putet oppositam sententiam esse tutiorem, addit Vega, & communem, populoque suadendam.

Maior. Argentinas. Medina. Vega. Valentia. Petrus Sotus.

98. Potissimum fundamentum huius sententiæ est: quia tam detestatio præteritæ vitæ; quàm obedientialis dilectio Dei, quam includit perfecta pœnitentia, essentialiter dicit hoc virtuale propositum de cætero non peccandi: alioqui simul stare posset efficax dilectio Dei super omnia, & detestatio peccatorum, vt offensa Dei sunt, cum voluntate peccandi de futuro, quod implicat; Atqui hoc sufficit ad iustificationem: ergo. Minor probatur; tum quia per hoc animus perfectè conuertitur ad Deum, & auertitur à peccato; tum quia hoc & non aliud exigit Scriptura, quod sanè debuisset explicare, si illud ad iustificationem esset necessarium; sicut explicat dilectionem, & pœnitentiam. Vnde in celebri illa iustificatione Dauidis

nulla mentio fit huius propositi; sed statim exclamanti, *Peccaui*, subiungitur à propheta Nathan & *Dominus quoque transtulit peccatum: in his enim tribus syllabis*, Peccaui, inquit Aug. Homil. 41. de tempore, *flamma sacrificij coram Domino ascendit in cœlum:* tum quia aliàs sequeretur, quòd si quis præterita peccata ex vehementi amore Dei detestans statim moreretur, gratiam non esset consequuturus: Quod alienum est à misericordia Dei, qui diligentes se diligit.

August.

99. Tertia sententia media Richardi in 4. distinct. 17. art. 1. quęst. 1. ad quartum, Palatij disp. 1. §. *porrò autem sunt istis disertis*, Nauarri in summa cap. 1. num. 10. Henriq. lib. 4. de Sacramentis cap. 24. Suar. disp. 4. sect. 3. Vasquez in quæst. 86. art. 2. dub. 4. Nugnez in additione ad tertiam partem quæst. 1. art. 1. dub. 4. & 5. asserentium, expressum propositum de cætero non peccandi per se quidem esse necessarium, quando illius memoria mentem subit; per accidens tamen, defectu considerationis, aut temporis, sufficere virtuale, & implicitum.

Richardus. Palatius. Nauarrus. Henriquez. Suarez. Vasquez. Nugnez.

100. Dico I. Expressum propositum cauendi peccata in futurum, non est semper necessarium ad iustificationem: patet in casu naturalis obliuionis; aut inuincibilis ignorantię; vel temporis defectu: in quo aut futura peccata mentem non subeunt; aut inuincibiliter quis ignorat tale propositum obligare; aut deest tempus ad illud formandum: atqui verisimile non est, in his casibus, si peccator aliàs fecerit, quantum in se fuit, detestando efficaciter præteritam vitam ex motiuo charitatis, non iustificari: Nam in his casibus defectus formalis propositi non posset ad culpam imputari, & alioqui peccator nihil omitteret eorum, quæ probabiliter iudicaret esse necessaria ad iustificationem. Vnde nec talis effectus minueret perfectionem pœnitentiæ: quoniam nulla virtus minui potest defectu circumstantiæ, quæ non est in potestate operantis: cùm tota perfectio virtutis consistat in actu libero voluntatis.

Nulla virtus minui potest defectu circumstantia non libera.

101. Dico 2. Extra hos casus, quando per tempus licet, & cum detestatione præteritæ vitę, subit memoria futuræ; & non impedit inuincibilis ignoratio, aut naturalis obliuio talis propositi, illud est necessarium; non quidem vt medium, & dispositio ad iustificationem; sed vt præceptum naturali iure coniunctum cum detestatione præteritæ vitæ. Hanc probant rationes, & auctoritates primæ sententiæ: Cuius fundamentum est: quia subeunte memoria pręceptorum, aut deliberationis futuræ vitæ, nequit amor Dei, si sit obedientialis, & efficax, qualem poscit perfecta pœnitentia ad iustificationem requisita, cohibere; quo minùs voluntas expresse proponat mutationem melioris vitæ per præceptorum obseruantiam, & fugam omnium peccatorum: tum vt satisfaciat Deo per exhibitionem honoris, & obsequij debiti, quam satisfactionem postulat perfecta reconciliatio: tum quia non minùs displicent Deo peccata futura; quàm præterita; ergo. Sicut non potest amor non expressè detestari peccata præterita, quæ menti occurrunt; ita non potest non efficaciter proponere præcauere futura, si mentem subeant. Tandem cùm probabile, & tutius sit, tale propositum, siue vt medium; siue vt præceptum ad iustificationem requiri, ne efficax dilectio Dei exponat se probabili dubio omittendi, quod necessarium est, statim voluntatem excitat ad tale propositum, ad quod si non excitat, signum est à posteriori, dilectionem non esse efficacem, proinde nec sufficientem ad iustificationem, atque in hoc sensu verum est, propositum expressum cauendi peccata in futurum, cùm mentem subeunt, esse necessarium, non quòd per ipsum formaliter disponamur ad iustificationem: sed quia sine ipso dilectio Dei, per quam formaliter ad iustificationem disponimur, non est sufficiens.

Sine formali proposito quando clui potest, dilectio est insufficax.

102. Ex his deducitur, propositum formale de cętero non peccandi non esse de essentia contritionis, prout hæc ad iustificationem disponit: sed ad summum esse proprietatem naturaliter consequentem, quando adsunt omnia requisita, defectu quorum interdum potest impediri, manente integra dispositione ad iustificationem.

Propositum formale est proprietas naturaliter consequens contritionē.

103. Ad primum primæ sententiæ, nego, nostram sententiam esse contra Scholasticos: nam etsi ferè omnes propositum requirant; non tamen explicant, an illud requirant virtualiter, an formaliter, an vt medium, an vt præceptum: Vnde æquè possunt intelligi pro nostra, ac pro opposita sententia, quin multi pro secunda sententia citati solùm loquuntur de proposito formali, quando subit memoria præceptorum, vel deliberatio futuræ vitæ. Concilia autem, & Patres meritò docent, in contritione includi propositum de cætero non peccandi: quia hoc regulariter, & ferè semper in iustificatione peccatoris interuenit: nec laborant, an hoc requiratur essentialiter, an connaturaliter: Num separari interdum possit, an non: cùm enim doctrinam tradant de rebus ad salutem necessarijs, ea tantùm docent, quæ regulariter vera sunt, & certa moraliter. Definitio verò Magistri vel intelligenda est de proposito virtuali, essentialiter incluso in ipsa detestatione peccatorum, vel de formali naturaliter consequente.

104. Ad Scripturam, dico, nullibi hoc propositum requirere; sed solùm vitæ emendationem; quæ fieri potest vi solius propositi virtualis, in ipsa retractatione præteritæ vitæ inclusi.

105. Ad primam rationem, distinguenda est minor de accessu ad bonum per propositum virtuale, vel formale; non est autem contritioni essentiale, vt semper ad bonum accedat per propositum formale; sufficit

enim

enim si ad illud accedat per propositum tantùm virtuale.

106. Ad confirmationem, concedo pœnitentiam æquè principaliter respicere detestationem vitæ præteritę, atque emendationem futuræ, vt ex Trident. constat: Nego tamen, vtramque æquè proximè respicere: nam retractatio vitæ præteritæ respicitur, proximè: Emendatio verò futuræ, remotè. Quo fit, vt potius detestatio præteritæ, quàm propositum futuræ requiratur expressè: quia potest remotum virtualiter intendi in proximo; sicut per electionem expressiùs intenditur medium; quàm finis, licet principaliùs per eam intendatur finis; quàm medium, eò quòd medium intenditur proximè, finis verò remotè.

Trident.

Pœnitentia detestationem peccati respicit proximè, emendationem vitæ futuræ remotè.

107. Ad secundum nego consequentiam: ad cuius probationem, dico, id tantùm esse verum, quando conscientia stimulat de dispositione futuræ vitæ.

108. Ad tertium respondeo, ad id sufficere propositum virtuale essentialiter inclusum in ipso actu firmo, ac stabili virtutis.

109. Ad quartum concedo, recompensationem diuinæ offensæ esse obiectum formale pœnitentiæ, eamque non solùm includere voluntatem exequendi diuina præcepta, sed etiam detestandi peccata commissa; nego tamen, actum pœnitentiæ semper expressè intendere, quidquid est in obiecto formali, defectu temporis, vel considerationis; neque ad quemlibet actum virtutis essentialiter spectat, vt expressè intendat omnem honestatem, quæ est in suo obiecto formali: sed sufficit si intendat aliquam, ex qua virtualiter censeatur intendere reliquas.

Non semper virtus intendit omnè honestatem expressè in obiecto formali.

110. Argumenta secundę sententiæ, quatenus ostendunt, interdum sufficere solùm propositum virtuale, confirmant nostram; quatenus verò probant, nunquam requiri propositum formale, remanent soluta ex iacto principio: quia alioqui non saluaretur efficax, & obedientialis dilectio Dei, quam perfecta pœnitentia requirit.

SECTIO V.

An contritio necessariò cadat super omnia peccata memoriæ præsentia?

111. PRIMA sententia negatiua. Medinæ Cod. de Pœnitentia tract. 1. q. 12. §. *occurrit*. Docet enim, posse peccatorem non solùm verè; sed etiam fructuosè dolere de vno peccato propter Deum summè dilectum, absque eo, quòd doleat de reliquis actu memoriæ occurrentibus, ita; vt per talem actum consequatur fructum pœnitentiæ, qui est remissio omnium peccatorum.

Medina.

112. Probatur primò, quia possumus verè, & meritoriè diligere Deum super omnia, etiamsi de peccatis memoriæ occurrentibus actu non conteramur: patet, si diligamus tempore, quo non tenemur pœnitere formaliter; quia cùm hoc sit præceptum affirmatiuum, non obligat ad semper: ergo dabile est tempus, pro quo non tenemur pœnitere de peccatis: ergo possumus tunc diligere Deum super omnia, non pœnitendo actu de peccatis; sed tantùm in voto, habendo propositum dolendi suo tempore: sed tunc consequemur gratiam, & remissionem omnium peccatorum, etiamsi actu de illis non doleamus; ergo eandem remissionem consequemur, si cum tali dilectione doleamus de vno, & non de reliquis actu; sed tantùm virtute. Minor probatur: quia sola dilectio Dei obedientialis super omnia, sine formali pœnitentia tempore, quo ista non obligat, sufficit ad iustificationem: sed per hoc, quod cum tali dilectione connectatur formalis pœnitentia vnius tantùm peccati, non minuitur efficacia dilectionis: ergo nec fructus ipsius.

113. Secundò. Nulla est connexio, vel inter dilectionem Dei, & actualem dolorem omnium peccatorum; vel inter actualem dolorem vnius peccati, & reliquorum: ergo diligendo Deum, non necessitamur dolere de peccatis; nec dolendo de vno, dolere de omnibus. Antecedens probatur, quia neque hæc connexio oritur ex aliquo præcepto: quia supponimus pro tunc nullum esse; neque ex vi dilectionis obedientialis: quia hæc non necessitat ad detestanda peccata, nisi tempore præcepti; nec dolor vnius peccati est connexus cum dolore omnium: nam sicut complacentia vnius non est necessariò connexa cum complacentia alterius; ita nec displicentia vnius cum displicentia alterius.

114. SECVNDA sententia S. Thom. 3. p. q. 86. art. 3. Sotii in 4. dist. 15. q. 1. art. 3. Cordub. lib. primo Theolog. quæstionum q. 15. & communis, negantium posse veram contritionem cadere in vnum, quin cadat super omnia peccata: & multò minùs posse peccatorem iustificari per dolorem vnius, & non aliorum peccatorum.

S. Thomas. Sotus. Corduba.

115. Pro præsentis difficultatis declaratione, notandum, triplicem posse esse de hac re controuersiam; primam: An contritio, quà contritio est formaliter, cadere possit super aliquod peccatum mortale, quin simul cadat super omnia memoriæ præsentia: secundam: An saltem aliquis actus charitatis elicitus ex motiuo increatæ bonitatis, detestari possit vnum peccatum mortale, quin simul detestetur reliqua: Tertiam: An talis actus esset sufficiens ad iustificationem, & remissionem omnium peccatorum, vel saltem illius, quod propter Deum detestatur.

116. DICO 1. Implicat, vt contritio, quà contritio est formaliter, detestetur vnum

peccatum

peccatum mortale, quin simul detestetur omnia. Fundamentum est: quia contritio, vt contritio formaliter, detestatur peccata propter Deum vltimum finem super omnia dilectum: ergo implicat vt detestetur vnum peccatum mortale, quin simul detestetur omnia. Antecedens manifestè colligitur ex ipsa contritionis natura, quam nobis diuina oracula, Concilia, & Patres passim tradunt. Vnde August. vel quicunque alius sit Author. lib. de vera, & falsa pœnitentia cap. 17. contritionem appellat, *conuersionem*, ad differentiam *versionis:* eò, quòd per contritionem peccator perfectissimè conuertatur ad Deum. *Vertitur*, inquit, *à peccato, qui iam vult dimittere peccatum: conuertitur, qui iam totus, & omninò vertitur: qui iam non tantùm pœnas non timet: sed ad bonum Domini contendere festinat:* & lib. de natura & gratia cap. 42 charitatem appellat, *verissimam, plenissimam, perfectissimamque iustitiam:* quia nimirum hominem adæquatè, ac perfectissimè in Deum conuertit. Et Trident. sess. 6. cap. 6. contritionem describens, illam, ait, esse odium, & detestationem peccati originatam ex dilectione Dei fontis omnis Iustitiæ. Et quod caput est, illam nobis descripsit Deus ipse in præcepto charitatis de diligendo Deo Deuter. 6. quam postea confirmauit Christus Matt. 22. Marci 12. Lucæ 10. *Diliges*, inquit, *Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua.* Quid autem est Deum diligere ex toto corde, ex tota anima, ex omnibus viribus, ex omni mente, quàm Deum diligere super omnia? cùm igitur contritio sit actus procedens ex hac dilectione nobis à Deo præscripta, erit actus omniū perfectissimus, quem potest viribus gratiæ homo in hac vita elicere: ac proinde est actus tendens in peccatum propter Deum super omnia dilectum. Consequentia verò primi enthymematis probatur: nam si per contritionem homo detestatur peccatum propter Deum super omnia dilectum, implicat cum contritione retinere affectum, & complacentiam ad aliquod peccatum mortale: nam hoc ipso non ferretur in peccatum detestandum propter Deum super omnia dilectum; siquidem non detestaretur illud propter Deum dilectum supra illam creaturam, cuius complacentiam, & affectum præferret complacentiæ, & dilectioni Dei: nam hoc ipso, quod retineret affectum, & complacentiam ad aliquod peccatum mortale, talem complacentiam, & affectum interpretatiuè præferret perfectiori complacentiæ, & dilectioni, quam de eodem Deo habere posset, amando illum supra talem complacentiam, quam de peccato retinet.

August.

Trident.

Deuter. 6. Matth. 22. Marci 12. Luc. 10.

117. Prætereà, cùm contritio detestetur peccatum propter Deum vt amicum, repugnat, non detestari omnia mortalia, cùm quodlibet mortale impediat amicitiam diuinam: nam quodlibet mortale offendit grauiter Deum, ac proinde eius amicitiam erga nos dissoluit: ergo propter quodlibet mortale Deus manet grauiter offensus, & inimicus nobis; ergo manente affectu & complacentia ad vnum peccatum mortale, manet grauis offensa contra Deum, & consequenter fundamentum inimicitiæ, tam nostri ad Deum; quàm Dei ad nos: Ergo implicat, peccatorem per actum contritionis velle Deum vt amicum sibi; & tamen retinere affectum ad aliquod peccatum mortale: nam simul vellet illum vt amicum, quatenus ad illum tenderet ex motiuo perfectæ amicitiæ: & non vellet illum vt amicum; sed potiùs vt inimicum: quatenus non tolleret proximum fundamentum, ex quo necessariò resultat mutua inimicitia tam nostri ad Deum; quàm Dei ad nos: cùm implicet, Deum odio inimicitiæ non ferri in peccatorem ratione peccati, cùm nec possit Deus esse suspensus erga aliquod obiectum creatum; nec in peccatorem ferri amore amicitiæ. Confirmatur: quoniam, vt infra constabit, per actum detestatiuum vnius tantùm peccati, & non aliorum, homo non potest iustificari: igitur per talem actum non poterit habere Deum vt amicum sibi.

118. Ad hanc nostram rationam reducitur fundamentum, quo S. Thomas 3. parte q. 86. art. 3. probat, contritionem non posse cadere in vnum peccatum mortale, quin simul cadat super omnia: quia nimirum vera contritio peccatum detestatur vt offensiuum Dei super omnia dilecti: & consequenter nequit detestari vnum, quin detestetur cætera: cùm omnia sint offensiua Dei, & opponantur dilectioni super omnia.

S. Thomas.

119. Verùm contra hanc rationem insurgit Medina suprà citatus: quoniam *ly quia offensiuum Dei*, denotare potest, vel solam causam dolendi sine qua non; vel formale motiuum. Cæterùm licet qui de peccatis dolet, quia sunt offensiua Dei secundo modo, non possit dolere de vno, quin doleat de omnibus; potest tamen dolere de vno, quin doleat de omnibus primo modo: quia tunc ratio dolendi adæquata & præcisa non est, quia sunt offensiua Dei, sed quia voluntas pro sua libertate vult hæc potiùs detestari, quàm alia. Confirmatur: Nam licet omnia mysteria fidei sint credibilia propter eandem authoritatem diuinam, possumus tamen nunc credere vnum mysterium, non credendo omnia; quia non teneor nunc omnia credere: ergo pariter, quia non teneor nunc omnia peccata detestari, possum detestari vnum, & non alia.

Medina.

120. Resp. quidquid sit, an aliquo actu ex motiuo charitatis possit peccator detestari vnum peccatum mortale, quin simul detestetur omnia, de quo sequenti assertione: constanter tamen negandum est, posse contritionem ferri in peccata, vt offensiua Dei, tanquam propter conditionem sine qua non, & non tanquam propter motiuum formale. Ratio est: quia nullus actus elici potest sine suo motiuo formali expresse velito,

atque

Peccata vt offensiua Dei vt amici super omnia dilecti, non sunt conditio sine qua non eliceretur contritio.

atque intento: cùm propter illud in cætera obiecta tendat: atqui motiuum formale contritionis sunt peccata vt offensiua Dei, vt amici super omnia dilecti: ergo implicat detestari illa vt offensiua Dei, solùm tanquam propter conditionem sine qua non, & non tanquam propter motiuum formale: nam hoc esset tollere motiuum formale contritionis, & consequenter contritionem ipsam, quæ absque suo motiuo formali consistere non potest.

Cur credēs vnum fidei articulum non credat omnes reliquos actu.

121. Ad confirmationem, negatur consequentia: ratio discriminis est, quia reliqua mysteria fidei actu simul non credita non opponuntur formali motiuo actus fidei, quo fidelis vnum tantùm mysterium credit: at verò reliqua peccata actu simul non detestata opponuntur formali motiuo contritionis: & consequenter non possunt reliqua peccata actu non detestata simul stare cum motiuo formali contritionis: possunt autem simul stare cum motiuo formali actus fidei cætera mysteria actu simul non credita. Ratio autem, cur reliqua mysteria fidei actu simul non credita, non opponantur motiuo formali actus fidei, est: quia motiuum formale actus fidei non est authoritas diuina actu mouens ad credendum omne obiectum à Deo reuelatum: vnde in sua ratione formali non dicit, quod simul debeat actu mouere ad omnia mysteria reuelata: motiuum verò contritionis, cùm sit peccatum detestabile propter Deum summè dilectum, in sua ratione formali includit, vt debeat voluntatem peccatoris actu mouere ad detestandum omne peccatum, alioqui peccatum non detestaretur propter Deum summè dilectum: sicut vnum mysterium fidei creditur propter authoritatem Dei reuelantis, etiamsi actu simul non credantur reliqua mysteria: cùm reliqua mysteria vt simul actu credita non sint necessariò inclusa in ipso formali motiuo credendi vnum mysterium: quemadmodum omnia peccata mortalia simul actu detestata includuntur in ipso motiuo formali detestandi vnum peccatum propter Deum super omnia dilectum.

122. Dico 2. Potest peccator actu aliquo charitatis elicito ex motiuo alicuius perfectionis diuinæ detestari vnum peccatum, quin simul eodem actu detestetur cætera. Atque in hoc sensu veram puto sententiam Medinæ. Fundamentum est: quia non repugnat, peccatorem moueri ad detestandum vnum peccatum propter peculiarem oppositionem cum aliquo attributo, & perfectione diuina: igitur poterit peccator actu aliquo charitatis elicito ex motiuo peculiaris perfectionis, & attributi diuini detestari vnum peccatum, propter peculiarem oppositionem cum tali attributo, non detestando simul cætera. consequentia patet. Antecedens probatur: quia potest peccator, motus ex peculiari affectu erga sanctitatem diuinam, detestari peccatum blasphemiæ, propter peculiarem oppositionem, quam habet cum tali attributo, non detestando reliqua peccata intemperantiæ, vel iniustitiæ contra proximum, quæ talem peculiarem oppositionem non habent contra sanctitatem Diuinam: Nulla enim in hoc apparet implicantia. Quod autem talis actus, sit actus charitatis; licet imperfectus, & inadæquatus, erga Deum, clarum est: quia pro motiuo formali habet ipsam increatam sanctitatem Dei, propter quam immediatè mouetur ad detestandum peccatum blasphemiæ, vt peculiariter oppositum huic perfectioni diuinæ.

123. Confirmatur: quia sicut non repugnat, peccatorem ex motiuo charitatis moueri ad eliciendos aliquos actus imperfectos, & inefficaces erga bonitatem Dei: vt sunt actus simplicis, & inefficacis displicentiæ peccatorum, quatenus offensæ Dei sunt: ita non repugnabit, ex motiuo alicuius perfectionis diuinæ efficaciter moueri ad detestandum vnum peccatum, propter peculiarem oppositionem cum tali perfectione diuina, non detestando cætera, quæ cum eadem perfectione diuina peculiarem oppositionem non habent.

124. *Obijcies* 1. Implicat esse actum charitatis absque suo motiuo formali: sed motiuum formale actus charitatis est Deus super omnia diligibilis: ergo implicat esse actum charitatis, qui non detestetur omnia peccata mortalia. Resp. distinguendo minorem: motiuum actus perfectæ charitatis, est Deus super omnia diligibilis, concedo: motiuum actus alicuius imperfectæ charitatis, est Deus super omnia diligibilis, nego. Est enim motiuum charitatis virtualiter diuisibile: vnde potest creatura moueri propter illud inadæquatè sumptum. Etenim sicut propter idem motiuum potest creatura moueri ad detestanda tantùm peccata mortalia, propter grauitatem offensæ, quam includunt, non detestando venialia, quæ grauem offensam non includunt: ita poterit ex eodem motiuo charitatis moueri ad detestandum vnum peccatum mortale propter notabilem offensam, & peculiarem oppositionem cum aliquo attributo diuino, non detestando reliqua mortalia, quæ tam notabilem offensionem, & peculiarem oppositionem cum tali attributo diuino non habent. Esto igitur actus charitatis perfectæ, & adæquatè sumptæ sit Deus super omnia diligibilis, etiam supra omnem affectum, & complacentiam ad quodcunque peccatum etiam veniale: motiuum tamen charitatis imperfectæ, & inadæquatè sumptæ potest esse Deus diligibilis, vel secundùm vnam tantùm perfectionem; vel simplici dumtaxat affectu, & inefficaciter.

Motiuum charitatis virtualiter est diuisibile.

125. *Obijcies* 2. Motiuum fidei, & spei est indiuisibile; ergo etiam charitatis. Consequentia constat à paritate rationis, cùm omnes sint virtutes Theologicæ, habentes pro obiecto immediato Deum. Antecedens quoad fidem probatur: nam implicat, fidelem

lem obiectum credere propter auctoritatem diuinam, & illud non credere propter auctoritatem diuinam adæquatè mouentem, alioqui dari posset vnus actus fidei diuinæ certior, & infallibilior altero. De spe etiam probatur: nam obiectum spei est Deus, vt beatificatiuus nostri: est autem Deus beatificatiuus nostri secundùm omnes perfectiones, quas in se includit.

Cur motiuum fidei sit indiuisibile, charitatis diuisibile.

126. Resp. negando consequentiam quoad motiuum fidei. Ratio discriminis est: quia motiuum fidei mouet vt prima veritas, summè infallibilis: non posset autem mouere vt prima veritas summè infallibilis, nisi adæquatè moueret secundùm vtramque rationem, & vt infallibilis in cognoscendo, & vt infallibilis in dicendo: nam quæuis ratio, vt infallibiliter moueat, necessariò pendet ab alia: cùm nec possit mouere vt summè infallibilis in dicendo, quin etiam moueat vt summè infallibilis in cognoscendo; nec vt summè infallibilis in cognoscendo, quin etiam moueat vt summè infallibilis in dicendo: quia licet possit esse summè infallibilis in cognoscendo quoad se; posset tamen non esse summè infallibilis respectu nostri, nisi etiam moueat vt summè infallibilis in dicendo. Motiuum autem charitatis est Deus, vt diligibilis secundùm suas perfectiones, quæ quia virtualiter saltem, & quoad nos diuersæ sunt, potest diligi secundùm vnam perfectionem, & non secundùm aliam, adhuc manente motiuo saltem inadæquato charitatis, nempe Deo ipso diligibili secundùm aliquam perfectionem ipsi intrinsecam. Est & alia ratio discriminis inter motiuum fidei & charitatis: Quoniam motiuum fidei, vt moueat intellectum ad assensum præbendum, non pendet ab ipso intellectu limitante ipsum motiuum, cùm sit potentia necessaria, quæ à suo motiuo mouetur, quantum motiuum ipsum mouere potest: motiuum autem charitatis pendet in mouendo voluntatem, saltem in hac vita, à libertate voluntatis, à qua limitari potest, vt non moueat, quantum de se aptum est mouere. Quoad spem verò est eadem ratio, quę de charitate. Nam sicut possumus diligere Deum secundùm vnam perfectionem, & non secundùm aliam: ita possumus sperare, nos beatificandos potiùs secundùm vnam perfectionem diuinam, quàm secundùm aliam: exempli causa, potiùs secundùm diuinitatem, quàm secundùm personalitates.

Motiuum spei diuisibile charitatis.

127. *Obijcies* 3. omnis actus charitatis tendit in Deum diligibilem vt amicum: ergo implicat aliquem actum charitatis compati secum complacentiam ad peccatum mortale. consequentia patet: quia omnis complacentia ad peccatum mortale tollit amicitiam Dei, & consequenter motiuum formale charitatis, quod est Deus diligibilis vt amicus. Antecedens probatur: quia omnis actus charitatis debet participare motiuum sui habitus: sed motiuum habitus charitatis est Deus diligibilis vt amicus.

128. Resp. cum distinctione antecedentis: omnis actus charitatis tendit in Deum diligibilem vt amicum propter se, concedo; vt amicum nostrum, nego. Etenim dupliciter possumus velle bonum amico, & detestari malum propter amicum: vno modo propter bonum ipsius amici; alio propter ipsius amicitiam erga nos, vt esset sit, & maneat noster amicus. Cæterùm etsi vtrumque sit motiuū amicitiæ, quoniam amicus & vult bonum amico propter ipsum amicum, & vult illum habere sibi amicum: primum tamen est motiuum magis proprium amicitiæ, & separabile à secundo. quod sit magis proprium, patet: quia magis attendit ad bonum amici, quod primario exigit lex perfectæ amicitiæ: amicitia enim amici erga nos magis spectat bonum nostrum, quàm bonum amici. Quod sit separabile à secūdo, probatur: quia possumus velle bonum amico propter bonum ipsius amici, etiamsi sciamus, ipsum nolle esse nostrum amicum, vt non infrequenter accidit inter homines, vt sæpe vnus amet alium amore amicitiæ, velitque, illi omnia bona propter ipsum amicum, etiamsi sciat, ipsum non esse sibi amicum. Poterit igitur peccator velle bonum Deo, vel detestari aliquod malum propter Deum, & consequenter illum prosequi amore amicitię, esto nolit efficaciter illum habere vt amicum.

Velle bonū amico propter amicū est magis proprium motiuum amicitiæ.

129. Ex his patet ad vtramque consequentiam: nam complacentia ad peccatum solùm tollit motiuū amicitię Dei erga nos; non autem motiuum amoris amicitiæ propter ipsū Deum, qui est amor terminatus ad Deum propter bonū ipsius Dei. Patet etiam ad probationem antecedentis: quia cùm vtrumque sit motiuum habitus charitatis, & quidem primum magis proprium; quàm secundum, talis actus participabit proprium motiuum sui habitus, licet non adæquatè.

Cum complacentia peccati stat motiuum charitatis.

130. Dico 3. Actus, quo peccator detestatur vnum peccatum mortale, vt specialiter oppositum cum aliquo attributo diuino, non detestando cætera, non est sufficiens, ne quidem cum sacramento ad iustificationem. Assertio hæc directè est contra Medinam. Fundamentum verò est duplex. Primum, quoniam ad iustificationem etiam in sacramento requiritur ex parte peccatoris actus efficaciter reconciliatiuus: non enim est dignus reconciliatione cum Deo, qui ad reconciliationem accedit absque animo efficaciter se cum Deo reconciliandi: sed talis actus non est efficaciter reconciliatiuus: tum quia non excludit affectum ad peccatum, quam voluntatis à peccato exclusionem requirit Tridentin. sessione 14. cap. 4. in attritione, vt sit sufficiens dispositio cum sacramento pœnitentiæ ad gratiam consequendam: tum quia actus efficaciter reconciliatiuus tollit omnia impedimenta, etiam probabilia, ad reconciliandum peccatorem cum Deo: sed peccata non detestata saltem probabiliter

Medina.

Trident.

sunt

sunt impedimenta ad reconciliandum peccatorem cum Deo siquidem reconciliatio peccatoris cum Deo requirit perfectam conuersionem eiusdem peccatoris cum Deo, iuxta illud Zachariæ primo,& Ioëlis secundo: *Conuertimini ad me in toto corde vestro, & ego conuertar ad vos*: tum quia qui vnum tantùm peccatum detestatur non exhibet integram, & perfectam satisfactionem Deo,& consequenter non est dignus ipsius reconciliatione & amicitia.

131. Alterum fundamentum est:Implicat in mea sententia remitti peccatum absque præuia retractatione ex parte peccatoris, & infusione gratiæ ex parte Dei, quæ essentialiter pugnat cum quolibet peccato mortali: ergo implicat, vel cum peccato detestato remitti etiam reliqua peccata non detestata; aliàs reliqua non detestata remitterentur absque peccatoris retractatione; vel tantùm remitti peccatum detestatum, non remissis reliquis non detestatis, & sic gratia habitualis, per quam illud remitti deberet, maneret cum reliquis peccatis non remissis. Antecedens fusè probo in tertio tomo disp.32.sect.2.

132. Ex dictis infertur, quod si huiusmodi detestationes multiplicarentur iuxta numerum peccatorum, per illas posset peccator, etiam extra Sacramentum iustificari Fundamentum est: quia, vt supponitur, omnes istæ peccatorum detestationes sunt ex motiuo Charitatis propter Deum dilectum ob varias ipsius perfectiones, & attributa: ergo sunt actus Charitatis: ergo si aliunde adæquant omnia peccata, erunt sufficiens dispositio etiam extra Sacramentum ad iustificationem, cùm ad hoc aliud non requiratur; quàm vt omnia peccata quis detestetur propter Deum ex Charitate super omnia dilectum: ac licet quiuis actus seorsim acceptus non esset detestatio peccatorum propter Deum super omnia dilectum: omnes tamen simul sumpti essent detestatio propter Deum super omnia dilectum: nam omnes simul æquiualerent vni cadenti super omnia peccata. Confirmatur. singulæ attritiones conceptæ ex singulis prauitatibus peccatorum, si multiplicentur iuxta numerum peccatorum, sufficiunt ad iustificationem in Sacramento: ergo singulę detestationes conceptę contra singula peccata ex motiuo Charitatis, vt offensiua sunt peculiarium perfectionum Dei, si multiplicentur iuxta numerum peccatorum, sufficient ad iustificationem extra Sacramentum.

133. Ad primum primæ sententię, nego antecedens; ad eius probationem, nego nos posse diligere Deum super omnia dilectione perfectæ amicitiæ, etiam extra tempus præcepti absque formali detestatione omnium peccatorum memoriæ occurrentium: nec sufficit detestatio virtualis, quando commodè haberi potest formalis, quoniam efficax dilectio Charitatis, cùm sit affectus perfectæ amicitiæ in Deum super omnia, non patitur secum complacentiam, super vllum peccatum mortale: nam hoc ipso non esset dilectio super omnia. Cæterùm etsi non semper teneamur omnia peccata detestari, nisi tempore suo; tamen ex suppositione, quod conterimur,& Deum super omnia diligimus, tenemur omnia detestari; tum ob connexionem inter contritionem, dilectionemque Dei obedientialem, & detestationem omnium peccatorum; tum ob connexionem inter iustificationem, & detestationem eorundem. Vnde falsum est, solàm dilectionem Dei esse sufficientem ad iustificationem sine formali detestatione omnium peccatorum, quando commodè haberi potest, eò quod implicat efficax,& obedientialis dilectio Dei, qualis ad iustificationem requiritur, sine virtuali proposito detestandi omnia peccata, cùm primùm possunt.

Ad arg. 1. sent.

134. Ad secundum nego antecedens: ad cuius probationem, dico, connexionem hanc inter efficacem dilectionem Dei super omnia, & detestationem omnium peccatorum, oriri ex natura ipsa dilectionis Dei super omnia, quæ hoc ipso, quod est super omnia, non patitur secum complacentiam ad aliquod peccatum mortale; nam hoc ipso non esset super omnia: quia non esset super complacentiam illius peccati, quam adhuc retineret: oriri etiam ex dolore vnius peccati cum dolore aliorum, non simpliciter; sed ratione motiui, in quo nititur dolor perfectæ contritionis, quia scilicet sunt offensiua Dei vt nostri amici, ac summè dilecti, quæ ratio non militat in complacentia vnius respectu aliorum, quia possum complacere in vno, & non in alijs ob peculiarem delectationem, quę reperitur in vno, & non in alijs, sicut possum ob peculiarem turpitudinem dolere de vno peccato,& non de alijs; non tamen dolore perfectæ contritionis.

SECTIO VI.

An contritio debeat esse de omnibus mortalibus distinctè recogitatis, an tantùm confusè cognitis.

135. PRIMA sententia affirmat de singulis peccatis singulas esse contritionis habendas: est Lodulphi prima parte vitæ Christi capite 20. Paludani in 4. dist. 17. quęstione 1. articulo 2. fauet S. Thomas in 4. distinctione 17. quæstione 2. articulo 2. quæstiuncula 6.& distinctione 21. in expositione Textus vltimi & Catechis-

Lodulphus. Paludanus. S.Thomas. Catechis.

mus de Sacramento pœnit. §. maximè autem. Fundamentum Palud. quia magis tenemur ad habendam contritionem, quàm confessionem de peccatis; quoniam à contritione nulla necessitas excusat, cùm sit in sola potestate nostra; atqui tenemur omnia, & singula in particulari confiteri; ergo & de omnibus & singulis conteri: Eundem enim modum debemus interiùs per contritionem habere, quem foris per contritionem gerimus: quia confessio est signum interioris doloris. Confirmatur: nam graues morbi speciales requirunt medicinas: ergo & graues culpæ speciales poscunt detestationes. Eandem sententiam approbare videtur Gabriel in 4. distinct. 16. quæst. 1. articulo tertio, dub. 2.

Gabriel.

136. SECVNDA sententia negat requiri plures contritiones singulorum peccatorum, aut distinctam recogitationem, & examen culparum, in quas distinctè feratur contritio; sed sufficere vnam cadentem super omnes confusè, & in generali tantùm cognitas: quin interdum sufficere contritionem de vno tantùm peccato ex vniuersali motiuo virtualiter se extendente ad reliqua inuincibiliter ignorata, aut naturaliter oblita, de quibus tamen tenemur confiteri saltem generaliter, cùm illorum recordamur: est Maior. in 4. distinctione 17. quæstione 3. Argent. quæst. 1. artic. 2. Palatij disp. 3. Caietani 3. p. quæstione 87. articul. 1. & tomo primo opusc. Tract. 4. quæst. 2. Vegæ 13. in Trident. cap. 25. propositione 7. Petri Soti de pœnitentia lect. 13. in fine, Nauarri in sum. capite primo, numero vigesimo primo, Suarez disput. 4. sectione 6. Vasquez quæstione 86. artic. 2. dub. 7. Henriquez libro quarto, de Sacramentis cap. 28. Coninck disputatione secunda, dubio octauo. Fundamentum, quia nullum est præceptum naturale, aut positiuum, ex quo hæc contritionum pluralitas, aut distincta peccatorum recogitatio colligatur.

Maior. Argentin. Palatius. Caietanus. Vega. Petrus Sotus. Nauarrus. Suarez. Vasquez. Henriquez. Coninck.

137. Confirmatur: nam vel hæc recogitatio distincta peccatorum requiritur in ipso instanti, in quo elicitur contritio; & hoc non: tum quia non est necesse, vt talis distincta recogitatio peccatorum perseueret vsque ad instans contritionis, quia potest paulò antè desinere, & loco illius succedere confusa tantùm memoria peccatorum: ergo illa non est ad contritionem simpliciter necessaria: tum quia alioqui peccator non posset pro quouis instanti conteri, & iustificari, quoniam ad habendam distinctam recogitationem omnium peccatorum requiritur tempus: Quod est contra illud axioma: *In quacunque hora ingemuerit peccator* &c. Vel requiritur post contritionem, vt quædam humiliatio, & interna confessio hominis ad Deum; at hoc ex nullo iure colligi potest: ergo &c.

138. TERTIA sententia conuenit cum secunda, non requiri distinctas contritiones pro distinctis peccatis; sed sufficere vnam pro omnibus, docet tamen sub præcepto naturali teneri peccatorem ad examen, & recogitationem omnium peccatorum. est Alens. 4. parte qu. 17. mem. 3. art. 8. §. 2. Bonau. in 4. distinct. 16. p. 2. artic. 2. q. 1. Sancti Tho. 3. p. quæst. 87. art. 1. in quarto, dist. 17. quæst. 2. ar. 2. quæstiuncula 6. & ar. 3. quæstiuncula 3. prima 2. q. 113. art. 5. ad 5. de veritate quæst. 8. art. 5. ad quartum, & Capr. in 4. d. 16. q. 1. a. 3. ad quintum Richar. dist. 16. art. 4. quæst. 2. Durandi dist. 17. q. 2. ad 1. Soti q. 2. a. 3. Maior. dist. 14 q. 2. §. 2. *principaliter*, Medinæ Cod. de pœnitentia tract. 1 quæst. 3. Cani relect. de pœnitentia parte tertia, circa finem, Bellarmin. lib. 2. de pœnit. cap. 11. propositione 5. Valent. disput. 7. de contrit. quæst. 8. puncto 6. Nugnez in additione ad tertiam partem quæstione 2. art. 6. dub. 1. conclusione 2.

Alensis. Bonauent. S. Thomas. Capreolus. Richardus Durandus Sotus. Maior. Medina. Canus. Bellarmin. Valentia. Nugnez.

139. Pro explicatione notandum, præsentem controuersiam non esse de pœnitentia relata ad Sacramentum confessionis: sic enim requirit examen, & distinctam recogitationem omnium peccatorum; sed de pœnitentia secundùm se, quatenus vim habet iustificandi extra Sacramentum, quo modo in omni lege necessaria fuit. quo posito,

140. DICO 1. ad perfectam pœnitentiam non requiritur, vt vnicuique peccato mortali sua respondeat specialis detestatio. fundamentum: nam hoc est cōtra illud Theologicum, ac Patrum axioma, *In quacunque hora ingemuerit peccator &c.* sed peccator per vnum actum contritionis verè ingemiscit: ergo Deus statim delet omnes iniquitates eius. Minor probatur: quia contritio cùm sit actus omnium maximus, quem peccator cum auxilio Dei potest elicere, non datur alius perfectior, quo meliùs possit pœnitere, & ingemiscere Deo: ergo si Deus statim ad primum actum contritionis offensas non condonat, dici non potest, quod statim gemente peccatore (hoc enim sonat *Ly in quacunque hora*) Deus non ampliùs recordetur iniquitatum eius. Nec dici potest, quod statim ad primum actum contritionis Deus condonet offensas; sed cum onere postea eliciendi de singulis singulas contritiones: sicut statim ad actum contritionis iustificat impium ab iniquitatibus suis, sed cum onere distinctè eas confitendi: Non inquam dici hoc potest, quoniam onus confitendi peccata per contritionem iam remissa, est præceptum diuersum, quod non adimpletur per solam contritionem; at onus habendi alias contritiones de iisdem peccatis iam condonatis, non est diuersum præceptum à præcepto contritionis, quod per primum contritionis actum perfectè est adimpletum. Confirmatur, quia sæpe hoc præceptum est seruatu impossibile, vt cùm peccator

cator multo plures commisit culpas, quàm per tempus liceat de singulis singulas habere contritiones, vt in extremo vitæ. Secundò probatur à pari: nam neque hoc præceptum impositum est sacramento confessionis, in quo tenemur singula peccata distinctè confiteri: sufficit enim de illis omnibus vnum actum contritionis habere ex motiuo vniuersaliter se extendente ad omnia.

141. Tertiò à priori: quia per vnum actum contritionis perfectè conuertimur ad Deum: ergo & Deus perfectè conuertitur ad nos: ergo perfectè iustificamur: quia ad perfectam iustificationem nihil aliud requiritur, quàm perfecta conuersio mutua ex parte nostri ad Deum, & Dei ad nos. reliqua patent ex dictis.

142. Dico 2. distincta recogitatio peccatorum, non est necessaria ad contritionem vt medium, vel ex natura rei, vel ex institutione Diuina: est omnium. Fundamentum est: quia quod est necessarium hoc modo, est simpliciter necessarium. Vnde nunquam posset haberi contritio sine tali recogitatione peccatorum: consequens est falsum: Nam omnes concedunt, haberi posse contritionem, & consequenter iustificationem sine distincta recogitatione peccatorum, vt in articulo mortis, quando defectu temporis nequit peccator distinctè sua peccata recogitare, vel si ante distinctam recogitationem peccatorum moueatur pœnitens ex dilectione Dei ad detestanda omnia peccata in genere. In his enim casibus communiter admittunt, hominem elicere actum contritionis, & iustificari. Antecedens probatur: quia quando aliquid est necessarium, vt medium ex natura sua requisitum ad actum, nequit actus sine tali medio elici; sicut quia fides est hoc modo requisita ad contritionem, nequit hæc sine illa produci. Eadem est ratio, quando medium est necessarium ex diuina institutione: nam tunc Diuina institutio facit, vt talis actus non sit validus sine tali medio: sic attritio sine baptismo, aut pœnitentiâ Sacramento non est valida ad iustificandum, quæ tamen cum illis valida est. Igitur si distincta recogitatio peccatorum esset necessaria vt medium: vel ex natura rei; vel ex Diuina institutione, nunquam posset contritio haberi sine illa ex vi præsentis institutionis: cùm tamen ex vi præsentis institutionis Doctores doceant, haberi posse contritionem, ac proinde iustificationem ipsam sine distincta peccatorum recogitatione.

143. Dico 3. tenetur peccator ex vi efficacis dilectionis Dei, in actu contritionis inclusæ, sub præcepto naturali ad distinctam recogitationem omnium mortalium: quamuis opposita opinio probabilis sit, & practicè secura. Hæc posterior pars constat argumentis secundæ sententiæ. Quoad priorem verò maximam mihi vim facit auctoritas S. Thomę, & reliquorum ferè omnium Scholasticoru m: cui accedit authoritas Catechismi de sacram. pœnitent: Cuius præcipuum Fundamentum, quod ex ipsis colligitur, est: quia pœnitentia formalis de omnibus, & singulis peccatis, est de iure naturæ requisita ad perfectam reconciliationem cum Deo: sed hæc haberi non potest sine distincta peccatorum recogitatione. Maior constat ex dictis: nam perfecta reconciliatio, supponit saltem in voto perfectam retractationem offensæ; hæc autem fieri non potest, nisi per formalem detestationem omnium, & singularum offensarum: nam omnis alia imperfecta est, & virtualis tantùm. Minor probatur: quia cùm detestatio sit actus voluntatis, non potest esse formalis, & expressa, nisi de obiecto distinctè cognito: ergo detestatio, quæ fertur in peccata in communi, & confusè tantùm cognita, non est formalis, & expressa omnium; sed virtualis tantùm, & implicita. Nec est eadem ratio de proposito seruandi pręcepta; quia hoc sufficit, vt feratur in præcepta confusè cognita: nam finis huius est, confirmare animum ad obseruantiam diuinorum præceptorum, quod haberi potest, siue distinctè; siue confusè ad ea feratur. At finis detestationis peccatorum est, ea ex animo retractare, & condignam pœnam sumere, quatenus offensa Dei sunt, qui finis eò perfectior habetur, quò distinctiùs ea cognoscuntur: cùm ergo non teneamur singulas offensas singulis detestationum actibus retractare, saltem tenebimur omnes distinctè recogitatas vno retractationis actu detestari, quem S. Thomas appellat pœnitentiam specialem, & distinctam.

S. Thomas. Catechism.

144. Confirmatur ex S. Thoma in 4. d. 17. q. 2. art. 2. quæstiun. 6. ad secundum quia peccata non solùm sunt detestanda secundùm malitiam genericam, & communem; sed etiam secundùm specificam, & particularem, quam habent penes obiectum, & conuersionem ad creaturas, secundùm quam nequeunt expressè detestari, nisi distinctè eorum species cognoscantur.

S. Thomas.

145. Secundò probatur: In noua lege necessaria est distincta recogitatio peccatorum propter confessionem: ergo etiam in veteri fuit necessaria. Consequentia probatur: quia verisimile non est, ad plus homines obligari in noua, quàm in veteri lege. Nec dici potest, nunc esse necessariam, quia confessio fit homini, qui debet pœnitentiam imponere iuxta numerum, & qualitatem delictorum: Nam qua ratione nunc iudicium examinandi, & puniendi, peccata, vt offensa Dei sunt, commissum est Sacerdotibus, in veteri lege commissum erat ipsi peccatori, qui tanquam Dei minister tenebatur facere iudicium & iustitiam de proprijs peccatis, iuxta illud Ezechielis 18. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus*

Non ad plus obligantur homines in noua; quàm in veteri lege.

Ezech. 1.

peccatis suis, & fecerit iudicium, & iustitiam, vita viuet.

146. Confirmatur: nam in veteri lege varia fuere sacrificia pro varijs peccatis instituta: ergo etiam in ea necessaria erat distincta recogitatio peccatorum. Consequentia probatur: quia sacrificium erat signum interioris pœnitentiæ, sicut nunc confessio interioris doloris antecedens constat ex capite 4. 5. & 6. Leuit. vbi pro varijs peccatis varia recensentur instituta sacrificia.

Leuit. 4. 5. 6

147. Tertiò hanc distinctam peccatorum recogitationem indicat scriptura Isaiæ 38. *recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ* Psal. 37. *iniquitatem meam annunciabo, & cogitabo pro peccato meo:* quem locum legit Augustinus *iniquitatem meam ego pronuncio, & curam gero pro peccato meo.* Psalm. 76. *Cogitaui dies antiquos, & meditatus sum nocte cum corde meo, & exercitabar, & Scopebam Spiritum meum:* in quem locum Augustinus *in secretario, inquit, suæ mentis agit, velut qui vapulauerat foris, tulit se intro: scrutabatur spiritum suum: se ipsum interrogabat: se ipsum examinabat: in se index erat.* Et sanè, vt bene aduertit Canus, Quid opus erat tam anxia cura, vt ab occultis mundaretur Psalm. 18. Si generalis pœnitentia satis erat ad peccata omnia delenda? Nec dici potest cum Suarez, hoc esse consilium, non præceptum: nam citata testimonia plus aliquid indicant, quàm consilium.

Isa. 38. *Psal. 37.* *Augustin.* *Psal 76.* *Augustin.* *Canus.* *Psalm. 18.* *Suarez.*

148. Cæterùm non existimo, hanc distinctam peccatorum recogitationem toties esse repetendam; quoties elicienda est contritio; sed semel duntaxat de peccatis nondum recogitatis: quemadmodum vna tantùm confessio sufficit de peccatis nunquam confessis, quo fit, vt si hæc recogitatio peccatorum præcesserit actum contritionis, non sit alia circa eadem pecata facienda: si verò non præcesserit, quod contingit, quando antequam peccata distinctè recogitantur, elicitur contritio de peccatis confusè tantùm cognitis, tunc recogitanda sunt distinctè peccata, distinctéque retractanda, cùm antea non fuerint, nisi confusè, & implicitè retractata. Ratio: quia cùm hæc distincta recogitatio, & detestatio specialis peccatorum non sit necessaria vt medium ad contritionem; sed vt præceptum naturali iure annexum reconciliationi diuinæ, non debet necessario præcedere, aut statim subsequi actum contritionis; sed potest in opportunum tempus differri. Lege S. Thomam de ver. quæstione 28. articulo quinto, ad quart. Nec est eadem ratio de detestatione implicita peccatorum, quam supra docuimus debere statim subsequi efficacem dilectionem Dei, si statim ad illam subsequitur memoria confusa peccatorum: Nam hæc, vt exerceatur, non eget mora temporis; sed potest in instanti fieri: secus de distincta peccatorum recogitatione, quæ quia, vt exactè fiat, requirit opportunitatem temporis, ideo non statim obligat. Puto tamen, quod est notandum, hanc explicitam peccatorum recogitationem, nunc suppleri per annuam confessionem Sacramentalem, in qua quisq; tenetur moralem adhibere diligētiam ad recolenda omnia peccata commissa.

Thomas.

149. Dices. Posterior pars conclusionis non cohæret cum prima: nam si tutiùs est, distinctè peccata recogitare, nequit opposita opinio esse practicè secura. Sequela probatur: quia dilectio Dei, quam includit contritio, debet esse super omnia: ergo debet operari iuxta tutiorem opinionem. Confirmatur: quia non satisfacit præcepto propriæ Charitatis, qui in articulo mortis operatur iuxta opinionem minùs tutam.

150. Respondeo, nego sequelam. Ad cuius probationem, nego consequentiam: pro qua distinguenda est duplex opinio: Altera, quæ quoad practicam securitatem, solùm pendet à ratione humana: Altera, quæ pendet à re ipsa à parte rei existente; vel à diuina institutione independenter ab humanis institutionibus: priora sunt, quæ inter Doctores controuertuntur, an sint necessaria necessitate præcepti, eaque tutiora, aut probabiliora dicuntur, quę plures habent rationes, Auctorésue: & in his æquè tutum est, sequi partem minus probabilem, minúsque tutam, relicta parte probabiliore; ac tutiore, eò quòd hęc maior probabilitas, & securitas proximè prouenit ex ratione humana, quę non obligat ad sequendum, quod nobis tutiùs, probabiliúsque videtur. Cuius ratio est, quia etiam opinio minùs probabilis, minúsque tuta, modò aliqua probabilitate non careat, est homini, qui de rebus euidentiam non habet, sufficiens regula ad operandum ex honestate Virtutis.

Quando quis sequi possit sententiam minus probabilem.

Opinio probabilis est sufficiens regula ad honestè operandum.

151. Posteriora sunt, quę controuertuntur, an sint necessaria vt media ex natura rei; vel ex Diuina ordinatione: securitas enim in his rebus non pendet ex iudicio humano; sed ex re ipsa à parte rei existente; vel ex Diuina voluntate sic instituente, atque in his tenemur sequi partem tutiorem, præsertim quando eam commodè sequi possumus. Quia igitur distincta recogitatio peccatorum non requiritur vt medium, sed vt præceptum, potest quis tuta conscientia oppositam sententiam minùs tutam, minusque probabilem sequi. Contra verò, quia multi contendunt, pœnitentiam formalem requiri vt medium ad iustificationem, non possumus, tuta conscientia, eam non adhibere circa peccata, quæ menti occurrunt: quia cùm natura medij ea sit, vt si non adhibeatur, non possit aliunde suppleri, dum probabilis opinio affirmat, quod ea sit necessaria vt mediū, omittendo hanc opinionem

Quando quis teneatur sequi quod tutiùs est.

nem, exponimur probabili periculo non consequendi salutem, & amicitiam Dei, quod est per se malum; cùm illam commodè sequi possumus: non sic est, cùm controuersia tantùm est de necessitate præcepti: quia hoc non requiritur vt medium in re, hoc est ad iustificationem simpliciter necessarium; sed solùm ne nouum incurramus peccatum: hoc autem non incurrimus, si probabili tantùm opinione regulamur, etiam relicta probabiliore, ac tutiore: nam etiam hæc est licita regula humanorum actuum.

152. Ad fundamentum primæ sententiæ. Respondeo quod sicut in ordine ad confessionem sufficit vna contritio de omnibus confitendis: ita in ordine ad pœnitentiam vna detestatio de omnibus pœnitendis. Cæterum Catechismus hoc tantùm suadet vt quid perfectius, non præcipit vt necessarium, vt constat ex ipsius verbis: *Hortandi*, inquit, *& monendi sunt.*

153. Ad confirmationem nego consequentiam: nam potest dari detestatio cadens super omne detestabile. S. Thomas autem explicatur iuxta tertiam sententiam.

154. Ad fundamentum secundæ, nego antecedens, quoad distinctam recogitationem peccatorum: nam hæc rectè colligitur tum ex ipsa natura perfectę reconciliationis, quę perfectam postulat detestationem omnium peccatorum: tum ex scriptura, quę nobis pręcipit formalem pœnitentiam de omnibus peccatis.

155. Ad confirmationem patet ex dictis: Non enim hęc peccatorum recogitatio requiritur vt medium ad contritionem: sed solùm vt præceptum; vnde non est necesse, vt illam præcedat, sed potest subsequi, & in opportunum tempus differri.

SECTIO VII.

An contritio certam requirat actus intensionem?

Adrianus.

156. PRIMA sententia Adriani in 4. quæst. 2. summam requirentis intensionem, sine qua pœnitentia, inquit, non est sufficiens ad iustificationem. Fundamentum: quia scriptura ad perfectam pœnitentiam requirit totius cordis contritionem, Ioëlis 2. *Conuertimini ad me in toto corde vestro:* Deuter. 4. *Si quæsieris Dominum Deum tuum, inuenies eum; si tamen toto corde quæsieris, & tota tribulatione animæ tuæ.*

Ioel. 2. *Deuter 4.*

157. SECVNDA sententia Bonauent. in 4. distinct. 16. 1. p. artic. 2. quæst. 1. Duran. distinct. 17. quæst. 4. Paludani, quæst. 1. artic. 5. Richardi art. 1. quęst. 5. ad 3. Petri Soti de perfectione contritionis sect. 15. & 16. Nugnez quæst. 3. in additione ad tertiam partem artic. 1. conclus. 5. affirmantium, contritionem quoad intensionem doloris intellectualis, non autem sensitiui, debere re ipsa excedere omnem alium dolorem. Fauet S. Thomas in 4. distinctione 17. quæst. 2. artic. 3. quæstiuncula prima, vbi docet, dolorem contritionis excedere alios dolores: quia quantum aliquid placet; tantùm displicet eius contrarium: at finis super omnia placet, cùm omnia propter ipsum appetantur: ergo peccatum, quod ab vltimo fine auertit, debet super omnia displicere. Hanc opinionem Petrus Sotus ita certam putat, vt oppositam censeat periculosam, nec posse sine errore doceri.

Bonauent. Durandus. Paludanus. Richardus. Petrus Sotus. Nugnez. *S. Thomas* *Petri Soti Censura.*

158. Primò quia scriptura hortatur ad pœnitendum cum magno dolore. Micheæ 4. *Dole quasi parturiens.* Isaiæ 59. *rugiemus quasi vrsi*, Psalm. 37. *rugiebam à gemitu cordis mei*: quod notauit Tridentin. sess. 14. ca. 4. hos sanctorum clamores ex vehementi quodam ante actæ vitę odio, & ingenti peccatorum detestatione manasse.

Michee 4 Isai 59. Psal. 37. Trident.

159. Secundò reprehenduntur in scriptura, qui remissè operantur, Ierem. 48. *Maledictus qui facit opus Domini negligenter.* Apocalyps. 3. *quia tepidus es, incipiam te euomere ex ore meo.*

Ierem. 46 Apocal. 3.

160. Tertiò. Patres requirunt dolorem excedentem, aut saltem æquantem delectationem peccati. Cypria. serm. de lapsis: *quàm magna deliquimus; tam granditer defleamus.* Ambr. ad Virginem lapsam cap. 8. *quanta putas, & qualis necessaria pænitentia, quæ aut æquet crimina, aut certè excedat?* Hugo de Sancto Victore libro secundo, de Sacram. parte 14. cap. 2. *Si in correctione minor est afflictio, quàm in culpa fuit delectatio, non est dignus pœnitentia tuę fructus.* Nam dolor teste Augustino fundatur in amare: ex hoc enim quod aliquid amamus, de amissione eius dolemus; sed dolor contritionis fundatur in amore charitatis: ergo tantus debet esse dolor contritionis, quantus est amor charitatis, quo Deum diligimus: sed hic excedere debet omnem alium amorem iuxta illud: Matth. 10. *qui amat Patrem, aut matrem plusquam me, non est me dignus:* ergo & dolor contritionis excedere debet omnem alium dolorem. Non potest autem excedere omnem alium dolorem, nisi per conatum, & intensionem maiorem: quia formæ accidentales, quæ intenduntur, & remittuntur, non alia ratione dicuntur perfectiores, & maiores alijs, nisi quia tenaciùs hærent subiecto, per maiorem radicationem, & intensionem in illo, ratione cuius maioris radicationis, & meliùs resistunt contrarijs, & fortiùs adhęrent subiecto.

Cyprianus. Ambrosius Hugo Victorinus. Augustin Matth. 10

161. TERTIA sententia Scoti in 4. distinctione 14. quęstione 2. artic. 2. Aureoli, ar. 4. Bassoli quæstione secunda, articulo secundo, requirentium certum gradum intensionis in actu contritionis, quem (vt inquit Bassolus) Deus determinauit. Inclinat Alensis 4. parte, quæstione 17. mem. 2. articulo primo §. tertio. S. Thomas in 4. dist. 17. q. 2. a. 5. quæstiune. 3. Caiet. tom. 1. opus.

Scotus. Aureolus Bassolus. *Alensis. S. Thom. Caietanus*

opusc.tract.4.q.1. vbi docet, non quamcunque peccati displicentiam sufficere ad contritionem; sed esse posse ita remissam: vt ad iustificationem non sufficiat: at verò nullum huius opinionis inuenio probabile fundamentum.

Altisid. Argentin. Gabriel. Sotus. Palatius. Medina. Canus. Nauarrus. Henriquez. Suarez. Bellarmin.

162. QVARTA sententia Altisiodor.lib. 4.tract. 6.c.2.q.3.Argent.in 4. dist. 17. qu.1. a.3.ad 4. Gabriel. dist.14 q.1.ar. 2.conclus. 5.Soti dist. 17.q. 2.a. 4. Palatij disp. 1. versus finem, Med. cod. de pœnitentia tract. 1. q. 5. Cani relect. de Sacram. Pœnit.parte 3. circa medium, Nauarri in sum.cap.1. num.9. Henriquez lib. 4. de Sacram. cap. 27. Suar. disp.4.sect.4.Bellar. lib. 2. de pœnit.cap.11. asserentium: contritionem nullam poscere certam intensionem; sed dici summam duntaxat appretiatiuè, seu prælatiuè.

163. Pro explicatione nota præsentem controuersiam non esse de intensione doloris sensitiui; quia hic est passio consequens actum contritionis, qui non semper illi quoad intensionem commensuratur: sed de intensione doloris, seu displicentiæ intellectualis, in qua formaliter consistit contritio.

Censura opinionis.

164. DICO primò, contritionem debere esse summam intensiuè, est opinio omnino improbabilis, quin Sotus *§. restat*, ait esse temerariam, & sacris literis parùm consonam.

Trident.

Colligitur ex Trident. sess.6. cap.7. vbi docet in iustificatione vnumquemque suam recipere iustitiam, secundùm mensuram propriæ dispositionis. Supponit ergo Concilium inæqualitatem in ipsa contritione, quæ est dispositio ad iustitiam. Vnde ex opposita sententia sequitur, æqualem semper gratiam dari iustificandis, nec vllum fore inter ipsos discrimen: eandem quippe gratiam cõsequutus esset Paulus, Magdalena, & alij insigniter iustificati, ac cæteri communiter conuersi. Sequela patet, quia si omnis tenetur ad maximam dispositionem, ergo omnes tenentur ad æqualem, cum non detur maior maxima: sed gratia iustificationis datur iuxta mensuram dispositionis: ergo omnes æqualem consequerentur gratiam.

165. Vnicum ac potissimum fundamentum huius sententiæ est: quia opposita sententia est seruata impossibilis, saltem moraliter: at nullum præceptum Dei est moraliter impossibile, teste Trident. sess. 6. cap.

Trident.

11. maior probatur: quia operari secundùm vltimum posse, est moraliter impossibile homini viatori, qui ad operandum applicatur per notitiam obscuram, & abstractiuam finis, quæ voluntatem applicat imperfectè ad operandum. Vnde vix hoc ex peculiari priuilegio conceditur Beatę Virgini. Confirmatur, quia hæc maior intensio, & conatus in contritione non est sumendus ex parte potentię naturalis, sed obedientialis, cum speciali auxilio gratiæ: sed hæc in intensione non habet terminum: ergo.

166. DICO 2. improbabile etiam est, contritionem debere esse summam intensiuè in ordine ad alios dolores, vel certum aliquem gradum intensionis habere. Colligitur ex capite, *talis*, de pœnitentia causa 33. dist. 3. *talis est*, inquit, *erga homines pietas Dei, vt quantulamcumque, & quamlibet non respuat pœnitentiam*. Fundamentum: quia hoc ex nullo capite colligi potest: non ex scriptura, aut Patribus: qui si quando iubent summum dolorem, summamque detestationem peccatorum, rectè possunt explicari de summo dolore appretiatiuè, quem vel minima contritio habet ex suo motiuo formali; neque ex natura ipsa contritionis: quia hæc solùm dicit detestationem peccati, vt est offensa Dei: at quęuis contritio quantumuis remissa dicit hanc peccati detestationem: Nam hoc habet ex obiecto, & motiuo suo formali; neque ex aliquo pręcepto naturali contritioni annexo: quia nullum assignari potest.

167. DICES, colligi ex præcepto naturali, quo vnusquisque tenetur ęternam salutem tutiori via procurare. Sed contrà: quia hoc præceptum non obligat, nisi in ijs, quæ probabiliter censentur vt media ad salutem necessaria; at hoc ne probabiliter quidem censeo ad salutem necessarium. Non inficior, eum, cui opposita opinio est practicè probabilis, teneri saltem in articulo mortis, aut quando currit præceptum de contritione, ad conandum habere talem dolorem, intensiuè excedentem omnes alios dolores, cùm non sit sola probabilitas pręcepti: sed medij, nempe ipsius contritionis.

168. Confirmatur: quia nunquam præcepta dantur de re incerta, & ignota; cùm enim debeant humano modo seruari, humanam requirunt certitudinem, & cognitionem, vt inductione constat in omnibus præceptis Diuinis, & humanis, quæ non obligant, nisi humano modo nota: at certa istæc intensio doloris ad actum contritionis requisita, est homini prorsus incerta, & ignota: ergo nequit in humanum præceptum cadere.

169. Secundò probatur: quia non minùs fides, spes, & charitas, quàm pœnitentia sunt in præcepto; sed hæc non cadunt in præceptum sub certa intensione; ergo neque illa. Consequentia probatur: quia non minus charitas tendit ad Deum super omnia diligibilem; quàm pœnitentia ad peccatum super omnia detestabile: nec minùs de charitate, quàm de pœnitentia dicitur toto corde in Deum ferri. Minor probatur, quoniam nullus hactenus hoc asseruit, nec asseri potest cum fundamento. Cuius ratio à priori est, quia quando datur præceptum de actu virtutis, præceptum non cadit nisi in essentialia, non autem in accidentalia actus, nisi exprimantur: quia pręcepta non sunt seruanda, nisi secundùm rigorem verborum: sed pœnitentia, sicut & charitas, non præcipiuntur in scriptura secundùm certam intensionem; ergo non obligant, nisi secundùm essentialia virtutis.

Præcepta sunt seruanda secundùm rigorem verborum.

Sotus.

170. DICO 3. contritio est summus dolor appretiatiuè. Conclusionem hanc Sotus appellat Euangelicam veritatem, secundùm

quam

quam intelliguntur scripturę, Patres, & Scholastici, cùm docent contritionem esse totius cordis. & animi conuersionem: nec non excedere omnes alios dolores. Fundamentum est: quia contritio habet pro motiuo, & obiecto formali Deum summè dilectum, quippe cùm peccatum detestetur vt est malum, & offensa Dei super omnia diligibilis: ergo ex suo motiuo formali habet, vt sit supra omnes alios dolores, ac proinde summus appretiatiuè. Consequentia constat: quia actus perfectionem sumit ex obiecto; sed obiectum formale contritionis est Deus, vt bonum summè appretiabile; ergo contritio est summa appretiatiuè; nam perfectio motiui communicatur actui, cum actus vitalis sit adhæsio potentiæ ad obiectum. Vnde eò actus est præ cæteris firmior, ac fortior; quò ipsius obiectum est præ cæteris dignius, ac præstantiùs; quia enim fides est adhæsio intellectus cum prima veritate, est certior qualibet notitia etiam euidenti: quia spes est adhæsio voluntatis cum summo bono consequibili per auxilium infallibile Dei, est firmior qualibet spe humana: quia charitas est adhæsio animi cum Deo summè diligibili, est fortior quolibet amore naturali: ergo, quia contritio est fuga, & auersio à peccato vt summo malo, cùm sit auersio ab illo, vt offensa Dei super omnia diligibilis, cuius malum tantùm est detestabile, quantùm eius bonum est diligibile, quippe cùm malum sit priuatio boni, erit summa detestatio, & auersio, excedens omnem aliam mali detestationem, & auersionem.

Actus perfectionem sumit ex obiecto.

Quid sit actus vitalis.

171. Ex his sequitur, nullam certam intensionem ad actum contritionis requiri, sed posse in quolibet remississimo gradu saluari: quia nullus remissus gradus contritionis potest dari, qui non specificetur à motiuo formali contritionis: sed formale motiuum contritionis, est auertere voluntatem à peccato super omne detestabile. ergo. legat. Argent. loc. cit. ad 4.

Argentin.

172. DICES. Repugnat dolorem esse summum appretiatiuè, & non intensiuè. Respondeo nego antecedens, quippe cum oriantur ex diuersis principijs: Vnus ex perfectione motiui: Alter ex perfecta applicatione obiecti, & conatu potentiæ.

Dolor appretiatiuus & intensiuus oriuntur ex diuersis Principijs.

173. DICO 4. Pœnitens ex vi contritionis, non solùm præeligit malo culpæ omne malum pœnæ, etiam inferni, si ab eo culpa præscindatur; sed vi eiusdem detestatur magis vnum peccatum, quàm aliud, non quidem formaliter, sed virtualiter. Primū constat, quia contritio includit dilectionem Dei super omnia, vi cuius creatura diligit Deum supra se ipsam: sed malum culpę est malum Dei obiectiuè, quia immediatè opponitur Deo: malum autem pœnæ est malum proprium: ergo ex vi contritionis pœnitens præeligit omne malum pœnæ malo culpæ saltem implicitè: nam explicitè non est obligandus, immo nec consulendus ad huiusmodi comparationes ob periculum: quia mala in particulari considerata magis terrent.

174. Secundum probatur: quia quò offensa in Deum est grauior, eò est detestabilior: sed vna est grauior alia: ergo vna est detestabilior alia: ergo ex vi contritionis pœnitens magis detestatur vnum peccatum, quàm aliud; non quidem formaliter: quia cùm per vnum actum detestetur omnia, non potest formaliter vnum magis alio detestari; sed virtualiter: quia ex vi contritionis paratus est vnum magis alio detestari formaliter, legatur S. Thomas in 4. dist. 17. qu. 2. a. 3. quæstiuncula 3. Alensis 4. parte quęst. 37. mem. secundo, art. 1. §. 2. Bonau. dist. 16. p. 1. artic. 4. quæst. 2. Vnde ex suppositione, quod debeas ad euitandum vnum peccatum, aliud necessario committere, teneris eligere minus, vt euites maius, tamets si eligendo maius, non pecces mortaliter, vt rectè Henriquez: quoniam excessus vnius mortalis supra aliud non est notabiliter grauis. Suppositio tamen implicat: quia nunquam datur casus, quo ad euitandum peccatum maius, sit necesse minus committere: nam hoc ipso, quod talis necessitas vrget, cessat ratio culpæ in peccato minore; secus esset in aliena persona: quia posset ille esse determinatus ad committendum maius, & tunc licitum est, consulere minus: quia tunc non consulitur formaliter peccatum; sed fuga maioris.

S. Thomas.
Alensis.
Bonauent.

Henriquez.

Determinato ad cōmittendum maius peccatum licet cōsulere minus.

175. Ex his patet ad fundamentum primæ sententiæ: intelligitur enim de totalitate integritatis cordis, non intensionis: quia qui ad Deum conuertitur, totus debet conuerti, nihil cum Deo diligens, quod non propter Deum diligat; alioqui, vt rectè Augustinus non est Deo dignus, qui aliquid cum Deo amat, quod non propter Deum amat.

Augustin.

176. Ad primùm verò argumentum secundæ sententiæ. Respondeo prædictas similitudines afferri ad explicandam vim doloris appretiatiui. Ad Concil. dico, illud solùm explicare vehementiam doloris, quem antiqui patres ex commisso peccato conceperunt, nullam verò regulam tradere de intensione actuum.

177. Ad secundùm, dicitur negligenter opus Dei facere, qui defectu moralis diligentiæ multas omittit circumstantias debitas: Vnde facit illud mancum, & imperfectum. tepidus autem ex S. Thoma quæst. 3. de malo art. 13. ad primum, dicitur peccator Christianus, qui cum fide non adhibet charitatem, estque veluti medius inter infidelem, qui defectu omnium virtutum frigidus est, & iustum, qui merito charitatis calidus dicitur.

S. Thomas.

Peccator Christianus medius est inter infidelem, & iustum.

178. Ad tertiùm dico, vel Patres loqui de excessu appretiatiuo, vel de pœnitentia non solùm in ordine ad remissionem culpę; sed etiam pœnę, ad quam maximè conducit intensio actus. lege Sotum §. restat. Nego autem, quod in argumento assumitur

Sotus.

tur, nempe formas accidentales intensibiles, non posse alia via esse perfectiores alijs, nisi per maiorem intensionem, & radicationem in subiecto: nam possunt esse perfectiores ex obiecto, & motiuo formali, ratione cuius dicuntur maiores alijs virtute, & perfectione obiectiua.

179. Dubitatur hic primò: An sit magis detestandum mortale proximi; quàm veniale proprium. Respondent Paludanus & reliqui fere Theologi, negatiuè; quia sicut non debemus diligere maius bonum absolutum, sed maius nobis: ita nec tenemur detestari maius malum simpliciter, sed maius malum nobis: veniale autem proprium est maius malum nobis, quàm mortale alienum. Verùm, quoniam hæc ratio solùm militat iuxta leges dilectionis erga nos, non autem iuxta leges dilectionis erga amicum, cuius sicut maius bonum præferendum est minori bono nostro: ita maius malum detestabilius est, quàm minus malum nostrum; ideo addenda est hæc alia ratio. Nunquam lex amicitiæ dictare potest, vt vel leuiter offendatur amicus ad euitandam grauem offensam eidem amico ab altero inferendam: quia nunquam lex amicitiæ dictare potest, vt faciam contra voluntatem amici: sed hoc ipso, quod venialiter peccarem, facerem contra voluntatem Dei, etiamsi per hoc intenderem vitare graue peccatum alterius. Igitur non potest hoc dictare lex amicitiæ; aliàs hoc ipso, quod lex amicitiæ hoc dictaret, licitum esset, proindeque nulla in eo casu foret offensa: nam quidquid licitum est, peccatum non est: sicut nulla foret offensa Dei, si ad euitandum mortale proprium, eligerem veniale proprium. Vel igitur implicat in adiecto, ad euitandam grauem offensam proximi, committendam esse leuem propriam; nam hoc ipso quod hoc licitum esset, cessaret ratio offensæ propriæ; vel esset contra leges amicitiæ, quæ dictat, in nullo casu operandum esse contra voluntatem amici: alioqui amicitia inclinaret ad obiectum destructiuum sui: nam finis amicitię est, in omnibus obsequi voluntati amici, & nunquam contra illam conari.

180. Dubitatur secundo. An possit pœnitentia excedere limites virtutis. Respondeo affirmatiuè, non solùm per defectum, sed etiam per excessum. Vnde si dolor sit destructiuus, vel notabiliter læsiuus subiecti, & fiat cum aduertentia rationis, est culpabilis: ita Alensis loco citato §. quarto, Durandus numero sexto, Sotus conclusione 4. ratio, quia omnis actus, vt sit studiosus, non debet excedere mensuram rationis: Mensura autem omnium actuum corporalium sumitur per ordinem ad conseruationem subiecti: ergo actus, qui est destructiuus, vel notabiliter læsiuus subiecti, non est studiosus; si autem fiat sine aduertentia rationis, detrimentum, vel mortem inde sequutam docet Paludanus imputari ad martyrium.

181. Dubitatur tertio. Quænam grauior culpa sit excessus, an defectus in Pœnitentia. Respondeo esse defectum: ratio, quia quando virtus datur ad intendendum actum, defectus est peior excessu: quia magis opponitur virtuti: sic timiditas est peior audacia, quia magis opponitur fortitudini, quæ datur ad roborandum animum circa pericula mortis: sic auaritia est peior prodigalitate: quia magis opponitur liberalitati, quæ datur ad impellendum animum circa donationes. Quando verò virtus datur ad remittendum actum, tunc excessus est peior defectu: quia magis opponitur virtuti; sic intemperantia peior est insensibilitate: quia magis opponitur temperantiæ, quæ datur ad compescendam vim concupiscibilem circa delectabilia sensus: quia igitur pœnitentia datur ad impellendum animum circa puniriones peccatorum, circa quas sumus naturaliter remissi, culpabilior est eius defectus: quia magis opponitur pœnitentiæ: lege Mayronum in 4. distinct. 14. quæst. 4.

182. Dices. Desperatio est peior impœnitentia: sed desperatio est excessus: ergo. Respondeo nego desperationem esse excessum pœnitentiæ; sed potiùs defectum spei, quæ virtutem pœnitentiæ comitatur.

SECTIO VIII.

An ad contritionem requiratur certa temporis mora?

183. PRIMA sententia Scoti in 4. distinct. 14. quęst. 2. artic. 2. Aureoli articulo quarto, Mayroni distinct. 20. quæst. 3. in fine, Bassoli dist. 14. quęst. 2. ar. 2. affirmantium: putat enim Scotus, peccatorem viribus proprijs detestari peccatum vt offensiuum Dei, & nociuum sibi, & per hunc actum continuatum per aliquod tempus in termino illius, & non ante de congruo mereri infusionem gratiæ, remissionemque peccatorum, ita vt in principio elicitionis non sit dispositio vltima ad iustificationem: fieri autem dispositionem in termino alicuius temporis, in quo talis actus continuatur. Quantum autem debeat esse hoc tempus, Deus, inquiunt, scit, qui illud ad meritum de congruo determinauit. Mayronus docet eò tempus fore maius, quò actus est remissior: eoque tempus esse minus, quò actus est intensior.

184. SECVNDA sententia S. Thomæ in 4. dist. 17. quęst. 1. artic. 2. quęstiuncula prima, & ad primum, & quæst. 2. artic. 5. quę-

[Marginalia: Paludanus. — Alensis. Durandus. Sotus — Paludan. — Mayronus. — Scotus. Aureolus. Mayronus. Bassolus. — Mayronus. — S. Thomas.]

Gabriel. Sotus. Medina. Canus. Bellarmin. Henriquez. Suarez. Valentia. Nugnez. Catechismus.

quæstiuncula 1.& 1.2. quęſt. 113.artic.7. Gabriel. diſtinct. 14. quæſt. 1. art. 2. cap. 5. Soti diſt. 17. quęſt. 2. artic. 4. in fine, Medin. Cod. de pœnitentia quęſt. 5. Cani relectione de Sacramento pœnitentię parte 3. §. *ex eodem quoque fonte.* Bellarmini lib. 2. de Sacramento pœnitentiæ cap. 11. propoſitione 4. Henriquez libro 4. de Sacramentis cap. 27. Suarez diſp. 4. ſect. 5. Valentiæ diſp. 7. quæſt. 8. de contritione punct. 5. Nugnez quęſt. 4. in additione ad tertiam partem art. 1. diffi. 2. negantium. *Quæ ſententia vera eſt, & amplectenda, cuius oppoſita eſt omnino improbabilis, quam Sotus temerariam cenſet,* eamque expreſsè docet Catechiſmus de Sacramento pœnit. §. *Maximè autem.*

Ezechiel 18. & 33. Iſaias 30. Zacharias 1.

185. Probatur 1. ex prophetarum oraculis, Ezechiel 18. & 33. *In quacunque die, ſiue hora, vel momento* (vt Patres exponunt) *conuerſus fuerit peccator ab impietate ſua, omnium iniquitatum eius, non recordabor.* Iſaię 30. *ad vocem clamoris tui, ſtatim vt audierit,* nempe Dominus, *reſpondebit tibi.* Zachariæ 1. *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos.* Igitur contritio, qua peccator in Deum ingemit, clamat, & conuertitur, nullam poſtulat temporis moram, vt peccatorum condonationem à Deo impetret. Eadem veritas colligitur ex propoſitionibus conditionalibus, & hypotheticis, quibus Deus ſalutem peccatori promittit ſub conditione, ſi pœnituerit. Iſaiæ 30. Iuxta 70. *Cùm reuerſus ingemueris, tunc ſaluus eris.* Ieremiæ 18. *Si pœnitentiam egerit gens illa à malo ſuo; agam & ego pœnitentiam ſuper malo, quod cogitaui, vt facerem ei.* Apocalypſ. 3. *Si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipſe mecum.* Porrò propoſitio conditionalis ad ſui veritatem non requirit, niſi ſolam conditionis purificationem.

Iſaias 30. Ieremias 18. Apocalyp. 3.

Cyprianus.

186. Secundò. Eandem docent Patres: Cyprianus, ſiue quicunque alius ſit Author ſermonis de cœna Domini, circa finem ita ſcribit: *Nec quantitas criminis, nec breuitas temporis, nec hora extremitas, nec vitæ enormitas, ſi vera contritio, ſi pura fuerit voluptatum mutatio, excludit à venia; ſed in amplitudine ſinus ſui mater charitas prodigos ſuſcipit reuertentes.* Quod confirmat exemplo boni Latronis, cui ſtatim contrito dictum fuit: *Hodie mecum eris in Paradiſo:* Cuius *impietas in momento,* inquit, *religionem crudelitas induit pietatem, & ſtatim conſummatus ciuis ſanctorum & domeſticus Dei, permiſſus eſt in regnum reconciliationis humanæ.* Baſil. homilia de pœnit. circa medium loquens de filio prodigo ad patrem per veram cordis conuerſionem reuertente, *cœperat,* inquit, *dicere, & mox illum pater complectitur:* particula enim *mox* idem ibi ſonat, *quod ſtatim* Chryſoſtomus in priore Epiſt. ad Theod. lapſum: *In eo,* inquit, *momento totius vitæ peccata abſtergit:* Leo Papa Epiſt. 91. ad Theod. foro Iu-

Baſilius. Chryſoſt. Leo Papa.

lienſem Epiſcopum: *Apud Deum,* inquit, *nullas patitur veniæ moras vera conuerſio.* Auguſtinus in Enchiridio cap. 65. *Non tam,* inquit, *conſideranda eſt menſura temporis, quàm doloris. Cor enim contritum, & humiliatum Deus non ſpernit.*

Auguſt.

187. Tertiò probatur ex abſurdis, quæ ex oppoſita ſententia ſequuntur. Nam primò ſequitur, dari moram temporis, in qua homini diligenti Deum ſuper omnia præcluſus ſit aditus ad ſalutem, nempe illam moram, quæ ad contritionem, vt ſit ſufficiens diſpoſitio ad iuſtificationem, neceſſaria eſt; nam intra huiuſmodi moram non haberet peccator ſufficiens medium ad ſalutem conſequendam extra Sacramentum.

188. Secundò ſequitur, falli illud axioma inter Theologos, Patres, & Concilia receptum, & in ipſa ſcriptura fundatum: *Facienti quod in ſe eſt adiuto viribus gratiæ Deus non denegat ſuam gratiam.* Nam poſſet hic facere, quantum in ſe eſſet cum viribus gratiæ, amando Deum ſuper omnia, & deteſtando peccata propter Deum ſummè dilectum; & tamen gratiam non conſequi; vel quia contingeret mors: vel quia in phreneſim incideret, antequam præfixum terminum attingeret: vel demum quia pœnitens ipſe voluntariè deſiſteret ab actu contritionis, præſertim ſi ab eo deſiſteret ad ſubueniendum proximo in graui neceſſitate conſtituto.

189. Tertiò ſequitur, Deum proniorem eſſe ad puniendum, quàm ad miſerendum, & præmiandum: nam ſtatim, poſito peccato, punit, tollendo gratiam, nulla temporis mora expectata: cùm tamen in contraria ſententia, non ſtatim poſita contritione, peccata condonet, reſtituendo gratiam in pœnam peccati ſublatam, nulla temporis mora expectata. Confirmatur. In opinione Scoti in quarto, diſtinctione 14. quæſt. 1. *ad vltimum*, non maiorem malitiam habet peccatum in ratione offenſæ; quàm habeat bonitatem in ratione ſatisfactionis contritio: ſed Deus vt peccata puniat, nullam exſpectat temporis moram: ergo neque vt contritionem remuneret.

Scotus.

190. Quartum abſurdum eſt, quia cùm hęc mora temporis ſit nobis incerta, currente præcepto de contritione, iure naturali teneremur præſertim in caſu neceſſitatis, diu actum contritionis continuare, ne exponeremur periculo æternæ damnationis; proinde nouum peccatum contra hoc præceptum committeret, qui diu contritionem, in caſu præſertim neceſſitatis, non continuaret. Vnde gratiam, quam per actum contritionis aquiſiuiſſet, ſtatim per non continuationem, actus perderet.

191. Quintò noſtram ſententiam probo à priori, hoc pacto. Sola temporis mora non variat actum: ergo non poteſt contritio per ſolam temporis moram

fieri congrua dispositio ad gratiam. Nam si hoc esset, maximè esset per aliquam variationem factam in actu contritionis per ipsam temporis moram. Antecedens patet: nam tempus est extrinsecum actui: ergo nequit variare intrinsecè actum: continuari enim actum in tempore, formaliter non est aliud, quam actum coëxistere tempori: at vnam rem coëxistere alteri, nullam addit nouam perfectionem ipsi rei coëxistenti.

Refellitur responsio Scoti.

192. Respondent Scotus per talem continuationem actum magis intendi, ac proinde magis intrinsecè perfici. Sed contrà: tum quia, vt ex dictis constat, ad contritionem nulla est certa intensio necessaria: tum quia tota hæc intensio, quæ fingitur successiuè acquiri per continuationem temporis, produci posset in instanti, vel per maiorem conatum potentię, vel per perfectius auxilium: Tum quia non necessariò sequitur, debere actum per continuationem intendi: quia potest continuari secundùm eundem gradum intensionis, quem habuit à principio.

Refellitur alia euasio

193. Probabiliùs respondere posset Scotus, actum contritionis per temporis continuationem fieri magis meritorium apud Deum: ac proinde magis condignam dispositionem ad gratiam iustificationis. Sed contra etiam: quia cùm per hanc temporis continuationem actus ipse contritionis non acquirat valorem altioris ordinis, quàm à principio habuit; sed solùm in eodem extensiuè moraliter crescat, non poterit per huiusmodi continuationem fieri condigna dispositio ad iustificationem, si antea non fuit. Adde, quòd hoc extensiui valoris incrementum suppleri potest per incrementum intensiuum, eliciendo à principio actum tantæ intensionis, quę moraliter ęquiualeat: vel etiam superet incrementum extensiuum eiusdem actus.

DISPVTATIO V.

De effectu Pœnitentiæ, quoad Mortalium peccatorum Remissionem.

SECTIO PRIMA.

An contritio sit vltima, & infallibilis dispositio ad quorumcumque peccatorum remissionem?

1. PRimus error fuit cuiusdam Doctoris Catholici apud Bellarminum lib. 2. de Pœnitentia cap. 13. qui paucis ante annis in libello, quem de charitate conscripit, docuit nemini quantumuis pœnitenti remitti peccata, nisi in Baptismo; vel in Sacramento pœnitentiæ: nisi forte in articulo mortis. Non absimilis huic errori est is, quem docent aliqui discipuli Michaëlis Baij, nempe, contritionem charitate perfectam, non semper, imò nec frequenter annexam habere remissionem peccatorum ante susceptionem Sacramenti, nisi in articulo mortis, & in casu necessitatis, in quo nequit pœnitens adire confessarium. Vnde communem illam doctrinam Conciliorum, & Patrum, quòd contritio ad iustificationem certò disponat, sic explicant: quia si nimirum contritus nouum obicem peccati non opponat, intuitu illius certò, & infallibiliter ante mortem consecuturus sit suorum peccatorum remissionem.

2. Quam sententiam confirmant quibusdam Patrum testimonijs. Primum est Augustini tractatu 13. in Ioan. Paulò ante medium, vbi sic scribit: *quantumcumque enim catechumenus proficiat, adhuc sarcinam sua iniquitatis portat: non illi dimittitur, nisi cùm venerit ad Baptismum. Quo modo non caruit populus Israel populo Ægyptiorum, nisi cùm venisset ad mare rubrum: sic pressuris peccatorum nemo caret, nisi cùm ad fontem Baptismi peruenerit.* Secundum Leonis Papæ

Epistola 91. ad Theod. Episcopum Foro Iuliensem: *Diuina* inquit *bonitatis præsidijs ordinatum est, vt indulgentia Dei, nisi supplicationibus sacerdotum nequeat obtineri.* Tertium Bernardi Epist. 77. ad Magistrum Hugonem de Sancto Victore multò ante medium: vbi concedit, posse hominem cum solo voto Baptismi saluari: Sed si *mortis* inquit *præoccupatus articulo Baptismum obtinere nequiuerit:* & sermon. 1. de Petro dicit, *quod sententia Petri præcedit sententiam cæli:* Ergo sentit hic Pater, in solo mortis articulo posse hominem per actum Charitatis sine Baptismo saluari. Probant 2. auctoritate Concilij Tridentini sessione 6. capite 6. vbi describitur dispositio necessaria ad iustificationem recipiendam in Sacramento Baptismi, per actum perfectæ Charitatis, quo baptizandus Deum tanquam omnis iustitiæ fontem diligere incipit, mouerturque aduersus peccatum per odium, & detestationem: cùm tamen statim sequenti cap. dicatur: *Hanc dispositionem, seu præparationem iustificatio ipsa consequitur:* Cuius iustificationis causæ omnes ibidem recensentur, efficiens Deus; finalis, gloria Dei, & Christi; meritoria Christus Dominus; instrumentalis, Baptismus. Igitur ex Concilio iustificatio etiam perfectè contrito non datur ante; sed post susceptum Baptismum, & sessione 14. capite quarto, idem Concilium de perfecta contritione loquens clarè ait: aliquando contingere vt illa hominem Deo reconciliet, priusquam Sacramentum pœnitentiæ actu suscipiatur. Si igitur aliquando, ergo non semper illa ante susceptum Sacramentum hominem Deo reconciliat.

Bernardus.

Trident.

3. Confirmant rationibus: Primò si sola contritio ad iustificationem sufficit, quid opus est confessione? Secundò si sola contritio peccata delet, hominemque in gratia reponit, cur Tridentinum sessione 13. capite 7. præter contritionem ad Eucharistiam dignè suscipiendam, Sacramentalem requirit confessionem; cùm satis sit ad illam accedere in statu gratiæ per contritionem acquisitæ? 3. Peccatrix Euangelica quamuis multùm diligeret, non priùs tamen accepit veniam peccatorum, quàm quod paralytico dictum fuerat, audiret, *remittuntur ei peccata multa.* Huc pertinet illud Augustini homi. 23. inter 50. *Accessit ad Dominum immunda, vt rediret munda: accessit ægra, vt rediret sana.* Sed & Paulo mirabiliter conuerso peccata demum remissa fuisse in baptismo, indicat illud Act. 22. *Exurge & baptizare & ablue peccata tua.* Per *peccata* intelligi nequeunt pœnæ & reatus, cũ nõ sint sordes animæ, nec faciant eã sordidã, sed miserã; ergo culpæ & maculæ intelliguntur. 4. Sequeretur quòd Sacerdotes deberẽt procurare effectũ Sacramenti ante Sacramentum: debent enim curare vt pœnitentes sint contriti. Item quòd peccator pœnitens, vel rarò, vel nunquam viuificatur ministerio Sacerdotis. 5. Augustinus epist. 180. Sacerdotum erga pœnitentes ministerium vocat necessarium. Aliæ etiam rationes pro hac sententia afferuntur, quæ quia minoris momenti sunt eas omittendas iudicaui.

Trident.

4. Tribuitur hęc sentẽtia Francisco Syluio; sed longè aliter sentit ac se explicat hic Doctor in supplemento ad 3. par. S. Tho. quæst. 5. art. 1. editione 3. conclusione 2. *his verbis:* Rectè dicitur, quòd omnis contritio semper habeat coniunctam remissionem peccatorum, si nomine contritionis intelligatur ea contritio, quæ est charitate perfecta, cuius videlicet motiuum immediatum est Deus, vt est in se summè bonus, seu diuina bonitas propter se diligenda. Hoc enim est, quod vult Concilium Trid. sess. 14. cap. 4. dicens, quod, *etiamsi contritionem hanc* (quam videlicet isto capite definierat) *aliquando charitate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare, priusquam hoc Sacramentum* (scilicet pœnitentiæ) *actu suscipiatur, ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni, sine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam.* Quibus verbis tria significare videtur Concilium. *Primum*, quòd contritio vera (talis enim est ea quam illic definiuit) non semper est charitate perfecta. Ideo quippe dicit, quòd sic perfectam esse *contingit aliquando. Secundùm*, quòd cùm est charitate (amore scilicet beneuolentię quo Deus propter se suamque bonitatem simpliciter diligitur super omnia) perfecta; tunc hominem Deo reconciliat ante Sacramentum actu receptum. *Tertium*, quòd ista reconciliatio non sit adscribenda contritioni sine voto Sacramenti, quod votum in illa includitur. *Hucusque Syluius, qui & pergit probare conclusionem.* Ex eo, quòd articulus ita habens: charitas perfecta, quæ est ex corde puro & conscientia bona & fide non ficta tam in catechumenis quàm in pœnitentibus, potest esse sine remissione peccatorum: condemnatus est à Pio 5. & Gregorio 13. Sicut & iste: homo existens in peccato mortali; siue in reatu ęternæ damnationis, potest habere charitatem: & charitas etiam perfecta potest consistere cum reatu æternæ damnationis: Itemque alius: per contritionem etiam cum charitate perfecta & cum voto suscipiendi Sacramentum coniunctam, non remittitur crimen extra casum necessitatis. Ex horum namque articulorum condemnatione cõsequens est, dicendum esse, quòd non solùm in casu necessitatis aut martyrij, verùm etiam extra illos casus per contritionem charitate perfectam & cum voto Sacramentum suscipiendi coniũctam, remitti peccata etiam sine actuali susceptione Sacramenti. Dicendum prætereà falsum esse hominem in peccato mortali siue in reatu æternę damnationis existentem posse veram habere charitatem: etsi enim ante suam iustificationem insit in pœnitente amor aliquis iustitiæ, eaque dilectio, qua Deũ diligere incipit tanquam totius iustitię fontem (qualem dilectionem diximus in imperfecta

Fr. Syluius clarè explicatur.

Pius 5. Greg. 13. contra Baium.

fecta

fecta contritione seu in attritione reperiri) is tamen amor, qui charitatis naturam assequitur, seu vera illa & sincera charitas, quæ est ex corde puro, conscientia bona, & fide non ficta, cum æternæ damnationis reatu non consistit. *Idipsum probat Sylnius* auctoritate omnium illorum, qui docent, ac velut rem compertam affirmant, omnem contritionem semper habere coniunctam remissionem peccatorum, etiam antequam Sacramētum actu recipiatur. Quamuis enim quidam illorum non satis distinctè loquantur siue de contritione, siue de attritione; omnes tamen hoc volunt, quòd illa contritio, quæ est charitate perfecta coniunctam habeat remissionem peccatorum, Nugnus, Ledesma, Suares, Becanus, Laiman, Tannerus, Gamacius & alij complures. Cùm in editione 2. *addit idem paulo ante;* expressè dixi, quòd contritio perfecta non rarò coniunctam habeat remissionem, perfectam intellexi, quę est dolor acris, vehemens & incensus, nihil ibi dicens de ea quæ est perfecta per charitatem, qua Deus propter seipsum diligitur super omnia amore amicitiæ & beneuolentiæ. *Hucusq; Sylnius.*

5. *Respondet idem ad argum.* Si scripturæ intelligantur de pœnitētia quæ est ex charitate, vel habet coniunctā charitatem, qua Deus propter se suamque bonitatem diligitur simpliciter super omnia; rectè dicitur, quod statim obtineat remissionem peccatorum. *Et infrà:* Non dicimus extra casus mortis aut martyrij nunquam remitti peccata per contritionem charitate perfectam sine reali perceptione Sacramenti: Sed concedimus contritionem charitate perfectam remittere peccata sine actuali receptione Sacramenti; siue sit casus necessitatis aut martyrij, siue non. At dicimus, non omnem contritionem semper esse talem; cùm in multis sæpe sit imperfecta. Ex quo sequitur, quòd sæpè non remittuntur peccata per contritionem sine Sacramento. *Prius addiderat:* Etsi rectè intelligatur remissum Dauidi peccatum, statim vt illud corde & ore est confessus, non propterea tamen est consequens, per omnem contritionem id fieri; cùm non omnis contritio sit talis, qualem habebat Dauid, perfecta scilicet per charitatem: si verùm est quòd statim obtinuerit remissionem. *Dixerat paulo superiùs:* Notum est contritionem esse veluti genus quoddam sub se comprehendens perfectam contritionem & imperfectam: quæ imperfecta contritio, attritio dicitur. *Et ibidem:* Paulo mirabiliter conuerso statim fuisse remissa peccata, vt qui statim fuerit perfectè contritus & conuersus, non putamus improbandum: *remissa scilicet in voto de Baptismo suscipiendo, qui natus est omnes peccatorum sordes, pœnas & reatus diluere: de quo monet Ananias. Et infrà:* Si loquamur de charitate habituali, vel de actuali illa, cuius proximum seu immediatum obiectum est diuina bonitas, quæ propter se super omnia diligitur: sic conceditur, quòd charitas non consistit cum peccato mortali: At præter eiusmodi charitatem alia adhuc est dilectio supernaturalis, qua peccator Deum tanquam omnis iustitiæ fontem diligere incipit, & quę (licet imperfecta sit) ex diuina tamen gratia proficiscitur, & ad spem vel amorem concupiscentiæ pertinet, præceditque remissionem peccatorum, non naturæ tantùm, sed etiam temporis ordine. Doceri hoc potest partim exemplo peccatricis, quę *quia dilexit multùm,* dum ad Christum venit, eiusque pedes rigauit, tersit & osculata est, audiuit: *Remittuntur tibi peccata tua:* partim ex can. 25. Concilij Arausic. & ex can. 5. sess. 3. Conc. Trid. collato cum cap. vbi significatur, quòd *Deus amorem sui priùs inspirat, vt postea iustificationis gratia infundatur:* Quod *autem contritionem charitate perfectam non vocet habitualem tantùm, sed actualem, de qua agitur, declarat expressè his verbis:* Contritio perfecta est actus charitatis, nō sic quasi procedat ex habitu charitatis, sed partim quia eiusmodi habitu informatur *sc. consequenter & posteriùs natura quàm elicitur:* partim quia versatur circa proprium obiectum charitatis, diligendo Deum super omnia, propter se seu propter summam ipsius bonitatem secundùm se spectatam. *Hucusque Sylnius: quæ ea de causa attuli fusiùs, quod ad doctrinam non parum conducant: vtq; planè constet virum hunc eximium sentire cum communiori Scholasticorum sententia, quam paulo post explicabo.*

Arausican. Trident.

6. Secundus error fuit Catharorum & Cathaphrygarum, qui affirmabant, nullam pœnitentiam esse validam pro peccatis, quæ committuntur post Baptismum. Fundamentum huius erroris desumebant tum ex illo Hebræorum 6. *impossibile est eos, qui semel sunt illuminati, rursus renouari ad pœnitentiam:* tum ex illo Hebręorum 10. *Voluntariè peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, iam non relinquitur pro peccatis hostia.*

Error Catharorum, & Cataphrygarum. Hebr. 6. Hebr. 10.

7. Tertius error fuit nouati, vt constat ex Ambrosio lib. 1. de Pœnitentia cap. 8. & 9. & lib 2. cap. 4. qui Hæreticus asserebat, esse quædam peccata adeo grauia, vt nulla valeant pœnitentia deleri. Quod probabile censuit Armacanus lib. 9. de quęstionibus Armen. cap. 27. Fundamentum sui erroris hic Hæreticus desumebat tum ab exemplo Antiochi secundo Machab. 9. *orabat,* inquit scriptura, *hic scelestus Dominum, à quo non esset misericordiam consequuturus:* Quod etiam de Esau testatur Paulus Hębræorum 12. quod *non inuenit pœnitentiæ locum quamquam cum lachrymis inquisiuisset eā.* Tum ex Matthæi & Lucę 12. & Marci 3. Vbi dicitur blasphemia in Spiritum Sanctum non remitti, neque in hoc sæculo; neque in futuro: & prima Ioan. 5. *Est* inquit Euangelista, *peccatum ad mortem: non pro illo dico, vt roget quis:* Igitur sunt aliqua peccata, pro quibus nulla sufficiens est pœnitentia. Pro explicatione autem veræ, & Catholicæ sententiæ,

Error Nouati. Armacan. 2. Mach. 9. Hebr. 12. Matth. 12. Luc. 12. Mar. 3. 1. Ioan. 5.

8. Dico

8. Dico 1. Omnis contritio, quæ peccata detestatur propter Deum summè dilectum, statim infallibiliter secum affert remissionem omnium peccatorum. Est constans omnium Scholasticorum sententia, & opposita damnata est à Pio V. & Gregorio XIII. in quibusdam propositionibus Michaelis Baij, quarum 31. est. *Charitas perfecta, & sincera, quæ est ex corde puro, & conscientia bona, & fide non fictâ, tam in Catechumenis; quàm in pœnitentibus, potest esse sine remissione peccatorum:* 32. *Charitas illa, quæ est plenitudo legis, non est semper coniuncta cum remissione peccatorum:* 33. *Catechumenus iustè, rectè, & sanctè viuit, & mandata Dei obseruat, ac legem implet per charitatem ante obtentam remissionem peccatorum, quæ in Baptismi lauacro demum percipitur:* 42. *In omnibus pœnitentibus ante Sacramentum absolutionis, etiam in Catechumenis ante Baptismum est vera iustificatio, separata tamen à remissione peccatorum:* 66. *Homo existens in peccato mortali, siue in reatu æternæ damnationis, potest habere veram charitatem, & charitas etiam perfecta potest consistere cum reatu æternæ damnationis.* Demum propositio 67. est: *per contritionem, & cum charitate perfecta, & cum voto suscipiendi Sacramentum coniunctam, non remittitur crimen extra casum necessitatis, aut Martyrij, sine actuali susceptione Sacramenti.* In quibus propositionibus expressè, vt vel leuiter illas consideranti patebit, continetur primus error supra citatus, contra quem opponitur hæc nostra prima assertio: ac proinde si hæ propositiones sunt damnatæ, cum illis pariter damnatus est primus error supra allatus.

Pius V. Greg. XIII. Damnata sententia Michaelis Baij.

9. Verum respondent aduersarij: primò, in his propositionibus Pontifices solùm damnare, posse habitualem charitatem, non autem actualem stare cum peccato. Sed cõtrà: Etenim cum ea charitate peccatũ stare posse damnant Pontifices, de quâ in citatis propositionibus loquitur Author: atqui Author non tantùm de habituali; sed maximè, ac præcipuè de actuali in suis propositionibus loquitur: tum quia loquitur de Charitate, quâ lex & præcepta adimplentur; hæc autem non est habitualis; sed actualis: cùm non per habitus; sed per actus præcepta adimpleantur. Etenim per illam Charitatem adimplentur præcepta, quæ præcipitur in scripturis, cùm nihil aliud sit præceptum, quàm actus ipse præceptus: præceptum enim pœnitentiæ, vel Charitatis, non est aliud, quàm actus ipsi pœnitentiæ, & Charitatis. Tum quia de eâ Charitate loquitur in suis propositionibus Author, quæ vt dispositio prærequiritur ad remissionẽ peccatorum in Sacramento cõsequendam: sed hæc est actualis, vt per se patet; non enim ad Sacramenta suscipienda disponimur per habitus, ne quidem in sententiâ Michaelis Baij; sed per actus. Maior præcipuè constat per propositionem 67.

10. Respondent 2. Pontifices tantùm damnare, charitatem nunquam coniungi cum remissione peccatorum extra Sacramentum, & casum necessitatis, quod aduersarij non negant: concedunt enim illam aliquando, etiam extra casum necessitatis, præsertim quando feruentissima est, coniungi cum remissione peccatorum. Sed contra, quia Pontifices non solùm damnant hanc propositionem: *Charitas nunquam extra Sacramentum, & casum necessitatis coniungitur cum remissione peccatorum;* sed etiam has: *Charitas potest esse sine remissione peccatorum; Charitas non semper est coniuncta cum remissione peccatorum*, vt ex 31. 32. & 42. propositione constat.

11. Secundò probatur hæc nostra Catholica assertio, scriptura, Patribus, Concilijs, communi consensu Ecclesiæ, & rationibus. Et primò ad eum confirmandam faciunt omnia scripturæ, & Patrum testimonia, quibus disputatione præcedenti sectione vltima ostendimus, veram contritionem nullam exspectare temporis moram ad peccatorum condonationem impetrandam; sed illam statim, eodem temporis momento à Deo obtinere. Ex quo à fortiori sequitur, non posse veram contritionem ad longum tempus simul esse cum peccato mortali. Cæterum aliqua, quæ ibi tantùm leuiter insinuauimus, hic paulo accuratius expendenda sunt, additis nonnullis, quæ ibi nullo pacto insinuata sunt.

12. Primum igitur scripturæ testimonium sit illud Isaiæ 30. iuxta versionẽ LXX. quam sequuntur Leo Papa Epistola 91. ad Theod. Episc. Cyprianus serm. 5. de lapsis Aug. lib. 2. contra Crescon. cap. 12. Fulgentius de remiss. peccatorum lib. 1. cap. 12. & alij Patres: *Cum reuersus ingemueris tunc saluus eris*. In quo testimonio notanda est illa particula, *tunc*, quæ nullam interponit moram inter reuersionem peccatoris per contritionis gemitum, & salutem eiusdem per iustificationis gratiam collatam: alioqui quo pacto verum esse poterit, tunc saluum esse peccatorem, cùm per contritionem reuersus ad Deum ingemuerit, si adhuc post contritionis gemitum in pristinis maneret peccatis & æterna damnatione?

Isa. 30. Leo. Cypr. Aug. Fulg.

13. Secundum testimonium sit Ezechielis 33. *Impietas impij non nocebit ei, in quacunque die conuersus fuerit ab impietate sua.* Quo enim pacto impietas ei non nocebit, si adhuc perfectè ad Deum conuersus in pristinis maneret peccatis? An non maximum nocumentum est hoc, esse inimicum, & offensum Deo? omnia opera bona in tali statu facta nihil ad vitam æternam conferre? cùm nullum opus bonum in statu peccati factum placere possit Deo in ordine ad vitam æternam. Præterea ipsa comparatio, quæ inter peccatorem à sua impietate conuersum, & iustum à sua iustitia auersum, ibi fit, manifestè ostendit, quòd sicut nulla interposita mora, statim post peccatum aufertur à iusto iustitia: ita nulla interposita

Ezech. 33.

mora, statim post contritionem restituitur peccatori iustitia, quæ fuerat per peccatum sublata: cùm non minùs Deus sit pronus ad præmiandum, quàm ad puniendum.

14. Tertium testimonium sumitur ex illa celebri Dauidis iustificatione 2. Regum 12. in qua vix Dauid ad Deum per pœnitentiam conuersus profert duo illa verba: *Peccaui Domino*, & statim audit à Propheta Nathan, *Dominus quoque transtulit peccatum tuum.* Vbi nota, non dixisse Prophetam, *Dominus transferet peccatum tuum*, do futuro, sed *transtulit*, de præterito: vt significaret, statim ad actum contritionis secutam fuisse peccati remissionem. Quod & ipsemet Dauid testatus est in Psalmo 31. iuxta interpretationem Catechismi Romani de sacramento Pœnit. illis verbis: Dixi: *Confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei.* In quem locum Augustinus loquens in persona Dauidis: *Confessio*, inquit, *mea ad os nondum venerat, & Deus audiuit vocem cordis mei. Vox mea in ore nondum erat, & auris Dei iam in corde erat.* Quid autem est, *confessio mea nondum ad os venerat, & Deus audiuit vocem cordis mei; aut vox mea nondum in ore erat, & auris Dei iam in corde erat*, quàm priùs Deum peccatum remisisse per cordis contritionem, quàm illud ore Dauid confiteretur?

2. Reg. 12.

Psal. 31. Catechismus Rom.

Augustinus.

15. Quartum testimonium fit illud Prouerb. 8. *Ego diligentes me diligo.* At quo pacto Deus diligentes se diligeret, si peccatori diligenti Deum per veram contritionem peccata non dimitteret; sed adhuc ei inimicus, & infensus maneret? hanc ipsam veritatem confirmat Christus Lucæ 7. dum Magdalenæ pœnitenti dicit: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Vbi statim remissio peccatorum tanquam proprius effectus tribuitur dilectioni. Nec refert, quod non dixerit: *Remissa sunt ei peccata multa*, de præterito; *sed remittuntur*, de præsenti: nam hoc non dixit, quia charitas tempore præcessit peccatorum remissionem; sed vt de præsenti apud homines confirmaret id, quod de preterito factum est; sicut cum Marci 5. mulieri à fluxu sanguinis sanatæ de præsenti dixit: *Esto sana à plaga tua*; quam tamen de præterito sanauerat.

Prouerb. 8.

Luc. 7.

Marc. 5.

16. Quintum testimonium sumitur ex illis verbis primæ Ioan. 4. *Omnis qui diligit, ex Deo natus est.* Quid autem sit, ex Deo natum esse, ipsemet Apostolus nobis explicat in eadem Epistola cap. 3. & 5. *Omnis*, inquit, *qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet.* Igitur in sententia Apostoli Ioan. Omnis qui diligit Deum, natus est ex Deo: qui autem natus est ex Deo, per eundem Apostolum semen habet Dei. Porrò semen Dei, quid aliud est, quàm gratia iustificationis? quæ quia participatio quędam est diuinæ naturæ, dicitur semen Dei, qui autem gratiam sanctificantem in se habet, peccatum habere non potest, quod cum gratia directè pugnat, vt ex 3. Tomo suppono disp. 32. sect. 1. Igitur non potest quis actu contritionis diligere Deum super omnia, & adhuc manere in peccato.

1 Ioan. 4. & cap. 3. & 5.

Gratia est participatio quędam diuinæ naturæ.

17. Tertiò probatur eadem veritas ex Patribus, quorum quia multa testimonia allata sunt citata sect. vltima precedentis disputationis, quæ ad hanc eandem veritatem probandam faciunt, pauca hic addam, quæ ibi omissa sunt. Primum igitur sit Chrysostomi Homil. 7. in 2. ad Timoth. post medium, vbi de dilectione Dei loquens: *Sicut*, inquit, *ignis, vbi syluam occupauerit, omnia purgare consueuit, ita & charitatis feruor* (loquitur autem de charitate actuali: nam, in ea tantùm èst feruor:) *quocunque inciderit, omnia perimit, atque perrumpit, quæ diuinam segetem demoliuntur, emundatque humum suscipiendis, atque fouendis aliè seminibus.* Pergit: *Vbi charitas est, omnia sublata sunt mala.* Et infrà ampliùs hoc ipsum confirmans: *Plenitudo*, inquit, *legis est Charitas: cuncta nempe scelera, quæ pacem perturbant, vbi charitas fuerit, soluuntur.*

Chrysost.

18. Secundum testimonium sit Augustini tract. 5. in Epist. Ioannis paulò post medium: *Dilectio*, inquit, *sola discernit inter filios Dei, & filios diaboli.* At quo pacto in sententia Augustini dilectio sola discernit filios Dei, & filios diaboli, si manere potest cum peccato, & consequenter cum filijs diaboli? & lib. 15. de Trinit. cap. 17. ad finem, probat, per dilectionem manere in nobis Deum: vbi iterum ad initium cap. sequentis repetit illud dilectionis Encomium: *Nullum est isto Dei dono excellentius, solum est, quod diuidit inter filios regni æterni, & filios perditionis æternæ.*

August.

19. Quartò probatur hæc ipsa veritas ex Concilijs. Primum sit Cõcilium Colon. sub Paulo III. Pontifice, & Carolo V. Imperatore celebratum Anno 1536. quod in septima parte cap. 31. docet, per contritionem, nos confugere ab ira Dei ad misericordiã; conuerti ab operibus mortuis ad Deum viuentem: subduci à peccatis, ac diaboli laqueis, & Christo concorporari. Quo autem pacto dici possumus per contritionem ab ira Dei ad misericordiam confugere, si adhuc contriti manemus infensi, & inimici Deo? ab operibus mortuis ad Deum viuentem conuerti, si adhuc opera nostra in statu peccati facta, tanquam mortua nullius valoris, ac vigoris sunt apud Deum? à peccatis & diaboli laqueis subduci, & Christo concorporari, si adhuc peccatorum funibus ligati captiui manemus sub potestate diaboli?

Concilium Colon.

20. Secundum sit Concil. Trident. in quo expresſè hæc veritas traditur: nam primò sess. 6. cap. 4. definit, translationem à statu peccati in statum gratiæ post Euangelium promulgatum fieri non posse sine lauacro regenerationis, aut eius voto. Supponit igitur, solo voto in contritione incluso posse peccatorem à peccatis iustificari, & in gratiam filiorum Dei acceptari. Secundò sess. 14. c. 4. expresſè testatur, *Contritionem charitate perfectam hominem Deo reconciliare, priusquam pœnitentiæ sacramentum actu suscipiatur.* Quam

Concilium Trident.

contritionem

contritionem opponit attritioni, quæ sine sacramento pœnitentiæ per se ad iustificationem perducere peccatorem nequit vt ibidem Trid. docet. Igitur in sententia Concilij est aliqua contritio, quæ à peccatis iustificat ante sacramenti susceptionem, nempe quæ ex perfecto motiuo charitatis procedit. Tertiò idem Concil. sess. 13. cap. 7. prohibet, vt nullus peccati mortalis conscius Eucharistiam sumere præsumat: cùm tamen idem concedat, vrgente necessitate, & deficiente copia confessarij, posse Sacerdotem missam celebrare: quod sanè non concederet, nisi vt certum supponeret, posse peccatorem per solam contritionem absque sacramentali confessione consequi remissionem peccati mortalis, cuius conscius nemo ex præcepto Concilij potest ad hoc sacramentum accedere. Hæc ipsa veritas traditur cap. *Talis* de pœnit. dist. 3. *Talis* inquit *est erga homines pietas Dei, vt nullam quantulamcumque, & quamlibet breui tempore gestam respuat pœnitentiam.*

Trident.

Cap. Talis.

21. His omnibus accedit auctoritas Catechismi Romani, qui de sacramento Pœnitentiæ §. *Sed quoniam non satis esse pastoribus debet*, expressè docet, contritionem statim peccata remittere, hominemque Deo perfectè reconciliare, his verbis: *quin etiam statim, vt eam mentibus nostris concepimus, peccatorum remissionem nobis à Deo tribui.* Quod confirmat tum authoritate præcitati Psalmi 31. *Dixi: Confitebor* &c. tum exemplo decem leprosorum, qui Lucæ 17. à Christo ad Sacerdotes missi, vt à lepra mundarentur, mundati sunt, antequam ad illos peruenirent. Ex quo colligit, *eam vim esse contritionis, vt illius beneficio omnium delictorum veniam statim à Domino impetremus*, etiam antequam perueniamus ad sacramentalem absolutionem Sacerdotis.

Catechismus Rom.

Psal. 31.

Luc. 17.

22. Quintò probatur ex communi sensu Ecclesiæ, ex quo moti summi Pontifices, indulgentias sæpe concedunt solis contritis, & non confessis. In qua concessione manifestè supponunt, posse peccatores per solam contritionem consequi remissionem peccatorum & statum gratiæ, qui necessarius est ad fructum indulgentiarum percipiendum. Eodem spiritu ducti monent, vt fideles ad sacramenta viuorum, vna excepta Eucharistia, saltem contriti accedant, si alicuius peccati mortalis conscij sint: supponentes, posse per contritionem absque sacramentali confessione comparari remissionem peccatorum, quæ necessaria est ad dignam susceptionem cuiuscunque sacramenti viuorum.

Sensus communis Ecclesiæ.

23. Vltimò probatur hæc veritas rationibus. Prima ac potissima est. Contritio est actus perfectissimæ amicitiæ, quem homo auxilio gratiæ nixus potest erga Deum elicere, cùm procedat ex amore Dei super omnia dilecti: ergo statim ex parte Dei respondet actus amicitiæ erga hominem, & consequenter perfecta iustificatio peccatorum, quam necessariò secum affert amicitia Dei erga hominem. Prior consequentia probatur, tum quia id expressè promittitur in sacris litteris Prouerb. 8. *Diligentes me diligo.* Tum quia id postulat æquitas amicitiæ, vt, si vnus amicus faciat quantum potest, summè detestando offensam illatam amico, propter dilectionem ipsius amici, ab eoque veniam humiliter deprecando, alter oblatam satisfactionem acceptet, eumque in pristinam restituat amicitiam: hanc enim mutuam conuersionem amicabilem indicant verba illa Zachariæ 1. *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos.*

Prouerb. 8.

Zachar. 1.

24. Secunda ratio est: quia nulla potest huius dilationis assignari causa. Nam vel contritio est sufficiens dispositio ad iustificationem; vel non: Si non; sequitur, nunquam Deum, propter illam iustificare hominem. Si sufficiens est; nulla est ratio, cur non statim Deus propter illam hominem à peccatis iustificet, cùm pronior sit ad præmiandum, quàm ad puniendum. Confirmatur: nam sicut Deus non differt iustificationis gratiam cum debita dispositione accedenti ad sacramentum Baptismi, vel pœnitentiæ: ita nec illam differt cum debita dispositione contritionis accedenti ad se.

Deus est pronior ad præmiandum quàm ad puniendum.

25. Ex dictis colligi potest, qua censura digna sit opposita sententia, etenim aliqui illam erroneam vocant; alij temerariam; alij nostram sententiam de fide, & Catholicam appellant. Ego verò oppositam sententiam, non solùm censeo temerariam; sed etiam errori proximam, & scandalosam. Quòd sit temeraria patet: quia sine vllo solido fundamento contradicit omnibus Scholasticis, & Patribus: Quòd sit errori proxima, probatur, quoniam, vt suprà vidimus, ex certis Scripturæ, & Conciliorum testimonijs, etsi non omnino euidenter, vt illa dici possit erronea, saltem moraliter certò contraria sententia nostra deducitur: Quòd sit scandalosa constat: quia fideles retrahit à contritione procuranda extra sacramentum, cùm asserat, per eam non remitti peccata ante susceptionem sacramenti.

Censura oppositæ sent.

26. Dico 2. Nullum est peccatum adeò graue, nec multitudo peccatorum adeò magna, vt nequeat vera contritione extra sacramentum deleri. Colligitur ex ijs Scripturæ oraculis, in quibus absque vlla limitatione, aut restrictione promittitur verè contritis remissio omnium peccatorum: Ezechielis 18. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis; omnium iniquitatum eius non recordabor:* Ioelis 2. *Omnis quicunque inuocauerit nomen Domini, saluus erit.* Christus Matth. 11. Omnibus ad se per fidem, & veram pœnitentiam accedentibus promittit suam gratiam: *venite ad me omnes, & ego reficiam vos.* Vidén, quo pacto nulla facta restrictione, vel peccatoris, vel peccatorum, Deus omnibus ad se venientibus promittat salutem, & remissionem omnium peccatorum? Eadem veritas colligitur ex Patribus, qui, nulla facta exceptione, verè & ex corde pœnitentibus promittunt remissionem omnium suorum peccatorum, vt constat ex Chrysostomo, & Leone suprà citatis.

Ezech. 18.

Ioel. 2.

Matth. 11.

Chrysost.

Leo.

Contritio tã latè se extẽdit quàm sacramentũ pœnitentiæ.

27. Secundò probatur ratione. Tam latè se extendit contritio, quàm sacramentum ipsum pœnitentiæ: sed sacramentum pœnitentiæ se extendit ad remittenda omnia peccata, nullo excepto; ergo etiam contritio. Maior probatur; tum quia sacramentum pœnitentiæ succedit in noua lege contritioni: ergo quantum se extendit sacramentum pœnitentiæ; tãtùm se extendit contritio; & è contra tantùm se extendit contritio, quantum se extendit sacramentum pœnitentiæ. Tum quia nõ minùs vniuersale remedium ad salutem habere debere debet peccator per contritionem; quàm per sacramentum pœnitentiæ: ergo si per hoc habet remedium vniuersale ad remissionem quorumcunque peccatorum, idem habere debet per contritionem. Minor ostenditur, tum ex verbis, quibus Christus hoc sacramentum instituit Ioannis 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis:* tum ex illis, quibus hanc ipsam potestatẽ remittendi sacramentaliter peccata promisit omnibus discipulis Matthæi 18. *Quæcunque solueritis super terram, erunt soluta & in cœlo.* Vbi absque vlla limitatione traditur vniuersalis potestas absoluendi ob omnibus peccatis.

Ioan. 20.

Matth. 18.

28. Tertiò. Aut contritio non esset sufficiens dispositio ad delendũ quodcunque peccatum, vel multitudinem peccatorum, defectu propriæ virtutis, aut ex volũtate Dei, non acceptantis illam pro quocunque peccato, vel multitudine peccatorum: neutrum dici potest. Non primum, quoniam etsi contritio hãc vim non habeat ex se; habet tamen vt coniuncta cum meritis Christi, ex quibus, teste Tridentino sess. 14. c. 8. Omnia opera nostra tam meritoria, quàm satisfactoria vim habent: ipse enim Christus, qui pro peccatis nostris satisfecit, vim tribuit nostris operibus, vt cum ipsius meritis coniuncta cõdignè possent pro quibuscunque peccatis satisfacere. Non secundum, tum quia nullibi talis voluntas Dei nobis declaratur; sed potiùs contraria, quæ non vult mortem peccatoris; sed magis vt cõuertatur, & viuat. Ezechielis 18. & 33. tum quia hæc voluntas pugnare videtur cum summo illo amore, quo *sic Deus dilexit mundum, vt filium suũ vnigenitum daret: vt omnis qui credit in eum, nõ pereat* Ioan. 3. Nam *qui proprio filio suo non pepercit; sed pro nobis omnibus tradidit illum: quomodo non etiam cum illo* (vt argumentatur Paulus ad Roman. 8.) *Omnia nobis donauit?* aut quo pacto pro nobis omnibus tradidisset illũ, vt omnis, qui in eum crederet, non periret, si non omnia peccata possunt per quãcunque fidem, & conuersionem in Christum deleri? demũ opposita sentẽtia valde derogat copiosæ redẽptioni Christi, à qua nullus mortalis quantumcunque peccator excluditur.

Trident.

Ezech. 18. & 33.

Ioann. 3.

Paulus ad Rom. 8.

29. In speciali autem, quod pœnitentia valeat pro quibuscunque peccatis post Baptismum commissis, definitur in Concilio Lateranensi, his verbis: *Si tamen post susceptionẽ Baptismi prolabitur in peccatum, per veram pœnitentiã semper potest reparari.* Quod etiam colligitur ex præcitatis testimonijs Patrum. addit S. Thomas 3. p. q. 86. art. 1. si aliquod esset peccatum, quod vera pœnitentia deleri non posset, vinceretur quodammodo Deus ab homine: quia homo vellet peccatum deleri, quod Deus delere nollet.

Concilium Lateranẽse.

S. Thomas.

30. Ad argumenta primi erroris. Ad primum testimonium Augustini Respondet Bellarmin. cit. lib. de sacramento Pœnit. c. 14. Augustinum ibi loqui de catechumenis, qui ad Baptismum accedere negligunt: hi enim ne quidem verum votum Baptismi habere possunt. Colligitur hæc responsio ex ipso textu: præmiserat enim hæc verba: *Ne quis arrogans, eo quod habeat abundantiam alicuius gratiæ, dedignaretur Baptizari Baptismo domini:* post quæ statim subdit: *Quantumcunque enim Catechumenus proficiat &c.*

Bellarm.

31. Ad secundum Leonis Resp. illum intelligendum esse de sacramento Pœnitentiæ, vel in re, vel in voto: alioqui ibidem apertè docet, vt suprà vidimus, veram conuersionem nullas pati veniæ moras.

Vera cõuersio nullas patitur veniæ moras.

32. Ad tertium Bernardi satis hic Pater seipsum declarat, in quo sensu dixerit, hominem absque Baptismo non iustificari, nisi in mortis, vel necessitatis articulo: quià, vt ibidem cum August. docet, nisi articulus necessitatis Baptismum excludat, non potest quis veram contritionem habere. Sic enim ex verbis Augustini deducit: *Satis euidenter ostendit, fidelem, & conuersum ad Dominum, non si nequiuerit; sed si contempserit baptizari, fructu priuari Baptismatis.* Vbi non ideò extra casum necessitatis negat quempiam posse sine Baptismo per solam contritionem iustificari, quia putat, iustificationem haberi non posse extra casum necessitatis per contritionem: sed quia non potest quis habere veram contritionem, dum potest, & non vult Baptismum suscipere. Cæterùm non negat, eum, qui ad Baptismum accedit cum perfecta contritione, priusquam illum actu suscipiat, consequi remissionem peccatorum.

33. Ad primam authoritatem Trident. neganda est consequentia; concedo enim citato loco Concilium describere perfectam contritionem, vt in 3. tomo disp. 33. sect. 3. ostendo contra Vasquez, ad quam consequitur peccatorum remissio, vt in sequenti capite idem Concilium definit: vbi & causas iustificationis recenset, inter quas est Baptismus: Nego tamen inde sequi, quod aduersarius infert, gratiam iustificationis non dari perfectè contrito, ante, sed post susceptum Baptismum: sed tantùm inde sequitur, contritionem etiam charitate perfectam, non esse formam ipsam iustificationis, vt in citato loco latè probo; sed dispositionem tantùm, vt illam Concilium vocat: ad quam tamen infallibiliter ex diuina promissione sequitur iustificatio, & peccatorum remissio, cuius iustificationis causæ ex eodem Concilio sunt, finalis gloria Dei, & Christi, & respectu iustificati, vita æterna; efficiens, Deus; meritoria, Christus Dominus; formalis vnica, iustitia nobis inhærens; instrumentalis, Baptismus: non quod

Contritio charitate perfecta non est ipsa forma iustificationis.

ſemper hic ad iuſtificationem baptizandi cõcurrat via actu ſuſceptus; ſed ſaltem vt in voto ſuſcipiendus: ſicut de ſacramento Pœnitentiæ idem Concil. ſeſſ. 14. cap. 4. dixit, quod etiam quandoque contingit, contritionem charitate perfectam hominem Deo reconciliare; priuſquam hoc ſacramentum actu ſuſcipiatur, ipſam nihilominus reconciliationem ipſi contritioni ſine ſacramenti voto, quod in illa includitur, non eſſe adſcribendam: quia nimirum ad ipſam iuſtificationem per contritionem factam vtrumque ſacramentum concurrit, vt in voto ſuſcipiendum.

Trident.

34. Ad ſecundam authoritatem eiuſdem Concilij, neganda eſt etiam conſequentia. Etenim verbum, *contingat*, non cadit ſupra verbum reconciliare, quaſi contingens ſit, & non omninò infallibile, contritionem charitate perfectam hominem Deo reconciliare: ſed cadit ſupra eſſe ipſius contritionis perfectæ, quæ contingit, vt aliquando ſit perfecta, cùm poſſit non eſſe perfecta. Sunt enim in hac Concilij doctrina duæ propoſitiones diſtinguendæ; altera contingens, nempe quod aliquando contritio eliciatur ex perfecta charitate; quæ tamen potuit, vt ſufficiens diſpoſitio ad ſacramentum pœnitentiæ, elici non ex perfecta charitate: altera verò propoſitio eſt neceſſaria, quæ ſequitur ex priori contingente; nempe contritionem ex perfecta charitate elicitam reconciliare hominem cum Deo, ante ſuſceptum ſacramentum.

Contritio alia elicitur ex perfecta, alia ex non perfecta charitate.

35. Ad priorem rationem Reſp. etiamſi ſola contritio ſine ſacramento Pœnitentiæ fuiſſet ſimpliciter ſufficiens ad ſalutem, vti de facto fuit in veteri lege, in qua nullum erat ſacramentum, quod adultum ex attrito redderet contritum, vt ex præcedenti tomo ſuppono: poſita tamen hominum fragilitate, & contritionis difficultate, fuit ſacramentum Pœnitentiæ pene neceſſarium, nam hoc cum ſola attritione, vt infrà oſtendam, peccatorem iuſtificat: Cæterùm poſito nouo præcepto diuino de ſacramentali confeſſione, etiam ſi quis certa reuelatione ſciat, ſe per contritionem eſſe iuſtificatum, adhuc teneri ad ſacramentum Pœnitentiæ ſuo tempore ſuſcipiendum: ſicut etiam qui certa reuelatione ſciret, ſe ante Baptiſmum eſſe iuſtificatum, teneretur ad Baptiſmum ſuſcipiendum.

36. Ad poſteriorem rationem Reſp. meritò Concilium ad dignam ſuſceptionem Euchariſtiæ non eſſe contentum ſola contritione in eo, qui conſcius eſt peccati mortalis, ſed requirere ſacramentalem confeſſionem, propter reuerentiam tanto ſacramento debitam. Cùm enim incertum valde ſit, an ſemper peccator attingat illam contritionis perfectionem, quæ ad iuſtificationem extra ſacramentum requiritur, ob maximam difficultatem, quam in ſe continet, meritò Concilium ob reuerentiam tanti ſacramenti certiorem viam ſtatuit, vt fideles per ſacramentalem confeſſionem, in qua minor dolor requiritur, iuſtificati ad hoc ſacramentum accederent. Poſito autem hoc præcepto de præmittenda ſacramentali confeſſione ab eo, qui conſcius eſt peccati mortalis, omnes teneantur illam præmittere, etiamſi alias certi eſſent de iuſtificatione per contritionem comparata.

37. Ad fundamentum ſecundi erroris reſpondet Ambr. lib. 2. de Pœnitentia cap. 2. priorem locum Pauli intelligi de renouatione per Baptiſmum, qui iterari non poteſt. Quod colligitur ex ipſo verbo, *Renouari*, quod proprium eſt Baptiſmi: nam *per lauacrum*, inquit, *renouamur, per quod & renaſcimur*: Hebræi enim, ad quos Paulus ſcribebat, putabant per nouum Baptiſma poſſe hominem denuo renouari, quam expoſitionem admittit Sanctus Doctor 3. parte q. 84. art. 10. ad primum de eodem Baptiſmo intelligitur poſterior locus.

Ambroſius.

S. Thomas.

38. Ad primum fundamentum tertij erroris ductum ab exemplo Antiochi, & Eſau, reſpondeo: neutrum veram egiſſe pœnitentiam: nam ille ſolùm petebat corporis ſalutem; hic non culpas flebat, ſed hæreditatem amiſſam; quippe qui eo ipſo tempore necem ſui fratris moliebatur, vt textus indicat, Legatur S. Thomas 3. parte quæſt. 86. art. 1. ad primum.

S. Thomas.

39. Ad ſecundum vel aſſerimus cum Auguſt. lib. 4. contra Creſconium cap. 8. & alibi: peccatum in Spiritum ſanctum eſſe finalem impœnitentiam, & tunc iure hoc peccatũ dici irremiſſibile: quia extenditur extra ſtatum viæ, in quo de lege ordinaria non fit remiſſio; vel cũ alijs peccatum in Spiritum ſanctum eſſe peccatum ex malitia; ſiue quia committitur cõtra ipſam perſonã Spiritus ſancti; ſiue quia fit ex peculiari obſtinatione cordis, cum deſperatione veniæ, & propoſito nõ pœnitendi, vt communiter Scholaſtici; & tunc idem eſt hoc peccatum non remitti, ac difficilè remitti, iuxta illud Matth. 19. *Facilius eſt Camelum per foramen acus tranſire, quàm diuitẽ intrare in regnum cœlorum:* quia quod difficulter fit, impoſſibile moraliter reputatur. cauſa difficultatis eſt, tum quia directè reſiſtitur inſpirationi Spiritus ſancti; tũ quia peccatũ ex malitia difficulter deponitur. Addit S. Thomas ſuprà citatus ad tertium dici hoc peccatũ irremiſſibile in hoc ſæculo & in futuro, quia punitur in hoc ſæculo, & in futuro.

Auguſtinus.

Matth. 19

Quod difficulter fit, impoſſibile moraliter reputatur.

S. Thomas.

40. Ad illud ex Ioanne reſpondet S. Thomas in 2. diſt. 43. in fine; vel peccatũ ad mortem ſignificare peccatum finalis impœnitentiæ, quod etiam cẽſet Catharinus in opuſc. de deſertione veri, & pro eo nullo modo eſt orãdum: vel ſignificare quodcunque peccatum enorme; & tunc non prohibetur abſolutè, vt nullus oret; ſed vt non quicunque; ſed aliquis magnæ ſanctitatis vir iuxta peccati grauitatẽ, alioqui Aug. lib. 1. retractationum cap. 19. docet de nullo quantumuis peſſimo in hac vita eſſe deſperandum: quia *pro illo non imprudenter oratur, de quo non deſperatur*, vt ibidem ſubiungit.

S. Thomas.

Catharin.

Auguſt.

SECTIO II.

An semper in hac vita vera pœnitentia haberi possit?

Error Orig.

41. PRIMA sententia, seu error Origenis lib. 3. periorchon in fine asserentis, non modò peccatores in hac vita; sed damnatos in alia posse de suis peccatis pœnitere, & de facto fore, vt aliqui à mala vita resipiscentes ad bonam conuertantur: sicut è conuerso futurum esse, vt aliqui à bona vita, & à beatitudine ipsa excidentes, ad malam sint conuertendi. Fundamentum: quia sicut damnati, ita nec beati liberum arbitrium amittunt; ergo tam hi in malum; quàm illi conuerti possunt in bonum.

Armacan. Abulensis. Michael Medina. Roffensis. Ambrosius Catharin.

42. SECVNDA sententia Armacani lib. 9. quæstion. Armenor. cap. 2. Abulens. in Exodum cap. 4. q. 12. & Deuteron. cap. 2. q. 12. Michaelis Medinæ lib. 3. de recta in Deum fide cap. 1. circa medium, Roffens. art. 36 contra Lutherum ante medium §. *Neutrum sanè petitt.* Ambrosij Catharini disceptatione 5. negantium, semper in hac vita veram pœnitentiam haberi posse: nempe quando peccator peruenit ad tantam grauitatem, vel multitudinem peccatorum, vt se indignum fecerit auxilio Dei, sine quo vera pœnitentia haberi non potest: nam tunc subtrahitur auxilium, etiam sufficiens in pœnam priorum peccatorum. Citatur Henricus quodlibet. 8. q. 1. sed nihil ibi.

Henricus.

43. Fundamentum sunt Scripturæ, quæ testantur, Deum aliquos indurare, repellere, deserere, despicere, excæcare, ingrauare, in tentationem inducere, cor in malum conuertere, odium excitare, in reprobum sensum tradere; quæ omnia subtractionem important auxilij ad bene operandum necessarij, defectu cuius dicebantur Iudæi non posse in Christum credere Ioan. 12. & 1. ad Thessalonicens. 2. dicitur ira Dei peruenisse super peccatores vsque in finem, quid autem est iram Dei peruenire vsque in finem, nisi eum terminum attingere, quo vlteriùs progredi non possit? talis est, qua & damnatus in alia, & insignis reprobus in hac vita deseritur auxilio ad pœnitendum necessario. Id ipsum confirmant August. de natura, & gratia cap. 67. *Illa*, inquit, *est peccati pœna iustissima, vt amittat quisque quo bene vti noluit, cùm sine vlla posset difficultate, si vellet: id est autem, vt qui sciens rectè non facit, amittat scire quod rectum sit, & qui rectum facere cùm posset, noluit, amittat posse, cùm velit:* & Ambr. in cap. 11. ad Roman. *quidam*, inquit, *in pertinacia manentes, seueritatem sententiæ non euaserunt, in perpetuum curuati, hoc est excæcati, ne de cætero possint veritatis viam aspicere.* Et *qui cùm intellexisset, credere noluit, id debet, consequi, quod vult ne de cætero possit fidem recipere, & saluari; quam sciens prudensque abnuit.* Confirmatur: quia sicut Deus confirmat aliquos in bonum, ne possint amplius peccare; ita indurat aliquos in malum, ne possint amplius benefacere.

Ioan. 12. 1. Ad Thess. 2. August. Ambrosius

44. DICO 1. Sicut nullus conceditur locus pœnitendi damnatis; ita nullus permittitur casus peccandi beatis. Vtraque conclusio est de fide, qua constat, tam pœnam damnatorum; quàm præmium beatorum fore æternum, Matth. 25. *Ibunt hi in suppplicium æternum; iusti autem in vitam æternam.* Fundamentum: quia vtrique sunt in termino: ergo neutri possunt discedere à termino: est enim implicantia in adiecto, esse in termino, & posse discedere à termino: nam qui potest discedere à termino, nondum est in termino; sed in via ad terminum: quia terminus dicit vltimum statum rei. Confirmatur: quia si aut conuerti possint damnati, aut damnari Beati, & omnes damnati conuerterentur, vt vitarent atrocissimas pœnas, quas patiuntur; & Beati non essent Beati: quoniam beatitudo includit securitatem. Adde, quod implicat, Beatos peccare ratione ipsius beatitudinis, qua redduntur impeccabiles.

Matth. 25. Beatitudo includit securitatem.

45. DICO 2. Deus nulli in hac vita, ob quamcunque multitudinem, aut grauitatem peccatorum, denegat auxilia gratiæ ad salutem necessaria: est Sancti Tho. & communis Scholastic. cuius oppositam sententiam Sanctus Thomas, Sotus in 4. distinct. 15 quæst. 1. art. 1. Valent. dist. 7. quæst. 3. punct. 1. appellant erroneam: Alij apud Suar. disp. 8. sect. 2. impiam & temerariam: Suarez verò, & Petrus Sotus lect. 5. de pœnit. nulla eam censura dignam putant. Fundamentum nostræ assertionis est, quia Scriptura nullum excipit; sed omnes ad pœnitentiam inuitat, quantumuis grauissimis atque innumerabilibus peccatis irretitos; cui consonat vox illa Christi Matth. 9. Non veni vocare iustos; sed peccatores ad pœnitentiã; quę cùm sit indefinita, æquiualet vniuersali. Cõcordant Patres, & Cõcilia, quæ absolutè definiunt, semper in hac vita esse locum pœnitentiæ: Cap. *Talis* de pœnit. dist. 3. *Etiam: si*, inquit, *ad summum quis peruenìat malorum, & inde tamen velit reuerti ad virtutis viam, suscipit, & libenter amplectitur Deus.*

S. Thomas. Sotus. Valentia. Suarez. Petrus Sotus. Matth. 9. Cap. Talis.

46. Confirmatur ex absurdis. Sequeretur primò, huiusmodi hominem non peccare: quoniam ad peccandum requiritur libertas, quæ esse non potest, vbi non est potentia ad vtrumlibet. repugnat autem potentia ad vtrumlibet, vbi non est auxilium necessarium ad superandas difficultates, quę in euitandis peccatis occurrunt. Nec satisfacit Abulen. dicens: huiusmodi peccata non esse libera formaliter; sed causaliter, ex eo, quod peccator liberè dedit causam, vt illa sequerentur; nam mala quæ non possunt præuideri, neque causaliter dicuntur libera; sed huiusmodi peccata nequeunt præuideri, cùm ignoretur quodnam sit peccatum, vel multitudo peccatorum, ad quam consequitur

Ad Abulens. Mala quæ non possunt præuideri non sunt libera.

quitur subtractio auxilij sufficientis.

47. Sequeretur 2. hunc hominem non teneri ad præcepta supernaturalia credendi, sperandi, diligendi, pœnitendi: Nam hæc sine supernaturali auxilio gratiæ seruari non possunt.

48. Tertiò, & est ratio à priori: quamdiu homo est in hac vita, semper est in via ad terminum: ergo debet habere ea omnia, quæ necessaria sunt ad constituendum illum in via: inter alia autem sunt auxilia, quæ reddunt hominem potentem ad consequendum terminum, alioqui esset in via, & non esset in via. Dicere autem, vt aduersarij dicunt, quod talis non esset amplius in via; sed in termino, gratis, & non cohærenter dicitur: nam sicut est in via ad pœnam per noua peccata, quæ potest committere; ita est in via ad præmium, per auxilia sufficiētia & bona opera, cùm non sit maior ratio de vno, quam de alio.

49. Dices, non semper Deus actu excitat peccatorem ad pœnitentiam: ergo non semper est in potestate peccatoris, pœnitere. Consequentia constat: quia sine diuina excitatione non est homo potens ad pœnitēdum: quia diuina excitatio requiritur, vt morale principium ex parte intellectus, quod necessariò præcedit actus voluntatis. Antecedens probatur: quia nec continuò Deus auxilio suæ gratiæ peccatorem excitat; nec voluntas humana aliquid ex se facere potest, quo talem gratiam mereatur, alioqui gratia non esset gratia, sed merces, & remuneratio.

50. Respondeo nego consequentiam: nā, vt rectè Sanctus Tho. 3. contra gent. c. 159. peccatorem non semper excitari diuina gratia, non prouenit ex parte Dei excitare nolentis; sed ex parte peccatoris, impedimentum apponentis; Deus enim, qui semper stat ad ostium, & pulsat, vt per gratiam iustificantem intret in animam, continuò peccatorem excitat ad pœnitentiam medijs ipsis obiectis naturalibus honestis, naturaliter cognitis, & voluntati propositis; vel proximè, vt in fidelibus; vel remotè, vt in infidelibus. Vnde sicut in potestate hominis est, varia obiecta naturalia honesta virtutum sibi proponere, quibus mediantibus Deus supernaturaliter peccatorem excitat ad pœnitentiam; ita in eiusdem potestate erit, à Deo excitari, non quidem positiuè merendo ipsam excitationē; sed negatiuè, non apponendo impedimentum ad illam; apponit autem homo impedimentum ad diuinam excitationem, peccando. Igitur quod peccator ad pœnitentiam non excitetur, non prouenit ex defectu Dei semper ad excitandum per talia obiecta parati; sed ex defectu peccatoris impedimentum ad excitationem apponentis. Nam sicut rectè cit. loco Sanctus Thomas ratiocinatur, quod aliquis à sole non illuminetur, non est defectus solis omnia illuminantis; sed culpa hominis oculos claudentis: Ita, quod aliquis diuina gratia non illuminetur, non est defectus Dei illuminantis omnem hominem venientem in hunc mundum; sed culpa hominis oculos intellectus per peccata claudentis.

S. Thomas.

Homo potest mereri excitationem ad pœnitētiam non positiuè, sed negatiuè

S. Thomas.

51. Ad fundamentum primæ sententiæ, nego vel damnatos habere liberum arbitrium ad pœnitendum, vel Beatos ad peccandum.

52. Ad fundamentū secundæ dico omnia illa intelligenda esse de subtractione auxilij dumtaxat efficacis, cuius negatio in homine diu in vitijs & peccatis radicato reddit voluntatem difficilem ad conuersionem, & quasi moraliter impotentem, vt Prosper rectè docuit lib. 1. de vocatione gentium cap. 12. interpretando enim illam Pauli propositionem, *Deus vult omnes homines saluos fieri*, ita scribit: *quod quia ipsi præstare sibi nequeunt, mala consuetudinis pondere oppressi, & diaboli vinculis alligati, neque deceptiones suas euincere valent, quibus tam pertinaciter inhæserunt, vt quantùm amanda est veritas; tantùm diligant falsitatem.* De hac morali impotentia intelligitur citatus locus Ioan. 12. & reliqui Patres citati: Locus autem Pauli ad Thessalonicens. intelligitur de ira Dei vsque in finem vitæ per subtractionem auxilij efficacis, *ne aliquando*, inquit Ambr. *misericordiam consequi mereantur.*

Prosper de vocatione gentium.

Ambrosius.

53. Ad confirmationem, ratio discriminis est: quia per confirmationem in bono non tollitur potentia ad malum, quæ saluatur in sola natura liberi arbitrij, quæ per gratiam confirmantem non tollitur; sed adiuuatur, per subtractionem verò auxilij sufficientis tollitur potentia ad bonum, quæ sine auxilio gratiæ, non est sufficiens, consequenter tollitur sufficiens potentia ad consequendum terminum, quæ est de essentia viatoris, vt sic.

Sufficiens potentia ad terminum consequendū est de essentia viatoris vt sic.

SECTIO III.

An remitti possit vnum peccatum mortale sine alio?

54. Prima sententia Adriani in 4. quæst. 4. Medin. Codice de Pœnit. tra. 1. q. 12. Angles ar. 3. difficultate penult. Suar. disp. 10. sect. 1. Nugnez 3. p. quæst. 86. ar. 3. Coninck disp. 2. dub. 11. affirmantium, & sequitur ex principijs Alens. 4. parte quæst. 17. memb. 4. art. 6. §. 1. Bonau. in 4. dist. 17. parte 1. ar. 1. quæst. 1. Scoti dist. 14. quæst. 1. Bass. q. 2. ar. 2. Maior. q. 1. Gabr. q. 1. ar. 1. & 2. Arimin. in primo distinct. 17. quæst. 1. art. 2. Bellarm. lib. 2. de iustificat. cap. 16. & aliorum, qui docent, peccata à Deo remitti posse sola condonatione extrinseca. Hæc sententia varia habet fundamenta iuxta varias opiniones de iustificatione peccatorum. Qui docent, iustificationem fieri per absolutionem à solo reatu pœnæ, ad quam ex diuina voluntate peccator ordinatur, vt Scotistæ, & Nominales opinantur, Fundamentum assignant: quia

Adrianus. Medina. Angles. Suarez. Nugnez. Coninck. Alensis. Bonauent. Scotus. Bassolus. Maior. Gabriel. Ariminens. Bellarm.

posset Deus de potentia absoluta absoluere ab vna pœna peccato debita, & non ab alia; ergo posset vnum peccatum remittere sine alio. Qui verò putant, posse Deum peccata remittere, absque eo quòd peccatorem in gratiam recipiat, vt reliqui Doctores citati existimant, fundamentum assignant: quia potest Deus condonare vnam offensam, non condonatis alijs: nam ex eo quòd potest peccatori culpas remittere, absque eo quòd illum in suam amicitiam admittat, poterit condonare vnam culpam, non condonatis reliquis. Tandem qui censent cum gratia non repugnare peccatum, idem docere tenentur, vt de facto docet Medina suprà cit. quia in hac sententia sola gratia ex se non delet peccatum, nisi accedente extrinseca condonatione, & fauore diuino: nam licet hic sit connaturaliter debitus gratiæ; est tamen ab ea separabilis: ergo potest dari gratia cum extrinseca condonatione vnius, & non alterius peccati.

Medina.

55. SECVNDA sententia Alberti in 4. dist. 15. art. 1. Durandi q. 2. n. 6. Soti q. 1. art. 3. Richar. dist. 1. art. 6. q. 3. Vasquez prima secundæ disp. 207. cap. 5. Henriquez lib. 4. de sacramentis cap. 13. in textu, Valentiæ 3. parte disput. 7. quæst. 3. puncto 3. negantium, posse vnum mortale remitti sine alio, pro cuius controuersiæ explicatione,

Albertus. Durandus. Sotus. Richardus. Vasquez. Henriquez. Valentia.

56. Notandum, præsentem quæstionem non esse secundùm potentiam ordinatam, secundùm quam de fide est, vnum peccatum mortale remitti non posse sine alio, vt constat ex Trident. sess. 6. cap. 15. qui docet, quocunque peccato mortali amitti gratiam. Cuius ratio est: quia de facto nullum mortale remittitur, nisi per gratiam, quæ suaptè natura reddit subiectum sanctum, amicum, & filium Dei, cum qua saltem naturaliter pugnat quodcunque mortale: quia hoc, teste Trident. sess. 6. cap. 7. facit subiectum inimicum, & inuisum Deo. Est ergo tantùm controuersia de possibili: quæ intelligi potest de peccato in quouis statu commisso. Pro qua,

Trident.

57. DICO. Implicat Deum remittere vnum mortale sine alio in hoc statu naturæ eleuatæ ad finem supernaturalem: est S. Tho. 3. p. q. 86. art. 3. vbi, *impossibile*, inquit, *est per pœnitentiam vnum peccatum sine alio remitti.* & quod loquatur de impossibili simpliciter, constat ex eius ratione: quia *nullum*, inquit, *peccatum remitti potest sine gratia*, vt supponit ex prima secundæ vbi q. 113. art. 2. affirmat, remissionem peccatorum intelligi non posse sine infusione gratiæ: sed quodlibet mortale, vt hic docet, opponitur gratiæ. Concludit ergo, impossibile esse, quòd vnum sine alio remittatur. Conclusio pendet ex duobus principijs, quæ nunc suppono: vnum est, quòd nullum mortale remitti possit in hoc statu sine gratia sanctificante; alterum, quòd gratiæ repugnet cum quouis peccato mortali, eo quòd gratia sit amicitia, peccatum verò inimicitia Dei, ex Trident. sess. 6. cap. 7. implicat autem hominem esse simul amicum, & inimicum Deo, vt latè probo in 3. tomo disp. 32. sect. 1. Ex his duobus principijs sic deducitur assertio posita. Implicat peccatum mortale remitti sine gratia sanctificante: ergo implicat vnum peccatum mortale remitti sine alio. Consequentia probatur: quia nullum mortale remitti potest sine gratia: ergo si cum nullo mortali stare potest gratia, non potest remitti vnum, quin remittantur reliqua.

S. Thomas.

Principia duo.

Trident.

58. Cæterùm, an potuisset in pura natura vnum peccatum mortale sine alio remitti, pendet ex modo, quo Deus in eo statu peccata mortalia homini condonasset, de qua difficultate satis à nobis disputatum est 3. tomo disp. 33. sect. 4.

SECTIO IV.

An remissa culpa per contritionem remittatur omnis pœna culpæ debita?

59. CONtendunt Lutherus, & Caluinus, ad remissionem culpæ remitti omnem pœnam, tam æternam; quàm temporalem, primò: quia id testatur Spiritus sanctus Ezechiel. 18. vbi Deus obliuisci dicitur omnium iniquitatum, si impius pœnitentiam egerit: & ad Roman. 8. dicitur nihil damnationis esse in ijs, qui sunt in Christo Iesu. Secundò. Si potest contritio tollere culpam, & pœnam æternam, à fortiori tollere poterit omnem aliam pœnam temporalem. Tertiò. Christus infinitè satisfecit pro nostris peccatis: ergo non est necessaria alia satisfactio. Ex quo inferunt, nullum esse purgatorium, nulla sacrificia, nullas indulgentias pro defunctis offerendas. Quartò. Repugnat Deum remittere totam culpam, & relinquere aliquam pœnam: nam pœna dicit essentialem respectum ad culpam. Quintò. Non videtur explicabile, quo pacto Deus remittendo pœnam æternam, iniungat temporalem.

Lutheri & Caluini error.

Ezech. 18.

Ad Rom. 8.

66. Cæterùm catholica sententia duo docet: vnum est, remissa culpa per pœnitentiam, semper remitti pœnam æternam: alterum est, non semper cum remissione culpæ, & pœnæ æternę remitti totam pœnam temporalem, vti remittitur in Baptismo: ita Tridentinum sess. 6. cap. 14. & sess. 14. cap. 8. & can. 12. ratio prioris partis est: quia non remittitur culpa, nisi per gratiam: gratia autem ex Trident. sess. 6. cap. 4. est filiatio adoptiua Dei, suaptè natura constituens subiectum hæredem vitæ æternæ, vt idem Concilium cap. 7. insinuat: repugnat autem, saltem de lege ordinata, vt aliquis sit hæres vitæ æternæ, & simul addictus pœnę æternæ.

Trident.

Quid sit gratia.

61. Posterior pars constat ex Scriptura, in qua sæpe Deus peccatorem punit ob culpam

iam

iam remissam, & non tantùm ad emendationem culpæ futuræ, vt garriunt hæretici; sed etiam in vindictam præteritæ: vt fuit mors, qua Aaron, & Moyses in deserto puniti sunt, antequam promissam terram attingerent, eo, quòd Deum non glorificauerunt ad petram, Numer. 20. Deuteronom. 32. rationem insinuat Trident. sess. 14. cap. 8. tum quia per huiusmodi pœnas magis à peccato reuocamur, cautioresque efficimur in futurum: tum quia per actus satisfactorios, quibus temporalem pœnam exoluimus, reliquias peccatorum, vitiososque habitus malè viuendo contractos tanquam per contrarios actus tollimus. Est & alia ratio: quoniam Deus non solùm per peccatum offenditur vt priuatus amicus; sed etiam vt publicus legislator, & Princeps: ergo, licet vt priuatus amicus gratis cùm offensa remittat pœnam æternam, quæ cum amicitia saltem de lege ordinaria stare non potest; tamen vt publicus legislator relinquit aliquam pœnam temporalem in vltionem commissi sceleris, propter bonum commune luendam, *ne*, vt inquit Trident. *homines peccata leuiora putantes, in grauiora quotidie impunè labantur*.

Num. 20. Deut. 32. Trident.

Trident.

62. Ad primum argumentum hæreticorum, dico Deum propter pœnitentiam peccatoris obliuisci omnium iniquitatum eius: quia illas condonat in ordine ad offensam, & pœnam æternam. eodem modo explicatur locus Pauli.

63. Ad secundum, nego ipsam contritionem remittere culpam, & pœnam æternam; sed Deum gratis, posità contritione vt dispositione, & meritò tantùm de congruo, Vnde non sequitur, si Deus per contritionem remittit pœnam æternam, quod debeat etiam remittere pœnam temporalem: quia hoc non pendet à contritione formaliter: sed etiam à voluntate Dei, qui non necessariò, si remittit vnum, debet remittere & alterum.

64. Ad tertium, nego consequentiam: quia Christus satisfecit pro nobis vt causa satisfactoria vniuersalis, applicanda singulis per propriam cooperationem: nam hic est modus proportionatus liberæ naturæ, vt sicùt liberè deliquit; ita liberè sibi applicet causam satisfactionis. Quò fit, vt quoniam paruuli per peccatum originale non liberè ipsi deliquerunt; sed ipsorum caput; non sit necesse ad talis peccati, & pœnæ remissionem ipsorum libera cooperatio, sed sufficiat aliena.

Cur in paruulis non sit necessaria libera cooperatio.

65. Ad quartum, nego antecedens, vt patet in offensis humanis, in quibus remissa tota offensa per acceptationē in amicitiam, adhuc potest offensus ab offendente exigere aliquam satisfactionem, ad resarciendum ius læsum publicæ iustitiæ. Et ratio est: quia culpa remittitur per redintegritatem in amicitiam. repugnat quippe culpa grauis cum amicitia: quia culpa grauis infert offensam grauem: pœna autem imponitur ad resarciendam iustitiam: at potest quis esse alteri amicus, & simul debitor iustitiæ: quia hæc iura, cùm sint diuersa, non sibi contradicunt: ergo potest Deus acceptare peccatorem ad suam amicitiam, condonata perfectè culpa, & adhuc ab eo exigere aliquam pœnam in recompensationem publicæ iustitiæ læsæ. vnde ad probationem antecedentis, concedo pœnam dicere essentialem respectum ad culpam, vel præsentem, vel præteritam: pœna autem à iustificato luenda respectum dicit ad culpam præteritam, non ad præsentem, quæ iam supponitur condonata.

Pœna respectum dicit ad culpam.

66. Ad quintum, varij sunt modi explicandi, quo pacto pœna æterna commutetur in temporalem: probabilior est, quem docet S. Thomas 3. parte q. 86. art. 4. quia scilicet in peccato sunt duo, auersio ab incommutabili bono, & conuersio ad bonum commutabile; ratione auersionis debetur illi pœna æterna; Ratione verò conuersionis pœna aliqua temporalis: sublatà igitur pœna æterna per gratiam, remanet temporalis debita conuersioni; non quod simul maneat malitia conuersionis; sed quia iustum est, remissa culpa, aliquam pœnam purgandam manere ob publicam iustitiam; æterna manere non potest: quia saltem naturaliter pugnat cum amicitia; ergo temporalis.

S. Thomas.

Sublata æterna pœna cur remaneat temporalis.

SECTIO V.

An de potentia absoluta possit Deus remittere culpam, non remisso debito pœnæ æternæ?

67. PRIMA sententia negat: Est Scoti in 4. dist. 14. q. 1. art. 1. & 2. & dist. 21. q. 1. §. *In ista quæstione*, Bass. dist. 14. q. 1. art. 5. Gabr. q. 1. art. 1. Notabili 2. Medin. Codice de Pœnit. tract. 1. q. 7. Vasq. 1. 2. disp. 204. cap. 4. & videtur Alens. 4. parte memb. 4. art. 4. §. 1. ad obiecta, quatenus docet, vitam æternam ad quam ius confert gratia, per quam peccatum remittitur, oppositionem habere cum pœna æterna. Cuius sententiæ varia sunt fundamenta iuxta varias opiniones de peccato habituali, eiusque remissione.

Scotus. Bassolus. Gabriel. Medina. Vasquez. Alensis.

68. Primum fundamentum est Scoti, & Gabr. quoniam peccatum habituale relictum ab actuali præterito nihil aliud est, quàm ordinatio ad pœnam æternam, præterito actui debitam: ergo implicat remitti peccatum, & simul manere debitum pœnæ æternæ, cùm nihil aliud sit peccatum habituale, quàm hoc ipsum debitum & obligatio ad pœnam æternam. Antecedens probatur: quia nihil potest transacto actu in peccatore assignari, quod habeat rationem peccati, ipsumque denominet peccatorem; quàm passiua ordinatio ad pœnam æternam, quæ, vt est disconueniens peccatori, dicitur macula; vt est formaliter obligatio ad pœnam, dicitur reatus; vt est actiua ordinatio Dei, dicitur offensa; dicitur enim Deus formaliter offensus: quia est formaliter volens vindicare peccatum

Fundam. Scoti & Gabrielis.

contra

contra suam legem commissum.

69. Confirmatur primò: nam manere offensum principi, nihil aliud est, quàm manere obligatum ad pœnam, principis voluntate taxatam. Confirmatur secundò: nam aliquem esse iustum, posito quod Deus nullum habitum infundat, nihil aliud est, quàm hominem ordinari ad gloriam: ergo aliquem esse peccatorem, nihil aliud erit, quàm hominem ordinari ad pœnam.

Fundam. Vasquez.

70. Secundum fundamentum Vasquez. Implicat remitti peccatum absque infusione veræ sanctitatis: implicat autem cum vera sanctitate manere debitum æternæ pœnæ: igitur implicat cum remissione peccati manere debitum æternę pœnæ. Maior supponitur. Minorem probat: nam vera sanctitas suaptè natura reddit hominem filium Dei adoptiuum, ac proinde hæredem, & dignum ætetna gloria: ergo implicat in eo simul manere debitum æternæ pœnæ, cùm hæc duo, esse dignum æterna gloria, & esse dignum æterno supplicio, contradictoriè opponantur: quod sic probat. Etenim si posset quis esse dignus æterna gloria, & simul dignus priuatione æternę gloriæ, posset simul puniri, & non puniri. Puniri: quia dum priuaretur æterna gloria in pœnam sibi debitam, verè puniretur, cùm nihil aliud sit puniri, quàm pati pœnam sibi debitam. non puniri: quia priuaretur bono, quo non esset dignus carere: ergo simul puniretur, quatenus tale damnum condignè pateretur; & non puniretur, quatenus idem damnum non condignè pateretur; cùm igitur gratia sanctificans, per quam mortale remittitur, seipsa conferat intrinsecum ius ad gloriam, implicat cum remissione peccati manere debitum carendi gloria: alioqui in vno eodemque subiecto simul esset ius habendi gloriam, & debitum non habendi gloriam.

71. Tertium fundamentum est. Gratia, per quam remittitur peccatum, est mutua amicitia tam Dei erga hominem, quàm hominis erga Deum: implicat autem Deum esse amicum homini per gratiam, quam illi, peccata remittendo, infundit, & simul inimicum ob debitum pœnę æternę: ergo implicat cum remissione peccati manere debitum pœnæ æternæ. Minor prob. nam quamdiu perseuerat in homine debitum pœnæ æternę, perseuerat in Deo eadem voluntas illum æternùm puniendi, & consequenter perseuerat in Deo idem odium inimicitiæ, quod erga peccatorem Deus conceperat. Confirmatur. Voluntas excludendi à gloria, est voluntas excludendi ab amicitia, cùm gloria sit perfectissima amicitia Dei erga hominem, & hominis erga Deum: sed voluntas dandi gratiam, est voluntas acceptandi ad amicitiam; ergo simul Deus haberet voluntatem acceptandi hominem ad amicitiam, per infusionem gratiæ, & excludendi ab amicitia, per priuationem gloriæ.

72. Quartum fundamentum. Implicat remitti totum peccatum ex parte peccatoris, & non deponi totum odium ex parte Dei, quod contra peccatorem concepit. Sed manente debito pœnę æternę in homine, manet in Deo odium ętetnum illum puniendi: igitur implicat remitti totum peccatum, & adhuc manere debitum pœnę æternę.

73. Quintum fundamentum. Implicat tolli peccatum, manente condignitate ad pœnam ęternam: ergo implicat remitti peccatum, manente debito pœnæ æternę. Consequentia patet: nam idem est condignitas ad pœnam, & debitum ad eandem. Antecedens probatur: quia condignitas ad pœnam vel est ipsum peccatum, vel passio inseparabilis à peccato. Confirmatur. Implicat, sublata gratia ab homine, manere in eodem ius ad gloriam: ergo implicat, sublato peccato ab homine, in eodem manere debitum ad pœnam: nam ita se habet debitum ad pœnam in peccato; sicut ius ad gloriam in gratia.

Mayronus. Henriquez. Suarez. Coninck.

74. Secunda sententia affirmat: est Mayroni in 4. dist. 14. q. 2. art. 2. in fine, Henriquez lib. 4. de sacramentis cap. 13. Suarez disp. 10. sect. 2. & disp. 13. sect. 2. n. 14. Coninck disp. 2. dub. 13. Fundamentum est quia obligatio ad pœnam non repugnat cum gratia, & amicitia Dei, vt patet, inquit Mayronus, in Christo, qui fuit obligatus ad pœnam mortis; & sicut potuit obligari ad tempus; ita potuit ad semper. Pro explicatione pręsentis controuersię.

Debitum pœnæ sensus, & pœnæ damni.

75. Notandum, duplex debitum in peccato distingui; Alterum pœnæ sensus, sustinēdi ęternos cruciatus; Alterum pœnę damni, priuationis æternæ gloriæ, & familiaritatis diuinę: vtrumque enim debitum incurrit peccator per peccatum mortale. De vtroque hîc disputabimus, An simul stare queat cum perfecta remissione peccati. Sumitur autem hic pœna sensus, non prout de facto inuoluit obstinationem ad peccatum, hoc enim pacto implicantia est in adiecto, remitti peccatum, & simul manere obstinationem ad peccatum, cùm nil aliud sit obstinatio ad peccatum, quā perseuerantia in peccato: sed solùm sumitur prout dicit perpessionem cruciatus æterni in pœnam pręteriti peccati iam condonati.

Obstinatio est perseuerantia in peccato.

76. Dico 1. Non implicat, remitti peccatum, manente debito pœnæ æternę sensus. Fundamentum est: quia non implicat, Deum acceptare peccatorem in suam amicitiam per gratiam, & intimam familiaritatem per gloriam, & beatitudinem supernaturalem, & simul illum ęterna pœna cruciare; vel in animo; vel in corpore propter præteritum peccatum. Atqui in tali casu Deus remitteret peccatum, manente debito æternæ pœnæ in homine: igitur potest remitti peccatum, manente debito æternæ pœnæ sensus. Maior nullam inuoluit implicantiam: nam si potest simul cū gratia, & beatitudine supernaturali ad tēpus stare obligatio ad pœnam sensus, vti stetit in Christo, qui ex pręcepto Patris obligatus fuit ad pœnam mortis, cur non poterit in æternum? Neque enim æternitas obligationis ad

Christus obligatus fuit ad pœnam sensus.

pœnam

pœnam sensus addit ex parte subiecti aliquam repugnantiam, propter quam nequeat simul stare cum homine amico, & familiari Deo, ac proinde cum homine ab omni peccato perpurgato.

77. Minor, in qua est difficultas, probatur primò à posteriori. Defacto, remisso peccato, manet debitum ad pœnam temporalem; igitur remissio peccati per se non repugnat cum debito ad pœnam: alioqui si repugnaret, neque simul stare posset cum debito ad pœnam temporalem. Nam si remissio peccati cum tali debito repugnat, ideò repugnat: quia debitum ipsum ad pœnam inuoluit aliquam rationem peccati, ob hanc enim solam causam non posset per absolutam Dei potentiam simul coniungi remissio peccati cum debito ad pœnam, cùm omnis alia causa superabilis fit à Deo: nam solùm id repugnat fieri à Deo, quod contradictionem inuoluit. Sequela verò probatur: nam si ideò remissio peccati pugnat cum debito ad pœnam, quia ipsum debitum ad pœnam inuoluit rationem peccati; etiam debitum ad pœnam temporalem inuoluit aliquam rationem peccati, cùm etiam debitum ad pœnam temporalem, sit aliquod debitum; ac proinde si debitum pœnæ dicit rationem peccati, etiam debitum ad pœnam temporalem includeret aliquam rationem peccati. Confirmatur. Potest simul stare debitum ad totam pœnam peccato debitam, cùm remissione peccati venialis: ergo etiam stare poterit debitum ad totam pœnam cum remissione peccati mortalis. Antecedens constat de remissione venialium in instanti mortis, in quo remittuntur omnia peccata venialia quoad totam culpam, remanente integro debito quoad pœnam.

78. Probatur secundò eadem minor. Nam in tali casu Deus deponeret totum odium inimicitiæ, quod in vindictam peccati erga huiusmodi hominem conceperat, commutando illud in amorem amicitiæ: ergo in eo casu Deus remitteret peccatum. Consequentia patet: quia implicat Deum deponere totum odium inimicitiæ erga peccatorem, illud commutando in amorem amicitiæ, & nihilominus manere peccatum in homine: quoniam implicat perseuerare peccatum in homine, & illud à Deo non odio haberi: & multò magis implicat, talem hominem à Deo amari amore amicitiæ: cùm nequeat Deus vel esse suspensus circa aliquod obiectum; vel ad illud aliter per voluntatem tendere; quàm obiectum ipsum natura sua postulet: Atqui peccatum natura sua non postulat amari, sed odio haberi: igitur implicat, quamdiu illud in homine existit, à Deo non odio haberi. Antecedens verò probatur: nam per infusionem gratiæ, & visionis beatæ, necessariò Deus talem hominem amaret amore perfectæ amicitiæ; cùm non possit esse gratia, & gloria in homine, & à Deo non amari iuxta earum amabilitatem: cùm nequeat Deus circa tale obiectum vel esse suspensus; vel aliter per voluntatem ferri, quàm obiectum ipsum natura sua postulat: sed gratia, & gloria est perfectissima amicitia Dei erga hominem, & hominis erga Deum: ergo implicat Deum infundere gratiam, & gloriam homini, & illum non amare amore perfectissimæ amicitiæ. Repugnat autem cum tali amore adhuc Deum retinere erga huiusmodi hominem odium inimicitiæ: igitur repugnat in tali homine perseuerare peccatum: ergo non implicat cum perfecta remissione peccati manere debitum ad æternam pœnam sensus. Quod autem cum tali amore perfectissimæ amicitiæ repugnet in Deo odium inimicitiæ, probatur: quia cùm non possit in Deo esse odium inimicitiæ, quin in obiecto sit fundamentum talis odij, implicat in Deo perseuerare odium inimicitiæ, sublato ab homine omni fundamento inimicitiæ: sed per infusionem gratiæ & gloriæ tollitur ab homine omne fundamentum inimicitiæ Dei erga hominem; Nam fundamentum inimicitiæ Dei erga hominem est solum peccatum: nam solum peccatum est offensa Dei, quæ directè ipsius amicitiæ opponitur: hoc autem per iusufionem gratiæ & gloriæ, posita retractatione peccatoris, necessariò tollitur; nam per infusionem gratiæ, & gloriæ cum voluntaria retractatione peccatoris tollitur omnis moralis auersio peccatoris à Deo, in qua morali auersione peccatum formaliter consistit, eiusque loco ponitur perfectissima conuersio moralis eiusdem ad Deum, tanquam ad amicum, & familiarem supernaturalem.

Implicat perseuerare peccatum & non haberi odio à Deo.

Fundamentum inimicitiæ Dei erga hominem est solum peccatum.

79. Dices, Adhuc in tali homine remanere obiectum inimicitiæ Dei erga ipsum, fundatum in ipso debito pœnæ æternæ. Sed contrà, quia cùm tale debitum non sit formaliter peccatum, non poterit tale debitum constituere obiectum inimicitiæ Dei. Quod autem tale debitum non sit peccatum, probatur: nam peccatum formaliter est moralis auersio creaturæ à Deo: hoc autem debitum nullam per se dicit moralem auersionem à Deo, quippe quod stare potest cum perfectissima conuersione morali ad Deum.

Peccatum est moralis auersio creaturæ à Deo.

80. Confirmatur: nam vel hoc debitum haberet rationem peccati, quatenus includeret ordinationem ad pœnam æternam: & non: quia hæc ordinatio est à Deo, à quo nullum peccatum esse potest. Vel quatenus dicit obligationem ad pœnam æternam: & neque ex hoc capite dici potest peccatum: quia obligatio ad pœnam stare potest absque vllo peccato, vt fuit in Christo, in quo sicut fuit obligatio ad pœnam temporalem; ita de potentia absoluta potuisset esse ad pœnam æternam. Vel quatenus dicit obligationem ortam ex peccato: & hoc modo licet connotet peccatum fuisse; haud tamen necessariò connotat peccatum esse, cùm possit sublata omni auersione morali à Deo, adhuc manere debitum ad pœnam, relictum ex præterito peccato iam remisso: sicut de facto, remisso peccato originali, manet in renatis debitum ad pœnas ex peccato originali relictas, vt docet Trident. sess 5. can. vlt. Igitur ex nullo capite

Obligatio ad pœnam stare potest absque peccato.

Trident.

pite

pite debitum ad pœnam inuoluit rationem peccati. Ratio verò est: quoniam per alium respectum constituitur peccatum, & debitum ad pœnam. Nam peccatum constituitur per respectum difformitatis à recta ratione, & moralis auersionis à Deo fine, & amico supernaturali: debitum autem ad pœnam per respectum ad publicam iustitiam, cui per talem obligationem pœnæ satisfit: non repugnat autem aliquem manere cum obligatione ad satisfaciendum publicæ iustitiæ, & simul esse amicum principi, à quo propter offensam ei illatam fuit ad pœnam damnatus: quia posset Princeps offendentem acceptare in pristinam amicitiam, & simul illum obligare ad perpetuum exilium ad satisfaciendum publicæ iustitiæ.

Per quid constituatur peccatum, & debitum ad pœnam.

81. Dico 2. Implicat de facto Deum adæquatè remittere peccatum, manente debito priuationis vitæ æternæ in peccatore. Fundamentum est: quia de facto voluntaria auersio à vita æterna habet rationem peccati, & maculæ in peccatore: sed quamdiu non restituitur forma, in cuius voluntaria priuatione consistit ratio peccati, & maculæ, non remittitur adæquatè peccatum, & macula: ergo implicat, manente debito priuationis vitæ æternæ in homine, Deum adæquatè illi peccatum remittere. Maior probatur: nam voluntaria auersio à vita æterna, est virtualis contemptus, & offensa Dei vt finis, & familiaris supernaturalis: sicut voluntaria auersio à gratia sanctificante, est virtualis contemptus, & offensa Dei finis, & amici supernaturalis: ergo non minùs vna; quàm altera constituit rationem peccati, & maculæ. Minorem ostendo: Nam quamdiu non restituitur forma, in cuius voluntaria priuatione consistit macula, manet subiectum tali priuatione maculatum. Sicut quamdiu non restituitur paruulo gratia sanctificans, in cuius priuatione consistit peccatum, & macula originalis, manet paruulus tali priuatione maculatus.

Quid sit macula.

82. Confirmatur 1. Nam macula est voluntaria priuatio pulchritudinis debitæ: sed de facto creatura rationalis non solùm habet debitum conseruandi in se gratiam sanctificantem, quę est supernaturalis animi pulchritudo; sed ipsam etiam vitam ęternam sibi cum gratia promissam, & ad quam per gratiam ius acquirit: ergo de facto non solùm voluntaria priuatio gratiæ sanctificantis; sed ipsius etiam glorię, & supernaturalis beatitudinis habet rationem peccati & maculæ.

Voluntaria priuatio gloriæ habet rationem peccati, & maculæ.

83. Confirmatur 2. Nam quamdiu non restituitur forma, quæ Deum ad hominem conuertat, vel tanquam amicum ad amicum; vel tanquam familiarem ad familiarem, non extinguitur peccatum, & macula in peccatore. Sed beatitudo supernaturalis conuertit Deum ad creaturam tanquam familiarem ad familiarem: ergo quamdiu illa homini non restituitur, perseuerat in eo peccatum, & macula: saltem ex ea parte, quà dicit voluntariam priuationem supernaturalis beatitudinis moraliter perseuerantem. Maior probatur: nam quamdiu non restituitur talis forma, non manet Deus conuersus ad creaturam, vel tanquam amicus ad amicum, vel tanquam familiaris ad familiarem: cùm nequeat Deus amicabiliter, vel familiariter conuerti ad creaturam, nisi per formam amicitiæ, vel familiaritatis in ea productam: ergo manet positiuè auersus à creatura, cùm non possit manere suspensus. Non potest autem manere positiuè auersus à creatura, nisi ea auersione, cuius oppositam conuersionem exigebat forma ipsa, qua creatura voluntariè se priuauit: sed forma, qua creatura voluntariè se priuauit, est perfecta familiaritas Dei erga creaturam, & creaturæ erga Deum: ergo ea non restituta, manet Deus auersus à creatura positiua auersione perfectę familiaritatis, qualis est supernaturalis beatitudo. Ergo implicat de facto Deum adæquatè homini remittere peccatum, perseuerante in eo debito priuationis supernaturalis beatitudinis: cùm tale debitum inadæquatè saltem constituat maculam peccati: est enim voluntaria separatio à Deo vltimo fine clarè visibili.

84. *Obijcies* 1. Potest hoc debitum priuationis supernaturalis gloriæ perseuerare in homine solùm per modum pœnæ; non autem per modum culpæ, & maculæ; sicut perseuerare potest debitum pœnę sensus: ergo potest, adæquatè remisso peccato, & macula, perseuerare debitum priuationis æternę gloriæ.

85. Resp. negando antecedens. Etenim cùm peccatum non remittatur per condignam satisfactionem creaturæ, qua posita moraliter illud censeatur remissum: cùm nequeat creatura pro peccato mortali condignam satisfactionem offerre: & esto posset, non teneretur Deus illam ad hunc finem acceptare; sed propter alios fines, propter quos illa Deo debita est: neque remittatur per solam extrinsecam condonationem Dei, cùm nequeat Deus ex non condonante fieri condonans, absque intrinseca mutatione peccatoris ex se sufficiente ad expellendum peccatum; sed per formalem incompossibilitatem formæ suaptè natura expellentis peccatum, per quam Deus conuertatur ad peccatorem vt amicus ad amicum, vel familiaris ad familiarem, non poterit, remissa tota macula peccati, remanere debitum priuationis gloriæ solùm per modum pœnæ: quoniam vt tale debitum perseueraret per modum puræ pœnæ, deberet tota macula peccati remitti, absque infusione gloriæ: atqui nequit de facto, tota macula peccati remitti absque infusione gloriæ, vt suprà probatum est.

Peccatum non remittitur per condignam satisfactionem,

Nec per extrinsecam condonationem,

Sed per formam incompossibilem cum peccato.

86. Confirmatur: nam vel talis macula remitteretur per solam contritionem peccatoris; & hoc dici non potest, cùm contritio peccatoris de se non sit sufficiens ad extinguendam offensam illatam Deo, qua non extincta, manet ratio maculæ in peccatore; vel per extrinsecam acceptationem Dei; at probatum est, Deum non posse remittere peccatū

absque

absque intrinseca mutatione peccatoris, de se sufficiente ad expellendum peccatum: vel per infusionem solius gratiæ; at hæc licet expellat maculam contractam per voluntariam auersionem à Deo fine & amico supernaturali, haud tamen expellit maculam cōtractam per voluntariam auersionem à Deo clarè visibili, & familiari perfectissimo. Igitur nequit de facto manere debitum priuationis gloriæ per modum tantùm pœnæ.

Differentia inter debitū pœna sēsus, & damni.

87. Nec est eadem ratio de debito pœnæ sensus: quia potest tota macula peccati contracta per voluntariam auersionem à Deo vltimo fine, ac perfectissimo amico, & familiari remitti per infusionem gratiæ, & gloriæ, manente tantùm obligatione ad pœnam sensus, quæ de se non est auersio à Deo, vti est voluntaria priuatio Dei clarè visibilis, ac perfectissimi familiaris.

88. Dices. Non solùm voluntaria auersio à Deo vltimo fine ac perfectissimo amico & familiari, habet rationem peccati, & offensę contra Deum; sed etiam ipsa voluntaria contractio pœnę sensus: atqui tolli potest voluntaria contractio pœnæ sensus, manente tantùm debito ipsius: ergo tolli etiam poterit voluntaria auersio à Deo clarè visibili, ac perfectissimo familiari, manente tantùm debito priuationis clarè visionis, ac perfectissimæ familiaritatis diuinæ.

89. Respondeo negando consequentiam: nam voluntaria contractio pœnæ sensus, in ratione peccati & offensæ contra Deum sufficienter tollitur per contritionem peccatoris, tanquam per dispositionem, & per infusionem gratiæ, & gloriæ, tanquam per formam formaliter expellentem. Etenim hoc ipso, quod Deus per gratiam, & gloriam cōuertitur ad peccatorem, tanquam perfectus amicus & familiaris, cessat omnis ratio offensæ in peccatore, quæ formaliter tantùm opponitur amicitię & familiaritati diuinæ. Contrà verò voluntaria auersio à Deo clarè visibili ac perfectissimo familiari non tollitur per solam conuersionem peccatoris, & gratię infusionem: nam sicut familiaritas est perfectior, quàm sit amicitia, cùm illam supponat, & insuper addat singularem coniunctionem cum amico, & intimiorem communicationem bonorum ipsius amici; ita voluntaria priuatio illius non tollitur per solam infusionem gratiæ, cùm nulla priuatio tolli possit per formam inferiorem: atqui beatitudo supernaturalis est perfectior forma in ratione amicitiæ, esto in ratione entis sit perfectior gratia: igitur illius priuatio tolli non potest per infusionem solius gratiæ.

Offensa formaliter tantùm opponitur amicitiæ & familiaritati diuinæ.

Nulla priuatio tolli potest per formam inferiorem.

99. *Obijcies* 2. Potest Deus negare iusto gloriam, vt 3. tomo disp. 31. sect. vlt. ostendimus: ergo potest remittere peccatum, non collata gloria: igitur potest manere debitum priuationis gloriæ solùm per modum pœnæ, remissa tota macula peccati.

100. Respondeo negando vtramque consequentiam: nam potuit Deus promittere homini solam gratiam, non promissa gloria: in quo casu gloria non fuisset debita homini; ac proinde illius priuatio non potuisset imputari homini ad culpam: sicut non imputatur ad culpam priuatio vnionis hypostaticæ, ex eò quòd per peccatum homo reddat se indignum illa, cùm non sit ei debita. Sicut nec priuatio gratię habitualis imputaretur ad culpam homini peccanti in pura natura. Ratio est; quoniam illius tantùm formæ priuationem culpabiliter contrahimus, quam habere, vel conseruare tenemur; cùm omnis culpa fundari debeat in transgressione alicuius debiti. De facto autem gloria est debita homini ex promissione diuina, quam consequi tenetur per bona opera: ac proinde priuatio illius imputatur homini ad culpam, quæ nequit remitti, nisi restituta forma, in cuius priuatione illa consistit.

101. *Obijcies* 3. Priuatio gloriæ est pœna, quæ per peccatum incurritur: ergo non est culpa. Consequentia patet, nam pœna distinguitur à culpa: hæc enim committitur ab ipso peccatore; illa taxatur à Deo. Antecedens probatur, nam priuatio glorię est ab ipso Deo in pœnam peccati commissi.

102. Resp. distinguendo antecedens: priuatio gloriæ est tantùm pœna à Deo taxata, nego: est pœna, & culpa simul; concedo: culpa, vt est moraliter ab homine voluntariè se illa priuando; pœna, vt physicè à Deo inflicta ob commissam culpam. Vnde eadem priuatio gloriæ, vt moraliter est à peccatore, ratione precedit seipsam, vt physicè est à Deo: nam ideò Deus illam physicè subtrahit: quia peccator liberè se ab illa subtraxit.

Priuatio gloriæ est pœna & culpa simul:

Quomodo pręcedat seipsam?

103. *Obijcies* 4. Priuatio gloriæ constituit peccatum solùm vt terminus extrinsecus: atqui auferri potest tota ratio peccati, manente tantùm termino extrinseco; vt patet de peccato homicidij, quod totum auferri potest, manente extrinseco termino occisionis. Maior probatur: nam priuatio gloriæ concurrit ad peccatum solùm vt terminus extrinsecus moralis auersionis, qua peccator auertit se à Deo clarè visibili, ac perfectissimo familiari.

104. Respondeo; esto physica priuatio gloriæ ad peccatum concurrat vt terminus extrinsecus; moralis tamen priuatio eiusdem, quatenus nimirum est voluntaria auersio à Deo, vt à perfectissimo familiari, constituit intrinsecè peccatum; quia vt sic dicit offensam, & virtualem contemptum Dei, vt perfectissimi familiaris. Quæ offensa, & virtualis contemptus Dei, vt perfectissimi familiaris tolli non potest, neque per solam contritionem peccatoris, neque per solam infusionem gratiæ; sed per collationem eiusdem gloriæ, cuius est voluntaria priuatio, & virtualis contemptus; quamdiu enim non restituitur diuina familiaritas per collationem gloriæ, tamdiu censetur peccator manere moraliter auersus à Deo, & Deus à peccatore, tanquam non familiaris à non familiari. Sicut quamdiu non restituitur gratia habitualis peccato deperdita, tamdiu censetur & peccator moraliter auersus à Deo; & Deus à pecca-

Constituit intrinsecè peccatum.

tore, tanquam inimicus ab inimico. Nec sufficit, quòd peccator actu contritionis retractet voluntatem: nam hęc retractatio non sufficit ad extinguendum peccatum, quatenus offensa Dei est: sicut nec sufficit ad illud extinguendum absque infusione gratiæ.

105. Neque est contra rationem peccati, vt illud moraliter perseueret in peccatore, etiamsi peccator ex parte sua fecerit, quidquid cum auxilio diuino facere poterat. Quia cùm peccatum, vt offensa Dei est, remitti non possit solo actu peccatoris, tanquam condigna satisfactione, necessariò vt remittatur, simul concurrere debet Deus liberaliter illud condonando; cumque Deus simul cum peccatore concurrere non possit, liberaliter illud condonando, solo actu suæ voluntatis, vt ex primò tomo disp. 14. sect. 3. suppono; sed per formam suaptè natura illud expellentem; cumque forma hæc suaptè natura expellens peccatum, vt offensa Dei est perfectissimi amicitiæ familiaris, non sit, nisi ipsa supernaturalis beatitudo, per quam Deus intimè se communicat creaturæ, vt illud perfectè condonet, debet supernaturalem beatitudinem voluntariè amissam peccatori restituere.

Peccatum vt est offensa Dei remitti non potest solo actu peccatoris.

106. Dices. Hoc ipso quòd peccator actu contritionis retractat suum peccatum, non manet amplius priuatio gloriæ imputabilis ad culpam, cùm per actum contritionis tollatur voluntarium; sine quo implicat manere culpam, quæ essentialiter est voluntaria. Resp. 1. Idem argumentum fieri posse de priuatione gratiæ habitualis, quæ sublato voluntario per actum contritionis, dici posset non amplius manere imputabilis ad culpam: quod tamen in communi sententia falsum est. Nam adhuc posita contritione, priuatio gratiæ manet culpabilis, donec tollatur per ipsam infusionem gratiæ. Secundò negatur antecedens. Ad cuius probationem, distinguendum est duplex voluntarium; alterum tantùm formale & inefficax; alterum causale & efficax: concedo autem, peccatorem actu contritionis tollere voluntarium formale, & inefficax; nego autem tollere voluntarium causale & efficax, quod fuit causa moralis priuationis gratiæ, & gloriæ. Nam vt hoc tollere posset peccator, deberet posse ponere actum, vel suaptè natura causatiuum gratię, & gloriæ, vel saltem æquiualentem illis in perfectione, cuiusmodi non est actus contritionis. Vnde concedo, culpam manere non posse absque aliquo voluntario: nego autem, posito actu contritionis, priuationem gratiæ, & gloriæ manere absque aliquo voluntario; nam manet cum voluntario causatiuo, quod fuit moralis causa ipsius priuationis gratiæ, & gloriæ: quod voluntarium solo actu contritionis tolli non potest, cum solo actu contritionis reparari non possit gratia, & gloria per peccatum amissa.

Voluntarium aliud formale, aliud causale.

107. Instabis. Tale voluntarium moraliter causatiuum priuationis gratię, & gloriæ tolli non potest à peccatore; ergo nec potest illi ad culpam imputari. Respondeo negando consequentiam: quia licet non possit à peccatore semel positum tolli, potuit tamen à peccatore non poni: vnde hoc ipso, quod fuit à peccatore præuisum, non posse à se positum tolli, imputatur illi ad culpam, eò, quod voluntariè proiecit se in statum, à quo non posset, etiam per vires supernaturaliter eleuatas resurgere, nisi accedente liberali condonatione Dei, per gratuitam restitutionem pristini status, à quo voluntariè cecidit.

108. Ad illud autem quod dicebatur, posse tolli peccatum homicidij, non sublato termino occisionis, id ideò est: quia peccatum homicidij adæquatè extinguitur per actum contritionis, & infusionem gratiæ, tanquam per formas superioris ordinis. At verò offensa contra Deum, tanquam contra perfectissimum familiarem, nequit extingui solo actu contritionis, & infusione gratiæ: nam hæc forma non conuertit peccatorem ad Deum, neque Deum ad peccatorem tanquam familiarissimum ad familiarissimum, vti conuertit beatitudo ipsa supernaturalis. Quamdiu autem peccator non conuertitur ad Deum eo genere conuersionis amicabilis, cuius opposita auersione voluntariè fuerat auersus, & Deus mutuò ad peccatorem, non extinguitur peccati macula.

109. *Obijcies* 5. Implicat in nostra sententia esse peccatum simul cum gratia: sed in tali casu posset esse peccatum simul cum gratia: quia posset Deus huiusmodi peccatori restituere gratiam, non restituta gloria; ac proinde maneret simul cum gratia macula priuationis gloriæ. Confirmatur. Gratia est amicitia, & adoptiua filiatio Dei: implicat autem cum amicitia, & adoptiua filiatione Dei simul esse peccatum: quia cùm peccatum ex Tridentino sess. 6. cap. 7. sit inimicitia hominis ad Deum, implicat simul esse cum gratia, quæ est amicitia eiusdem ad Deum, & Dei ad hominem: alioqui Deus simul esset amicus, & inimicus respectu eiusdem, quod implicat: nam amicitia dicit admissionem amici ad communicationem bonorum amici; inimicitia contrà exclusionem inimici à communicatione bonorum.

Trident.

Quid amicitia & inimicitia dicant.

110. Resp. distinguendo maiorem: implicat peccatum, & gratia simul ratione sui præcisè, & nego: implicat ratione tertij, nempe Dei, qui simul amando amore amicitiæ, poneret gratiam, & odio habendo odio inimicitię, tolleret gratiam, & concedo. Quia igitur Deus amando amore tantùm amicitię, poneret gratiam; & odio habendo, non quidem odio inimicitię; sed odio opposito perfectissimę familiaritati per subtractionem supernaturalis beatitudinis à peccatore, non implicabunt simul gratia, & peccatum, non oppositum amicitiæ, sed perfectæ familiaritati. Nam eatenus in nostra sententia peccatum, & gratia simul implicant, quatenus

vnum

vnum infert negationem alterius per ordinem ad Deum simul amantem, & odio habentem, cùm nequeat Deus vel amare, nisi per intrinsecam, mutationem creaturæ sufficientem ad amorem; vel odio habere, nisi per subtractionem formæ ad odium sufficiẽtem. Vnde si possit Deus amare, ponendo vnam formam; & odio habere, subtrahendo aliam formam, non implicabunt gratia, & peccatum simul. Sicut de facto Deus iuxta communem sententiam, amat infantes absque Baptismo decedentes, amore amicitiæ naturalis, per infusionem amicitiæ naturalis in illos erga se; & simul eosdem odit odio inimicitiæ supernaturalis, per priuationem gratiæ, & gloriæ supernaturalis debitæ, in pœnam peccati originalis: ergo simul poterit amare amore amicitię supernaturalis, per infusionem gratiæ, & odisse per priuationem perfectissimæ familiaritatis debitæ. Et ratio est: quia quando odium Dei erga peccatorem non tollit, quod ponit amor eiusdem erga peccatorem, non implicant simul in Deo amor, & odium erga eundem peccatorem: quia cùm peccatum, & gratia non implicent simul in eodem subiecto ratione sui; sed ratione amoris, & odij diuini, necessariò simul ponentis, & tollentis eandem formam; si poterit amor Dei terminari ad vnam formam, & odium ad subtractionem alterius formæ, non implicabit simul amor, & odium erga eundem peccatorem in Deo, & consequenter gratia, & aliquod peccatum, quod non sit priuatiuum gratiæ; sed alterius formæ in peccatore. Cùm igitur gratia, & gloria sint diuersæ formæ supernaturales, quarum vna est amicitia, altera perfectissima familiaritas Dei erga creaturam, & creaturæ erga Deum; cumque de facto vtriusque priuatio integret in homine rationem maculæ, cùm vtraque de facto sit forma debita in genere amicitię, & perfectæ familiaritatis, poterit in eodem subiecto simul esse gratia, & priuatio beatitudinis, ac proinde amicitia supernaturalis erga Deum, & moralis auersio ab eodem tamquam à perfectissimo familiari; & consequenter gratia, & peccatum simul, cùm in tali casu peccatum non constitueret obiectum inimicitiæ simpliciter; sed solùm obiectum oppositum perfectæ familiaritati: atque adeò odium Dei contra tale peccatum non subtraheret gratiam, quæ est simpliciter amicitia; sed tantùm beatitudinem supernaturalem; quę est perfecta familiaritas.

Gratia & gloria sunt formæ debita in genere amicitiæ & perfectæ familiaritatis.

111. Vnde ad confirmationem, distinguenda est minor: implicat cum amicitia, & adoptiua filiatione Dei simul esse peccatum oppositum amicitiæ, & adoptiuæ filiationi Dei, concedo: implicat esse peccatum oppositum tantùm perfectissimę familiaritati diuinæ, nego. Quo fit, vt non implicet esse in Deo simul amorem amicitiæ, per infusionem gratię erga creaturam, & simul odium, non quidem inimicitiæ, sed oppositum perfectissimæ familiaritati, per subtractionem supernaturalis beatitudinis debitę. Neque hinc sequitur, Deum simul esse amicum, & inimicum: nam hæc dicunt conuersionem, & auersionem ab eadem forma; sed amicum, & non familiarem.

Potest esse in Deo simul amor amicitiæ & odium oppositum perfectæ familiaritati.

112. *Obijcies* 6. Posset Deus restituere gloriam, non restituta gratia; ergo posset in eo casu Deus manere perfectè familiaris, & simul inimicus creaturæ, quod implicat; nam familiaritas supponit essentialiter amicitiam: & consequenter non posset Deus esse familiaris creaturæ, per communicationem beatificæ visionis, quin simul esset illi amicus, per infusionem gratiæ: ac proinde implicat, Deum communicare gloriam, non communicata gratia.

113. Resp. negando consequentiam: nam ipsa supernaturalis beatitudo est simul amicitia: ergo ea tantùm restituta, cum illa simul restituitur amicitia, in ipsa familiaritate essentialiter inclusa. Contrà verò gratia non est perfecta familiaritas: vnde ea tantùm restituta, cum illa simul non restituitur perfecta familiaritas. Nec refert, quòd gratia habitualis sit perfectior in ratione entis visione beatifica: quia sufficit, vt visio beatifica sit perfectior gratia in genere amicabilitatis; quia perfectiùs, & intimiùs coniungit creaturam cum Deo, eiusque bonis.

114. *Obijcies* 7. ex Trident. sess. 6. cap. 7. vnica est causa formalis nostræ iustificationis, nempe iustitia nobis inhærens: ergo sola gratia habitualis nobis inhærens absque gloria, est forma adæquatè remittens peccatum. Respondeo negatur consequentia: nam in ipsa gratia includitur gloria: quia sicut non potest à gratia separari ius ad gloriam; ita neque gloria ipsa terminatiuè sumpta, quam Trident. à gratia non excludit; sed solùm ibi assignat formam actu nobis inhærentem.

115. Ex dictis constat, quid respondendum sit ad fundamenta oppositę sententiæ. Ad primum fundamentum Scoti, & Gabrielis, negatur antecedens. Falsum quippe est, transacto actu, nihil remanere in peccatore, per quod dicatur, & denominetur peccator, nisi passiuam ordinationem ad pœnam æternam peccato correspondentem: vel Deum dici offensum per actiuam ordinationem ad eandem pœnam: tum quia tam actiua, quàm passiua ordinatio ad pœnam, est recta, & honesta, cùm sit correctiua culpę, & actus iustitię vindicatiuæ, & ab ipso Deo, à quo non nisi rectum & honestum esse potest: tum quia ordinatio ad pœnam supponit culpam, propter quam infligitur: ergo per illam, non per hanc homo dicitur formaliter peccator, tum quia nemo offenditur suo actu: ergo nequit Deus dici offensus suo actu, quo peccatum vindicat; sed per ipsum peccatum, quod vindicat: nam ideò illud vindicat, quia illo offenditur; tum quia si peccatum habituale consisteret in ordine ad pœnam, non posset Deus remittere totum peccatum, quin remitteret totam pœnam; sed de facto

Ad fund. Scoti.

Deus remittit totum peccatum, non remissa tota pœna; quin in peccatis venialibus, quæ Deus remittit in instanti mortis, remittit totam culpam, nulla remissa pœna illis correspondente: igitur peccatum habituale non potest consistere in passiua ordinatione ad pœnam. Transacto igitur actu peccati, remanet in peccatore priuatio gratiæ, & gloriæ cum ordine ad actum præteritum, quæ vt disconueniens animæ dicitur macula, vt contraria rationi, quam intellectualis creatura tenetur sequi in suis actibus, dicitur culpa; vt opposita amicitiæ & voluntati diuinæ, dicitur offensa; vt est dignitas ad pœnam, dicitur reatus, qui sumptus radicaliter non distinguitur à peccato; sumptus verò formaliter, & proximè, dicit debitum, & obligationem ad pœnam separabilem à peccato; ordinatio verò Dei ad pœnam, est quędam obligatio actiua actu obligans peccatorem ad pœnam sustinendam. Ad primam Confirmationem, nego assumptum: nam qui offendit Principem, remanet ex præterito offensâ nondum retractatâ, & recompensatâ, moraliter auersus à principe: nam ideò voluntate principis ordinatur ad pœnam: quia propter præteritam offensam moraliter perseuerantem manet offensus principi. Ad secundam, nego antecedens: nam etiam si à Deo non ordinaretur ad gloriam, adhuc ille diceretur iustus ex præteritis actibus iustitiæ.

Quid sit ordinatio Dei ad pœnam.

Ad fund. Vasquez.

116. Ad secundum fundamentum Vasquez, distinguenda est minor: nam vel loquitur de sanctitate includente tam gratiam, quam gloriam, vel de sanctitate includente solam gratiam: & rursus vel loquitur de debito solius pœnę sensus, vel etiam damni. Si loquitur de sanctitate includente tam gratiam; quàm gloriam, & de debito tam pœnę sensus, quàm damni; concedo minorem: quia tunc remitteretur peccatum per ablationem omnis moralis auersionis à Deo, & tanquam ab amico, & tanquam à familiari per infusionem gratiæ & gloriæ, & simul non remitteretur peccatum per moralem auersionem à Deo, tanquam à familiari, à quo necessariò maneret auersus per debitum priuationis beatitudinis, quod adhuc in tali homine supponeretur perseuerare. Si verò aut loquatur de debito tantùm pœnę sensus, aut de sanctitate per solam gratiam, tunc negatur minor: nam tam cum sanctitate per gratiam, & gloriam stare potest debitum pœnæ æternæ sensus; quàm cum sola sanctitate per gratiam debitum priuationis æternæ gloriæ, vt suprà probatum est.

Gratia reddit adoptiuum filium Dei.

117. Ad probationem autem minoris, concedo, gratiam quantum est de se, reddere hominem filium Dei adoptiuum, & dignū atque hęredem gloriæ; posse tamen aliunde hoc ius ad gloriam impediri, quò minùs habenti gratiam gloria proximè debeatur. Quemadmodum gratia habitualis, quantum est de se, constitueret Christi humanitatem filium Dei adoptiuum, nisi aliunde, nempe à filiatione naturali impediretur. Et ratio est: quia ius ad aliquam dignitatem non tantùm supponit in subiecto habilitatem, in qua fundetur; sed etiam negationem omnium impedimentorum, quæ tale ius impedire possent: cùm ius proximum, & expeditum ad dignitatem non solùm pendeat ex habilitate ad illam, sed etiam ex negatione omnium impedimentorum: hoc enim pacto per peccata venialia, & pœnam temporalem impeditur ad tempus hoc ius ad gloriam: cur igitur impediri non posset in perpetuum, per debitum pœnæ æternę sensus? Confirmatur: nam ex suppositione, quòd peccata venialia nūquam remitterentur quoad culpam, quod non videtur implicare, semper maneret in homine iusto ius ad gloriam impeditum.

Quid requiratur ad ius ad aliquam dignitatem.

118. Cæterùm falsum est, esse dignum æterna gloria, & non esse dignum æterna gloria, opponi contradictoriè: quia prouenire possunt à diuersis formis, nempe esse dignum, à gratia; non esse dignum, à debito pœnę relicto ex peccato iam condonato. An autem duo effectus formales contrarij possint esse simul in eodem subiecto, colligendum est ex ipsis formis, ex quibus tales effectus dimanant, an simul illæ stare possint. Nam si formæ ipsæ simul stare possunt, non est, cur etiā effectus ab ipsis prouenientes, simul etiam stare non possint, cùm prima, & radicalis repugnantia sit in ipsis formis. Porrò tunc duæ formæ oppositę simul stare non possunt, quādo vel vna contradictoriè negat aliam, vt gratia, & priuatio gratiæ; vel vna essentialiter pendet ab aliquo, quod necessariò tollitur per aliam; quia cū nulla res possit existere absque eo, à quo essentialiter pendet, sublato eo, à quo forma essentialiter pendet, per introductionem alterius formæ, repugnabit, tales formas esse simul; alioqui alterutra existere posset absque suo essentiali conseruatiuo, quod implicat. Hoc pacto implicant simul rectitudo, & curuitas in eadem quantitate: assensus, & dissensus respectu eiusdem obiecti in eodē intellectu: nā rectitudo essentialiter connotat tale spatium, quod necessariò tollit curuitas, & è contrario: & assensus essentialiter terminatur ad esse obiectiuum, quod necessariò tollit dissensus. Assensus enim fertur ad esse obiecti cognitione apprehensum; dissensus contra, ad non esse obiecti cognitione apprehensum. Quando verò neutra forma contraria tollit aliquid, à quo essentialiter pendet altera, tunc nulla est repugnantia, quin simul esse possint: sic albedo, & nigredo; calor, & frigus, etiam in summo in eodem subiecto diuinitùs esse possunt: quia neutrum necessariò tollit aliquid, à quo essentialiter pēdet aliud. Gratia autem neque contradictoriè negat debitum pœnę æternæ, vt suprà ostensum est; nec pendet essentialiter ab aliquo, quod necessariò tollitur per debitum pœnæ æternæ, aut contra. Nam gratia solùm pendet sustentatiuè à subiecto, & effectiuè à Deo: debitum autem pœnæ æternæ nec tollit subiectum, nec impedit gratię conseruationem à Deo:

Quando formæ oppositæ simul stare non possint.

Gratia sustentatiuè pendet à subiecto, effectiuè à Deo.

contrà

contrà verò debitum pœnæ æternæ solùm pendet à præterito peccato iam remisso, & ordinatione ad pœnam: neutrum autem necessariò tollitur per infusionem gratiæ; nam hæc tantùm tollit maculam sibi oppositam, non autem debitum ex peccato relictum, vel maculam oppositam familiaritati diuinæ.

119. Vnde ad confirmationem, neganda est sequela: nam vel talis homo puniretur æterna tantùm pœna sensus, & sic verè talis puniretur propter debitum ex præterito peccato relictum; etiam si per gratiam, & gloriam esset simul amicus, familiaris, & filius adoptiuus Dei: cùm hæc duo non repugnent simul, obligari ad pœnam perpetuam ad satisfaciendum publicę iustitiæ, & condonatà totâ offensâ recipi in amicitiam, & familiaritatem amici: vel puniretur etiam pœna damni, & tunc dignè etiam puniretur, non solùm propter debitum ex præterito peccato iam remisso; sed etiam propter debitum in pręsenti macula adhuc moraliter perseuerante fundatum.

120. Ad tertium fundamentum, negandum est, Deum manere inimicum homini propter debitum ex præterito peccato condonato relictum. Sicut non maneret Princeps inimicus ciui, quem in pristinam amicitiam acceptatum relegaret in perpetuum exilium ad satisfaciendum publicæ iustitię. Etenim illud tantùm odium est inimicitiæ, quod directè opponitur amicitiæ: voluntas autem puniendi hominem ob publicam iustitiam non opponitur amicitiæ, quia hæc stare potest cum huiusmodi voluntate. Vnde negandum est, in tali casu perseuerare in Deo eandem voluntatem puniendi; nam ante condonatam offensam, erat in Deo voluntas puniendi hominem propter ipsam offensam moraliter existentem: condonata autem offensa non perseuerat eadem voluntas puniendi hominem propter offensam moraliter existentem, cùm iam supponatur remissa; sed propter offensam iam præteritam, & condonatam. Prior igitur voluntas terminabatur ad offensam existentem, tanquam ad motiuum formale punitionis, ac propterea dicebatur odium inimicitiæ. Posterior verò terminatur tanquam ad motiuum punitionis directè, & formaliter ad debitum ipsum ex pręterita offensa iam condonata relictum, ac propterea odium inimicitiæ dici non potest; sed tantùm voluntas vindicandi malum præteritum ob bonum publicum. Vnde licet talis voluntas terminetur etiam ad peccatum; ad illud tamen non terminatur directè, & formaliter, vti terminatur odium inimicitiæ; sed tantùm indirectè, & in obliquo, directè tantùm & formaliter ad solum debitum, ex condonato peccato relictum, vti terminatur eadem voluntas diuina ad puniendum iustum propter debitum pœnæ temporalis, relictum ex præterito peccato condonato.

Voluntas puniendi hominem ob publicam iustitiam non opponitur amicitiæ.

121. Ad confirmationem, distinguenda est maior: voluntas excludendi à gloria, est voluntas excludendi ab amicitia simpliciter nego; est voluntas excludendi ab amicitia perfectissima, concedo: & quia potest aliquis esse simpliciter amicus, esto non sit perfectissimè amicus, & familiaris, poterit homo per gratiam, quę est simpliciter amicitia, esse amicus Deo; & simul per negationem gloriæ, quæ est perfectissima amicitia, & familiaritas cum Deo, non esse perfectissimè amicus, & familiaris Deo: & per consequens poterit Deus esse simpliciter amicus creaturæ per gratiam; licet non sit illi familiaris per gloriam: quamuis non possit esse eidem familiaris per gloriam, & simul non amicus: cùm in familiaritate essentialiter includatur amicitia, non autem contrà.

Voluntas excludendi à gloria nō est voluntas excludendi ab amicitia simpliciter.

In familiaritate essentialiter includitur amicitia non contra.

122. Ad quartum fundamentum, distinguendum est antecedens: implicat remitti peccatum, & non deponi totum odium oppositum amicitiæ, & familiaritati ex parte Dei, concedo; totum odium puniendi peccatum iam remissum ob publicam honestatem, & iustitiam, nego. Distincto antecedenti, negatur consequentia: nam illud odium, quod in Deo remaneret, puniendi hominem æterna pœna sensus, ob peccatum præteritum iam condonatum, non esset odium inimicitiæ oppositum amori amicitiæ; sed odium dumtaxat præteriti peccati condonati sub ratione inimicitiæ, ad satisfaciendum tantùm publicæ iustitiæ.

123. Ad quintum fundamentum, negatur antecedens, si sermo sit de condignitate proxima, & formali: secus de condignitate remota, & radicali, quæ ab ipso peccato non distinguitur. Negandum igitur est, proximam, & formalem condignitatem ad pœnam esse ipsum peccatum, vel passionem ab eo inseparabilem; sed separabilem, vt constat tum de condignitate pœnæ peccati venialis iam remissi; tum de condignitate pœnę temporalis peccati mortalis condonati; tum de condignitate pœnarum peccati originalis per gratiam regeneratiuam deleti. His enim omnibus peccatis perfectè deletis ac remissis, adhuc manet condignitas ad pœnam, & quidem in peccatis venialibus manere potest condignitas ad totam pœnam, in reliquis verò saltem ad aliquam: igitur condignitas ad pœnam formaliter, & proximè sumpta non est vel ipsum peccatum, vel passio moraliter ab eo inseparabilis.

Peccatum est tantùm radicalis condignitas ad pœnam.

124. Ad confirmationem, negatur antecedens: nam adhuc sublata gratia, manere potest ius ad gloriam ex præteritis actibus meritorijs. At, inquies, sicut deletis meritis per peccatum, nequit manere ius ad gloriam; ità, deleto peccato per gratiam, & gloriam, nequit manere debitum ad pœnam æternam. Respondeo negando paritatem: ratio discriminis est, quoniam peccatum habet duplicem respectum, alterum offensæ, & inimicitiæ contra Deum finem, & amicum supernaturalem; alterum deordinationis contra ordinem publicæ iustitiæ. Poterit igitur remitti

mitti sub ratione offensę, & inimicitiæ contra Deum finem, & amicum supernaturalem, per acceptationem ad amicitiam, & familiaritatem diuinam, & adhuc manere sub ratione debiti satisfaciendi publicę iustitię per peccatum læsæ, publica aliqua pœna. Meritum verò solùm habet respectum iuris acquisiti ad gloriam. Vnde deleto merito sub ratione meriti per peccatum, simul deletur ius acquisitum ad gloriam, cùm præter ius acquisitum ad gloriam, nihil aliud habeat meritum.

125. INSTABIS. Deleto peccato, non potest manere condignitas ad pœnam æternam, nam hęc tantùm debetur peccato non deleto. Resp. negando antecedens: nam præteritum peccatum ob sui grauitatem, & malitiam nòn modò fuit dignum vt puniretur pœna ęterna, dum actu existeret; sed etiam dū præterierit, & à Deo remissum fuerit. Vnde ad probationem, concedo, ex vi præsentis decreti pœnam æternam tantùm deberi peccato non remisso; vi tamen alterius decreti ea deberi potuisse peccato etiam remisso.

126. Vrgebis vlteriùs. Si condignitas ad pœnam æternam sensus manere posset cum gratia, manere etiam posset cum vnione hypostatica: cōsequens est impossibile, alioqui posset talis homo Deus esse dignus æterna pœna propter sua peccata præterita. Sequela Maioris probatur: quia posset Deus hypostaticè assumere naturam, quæ antea peccasset, eiusque peccata non condonare quoad pœnam æternā sensus, sed solùm quoad culpam, sicut condonare posset puro homini per gratiam iustificato. Cùm enim hæc dignitas ad pœnā æternam non sit formaliter peccatum: alioqui neque cum puro homine per gratiam iustificato manere posset, non repugnat esse cum natura hypostaticè vnita Deo.

127. Resp. negando sequelam: ratio discriminis: quoniam hypostatica vnio cum persona diuina euehit naturā assumptam ad eandem dignitatem cum ipsa persona assumente, cuius per hypostaticam vnionem fit propria. Implicat autem cum dignitate personæ diuinæ manere dignitatem ad pœnam aliquam, etiam temporalem, nedum ęternam, ortam ex proprio peccato. Maior constat: nam persona diuina communicando naturę assumptę seipsam, communicat illi suam increatam dignitatem, reddendo illam dignam eodem honore, & maiestate, qua digna est persona ipsa diuina. Qua de causa tomo 6. disp. 28. diximus, naturā humanam in Christo non habere proximam conditionem seruitutis: nam hæc tollitur hoc ipso, quod natura per vnionem hypostaticam assumitur ad eandem maiestatem, & honorem cum persona assumente. Minor verò probatur: nam dignitas pœnæ orta ex proprio peccato, est aliqua indignitas moralis, quæ licet non sit formaliter peccatum; est tamen effectus peccati, inficiens personam, cui inest: igitur manere non potest cum natura hypostaticè Deo vnita. Consequentia probatur: nam dignitas naturæ assumptę est summa, quę esse potest: ergo nullam moralem indignitatem ortam ex peccato in se admittere potest, alioqui nō esset summa: quia dari posset maior, quę huiusmodi moralem indignitatem à se excluderet. Dixi, *ortam ex proprio peccato:* quia posset talis natura hypostaticè vnita Deo æternam pœnam subire, vel ex pręcepto sibi imposito, vel non vt pœnam formaliter, quo pacto inuoluit moralem indignitatē ortam ex propria culpa: sed vt cruciatum sola voluntate Dei inflictum. Gratia verò habitualis non repugnat cum dignitate ad pœnam æternam sensus relicta ex præterito peccato quoad culpam condonato: etenim sicut hæc non repugnat cum dignitate ad pœnam temporalem; ita nec repugnabit cum dignitate ad pœnam æternam. Ratio verò est: quia per gratiam habitualem homo fit tantùm amicus, & filius adoptiuus Dei: non repugnat autem cum amico, & filio adoptiuo Dei manere simul debitum & dignitatem ad pœnam ęternam sensus, propter pręterita peccata quoad culpam condonata: vt patet in humanis in quibus potest offendens redintegrari in amicitiam offensi, & simul ob præteritam offensam manere debitor perpetui exilij.

Cur dignitate personæ diuinæ nequit manere dignitas ad pœnam:

Nec proxima conditio seruitutis.

Quibus casibus posset æternam pœnam subire Christus.

128. Confirmatur, nam gratia habitualis, quatenus est amicitia, & adoptiua filiatio Dei solùm secum essentialiter affert extinctionem odij diuini oppositi amicitiæ, & adoptioni: hoc autem formaliter extinguitur per solam communicationem gratiæ habitualis, quæ cùm sit supernaturalis participatio diuini esse, essentialiter secum fert dilectionem amicitiæ Dei erga hominem: cum qua dilectione amicitiæ Dei erga hominem non repugnat in eodem homine debitum ad pœnam æternam sensus relictum ex præterita culpa remissa, cùm possit hoc debitum fundari nōn in odio, & indignatione Dei ergà hominem; sed in obligatione hominis satisfaciendi publicæ iustitiæ per peccatum læsæ.

Debitum ad pœnam potest fundari in obligatione satisfaciendi publicæ iustitiæ.

129. DICES. Gratia iustificans essentialiter poscit supernaturalem dilectionem amicitiæ diuinæ erga iustificatum: ergo saltem connaturaliter etiam poscit liberationem à debito pœnæ ęternæ sensus: ergo stante gratia iustificante in homine, non potest Deus illum condignè punire pœna æterna sensus: igitur non potest cum illo manere debitum seu dignitas ad pœnam æternam sensus. Secunda, & tertia consequentia patet: eadem quippe forma, quæ connaturaliter poscit liberationem à pœna, necessariò tollit debitum, & condignitatem ad pœnam. Prima verò consequentia probatur: nam vera amicitia, qualis est inter Deum, & hominem fundata in gratia iustificante, connaturaliter postulat, vt amicus omne malum saltem graue tollat ab amico, eiusque obsequium acceptet in recompensationem illatę offensæ.

130. Respondeo distinguendo primum consequens: gratia quatenus amicitia connaturaliter postulat à Deo, tanquam à priuato amico liberationem à debito pœnæ æternæ, concedo: connaturaliter postulat libera-

liberationem à debito pœnæ æternæ à Deo, tanquam à publico Legislatore, ac supremo Iudice, nego. Dupliciter enim Deus à peccatore offenditur, & vt priuatus amicus, & vt publicus Legislator, ac Princeps. Esto igitur homo per gratiam in Dei amicitiam restitutus connaturaliter postulet à Deo liberari tanquam à priuato amico æterna pœna sensus: ea tamen liberari non postulat à publico Legislatore ac supremo Iudice, nisi exhibita sufficiente satisfactione pro æternâ pœnâ; & consequenter licet secundùm priorem respectum vt amicus non possit ob prçteritam offensam manerę dignus æterna pœna; potest tamen manere dignus secundùm posteriorem respectum, quatenus transgressus Leges publicæ Iustitiæ manet debitor æternæ pœnæ. Ratio verò est: quia leges Iustitiæ, quas seruat Deus cum peccatore, tanquam supremus Legislator, & Iudex, connaturaliter postulant condignam pœnam de commisso delicto: contrà verò leges amicitię connaturaliter poscunt liberalem condonationem pœnę pro illata offensa. Cùm igitur peccatum mortale ob sui grauitatem dignum sit, vt etiam remissum quoad culpam, maneat quoad pœnam, vt publicæ iustitiæ læsæ fiat satis, poterit cum remissione præteriti peccati manere debitum æternæ pœnæ.

Deus à peccatore offenditur vt priuatus amicus, & vt publicus Legislator.

131. Quòd autem hoc debitum æternæ pœnę ad satisfaciendum publicæ iustitię non pugnet cum amore amicitiæ Dei erga talem hominem, probatur: tum quia cum eadem amicitia Dei erga iustum non pugnat debitũ pœnæ temporalis ad satisfaciendum publicæ iustitiæ in eodem iusto: tum quia potuisset Deus ad satisfaciendum publicæ iustitiæ per tot mortalia peccata læsę obligare Christum ad æternam pœnam sensus. Nã licet Christus hoc debitum non potuisset habere propter peccata à propria natura assumpta commissa, vt suprà probatum est, habere tamẽ potuisset propter peccata aliorum, propter quę de facto habuit debitum subeundi mortem.

132. At instabis: Eodẽ modo posset Deus huiusmodi leges iustitiæ seruare cum assumpta natura ob præterita peccata ab ea extra vnionem commissa: ac proinde posset in natura assumpta manere debitum æternæ pœnæ. Respondeo negando antecedens: quia cùm vnio hypostatica ponat in natura assumpta principium operatiuum infinitè dignum, vt est persona diuina, nullum relinquit locum debito pœnę ad satisfaciendum publicę iustitiæ ob prçterita peccata commissa. Nam omnis pœnæ dignitas in natura assumpta extinguitur, per communicationem principij in infinitum super excedentis omnem offensæ grauitatem: ac proinde implicat cum tali natura manere vllum debitum pœnę ad satisfaciẽdum publicæ iustitiæ ob propria peccata præterita. Gratia verò accidentalis cùm de se non sit principium sufficiens condignè satisfaciendi pro iniuria illata Deo, adhuc ea posita manere poterit dignitas pœnæ ad satisfaciendum publicæ iustitiæ læsæ.

Deus leges iustitiæ publicæ non potest seruare cum natura hypostaticè vnita ob peccata extra vnionem commissa.

133. Sed adhuc obijcies. Nam infrà disp. 7. sect. 2. ostendemus, posse cum natura hypostaticè vnita Deo manere debitum incurrendi prçterita peccata sub conditione tantùm illi remissa, nisi hypostatica vnio dissoluatur: ergo cum eadem manere poterit debitum æternę pœnæ sensus ob prçterita peccata ante vnionem hypostaticam ab ea commissa.

134. Respondeo negando cõsequentiam. Ratio discriminis: quoniam debitum soluendi pœnam maneret, proximè, & formaliter cum ipsa vnione hypostatica, quod implicat: quia cùm talis natura per vnionem hypostaticam participet eandem dignitatem cum persona diuina, non posset in ea, vt vnita in sensu composito manere debitum soluendi pœnam relictam ex prçteritis peccatis ante vnionem commissis: quia hoc pugnat cum infinita dignitate actu communicata naturæ assumptæ ex personalitate diuina hypostaticè illi vnita. Debitum verò incurrendi prçterita peccata sub conditione remissa, non manet in natura assumpta proximè, & formaliter; sed tantùm remotè, & radicaliter, quatenus dissoluta vnione cum persona diuina, ea incurrere posset in propria persona creata. Hoc autem nullam ponit moralem indignitatem actualem in natura assumpta, dum actu manet assumpta, vt constat de potentia remota ad peccandum, quæ adhuc manet cum vnione hypostatica, qua sublata, absque vllo absurdo talis natura exire posset in actũ peccati. Ratio verò est, quia totam moralem indignitatem, quam habet hoc debitum, habet per ordinem ad terminum: ergo si dum natura manet vnita Deo, implicat vt hoc debitum coniungi possit cum termino, manere poterit absque vlla morali indignitate actu refusa in natura assumpta. Quemadmodum, quoniam manente natura vnita Deo, manet potentia ad peccandum essentialiter impedita, ne possit coniungi cũ peccato, nullam moralem indignitatem actu illi communicat.

Debitum incurrendi peccata sub conditione remissa manet in natura assumpta radicaliter.

135. Dices. Maior foret dignitas naturæ assumptæ, si ab ea non solùm tolleretur debitum proximum, & formale; sed etiam remotum & radicale incurrendi peccata sub conditione remissa ante vnionem hypostaticam: sed in natura à Deo assumpta ponenda est omnis dignitas possibilis: ergo.

136. Respondeo maiorem fore dignitatem, quam ipsa vnio hypostatica exigat, nego: nam hæc tantùm exigit, vt dum naturam assumptam informat, nullum in ea admittat debitum proximè potens in actum secundum exire; quia cùm vnio hypostatica non communicet naturæ assumptæ dignitatem personæ diuinæ, nisi per modum formæ inhęrentis; cumque nulla forma inhærens communicet suum effectum formalem, nisi actu subiecto inhęreat, non poterit vnio hypostatica communicare dignitatem personæ diuinæ, naturæ, quam iam desijt informare.

Dignitas vnionis hypostaticæ quid exigat in natura vnita.

137. Confirmatur: nam dignitas vnionis hypostaticę non exigit, vt natura, quam semel copulauit Deo, etiam separata ab vnione, nunquam sit peccatura; sed solùm exigit, vt natura sit impeccabilis, dum manet coniuncta Deo. Nam si non est contra exigentiam vnionis hypostaticæ, vt natura, quæ aliquando in propria subsistentia peccauit, hypostaticè vniatur cum persona diuina: neque erit contra exigentiam ipsius, vt natura, quæ aliquando fuit per ipsam copulata personæ diuinæ, dissoluta vnione, aliquando sit peccatura in propria persona. Igitur neque erit contra exigentiam, & dignitatem eiusdem hypostaticę vnionis vt natura, quæ aliquando per ipsam fuit copulata personæ diuinę, eadē vnione destructa, contrahat proximum debitum incurrendi peccata sub conditione remissa ante vnionem cū persona diuina. Sicut propter eandem rationem tomo 6. disp. 28. diximus, per vnionem hypostaticam cū persona diuina destrui debitum seruilis conditionis in natura assumpta, quod tamen dissoluta vnione, statim reuiuisceret in eadem natura, in propria persona subsistente.

138. Ex dictis infero, quòd quamuis dici possit, pœna æterna sensus remitti extrinseco fauore Dei, cùm adhuc illa manere possit cum remissione peccati ad satisfaciendum publicæ iustitiæ læsæ; haud tamen dici poterit ipsum peccatum remitti extrinseco fauore Dei. Nam peccatum remittitur per ipsam gratiam iustificantem, quę dum essentialiter secum fert amicitiam Dei, formaliter extinguit odium inimicitię eiusdem Dei contra peccatorem: cumque vicissim conuertit ad Deum, tanquam amicum ad amicum: per cuius mutuam conuersionem amicabilem Dei ad creaturam, & creaturę ad Deum extinguitur formaliter peccatum; ac proinde non extrinseco fauore, sed intrinseca forma suaptè natura incompossibili cum peccato.

139. Dices. Cur non possit peccatum extrinseco fauore remitti quoad culpam, possit autem quoad pœnam? Resp. quia culpa cùm sit voluntaria, & intrinseca peccatori liberè ab ipsius voluntate originata, in eaque moraliter existens, non potest reipsa remitti, ac deleri, nisi forma intrinseca opposita, quę illam per incompossibilitatem è subiecto expellat. pœna verò, cùm non sit voluntaria peccatori; sed inuoluntaria, ab extrinseca dumtaxat voluntate Dei taxata, poterit solo extrinseco fauore relaxari, nempe per solam pœnę non inflictionem. Nam sicut hęc est tantùm voluntaria Deo, illam taxanti, non autem peccatori; ita sola voluntate Dei illam non infligentis relaxari poterit. Quin semper pœna peccato mortali debita extrinseco fauore Dei relaxatur: quia cùm illa condignè remitti non possit, nisi per condignam satisfactionem; cumque nequeat pura creatura condignè pro suo mortali culpa satisfacere, semper gratis à Deo remittitur: licet condignè habito respectu ad merita Christi.

DISPVTATIO VI.

De remissione venialium peccatorum.

SECTIO PRIMA.

An ad remissionem peccatorum venialium sit necessaria pœnitentia?

Bonauent. Scotus. Bassolus. Gabriel. Caietanus. Medina. Henriquez.

PRIMA sententia Bonau. in 4. dist. 21. prima p. dist. ar. 1. q. 2. Scoti q. 1. §. *in ista quæstione*, Bass. q. 1. art. 2. Gabr. dist. 16. q. 5. art. 2. concl. 2. Caiet. 3. p. q. 87. ar. 1. ad 2. Medinæ Codice de Pœnit. tractatu 1. quęst. 3. Henriquez lib. 4. de Sacramentis cap. 15. negantium.

Fundam. Bonauent.

2. Fundamentum Bonauent. peccatum veniale mediat inter originale & mortale: sed originale remittitur absque proprio actu, mortale non sine proprio actu: ergo veniale remittitur virtute sacramenti, vel rei sacramentalis, non repugnante tantùm libero arbitrio.

Fundam. Caiet.

3. Fundamentum Caiet. Si quis iret dormitum cum proposito dicendi mendacium, & interim dormiens occideretur pro Christo, ex diuina largitate consequeretur remissionem talis peccati: igitur ad remissionem peccati venialis non requiritur pœnitentia.

Scoti.

4. Fundamentum Scoti & Scotistarum: Peccatū veniale formaliter consistit in obligatione ad pœnam temporalem: ergo soluta pœna, remittitur: atqui pœna solui potest sine actu pœnitentiæ interioris: ergo peccatum veniale remitti potest absque pœnitentia saltem interiori.

Henriquez.

5. Fundamentum Henriquez: Quoniam venialia non solùm remittuntur per actum pœnitētiæ; sed per alia remedia; vt per indulgentias;

gentias; alienam satisfactionem applicatam alteri iusto, per sacrificium missę, per orationem, per sacramenta, & sacramentalia: sed hęc omnia remittunt venialia absque proprio actu pœnitentiæ, igitur actus pœnitentię non est necessarius ad remissionem venialium.

Magister. 6. SECVNDA sententia est Magistri in 4. dist. 16. cap. vlt. affirmantis: ad remissionem venialium necessariam esse aliquam pœnitentiam interiorem. Cum Magistro sentiunt ferè omnes Scholastici tùm in distinct. præcitata; tum 21. Pro cuius controuersiæ explicatione.

S. Thomas. Paludanus. Capreolus. Alensis. 7. DICO 1. Implicat remitti veniale, retenta actuali, aut virtuali voluntate ad illud: est S. Thomę 3. parte q. 87. art. 1. & in 4. dist. 16. q. 2. art. 1. quęstiuncula 1. Palud. q. 1. art. 1. Capreoli q. 1 art. 1. conclus. 1. Alens. 4. p. q. 15. mem. 3. art. 3. §. 2. & communis reliquorum Theologorum. Fundamentum est: quia quamdiu retinetur talis voluntas, retinetur ipsa ratio formalis peccati. Implicat autem, remitti peccatum, retenta formali ratione ipsius. maior constat: nam peccatum formaliter consistit in ipso inordinato affectu voluntatis ad creaturas: ergo quamdiu hic affectus retinetur, retinetur ipsa formalis ratio peccati. Minor probatur: nam implicat, aliquid non esse, dum est: sed peccatum remitti, est peccatum non esse: ergo implicat remitti, dum actu, aut virtute retinetur affectus erga illud: alioqui vt rectè infert citato loco in 4. S. Thomas, *essent duo opposita simul vera.*

S. Thomas.

8. DICO. 2. Implicat veniale remitti absque proprio actu virtualiter saltem retractatiuo, & consequenter absque aliqua pœnitentia saltem virtuali. Fundamentum est: quia quamdiu actu, aut virtute voluntas non retractat suum peccatum, semper moraliter censetur perseuerare in illo: nam quamdiu non retractat actum, quem semel elicuit, semper censetur velle illum: quia cùm in eius libertate sit, in eo velle, aut non velle perseuerare, hoc ipso, quod illum saltem virtute non retractat, moraliter censetur velle illum: nec tolli potest per aliquid extrinsecum: quia cùm essentialiter consistat in proprio voluntario, tolli nequit, nisi per proprium voluntarium priori contrarium: cùm tolli debeat formaliter: est enim peccatum habituale quædam forma moralis denominans subiectum peccatorem, quæ tolli non potest, nisi per oppositam formam moralem, quæ sit prioris formæ retractatiua. Confirmatur: nam sicut implicat, tolli ab obiecto esse volitum, nisi per contrarium actum nolitionis; ita esse peccatorem, nisi per contrarium actum retractatiuum peccati. Quemadmodum etiam implicat, tolli meritum, nisi per actum prioris meriti retractatiuum. Legatur S. Thomas 3. parte q. 68. art. 4. vbi docet habentem voluntatem peccandi non posse à peccato mundari: *quia hoc esset,* inquit, *ponere contradictoria simul.*

Peccatum tolli debet formaliter.

9. Obijcies authoritatem S. Thomę 3. p. q. 87. art. 1. ad 2. affirmantis martyrium, & baptismum purgare ab omni culpa tam veniali; quàm mortali, si non inueniant voluntatem actu adhærentem peccato: igitur ad remissionem venialis non est necessaria propria retractatio peccatoris.

10. Resp. S. Thomam in eo qui ad martyrium, vel baptismum accedit cum peccatis venialibus, aut mortalibus, supponere præcessisse saltem tempore aliquem actum attritionis, quo posito, vt deinde martyrium, aut baptismus peccata remittat, sufficit, si inueniat voluntatem martyris, vel baptizandi actu peccato non adhærentem. quòd autem hoc supponat, patet tum ex corpore articuli, vbi ad vtraque peccata remittenda requirit pœnitentiam: tum quia eodem modo loquitur de remissione mortalium ac venialium: nemo autem dicet, de facto martyrium, aut baptismum mortalia remittere sine attritione; quin neque de possibili S. Thomas q. 86. art. 2. putat, mortale remitti posse sine actu pœnitentiæ virtutis. ergo nec venialia.

S. Thomas.

11. Ad fundamentum Bonau. neganda est consequentia: nam qua ratione peccatum veniale habet de voluntario, debet proprio actu positiuè contrario retractari, cùm in illo fundamentaliter saltem consistat peccatum. Neque sacramenta, aut sacramentalia sufficiunt ad peccata venialia delenda absque proprio actu virtualiter saltem retractatiuo, vt infrà.

12. Ad fundamentum Caiet. negatur antecedens: nam sicut Baptismus, ipsomet Caietano teste, tale peccatum non remitteret; ita nec martyrium, quod vicem Baptismi supplet. Cæterùm qua ratione, aut quando illud peccatum remitteretur, patebit infrà sectione vltima.

13. Ad fundamentum Scoti & Schotistarum, nego antecedens; tum quia obligatio ad pœnam est quid consequens culpam: ideò enim dignus est pœna, quia peccauit; peccatum autem veniale est propriè culpa, cùm sit materia confessionis, quæ non versatur, nisi circa culpas: tum quia alioqui posset peccatum veniale remitti ei, qui haberet actuale propositum illud in futurum committendi: nam posset pœnam soluere pro præterito, & simul propositum habere committendi aliud in futurum. Ad fundamentum Henriquez, neganda est minor, de qua infrà.

Obligatio ad pœnam est quid consequens culpam.

SECTIO II.

An ad remissionem culpæ venialis sit necessaria pœnitentia formalis?

Durandus. Argentin.

PRIMA sententia Durandi in 4. dist. 16. q. 2. n. 9. Argent. dist. 16. ar. 4. ad quartũ & dist. 21. art. 4. ad primum affirmantium. Fundamentum Durandi: peccatum nõ tollitur, nisi per suum oppositum: sola autẽ displicentia formalis opponitur peccato veniali; ergo. Maior constat. Minor probatur: quia cùm

cùm peccatum veniale sit quędam deordinatio actus, non opponitur illi, nisi ordinatio oppositi actus; hic autem nequit esse actus feruentis charitatis, aut alterius virtutis, quia cum nullo actu feruido virtutis repugnat culpa venialis; ergo erit sola displicentia talis peccati.

Alensis. Bonauent. S. Thomas.

15. SECVNDA sententia Alens. 4. parte quæst. 15. memb. 3. art. 4. §. 2. Bonau. in 4. distinct. 21. prima parte art. 1. q. 2. S. Thomæ tertia parte quæst. 87. art. 1. & 3. & q. 7. de malo art. 11. præcipuè ad primum, in 4. dist. 16. quæst. 2. art. 2. quęstiuncula 2. Palud. quæst. 1. art. 2. conclus. 2. Capreol. quæst. 1. art. 3. ad quartum & quintum, & dist 21. q. 1. art. 3. Gabr. dist. 16. q. 5. art. 2. conclus. 2. & 4. Richar. eadem dist. 16. art. 5. quæst. 1. Palatij disp. 2. concl. 2. Soti dist. 15. quæst. 2. art. 1. concl. 5. Petri Soti de Pœnit. lect. 18. §. 2. *propositio*. Henriquez lib. 4. de Sacramentis cap. 15. n. 6. Suar. disp. 11. sect. 3. concl. 2. Vasquez 3. parte quæst. 87. art. 1. dub. 1. num. 17. Coninck disp. 2. dub. 14. concl. 2. Nugnez 3. parte quęst. 87. præcitata, art. 1. Syluij ibid. negantium, requiri pœnitentiam formalem; sed sufficere virtualem: quam S. Thomas, & cum eo reliqui Theologi sic explicant. Potest quis virtute alicuius actus esse ita dispositus, vt si occurrerent omnia, vel aliqua peccata venialia, actu illa detestaretur: ergo is dicitur, habere pœnitentiam virtualem respectu eorum, quæ si occurrerent, actu detestaretur; non autem respectu eorum, quæ si occurrerent, actu non detestaretur. Non enim implicat, aliquem virtute alicuius actus esse dispositum ad hæc potius venialia detestanda, quàm alia.

Paludanus. Capreolus. Gabriel. Richardus. Palatius. Sotus. Petrus Sotus. Henriquez. Suarez. Vasquez. Coninck. Nugnez. Syluius.

Ad deletionem peccati venialis sufficit pœnitentia virtualis.

16. *Hæc sententia sic explicata vera est & sequenda.* Vnicum fundamentum est, quia sola pœnitentia virtualis sufficienter opponitur peccato veniali. Nam sicut in peccato veniali est recessus, non quidem ab amicitia; sed à familiaritate Dei, & conuersio ad creaturam; ita in pœnitentia virtuali est accessus ad familiaritatem Dei, & recessus à creatura. Nec obstat, quòd iste recessus à creatura sit virtualis: nam etiam in actu dilectionis Dei recessus à creatura est virtualis, cùm tamen sufficiat ad remissionem mortalis, vt constat ex disp. 4. sect. 3. Cuius ratio à priori est: quia quando recessus virtualis continetur in actu perfectiori, non est imperfectior ipso recessu formali; quia tunc recessus virtualis ab vno termino mensuratur secundùm accessum formalem ad alium terminum: Sed in pœnitentia virtuali accessus formalis ad terminum est perfectior; quàm foret ipse recessus formalis à creatura: nam vel hic accessus est immediatè ad Deum, vel ad bonum aliquod per se respiciens Deum: ergo perfectior est hic recessus virtualis inclusus in accessu formali perfectiori; quàm foret recessus ipse formalis à creatura. Et hoc ideò, quoniam eò recessus ab vno termino est perfectior, quò motiuum ab illo reuocans est nobilius, & fortius: nam recessus ab vno extremo à priori causatur ab accessu ad aliud extremum: vt patet in motu locali, in quo recessus à termino à *quo* causatur ab accessu ad terminum ad *quem*.

17. Ex his deducitur, vi pœnitentiæ virtualis hominem formaliter detestaturum omnia venialia, quorum habet pœnitentiam virtualem, si ea tunc menti occurrerent: ex nullo tamen præcepto nos teneri ad ea formaliter detestanda; sicut tenemur ad detestanda mortalia, quando ea menti occurrunt, etiamsi antea illa virtualiter detestati fuerimus. Prior pars Coroll. constat: quoniam in ipsa pœnitentia virtuali includitur implicita voluntas detestandi formaliter hæc, aut illa peccata venialia, si menti occurrerent: ergo perseuerante hoc actu, necessariò voluntas extenderetur ad ea formaliter detestanda, quorum habet pœnitentiam virtualem. Antecedens patet: nam per hoc distinguitur pœnitentia virtualis ab omni alio actu, qui non est pœnitentia virtualis; quod hæc includit implicitam voluntatem detestandi omnia, vel aliqua peccata venialia. Consequentia verò probatur: quia implicat, sublato impedimento, voluntatem non se extendere formaliter ad obiectum, ad quod vi alterius actus virtualiter inclinat: alioqui vi eiusdem actus inclinaret, & non inclinaret virtualiter; cùm inclinare virtualiter, sit, quantum est de se inclinare formaliter, si nullum esset impedimentum: igitur sublato impedimento, quod erat remotio & absentia obiecti, si non inclinaret formaliter ad illud detestandum, inclinaret & non inclinaret ad illud virtualiter detestandum.

Per quid illa distinguatur ab omni alio actu.

Quid sit virtualiter inclinari ad obiectum.

18. Posterior pars eiusdem Coroll. probatur: quoniam nullum vel ex natura rei, vel ex scripturis habemus præceptum detestandi peccata venialia formaliter: cùm nec illa soluant amicitiam inter nos, & Deum; nec teneamur ea confiteri: mortalia verò cùm & soluant amicitiam inter nos & Deum, & ea confiteri teneamur, formaliter sunt à nobis detestanda.

Nullum habemus præceptum detestandi venialia peccata formaliter.

19. Ad fundamentum Durandi, neganda est minor: ad cuius probationem Respondeo veniali non solùm opponi actum formaliter; sed etiam virtualiter retractatiuum, cum quo actu naturaliter saltem pugnat peccatum veniale. Vnde quamuis possit esse actus feruidus charitatis cum aliquo veniali, cuius non est virtualis pœnitentia, & retractatio; nequit tamen esse cum veniali, cuius est virtualis pœnitentia, & retractatio.

SECTIO III.

Quinam actus virtutis sufficiat ad remissionem culpæ venialis extra Sacramentum?

Scotus. Durandus. Maior. Gabriel. Medina.

20. PRIMA sententia Scoti in 4. dist. 21. quæst. 1. §. *in ista quæstione*, Durandi dist. 16. quęst. 2. Maioris dist. 21. q. 1. Gabr. q. 5. art. 3. dubit. 2. ad primũ, Medin. Codic. de Pœnit. tract. 1. q. 3. affirmantium, sufficere actum virtutis naturalis. Fundamẽtum Durandi: quia omne contrarium tollitur per suum contrarium; sed peccatum veniale est actus naturalis contra aliquam virtutem naturalem; exempli gratia mendacium contra veracitatẽ: ergo remitti potest per cõtrarium actum naturalem. Confirmatur, quia in pura natura fuissent venialia: sed in eo statu non potuissent remitti, nisi per actum naturalem oppositum peccato; ergo etiam in hoc statu.

Fundam. Scoti.

21. Fundamentum Scoti & reliquorum pro prima sententia citatorum: omne peccatum consistit in obligatione ad pœnam; pœna autem solui potest actu naturali; ergo peccatum veniale remitti potest actu naturali.

Bonauent. Henriquez.

22. SECVNDA sententia Bonauent. in 4. dist. 21. 1. parte art. 1. q. 2. Henriquez lib. 4. de Sacramentis cap. 15. asserentium, remitti quolibet actu meritorio æternæ vitæ. Fundamentum est: quia qui meretur finem, meretur tolli impedimentum ad finem; sed venialia sunt impedimenta ad gloriam; ergo qui meretur gloriam, meretur tolli venialia, quæ impediunt gloriam.

Magister. Caietanus. Sotus. Suarez. Coninck.

23. TERTIA sententia Magistri in 4. dist. 16. cap. vlt. Caiet. 3. parte quæst. 87. art. 2. Soti in 4. dist. 15. quęst. 2. art. 1. §. *ex his infertur*, Suar. disp. 11. sect. 3. Coninck disp. 2. dub. 14. conclusione 5. docentium, remitti per actum attritionis: quin addunt Suar. & Coninck sufficere, vt hęc attritio sit virtualis, inclusa in aliquo opere bono facto cum intentione impetrandi remissionem peccati venialis: quia talis intentio impetrandi à Deo veniam, includit virtualem displicentiam peccatorum. Fundamentum est: quia minor pœnitentia requiritur ad remissionem venialis, quàm mortalis, alioqui nullum foret discrimen inter veniale, & mortale; ergo si contritio est necessaria ad remissionem mortalis extra sacramentum, minor pœnitentia sufficiet ad remissionem venialis: ergo sufficit attritio etiam virtualis.

Alensis. S. Thomas. Capreolus.

24. QVARTA sententia Alens. 4. p. q. 15. memb. 3. art. 4. §. 2. S. Tho. 3. p. quęst. 87. art. 1. in corpore, & ad tertium & art. 3. & in 4. dist. 16. quæst. 2. art. 2. quęstiunc. 2. & 4. & dist. 21. quæst. 2. art. 1. & quæst. 7. de malo art. 11. in corpore & ad nonum, Capr. in 4. dist. 16. q. 1. art. 3. ad quartum & quintum, & dist. 21. q. 1. ar. 3. ad argumenta Durandi, §. *quarto dicitur contra Duran.* Richar. dist. 16. art. 5. q. 1. ad vltimum, & dist. 21. art. 3. q. 1. Palatij dist. 16. disp. 2. ad finem, Petri Soti lect. 18. §. *ex his*, Vasquez 3. parte quęst 87. art. 1. dub. 1. n. 17. affirmantium: sola contritione, aut feruente dilectione in Deum virtualiter includente detestationem peccati, remitti venialia extra sacramentum: nam hæc sola perfectè opponitur peccato veniali. Pro huius controuersię explicatione,

Richardus. Palatius. Petrus Sotus. Vasquez.

S. Thomas. Alensis. Concilium Mileuit.

25. DICO 1. Ad remissionem culpæ venialis non sufficit actus naturalis; est S. Thomæ 3. parte loco cit. art. 4. Alens. loco prænotato §. 1. colligitur ex Concilio Mileuit. can. 8. vbi sub anathemate declarat illa verba: *Dimitte nobis debita nostra*, verè à iustis proferri, vt peccata venialia sibi à Deo dimittantur; sed oratio, vt Patres, & Concilia contra Pelagium docent, est signum necessitatis gratiæ; non enim petimus, quæ in nostra sunt potestate: ergo signum est, non esse in nobis sufficientem virtutem ad remittenda venialia, alioqui non esset necessarium illorum veniam à Deo petere.

26. Fundamentum est: quia peccatum veniale est aliqua deuiatio à Deo sine supernaturali; est enim elongatio ab eius familiaritate; ergo indiget, vt remittatur, supernaturali aliqua conuersione ad eundem: hęc autem nõ est habitualis: quia huic non opponitur veniale; sed actualis per feruentem actum alicuius virtutis supernaturalis: cùm omnis auersio tolli debeat per oppositam conuersionem. Confirmatur, veniale retardat ab ingressu gloriæ; ergo eius remissio non fit sine gratia, quidquid enim conducit ad gloriam, nobis conceditur per Christum: nam ipse est causa totius nostræ prędestinationis, quæ dicit certam seriem mediorum, quæ sunt in ordine gratiæ: ergo.

27. DICO 2. Non quilibet actus meritorius æternæ vitæ sufficiens est ad remissionem culpæ venialis. Fundamentum est: quia non quilibet actus meritorius æternæ vitę opponitur saltem virtualiter ex parte peccatoris culpę veniali; sed nulla culpa venialis tolli potest, nisi per actum saltem virtualiter oppositum ex parte peccatoris: ergo. Maior constat: quia non repugnat, actum esse meritorium æternæ vitæ, & nulli peccato veniali virtualiter opponi, vt simplex complacentia diuinæ bonitatis, est actus meritorius æternę vitæ, cùm sit actus charitatis; & tamen posset nulli veniali virtualiter opponi: quia posset cum tali complacẽtia stare quodcunque peccatum veniale. Minor probatur: quia nullum peccatũ potest deleri, quamdiu eius affectus virtualiter retinetur: tamdiu autem eius affectus virtualiter retinetur, quamdiu virtualiter saltẽ non retractatur: quia nullus actus nostræ voluntatis retractari potest, nisi per actum oppositum eiusdem voluntatis; cũ non possit voluntarium propriũ moraliter tolli, nisi per oppositum voluntarium eiusdem voluntatis.

Nullus actus nostræ voluntatis tolli potest nisi per oppositum eiusdem.

28. DICO 3. Ad remissionem peccati venialis extra sacramentum non sufficit attritio

virtualis

virtualis inclusa in desiderio ipso carendi peccato veniali. Assertio probatur primò ab absurdo; nam alias peccata venialia non essent materia confessionis, nam semper illa supponerentur ante susceptionem huius sacramenti remissa per attritionem, vel formalem, quæ ad essentiam huius sacramenti requiritur; vel per attritionem virtualem. Vnde nunquam iusti possent hoc beneficio absolutionis sacramentalis frui.

29. Probatur 2. à priori: quia peccatum veniale dicit aliquam offensam Dei: sed hæc non expresse retractatur per solam attritionem virtualem: ergo per illam extra sacramentum non remittitur. Maior supponitur vt certa. Minor patet: quoniam attritio virtualis est actus tendens in aliquam honestatem supernaturalem, amore cuius operans prorumperet in formalem detestationem omnium peccatorum tali honestati oppositorum: ergo non expresse; sed virtute tantùm detestatur peccatum, & consequenter offensam inclusam in peccato. Prior verò consequentia probatur: nam extra sacramentum non remittitur peccatum, nisi per modum satisfactionis, saltem de congruo. Satisfactio autem necessariò requirit formalem detestationem offensæ ab ipso offendente: requirit enim vt offendens agnoscat offensam, quam contra amicum intulit, eamque retractet.

Satisfactio requirit formalem detestationem.

30. Dico 4. Non solùm contritione aut dilectione Dei virtualiter includente detestationem peccati, sed etiam formali attritione remittuntur peccata venialia extra sacramentum. Hæc assertio non obscurè colligitur ex Concilio Trident. sess. 14. cap. 5. vbi docet, multis alijs remedijs expiari posse peccata venialia; quàm per sacramentum Pœnitentiæ. Porrò si sola contritione, aut dilectione Dei, non multis; sed vno dumtaxat remedio extra sacramentum Pœnitentiæ venialia expiari possent: nam contritio, cùm procedat ex dilectione Dei, non constituit diuersum medium ab ipsa dilectione. Nec dici possunt illa multis alijs medijs, quàm per sacramentum Pœnitentiæ expiari posse, quia nimirum ea remitti possunt per alia sacramenta. Nam esto hæc Concilij explicatio absque vlla nota improbabilitatis admitti posset, quando vrgeret necessitas; in præsentiarum tamen absque vllo fundamento talis explicatio affertur: quia cùm Concilij doctrina sit vniuersalis, frustra limitatur ad sacramenta tantùm: præsertim cùm non modo absque vllo absurdo; sed magna etiam cum probabilitate prædicta Concilij doctrina admittit possit etiam extra sacramenta.

Concilium Trident.

31. Probatur igitur assertio ratione: & sanè quoad priorem partem de contritione, & dilectione Dei, constat à fortiori: nam si illa de facto sufficit ad remissionem peccati mortalis, saltem per modum dispositionis, à fortiori sufficiet etiam ad remissionem peccati venialis cùm minor pœnitentia requiratur ad remissionem venialis, quàm mortalis. Confirmatur, quia dari debet aliquod remedium extra sacramentum, quo possit iustus, deficiente copia sacramenti, à venialibus se liberare: non secus ac datur remedium, quo, deficiente copia sacramenti, possit peccator à mortalibus se purgare; cùm etiam venialia impediant ingressum ad gloriam: nam nisi illa remittantur, nunquam patet iusto accessus ad gloriam. Ergo maximè hoc remedium erit actus ipse contritionis, vel dilectionis Dei super omnia, cùm hic actus sit omnium perfectissimus, quem potest homo cum auxilio gratiæ in hac vita elicere.

Extra sacramentum dari debet remedium venialium peccatorum.

32. Quoad posteriorem verò partem, nempe quoad formalis attritio extra sacramentum ad remissionem venialium sufficiat, probatur. Nam hic actus habet omnia requisita, vt Deus illum acceptet pro remissione venialium extra sacramentum: ergo non est, cur de facto illi hoc negemus. Consequentia probatur: quia cùm Deus sit maximè ad parcendum procliuis, si aliunde hic actus habet omnia ad remissionem venialis extra sacramentum requisita, non erit hoc negandum. Antecedens ostendo: nam formalis attritio expresse detestatur offensam Dei; expresse enim detestatur peccatum, quod est offensa Dei. & licet non detestetur illud, vt offensam Dei formaliter, & vt contrarium ipsi Deo immediatè; saltem detestatur illud, vt offensam Dei materialiter, & vt contrarium ipsi Deo mediatè: nam vt attritio sit sufficiens ad remissionem peccati, siue in, siue extra sacramentum, debet illud detestari, quatenus aliquo modo cedit in irreuerentiam ipsius, commissum contra aliquam honestatem supernaturalem dicentem ordinem ad Deum, vt suprà ostendimus disp. 3. de attritione sect. 2.

33. Præterea talis actus, vt procedens à iusto dignificatus gratia habituali, suapte natura exigit restitutionem diuinæ familiaritatis in pœnam peccati subtractæ, eo quòd procedit vt dignificatus à gratia, quæ natura sua est exigitiua visionis Dei, & amoris beatifici, qui sunt perfectissima familiaritas inter Deum, & hominem. Igitur non est ratio negandi, cur Deus illum de facto pro remissione peccatorum venialium extra sacramentum non acceptet.

34. *Obijcies* 1. Hoc modo non solùm formalis attritio; sed quiuis alius actus bonus, saltem supernaturalis ordinis à iusto elicitus, esset sufficiens dispositio ad remissionem peccati venialis extra sacramentum: quia quiuis alius actus bonus supernaturalis ordinis procedit à iusto dignificatus gratia habituali, ac proinde exigitiuus familiaritatis diuinæ in pœnam peccati subtractæ.

35. *Resp.* negando antecedens. Etenim ad remissionem peccati venialis extra sacramentum non sufficit, vt actus tantùm procedat dignificatus gratia habituali exigitiua familiaritatis diuinæ; sed etiam requiritur, vt procedat per modum satisfactionis, saltem de congruo: quoniam, vt supra probatum est, extra sacramentum non remittuntur peccata, nisi per modum satisfactionis, quæ necessariò

Ad remissionem peccati venialis requiritur vt actus procedat per modum satisfactionis.

cessariò ab offendente postulat formalem aliquam detestationem offensæ, quæ tamen formalis detestatio offensæ non requiritur in sacramento, in quo peculiari titulo applicatur satisfactio Christi, quæ abundè supplet, quod deest satisfactioni nostræ.

36. Instabis. Ex his sequitur, non remitti peccatum extra sacramentum vi solius dilectionis Dei: nam neque dilectio Dei est formalis detestatio offensæ, quæ ad remissionem peccati per modum satisfactionis est necessaria. Resp. negando sequelam: nam in ipsa dilectione Dei eminenter continetur formalis detestatio peccati, quę per attritionem haberi posset. Etenim hoc ipso, quod dilectio tendit in Deum propter ipsum Deum super omnia diligibilem, perfectiori, atque eminentiori modo continet formalem detestationem peccati, quæ in attritione includitur: idque ex vi motiui formalis, quo dilectio tendit in Deum, & attritio in peccatum. Nam dilectio tendit in Deum immediatè propter ipsum Deum super omnia diligibilem; ac proinde in ipsa tamquam in actu omnium perfectissimo eminenter includitur quidquid perfectionis in ordine ad Deum reperitur in actu inferiori attritionis, quæ solùm vi sui motiui formalis tendit ad detestandum peccatum immediatè propter aliquam honestatem creatam.

In dilectione Dei continetur eminenter formalis detestatio, quæ per attritionem haberi posset.

27. Vrgebis. Tam in dilectione Dei, quàm in attritione virtuali debet virtute contineri, ipsa formalis detestatio peccati: ergo si ad remissionem peccati venialis extra sacramentum sufficit dilectio Dei, sufficiet etiam virtualis attritio, contra ea, quæ in secunda assertione dicta sunt. Resp. negando consequentiam: nam licet in vtroque actu virtute contineri debeat formalis detestatio peccati, cùm vterque actus, vt sit efficax retractatio, sufficiens saltem cum aliquo sacramento ad remissionem venialis, inclinare debeat iustum ad detestanda formaliter peccata, si actu menti occurrerent: adhuc tamen eminentiori modo continetur hæc formalis detestatio in actu dilectionis, quàm in attritione virtuali: vt proinde hæc eminentialis continentia sit sufficiens ad remissionem venialis extra sacramentum, non autem sola virtualis continentia in actu attritionis virtualis.

38. *Obijcies* 2. Ex hac nostra sententia sequitur, nunquam posse peccata venialia per se in sacramento pœnitentiæ remitti; sed semper ea supponi remissa virtute attritionis formalis: nam licet hæc per se non requiratur ad susceptionem aliorum sacramentorum, sed sufficiat sola attritio virtualis ad remissionem peccatorum venialium; est tamen necessaria ad sacramentum pœnitentiæ, quod vt partem essentialem sui requirit formalem dolorem de peccatis.

39. Respondeo negando sequelam: nam vi huius sacramenti saltem remitti possunt omnia ea peccata venialia, cùm quorum virtuali dumtaxat retractatione accedit pœnitens. Etenim bifariam potest retractari peccatum: vno modo formaliter; alio virtualiter. Formaliter adhuc retractari potest dupliciter, vel vt offensa Dei est, & ex motiuo ipsius Dei immediatè; quo pacto retractatur actu contritionis; vel vt offensa Dei materialiter, & ex aliquo motiuo creato includente aliquem respectum ad Deum, qua ratione retractatur actu attritionis. Virtualiter adhuc dupliciter retractari potest; vel eminenter, & modo altiori, quo pacto retractatur actu dilectionis Dei super omnia, in quo eminenter continetur formalis detestatio peccati per attritionem; vel tantùm æquiualenter, & modo inferiori, vti retractatur amore alicuius supernaturalis honestatis creatæ includentis respectum aliquem ad Deum, vi cuius amoris retractans promptus esset prorumpere in formalem detestationem omnium eorum peccatorum, quæ contrariantur tali honestati, si illa actu menti occurrerent. Primis tribus modis venialia remittuntur ante susceptionem cuiuscunque sacramenti; vltimò verò modo, non nisi in susceptione alicuius sacramenti, etiam pœnitentiæ. Nam etiam ad sacramentum pœnitentię posset pœnitens accedere cum virtuali attritione peccatorum venialium, modo de vno tantùm haberet formalem attritionem, quod ad essentiam huius sacramenti sat est. In quo casu pœnitens licet vi sacramenti non consequeretur remissionem illius peccati venialis, cum cuius formali attritione accederet, cùm illius remissionem consecutus esset ante susceptionem sacramenti, virtute solius attritionis formalis; tamen vi sacramenti consequeretur remissionem reliquorum omnium, quorum virtualem tantùm retractationem haberet, quæ virtualis retractatio sola sine formali non sufficit ad remissionem eorundem peccatorum extra sacramentum. Nec dici potest, hunc casum rarò accidere, ac proinde iuxta ordinarium modum in nostra sententia iusti priuantur beneficio absolutionis sacramentalis circa peccata venialia: nam spectata humana fragilitate, vix homo potest singula, & omnia peccata venialia recogitare, ac proinde de illis omnibus formaliter dolere; sed sæpe cum dolore, & detestatione aliquorum accedit, cum virtuali tantùm detestatione reliquorum, quę defectu examinis, vel obliuionis menti non occurrunt. Et licet vniuersalis dolor de omnibus, etiam si menti non occurrant, sufficiat ad remissionem venialium extra sacramentum; sæpe tamen accidit, vt formalis dolor non sit vniuersalis omnium; sed tantùm aliquorum, & de reliquis solùm habeatur virtualis retractatio, non in dolore, sed in amore alicuius virtutis supernaturalis consistens.

Peccatum formaliter retractari potest,

Et virtualiter.

40. Ex dictis sequitur, non ad quamcunque gratiæ infusionem remitti venialia. Primò: quia potest nobis infundi prima gratia, vel per contritionem tantùm peccatorum mortalium extra sacramentum, vel per attritionem eorundem peccatorum mortalium in ipso

in ipso sacramento pœnitentiæ, vel Baptismi: in eo enim casu infunderetur prima gratia cum sola remissione peccatorum mortalium sine remissione venialium. cùm de solis mortalibus præcederet contritio, vel attritio. Secundò. per quemcunque actum bonum supernaturalem in gratia factum, augetur gratia; cùm tamen non per quemcunque actum supernaturalem in gratia factum remittantur venialia. Cæterùm cùm S. Thomas præcitata quæst. art. 2. affirmat, quandocunque infunditur gratia, remitti venialia, id affirmat ex opinione asserente, solùm actum charitatis in Deum esse meritorium augmenti gratiæ: ait enim, non contingere in adultis infusionem gratiæ sine actuali motu liberi arbitrij in Deum, qui regulariter semper est cum virtuali detestatione alicuius peccati venialis. Legatur ipse q. 7. de malo art. 11. ad 8. vbi indicat, omne meritum esse ex charitate.

S. Thomas.

41. Ad argumenta primæ sententiæ. Ad fundamentum Duran. nego peccatum veniale esse solùm contra virtutem naturalem, cùm sit etiam contra familiaritatem supernaturalem Dei, adeoque tolli nequit absque actu supernaturali aliquo modo conuertente hominem ad hanc familiaritatem, peccato veniali amissam.

Ad Dur. In pura natura fuissent peccata venialia diuersæ rationis à nostris.

42. Ad confirmationem, concedo in pura natura futura fuisse peccata venialia; sed diuersę rationis: eò quod illa non fuissent cōtra familiaritatem supernaturalem Dei; ideoque remitti potuissent per actum naturalem, cum aliquo tamen auxilio naturali indebito naturæ, vt de remissione mortalium diximus tomo 3. disp. 33. sect. 4.

Ad Scot.

43. Ad fundamentum Scoti, neganda est maior: falsum quippe est, vt sępe hic, & alibi diximus, peccatum habituale prout distinguitur ab actuali, formaliter consistere in obligatione ad pœnam: nam hæc supponit peccatum, in eoque fundatur.

44. Ad fundamentum secundę sententiæ, distinguenda est maior: qui meretur finem, meretur tolli impedimenta essentialia ad finem, concedo: meretur tolli impedimenta accidentalia, nego: alioqui qui meretur gloriam, mereretur totius pœnæ temporalis remissionem: nam hæc etiam est impedimentum ad illam. Cùm igitur venialia solùm sint impedimentum accidentale, retardans, non tollens gloriam, non sequitur, quod, qui meretur gloriam, mereatur remissionem venialium, alioqui quolibet actu, quo meremur gloriam, mereremur remissionem omniū venialium: quod falsum est: quia possumus actu contritionis mereri gloriam, retinendo affectum ad aliquod veniale.

Peccata venialia sunt impedimentum accidentale gloria.

45. Ad fundamentum 3. sententiæ, concedo venialia remitti actu attritionis; non tamen per modum condignæ satisfactionis, quoniam hæc requirit, vt fiat intuitu ipsius offensi, ac proinde ex motiuo charitatis: concedo etiam, minorem pœnitentiam requiri ad remissionem venialis; quàm mortalis: tū quia ad remissionem mortalis per modum condignæ satisfactionis, non sufficit actus à pura creatura elicitus: tum quia ad remissionē mortalis extra sacramentum non sufficit attritio; quę tamen sufficit ad remissionem venialis; licet non per modum condignæ satisfactionis; sed congruæ tantùm dispositionis.

Minor pœnitentia requiritur ad remissionem mortalis quàm venialis.

46. Ad fundamentum quartæ sententiæ; concedo solam contritionem perfectè opponi peccato veniali per modum condignę satisfactionis: nego tamen hanc perfectam oppositionem esse necessariam ad remissionem peccati extra sacramentum; sed sat esse aliquam satisfactionem de congruo, vt constat de remissione peccati mortalis, pro quo nulla satisfactio purę creaturæ potest esse condigna, sed tantùm congrua.

SECTIO IV.

An & quo pacto venialia remittantur per sacramentum?

47. Omnes ferè Scholastici conueniunt, per sacramenta remitti venialia: est S. Thomæ 3. p. q. 87. art. 3. & q. 7. de malo art. 11. ad 14. Bonauenturę in 4. dist. 21. parte 1. distinctionis art. 1. q. 2. Scoti dist. 15. q. 2. art. 3. Gab. in canone missæ lect. 85. litera 3. Palatij dist. 16. disp. 2. conclus. 7. Petri Soti lect. 18. de remissione peccatorum venialiū, Suar. disp. 12. sect. 1. Vasquez 3. p. q. 87. art. 3. dub. 2. Henriquez lib. 4. de sacramentis cap. 15. Nugnez 3. p. q. cit. art. 3. Vnde Vasquez putat de fide, in tribus saltem sacramentis, nempe in Baptismo pœnitentia, & Extrema-Vnctione remitti venialia: idque colligit ex eorum formis.

S. Thomas. Bonauent. Scotus. Gabriel. Palatius. Sotus. Petrus Sotus. Suarez. Vasquez. Henriquez. Nugnez.

48. Fundamentum est: quia omnia sacramenta. vt instrumenta passionis Christi, instituta sunt ad sanctificandas animas, easque perfectè disponendas ad gloriæ consecutionem; ergo ad tollenda omnia impedimenta, quæ aliquo modo possunt à glorię consecutione impedire. Cùm igitur venialia retardent nos à consecutione gloriæ, debent per sacramenta ritè suscepta remitti. Ob hanc rationem de omnibus sacramentis tomo pręcedenti docuimus, per ea remitti mortalia inculpabiliter ignorata: ergo à fortiori venialia oblita. Nam licet nullum sacramentum per se primò sit institutum ad remittenda venialia, teste S. Tho. q. 7. de malo art. 11. ad 14. sunt tamen omnia ad ea remittenda instituta *consequenter*, sicut passio Christi, cuius instrumenta sunt sacramenta, licet per se primò fuerit ad satisfaciendum pro mortalibus; consequenter tamen fuit ad satisfaciendum etiam pro venialibus. Sola ergo controuersia superest de modo, quo illa sacramenta remittant.

S. Thomas.

Passio Christi fuit ad satisfaciendum pro venialibus consequenter.

49. Prima sententia Bonau. & Petri Soti affirmantium, sacramenta remittere venialia per actum deuotionis, quem excitant; vel cum quo debent esse coniuncta, cùm actu suscipiuntur. fauet S. Tho. in 4. dist. 16, q. 2. art. 2.

Bonauent. Petrus Sotus. S. Thomas.

art. 2. vbi docet: omnia sacramenta remittere venialia: quia nata sunt excitare feruorem charitatis, quo peccata venialia remittuntur, specialiter id affirmat de sacramento Eucharistię 3. p. q. 79. art. 4.

50. SECVNDA sententia reliquorum asserentium, sacramenta delere venialia, ex se, siue ex opere operato: controuersia tamen est, quam dispositionem requirant, vt ea remittant. Suarez docet sufficere actualem non complacentiam ad illa. Idem sentire videtur Sotus, dum ait, sufficere actum, quo quis sacramentum suscipit. Henriquez, & Nugnez requirunt aliquam retractationem virtualem per quemcunque actum, quo quis desiderat emundari à venialibus: Palatius & Vasquez veram postulant attritionem.

Suarez. *Sotus.* *Henriquez.* *Nugnez.* *Palatius.* *Vasquez.*

51. DICO primo sacramenta non remittunt venialia solùm excitando feruorem charitatis, quo formaliter illa remittantur; sed ex se illa remittunt, posita sufficiente dispositione subiecti. Probatur primò à posteriori: quia non semper sacramenta, etiam dignè suscepta, talem feruorem excitant; ergo si solùm venialia remittunt mediante actu charitatis, quem in suscipiente excitant, non semper illa remittunt obicem non ponentibus, & consequenter ex opere operato. Prior consequentia constat. Posterior patet: nam quod sacramenta conferunt ex opere operato, illud semper conferunt obicem non ponentibus, quia illud conferunt ad instar causæ naturalis, non exspectata, nisi subiecti dispositione, seu obicis remotione: ergo si adhuc stante subiecti dispositione, venialia non remittunt, ea non ex merito, & opere operato Christi; sed ex merito, & opere ipsius suscipientis remittunt. Hoc autem non est formaliter remitti virtute sacramenti. Antecedens probatur: nam nec semper nos huiusmodi feruorem experimur, nec interdum possumus, vt quando prçuia antecedente dispositione, sacramentum suscipimus dormientes; vel phrenetici. Nam tunc sacramentum reperit subiectum sine obice vi antecedentis dispositionis moraliter perseuerantis: ergo confert omnem effectum, quem ex opere operato continet, & consequenter remissionem venialium.

52. Secundò probatur à priori. Datur aliqua displicentia, quæ ex se non sufficit ad remissionem venialium, sufficit autem virtute sacramenti, mediante quo illa operatur, vt instrumentum passionis Christi: ergo sine excitatione feruentioris actus, in virtute passionis Christi ea remittit ex opere operato, seu virtute sacramenti. Confirmatur. Non minùs ex opere operato sacramenta remittunt venialia; quàm mortalia: atqui hæc remittunt per aliquam displicentiam imperfectam peccatoris, operantem cum sacramento in virtute satisfactionis Christi: ergo etiam illa remittunt per imperfectum dolorem, operantem cum sacramento in virtute satisfactionis Christi.

53. DICO 2. Vt sacramenta remittant venialia, non satis est actualis non complacentia; aut quiuis actus, quo sacramenta suscipiens cupiat à venialibus purgari; sed requiritur virtualis saltem attritio illorum. Prior pars assertionis probatur primò ab absurdo. Nam alioqui sequeretur, quodlibet sacramẽtum dignè susceptum remittere omnia venialia, quorum actualem complacentiam non haberet, qui sacramentum susciperet. Quod licet Henriquez & Suarez concedant; omnes tamen vt improbabile negant. Nec valet, si cum eodem Suarez, & Nugnez dicas, vnum quodque sacramentum solum remittere ea, quæ impediunt proprium finem, ad quem illud esset institutum: nam sæpe sacramentum nulla inuenit venialia contra proprium finem, inuenit autem multa contra fines aliorum sacramentorum.

Reijcitur Resp. Suarij & Nugnez.

54. Secundò probatur à priori: quoniam implicat remitti peccatum sine formali, aut virtuali saltem retractatione illius: vt fusè probatur in 3. tomo disp. 32. sect. 2. sola autem actualis non complacentia, aut voluntas suscipiendi sacramentum, vel desiderium quo quis cupit emundari à peccato veniali, non est retractatio peccati: ergo neque cum sacramento est sufficiens ad remissionem illius, cùm sacramentum non possit supplere, quod ad ipsum essentialiter prærequiritur.

55. Posterior assertionis pars ostenditur. Nam, necessaria est aliqua efficax retractatio: ergo saltem necessaria est virtualis attritio. Antecedens constat, alioqui non requireretur potiùs hic actus, quam alius. Consequentia probatur: nam omnis alius actus, qui non est saltem virtualis attritio, non est efficax retractatio: est enim efficax retractatio talis actus, vi cuius, si peccata actu occurrerent, formaliter retractarentur.

56. Quòd autem sufficiat virtualis attritio, probatur: nam minor retractatio requiritur ad remissionem venialis; quàm mortalis, vno excepto sacramento pœnitentię, in quo tam ad remissionem mortalis; quàm venialis requiritur formalis dolor ac proinde formalis retractatio de peccatis. Igitur si ad remissionem mortalis requiritur formalis, ad remissionem venialis sufficit virtualis retractatio. Est autem virtualis attritio quiuis actus, quo voluntas ita fertur in obiectum honestum supernaturale; vt vi ipsius parata sit formaliter detestari omnem defectum, qui tali obiecto opponitur. Exempli causa, actus, quo voluntas ita feruenter amat honestatem supernaturalis temperantiæ, vt vi ipsius parata sit detestari omnem defectum, qui tali honestati opponitur. Item actus, quo voluntas ita feruenter amat consecutionem gloriæ supernaturalis, vt vi ipsius parata sit, detestari omne veniale, quod à tali consecutione retardare potest. Talis igitur actus vnà cum sacramento excepta pœnitentia, sufficiens est ad remissionem venialium.

Quæ sit virtualis attritio.

57. DICES. Baptismus remittit omnem pœnam; non potest autem remittere omnem pœnam, nisi remissa omni culpa: ergo etiam si quis ad Baptismum accedat sine virtuali attritione,

tritione, cōsequetur remissionem venialium, Respondeo, remittere omnem pœnam, posita sufficiente dispositione, extendente se ad omnem culpam.

58. Dico 3 Sacramentum ea tantùm venialia ex opere operato delet, supra quæ cadit virtualis, aut formalis attritio. Fundamentum, quia sacramentum non delet venialia, nisi à quibus remouetur obex; sed probatum est, obicem à venialibus non remoueri, nisi per attritionem saltem virtualem: ergo.

59. Hinc deducitur, interdum deleri omnia, interdum aliqua venialia, nam quando motiuum attritionis est vniuersale: vt quia retardat à consecutione gloriæ; quia sunt causa alicuius pœnę: quia elongant à familiaritate Dei, & actus est ita feruens; vt aptus sit detestari omnia, virtute sacramenti, omnia delentur. Quando verò motiuum est particulare, vt quia impediunt perfectam acquisitionem talis virtutis, tunc solùm delentur ea, quæ talem virtutem impediunt. Ad auctoritatem Sancti Thomæ, & fundamentum oppositæ sententiæ patebit infrà.

SECTIO V.

An sacramentalia remittant venialia ex opere operato?

60. Svnt sacramentalia quædam remedia ab Ecclesia instituta, quæ nouem communiter numerantur. Aqua benedicta apostolorum tempore instituta, cuius meminit Clemens primus lib. 8. Apost. institutionum cap. 34. 35. & 36. cuius decem eximios effectus numerat Henriquez lib. 4. de sacramentis cap. 15. Panis benedictus; vnctio sacra., qua Sacerdotes, & Reges vnguntur; Benedictio Episcopi; confessio generalis; Tunsio pectoris; ingressus templi consecrati; vel oratio ibi facto; Oratio Dominica; Auditio missę; Auditio concionis. Quibus addit Henriquez indulgentias, de quibus controuersia est, an ex institutione Ecclesiæ vim habeant remittendi venialia ex opere operato.

Clemens I. *Henriquez.*

61. Prima sententia Altisidiorensis lib. 4. tract. 6. q. vlt. Maioris in 4. dist. 21. q. 1. Gabr. dist. 16. q. 5. art. 3. dub. 3 Soti dist. 15. q. 2. art. 3. Cani lib. 12. de locis Theologicis ad nouum in fine, Nugnez 3. p. q. 87. art. 3. difficultate 2. Henriquez lib. 4. de sacramentis cap. 15. num. 8. affirmantium. Videtur etiam Paludani in 4. dist. 16. q. 1. art. 2. docentis, minorem dolorem ad remissionem venialium cum his sufficere, quàm sine his, & fauet S. Thomas 3. p. q 84. art. 3. ad 1. Fundamentum est: quia Ecclesia habet auctoritatem instituendi huiusmodi remedia.

Altisid. Maior. Gabriel. Sotus. Canus. Nugnez. Henriquez. Paludanus. S. Thomas.

62. Secvnda sententia Alens. 4. parte q. 15. mem. 3. art. 4. §. 2. S. Thom. in 4. dist. 16. q. 2. art. 2. quæstiuncula 4. & q. 7. de malo art. 12. Richardi dist. 16. art. 5. q. 1. ad 2. & dist. 21. art. 3. q. 1. Argent. dist. 21 art. 2. Palatij disp. 2. post octauam conclusionem dist. 16. Petri Soti lect. 18. de remissione venialium, Angeli verbo, *aqua bene dicta*, Syluestri 2. & Tabienæ num. 5. Suarez disp. 12. sect. 2. Vasquez 3. parte q. 87. art. 3. dub. 1. negantium. Inclinat Bonau. in 4 dist. 21. art. 1. q. 2. *Quæ probabilior est & amplectenda.*

Alensis. S. Thomas. Richardus. Argentinas. Palatius. Petrus Sotus. Angelus. Syluester. Tabiena. Suarez. Vasquez. Bonauent.

63. Fundamentum: quia vt infrà probabo, peccatum veniale importat maculam animæ, quæ tolli non potest sine aliqua gratia: sed sacramentalia nullam conferunt gratiam ex opere operato. alioqui non differrent à sacramentis, quorum institutio non est in potestate Ecclesiæ. Quod autem hæc dicantur ab Ecclesia instituta ad remittenda venialia, Vasquez tribuit vulgo, cùm nulla exstet certa auctoritas. Sed dici potest, hæc esse quædam symbola peculiari intentione ab Ecclesia instituta, vt ex precibus ipsius nobis impetrent auxilium, quo disponamur ad remissionem venialium, quæ Deus exaudit ex merito, & intercessione Ecclesię. Atque hoc est, quod S. Thomas docet 3. parte q. 87. art. 3. ad primum in tantùm hæc causare remissionem venialium; in quantum inclinant animam ad motum pœnitentię, qui est detestatio peccatorum, vel implicitè, vt est actus charitatis; vel explicitè, vt est contritio. Iuxta hunc etiam sensum explicatur alter locus suprà citatus.

S. Thomas. S. Thomas. Quomodo sacramentalia causent remissionem venialium.

64. Deducitur 1. contra Paludanum, Nugnez, & alios, non sufficere minorem dolorem cum his ad remissionem venialium, qui sine his non sufficeret. Nam ex qua parte supplerent insufficientiam doloris, causarent remissionem venialium ex opere operato, quod improbatum est. Nec te moueat S. Thomas quæstione præcitata art. 3. asserens, hæc sacramentalia remittere venialia, quatenus sunt cum aliquo motu reuerentiæ in Deum, & ad res diuinas. Nam pro motu reuerentiæ in in Deum, & ad res diuinas, non intelligit actum religionis, sed charitatis, qui virtualiter continet detestationem peccatorum, vt constat ex art. 4. ad 2. vbi docet, ad remissionem venialis, requiri aliquem gratiæ actum, qui non potest esse in eo, qui subiacet peccato mortali; hic autem est solus actus contritionis formalis, aut virtualis, cùm omnis alius actus esse queat cum peccato mortali.

65. Deducitur 2. contra Henriquez indulgentias non habere vim remittendi venialia. Nam hæc tantùm remittunt pœnas relictas ex culpis iam remissis; nec possunt remittere pœnas, nisi fuerint culpæ priùs remissæ, vt in vltima disp. de indulgentijs constabit.

SECTIO VI.

An ad remissionem venialium requiratur gratia habitualis?

66. TRipliciter potest ad remissionem venialium habitualis gratia requiri, vel antecedenter, vel concomitanter, vel formaliter. Requiritur antecedenter: vt persona sit capax talis remissionis. Requiritur concomitanter: quia quodlibet opus remissiuum venialis; est etiam meritorium gratiæ. Requiritur formaliter: quia non potest veniale expelli, nisi per gratiam, tanquam per formam oppositam.

76. PRIMA sententia Scoti in 4. dist. 21. q. 1. §. *in ista quæstione*, Bassoli q. 1. art. 3. Maioris q. 1. Durandi dist. 16. q. 2. Gabr. q. 5. art. 3. dub. 2. negantium ad remissionem venialis vllo modo requiri gratiam.

Scotus. Bassolus. Maior. Durandus. Gabriel.

68. Fundamentum Durandi: quia peccatum veniale, cùm sit quædam deordinatio actus circa bonum commutabile, tolli potest per quemcunque actum ordinatiuum voluntatis cum debita displicentia: sed ad hunc actum non requiritur gratia habitualis, nec antecedenter, nec formaliter, nec concomitanter. Confirmat: quia opera bona facta extra gratiam sunt meritoria alicuius præmij temporalis; sed pœna debita peccato veniali est temporalis: ergo potest esse præmium actus boni facti extra gratiam.

69. Secundò. Peccator existens in peccato, per actus intensiores fidei meretur sibi augmentum fidei, & per vnum actum supernaturalem meretur auxilium ad alios actus supernaturales, ergo poterit per actus supernaturales elicitos ex auxilio supernaturali mereri sibi remissionem peccati venialis. Ex quo infert, posse in hac vita remitti veniale sine mortali, non autem in inferno: quia potest in hac vita peccator elicere aliquem actum bonum retractatiuum peccati venialis, & non mortalis; at non potest in inferno, in quo nullum potest elicere actum bonum.

70. Fundamentum aliorum. Peccatum veniale formaliter consistit in reatu pœnæ temporalis, qua soluta, remittitur; potest autem solui pœna temporalis sine gratia, per solam perpessionem pœnæ. Vnde docent, peccatum veniale non solùm remitti in hac vita sine mortali; sed etiam in inferno: quia etiam in inferno pœna debita veniali est temporalis, qua soluta, remittitur. Cęterùm Bassolus docet, in inferno remitti veniale solùm quoad pœnam, non autem quoad culpam.

Bassolus.

71. SECVNDA sententia Alensf. 4. parte q. 15. mem. 3. art. 3. §. 3. & 4. & art. 4. §. 1. Bonau. in 4. dist. 21. 1. p. art. 1. quæst. 1. Sancti Thomæ 3. parte. quęst. 87. art. 2. Richardi in 4. dist. 21. quæst. 3. art. 2. Soti dist. 15. qu. 2. art. 4. Palatij dist. 16. disp. 2. conclus. 1. Petri Soti lect. 18. de peccatorum venialium remissione: Henriquez lib. 4. de sacramentis cap. 15. num. 2. Suarez disp. 11. sect. 2. Vasquez quæst. 87. art. 3. dub. 3. in fine, & communis, ad remissionem venialium requiri gratiam habitualem. Fundamentum: quia nullum opus potest esse acceptum Deo, nisi fiat ex gratia: discrepantia tamen inter eos est, quo ex assignatis modis ea requiratur.

Alensis. Bonauent. S. Thomas. Richardus. Sotus. Palatius. Petrus Sotus. Henriquez. Suarez. Vasq. &c.

72. Alensis & Bonau. non solùm eam requirunt antecedenter, & concomitanter; sed etiam formaliter. Fundamentum, quia peccatum veniale est vera macula animæ, quæ tolli non potest, nisi per gratiam habitualem, tanquam per suum oppositum. Est enim macula priuatio nitoris animæ, & nota displicentiæ diuinæ: ergo tolli non potest, nisi per gratiam habitualem, quæ est nitor animę, & obiectum complacentiæ diuinæ.

73. Sanctus Thomas suprà citatus, Paludanus in 4. distinct. 16. quæst. 1. art. 2. & alij censent, gratiam solùm requiri antecedenter, nullo autem modo formaliter, aut concomitanter. Fundamentum est, quia veniale remitti potest per actum charitatis minùs remissum, quàm sit habitus ipse gratiæ & charitatis; sed per actum remissiorem non augetur habitus: ergo remitti potest veniale absque vllo augmento gratiæ, & consequenter sine gratia formaliter, & concomitanter. Reliqui verò contendunt, ad remissionem venialis non solùm requiri gratiam habitualem antecedenter; sed etiam concomitanter: Nugnez 3. parte quæst. 87. art. 2. diffi. 1. docet ad remissionem venialis requiri gratiam etiam formaliter, non quidem in ratione qualitatis, sed in ratione gratiæ formaliter. Fundamentum ipsius est quia peccatum veniale relinquit veram maculam animæ, quæ non tollitur, nisi per augmentum gratiæ, non in esse qualitatis, cùm in esse qualitatis non augeatur, nisi per actus intensiores; sed in esse gratiæ & acceptationis diuinæ, quo pacto augetur, per quemlibet actum supernaturalem, etiam remissum.

Nugnez.

74. DICO 1. Semper ad remissionem venialis requiritur gratia habitualis antecedenter. Fundamentum est: quia remissio venialium est redintegratio ad familiaritatem Dei, quæ essentialiter supponit amicitiam eiusdem. Implicat igitur ea remitti habitualem gratiam non habentibus. Consequentia constat: quia vnica causa formalis amicitię diuinæ, teste Tridentino sess. 6. cap. 7. est gratia habitualis. Minor patet: quoniam familiaritas est amicitia perfecta. Maior probatur: nam remissio venialium nequit fieri sine restitutione specialium auxiliorum, quibus homo per peccata venialia voluntariè se priuauit: sed hæc auxilia familiarissimè stringunt hominem cum Deo: igitur remissio venialium restituit hominem ad perfectam familia-

Trident.

familiaritatem cum Deo. Minor clara est: quia per hæc auxilia Deus singulari modo per internas illustrationes, & affectus communicat se homini. Maior probatur: quia peccatum veniale displicet Deo, cùm sit aliqua ipsius offensa, contra ipsius legem, & voluntatem: ergo necessariò odit illud, & ratione illius etiam personam, quæ illud commisit. Implicat autem, Deum odisse personam, & non subtrahere aliquid ab ea; est enim odium Dei, auersio ipsius à creatura; auertitur autem Deus à creatura, vel per subtractionem gratiæ habitualis, si peccatum sit graue; vel per subtractionem specialis auxilij, si peccatum sit leue. Cuius ratio à priori est: quia implicat, Deum de nouo diligere, vel odisse creaturam, sine aliqua mutatione ipsius creaturę. Cùm enim nequeat Deus diligere, vel odisse per mutationem sui, necessariò postulat mutationem in creatura: igitur sicut nequit de nouo diligere creaturam, nisi producendo aliquid in creatura; ita nec odisse creaturam, nisi subtrahendo aliquid à creatura. Quare sicut venialia retrahunt hominem à familiaritate Dei; ita subtractio specialium auxiliorum retrahit Deum à familiaritate hominis: est enim mutua elongatio, vt patet in inimicitia, quæ per peccatum mortale incurritur, in qua tam homo auertitur à Deo per peccatum; quàm Deus ab homine per subtractionem gratiæ habitualis. Vnde sicut in peccato mortali nequit Deus auerti à creatura per solam auersionem creaturę à Deo; sed per subtractionem gratiæ habitualis ab ipsa: ita in peccato veniali nequit Deus elongari à creatura per solam elongationem creaturæ à Deo; sed per subtractionem specialis auxilij ab ipsa creatura. Cuius ratio est: quia talis auersio creaturæ à Deo est mala; cùm tamen auersio Dei à creatura sit bona. Cùm igitur peccatum veniale essentialiter connotet hanc elongationem Dei à creatura per subtractionem specialium auxiliorum: (Deus enim, quod est notandum, necessariò odit, quod est odibile; sicut necessariò amat, quod est amabile, cùm non possit esse suspensus circa quodcunque obiectum, nec aliter in illud ferri, quàm ipsummet postulat:) non poterit remitti sine huiusmodi restitutione specialium auxiliorum; quemadmodum nec mortale sine restitutione gratiæ habitualis: cùm nec ex parte Dei fiat remissio sine depositione odij; nec odium ex parte Dei deponi possit, absque restitutione gratiæ, per cuius subtractionem fuit odium ipsum à Deo conceptum.

Non potest Deus diligere vel odisse creaturam de nouo sine mutatione ipsius creaturæ.

Deus necessariò odit odibile, & amabile amat.

Odium à Deo deponi non potest absque restitutione gratiæ.

75. *Obijcies* 1. Remissio venialium, quæ fit simul cum remissione mortalium, non supponit gratiam habitualem: quia hæc non supponitur ante remissionem mortalium. Resp. non supponere illam ordine durationis, supponere tamen ordine naturæ: priùs enim natura remittuntur mortalia, per restitutionem gratiæ habitualis; quàm venialia per restitutionem specialium auxiliorum: cùm priùs restituamur in amicitiam; quàm in familiaritatem: sicut priùs restituimur ad esse supernaturale mediante gratia habituali, quàm ad posse operari supernaturaliter medijs habitibus, & auxilijs supernaturalibus.

76. *Obijcies* 2. Cuilibet iusto sunt debita hæc auxilia: ergo tolli non possunt per venialia. Consequentia patet: quia venialia non tollunt iustitiam; ergo nec auxilia debita iustitiæ: nam perseuerante forma, perseuerant principia debita formæ. Antecedens probatur, quia cuilibet iusto debetur posse amicè, & familiariter agere, & conuersari cum Deo. Confirmatur 1. Auxilia non tolluntur nisi ad sublationem alicuius principij, cui illa debentur: sed nullum principium per peccatum veniale tollitur à iusto: ergo. Confirmatur 2. nam eadem gratia est ante, & post commissa venialia: ergo si ante debentur specialia auxilia, etiam post debentur.

78. Respondeo auxilia diuina esse duplicia, quædam illustriora, & frequentiora, quæ solùm debentur mundis corde, & familiaribus Deo, iuxta illud *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*; atque hæc deperduntur per venialia: quia non est dignus familiaritate Dei, qui ex parte sua hanc familiaritatem rumpit per venialia; sicut non est dignus amicitia Dei, qui ex parte sua amicitiam tollit per peccatum mortale: Alia sunt communia, debita cuicunque iusto ratione inhærentis iustitię, & amicitiæ habitualis cum Deo, & hæc non amittuntur per venialia; sed manent debita iustis, vi quorum auxiliorum possunt iusti à venialibus liberari, & in pristinam familiaritatem admitti, non quod auxilia hęc ad detestanda venialia sint eadem, quæ debentur familiaribus: quia cùm hęc per venialia deperdantur, non possunt manere debita iusto; sed quia iusto bene vtenti auxilijs debitis ad detestanda venialia Deus ex promissione, fundata in ipsa connaturalitate rei, dabit vberiora & illustriora, debita familiaribus, per quæ auxilia Deus familiariter se conuertit ad iustum.

Auxilia diuina quædam sunt illustriora & frequentiora.

Quædam auxilia diuina sunt communia cuiuis iusti debita.

79. Ad primam confirmationem, duplex est principium in iusto; Alterum permanens, vt gratia; & hoc non tollitur, neque minuitur per venialia; Alterum transiens, vt frequentes actus amoris, & charitatis in Deum; & hoc tollitur per venialia, ad cuius sublationem tolluntur ex parte Dei vberiora auxilia talibus actibus debita. Ad 2. nego consequentiam: Nam licet gratia sit eadem; affectus tamen creaturæ non est idem: nam ante venialia iustus non est conuersus ad creaturam, sicut post venialia.

Principium cui illa debentur est permanens, vel transiens.

80. *Obijcies* 3. Hæc priuatio specialis auxilij est culpabilis: quia integrat rationem maculæ, quę se tenet ex parte hominis, priuantis se voluntariè talibus auxilijs: ergo non potest se tenere ex parte Dei subtrahentis se in pœnam peccati ab homine. Confirmatur: quia priuatio gratiæ habitualis est cul-

est culpabilis, & integrat peccatum mortale, quatenus voluntaria est peccatori; ergo & priuatio auxilij specialis in peccato veniali.

81. Respondeo eandem priuationem gratiæ esse culpabilem, & integrare rationem maculę, vt se tenet ex parte peccatoris voluntariè auertentis, vel elongantis se à Deo, & simul habere rationem iusti odij, & vindictæ, vt se tenet ex parte Dei, illam in pœnam peccati subtrahentis.

82. DICO 2. Gratia habitualis non requiritur formaliter ad remissionem venialis. Fundamentum quia id requiritur formaliter ad remissionem venialis, quod requiritur vt forma incompossibilis cum illo: vt nulla gratia habitualis, quantumuis intensa, incompossibilis est cum peccato veniali: quia quodlibet veniale stare potest cum quauis gratia habituali.

83. DICES. Gratia habitualis est participatio naturæ diuinæ; ergo suaptè natura pugnat cum quouis peccato; sicut quoduis peccatum pugnat cum natura diuina. Confirmatur, nam eadem gratia habitualis in patria expellit omne veniale; ergo etiam in via, cùm sit eadem in vtroque statu.

Gratia habitualis est accidentalis participatio naturæ diuinæ.

84. Resp. nego consequentiam: nam esto gratia habitualis sit participatio naturæ diuinę, est tamen participatio accidentalis infinitè distans à perfectione sanctitatis increatæ, cum qua tantùm pugnat peccatum veniale vt patet in Christo, cum quo, quia communicata est ipsa sanctitas substantialis, pugnat quodlibet peccatum veniale. Ad confirmationem, nego antecedens; non enim gratia habitualis, sed visio ipsa Dei radicaliter, formaliter verò amor beatificus expellit omne peccatum etiam veniale in patria.

85. DICO 3. Semper ad remissionem peccati venialis infunditur gratia habitualis concomitanter. Fundamentum: quia vel peccatum veniale remittitur extra sacramentum, vel in sacramento; si extra, vel subiectum est gratum, & amicum Deo, & tunc remitti potest actu attritionis, qui semper in homine iusto est meritorius incrementi gratię; vel est inimicum, & tunc remitti non potest veniale, nisi simul remittantur mortalia, cumque mortalia extra sacramentum remitti nequeant, nisi contritione, aut dilectione Dei super omnia, quæ peccatorem statim iustificat, non poterit remitti veniale absque gratia habituali concomitanti; si verò remittitur in sacramento, res est euidentior: quia sacramentum non remittit peccata, nisi conferendo gratiam, vel primam, si sit mortuorum; vel secundam, si sit viuorum.

Ad Duran.

86. Ad fundamentum Durandi, nego peccatum veniale esse solam deordinationem actus circa bonum commutabile; sed aliquam etiam deordinationem à familiaritate Dei, ad quam reordinandam requiritur redintegratio ad familiaritatem eiusdem, quæ necessariò supponit gratiam habitualem.

87. Ad confirmationem, nego consequentiam: quoniam in peccato veniali non solùm est pœna; sed etiam culpa, cuius remissio est redintegratio ad familiaritatem Dei, quæ necessariò supponit gratiam habitualem. Ad secundum nego consequentiam: nam nec augmentum fidei, nec auxilium ad actum supernaturalem supponit amicitiam Dei, vt supponit redintegratio ad familiaritatem diuinam. Ad fundamentum aliorum, nego peccatum veniale consistere in solo reatu pœnæ, & destinatione ad illam.

Ad Alens.

88. Ad fundamentum Alens. quo probat veniale formaliter remitti per gratiam habitualem Resp. esto veniale sit animæ macula, nego tamen illam tolli non posse formaliter, nisi per gratiam habitualem: quia non est priuatio illius; sed perfectæ conformitatis moralis ad legem, quæ tollitur per peccata venialia. Vnde concedo, illud displicere Deo; hanc tamen displicentiam tolli formaliter per restitutionem auxiliorum, redintegrantium hominem ad perfectam familiaritatem Dei; fundamentaliter verò per retractationem ipsius peccati. Ad fundamentum Thomist. nego per actum remissiorem non intendi habitum gratiæ, vt ex 3. tomo disp. vltima de merito suppono. Ex his patet ad fundamentum Nugnez: Falsum quippe est & maculā venialis non tolli nisi per augmentum gratię habitualis, & gratiam per actus remissiores non augeri in esse qualitatis.

Peccatum veniali non est priuatio Gratiæ habitualis.

Aliquot Corollaria.

98. Deducitur primò. Non posse remitti veniale sine mortali: quia non potest remitti veniale, quin homo restituatur ad familiaritatem Dei, quæ pugnat cum mortali, ob eandem rationem nec remitti potest veniale sine originali, potest tamen remitti vnum veniale sine alio, aut mortale sine vllo veniali; quia potest homo retractando vel vnum veniale sine alio, vel omnia mortalia sine vllo veniali, restitui vel ad aliqualem familiaritatem, vel ad solam amicitiam cum Deo.

Peccatum veniale coniunctum cū mortali in altera vita punitur pœna æterna per accidens.

90. Deducitur secundò. Peccatum veniale coniunctum cum mortali puniri in alia vita pœna æterna, non per se, sed per accidens: est S. Thomæ quęst. 7. de malo ar. 1. & in 4. distinct. 21. quęst. 1. art. 2. quęstiuncula 3. Durandi quęst. 2. Paludani quęst. 1. art. 3. conclus. 3. Capreol. quæst. 1. concl. 2. Caiet. 3. parte quæst. 87. ar. 4. ad secundum, Richard. art. 2. qu. 2. Aureol. art. 1. Palatij dist. 16. disp. 2. & aliorum. Fundamentum: quia veniale nō potest quoad culpam remitti sine mortali; ergo neque quoad pœnam: nam quamdiu manet culpa, manet dignitas, & reatus ad pœnam, & consequenter pœna ipsa; quia licet Deus de potentia absoluta possit separare pœnam à culpa, congruentius tamen, & ipsius iustitiæ conformius est, vt manente culpa, maneat pœna.

S. Thomas. Durandus. Paludanus. Capreolus. Caietanus. Richardus. Aureolus. Palatius.

91. Deducitur tertiò. Dato casu, quo aliquis obiret cum originali, & veniali tantùm, tale veniale per accidens fore puniendū pœna æterna, proportionata tamen originali, cum quo coniungitur: est Soti, Palatij, Suarez, & aliorum,

Sotus, Palatius, Suarez.

contra Paludanum.

& aliorum, contra Paludanum in 4. dist. 16. quæst. 1. art. 1. in fine, affirmantem in tali casu posse veniale in alia vita remitti sine originali. Sed contrà, nam eadem est ratio de mortali, & originali: vnde si posset veniale in alia vita remitti, posset etiam in hac, & consequenter possent gentiles actibus, solius naturæ viribus elicitis, consequi remissionem venialium, absque remissione originalis. Porrò pœna, quæ corresponderet veniali coniunctо cum originali, probabiliter esset aliqua animi tristitia, quæ naturaliter consequeretur ad ipsum peccatum, vnde non esset necesse, eam pati in inferno damnatorum; sed in ipso limbo puerorum, absque baptismo hinc discedentium.

SECTIO VII.

An venialia remitti poßint per condignam satisfactionem?

92. Prima sententia negat: Est Petri Soti de Instit. Sacerdotis lect. 18. quæ est de remissione peccatorum venialium. Probatur 1. ex S. Tho. 3. parte quæst. 87. art. 4. Asserente, nullam culpam remitti posse, nisi per virtutem gratiæ, ergo nulla satisfactio pro quocunque peccato erit condigna. Consequentia probatur: quia nulla satisfactio, quę requirit gratiam creditoris, potest esse condigna; ergo si omnis satisfactio requirit gratiam Dei, non poterit esse condigna. Secundò hanc venialium peccatorum remissionem quotidie petunt iusti, dum in oratione Dominica sibi petunt sua dimitti debita, vt testatur Concil. Mileuit. 2. can. 7. & 8. & Trident. sess. 6. cap. 11. sed oratio est manifestum signum necessitatis gratiæ; vt contra Pelagianos docent PP. Africani in Epist. 90. Augustini ad Innocentium I. ergo sine gratia veniale non remittitur; & consequenter nulla iusti satisfactio pro veniali erit condigna. 3. peccata venialia dicuntur dimitti, & non solui, vt ex citata oratione dominica constat: dimittitur autem, quod gratis condonatur; soluitur verò, quod digno pretio redimitur: igitur remissio venialium non fit per condignam satisfactionem. 4. Peccatum veniale est propria offensa Dei; nullus autem purę creaturæ actus est condigna offensæ Dei satisfactio; igitur nulla iusti satisfactio poterit esse pro suo veniali condigna. Maior constat, tum quia est sufficiens materia confessionis; sola autem offensa Dei potest esse sufficiens materia confessionis; tum quia peculiari præcepto prohibetur à Deo, Leuit. 19. vbi prohibetur simplex mendacium. Quod autem prohibetur à Deo, si fiat, erit contra ipsius voluntatem, atque adeo eius offensa. Nam offensa Dei est, quidquid contra ipsius voluntatem fit: tum quia nullum veniale Deus remittit sine gratia: ergo veniale est offensa Dei: alioqui remitti posset sine gratia: quia quidquid non offendit Deum, non auertit Deum à nobis; ergo vt remittatur, non eget conuersione Dei ad nos. Minor probatur: Nam omnis offensa Dei est in altiori ordine, quàm sit quæcunque puræ creaturæ satisfactio: quia offensa grauitatem sumit ex dignitate personæ offensę; satisfactio verò valorem accipit ex persona satisfaciente: cùm igitur nulla pura creatura in dignitate personali sit in eodem ordine cum persona diuina, nulla puræ creaturæ satisfactio poterit esse pro offensa veniali condigna.

Petrus Sotus. S. Thomas. Concilia Mileuit. & Tridentin. August. Leuit. 19.

93. Secunda sententia affirmat: Est Paludani in 4. dist. 16. quæst. 1. art. 2. immediatè ante 3. conclusionem, Suarez 3. parte tomo 1. disp. 4. sect. 11. Vasquez disp. 3. Cabreræ disp. 15. & à fortiori sequitur ex sententia eorum, qui dicunt, condignè satisfieri pro veniali sola pœnę temporalis solutione. Duo hic examinanda sunt. Primum, An aliquis actus iusti possit esse condigna satisfactio pro suo peccato veniali. Secundum, quinam sit hic actus.

Paludan. Suarez. Vasquez. Cabrera.

94. Dico 1. Dari potest condigna satisfactio à iusto pro suo peccato veniali. Varij variè hanc assertionem probant. Ratio mea est hæc: offensa venialis non sumit ordinem à persona increata, vti sumit offensa mortalis; sed ab aliquo bono creato, quo tantùm priuat, & à quo per peccatum veniale iustus voluntariè se priuat. Quod sic probo. ab illo peccatum sumit ordinem offensæ, quod contemnit; veniale non contemnit Deum; sed aliquid, quod versatur circa Deum, nempe feruorem circa Deum: ergo veniale non sumit ordinem offensæ à persona increata. Maior constat: Quia cùm offensa sit quidam voluntarius contemptus, & despectus personæ, ab illo desumit ordinem suæ grauitatis, quod contemnit. Minor probatur, nam contemnere Deum, est deserere illum vt vltimum finem, eumq́; in ratione vltimi finis creaturæ post ponere: sed per veniale non deserimus Deum vltimum finem; sed solùm feruorem circa Deum, qui est aliquid creatum, proinde contemptus seu moralis despectus, qui in peccato veniali virtualiter includitur, non versatur circa personalem dignitatem Dei, quam per veniale non deserimus, sed circa modum ipsum creatum, nempe circa feruorem, quem tantùm deserimus. Hoc autem probato, manifestè sequitur posse à iusto condignam pro suo veniali satisfactionem offerri: quia cùm offensa venialis non sit in eo ordine, in quo est dignitas ipsa personæ increatę; sed potius in quo est dignitas boni creati, quod per veniale deseritur poterit à iusto habente gratiam habitualem, quæ in ratione boni creati accidentalis est omnium dignissima, condignè recompensari.

Offensa venialis sumit ordinem à bono creato, quo priuat. Offensa est voluntarius contemptus personæ.

95. *Obijcies* 1. Esto veniale immediatè sit contra bonū creatum, adhuc est offensa Dei: igitur in eodem ordine, in quo est personalis dignitas Dei. Consequentia probatur: Nam

ideo

ideo offensa mortalis est in eo ordine, in quo est personalis dignitas Dei: quia est contra voluntatem Dei; sed etiam veniale est contra voluntatem Dei: ergo.

Peccatum mortale est immediatè contra voluntatem Dei, veniale mediatè.

96. Respondeo nego consequentiam. Ad probationem, negatur causalis; etenim non ideò mortale est in eo ordine offensæ, in quo est dignitas personalis Dei, quia est contra voluntatem Dei simpliciter; sed quia est contra voluntatem Dei immediatè: quia immediatè illam contemnit, dum voluntariè ab illa se separat. Licet igitur vtraque sit offensa Dei, & displiceat Deo; vna tamen est offensa per contemptum moralem immediatū ipsius Dei; quia ipse immediatè deseritur: Altera per contemptum dumtaxat rei creatæ, quæ etiam displicet Deo, cui omne malum displicet, siue immediatè, contra ipsum, siue immediatè contra bonum creatum.

97. *Obijcies* 2. Neque offensa mortalis est immediatè contra Deum; sed contra ipsius amicitiam; ideò enim per peccatum mortale contemnimus Deum, quia contemnimus ipsius gratiam, & amicitiam, quæ quid creatum est.

98. Resp. negatur antecedens. Nam non ideò formaliter offensa mortalis est in altiori ordine, & immediatè contrà increatam maiestatem Dei: quia immediatè est contra amicitiam ipsius; sed quia est cōtemptus ipsius Dei finis vltimi, qui per peccatum mortale contemnitur, & creaturæ posthabetur: offensa autem venialis tantùm sistit in cōtemptu feruoris circa Deum: quia per veniale non deseritur ipse Deus vt finis vltimus, nec posthabetur creaturæ; sed tantùm modus feruoris circa Deum.

99. *Obijcies* 3. Tam in rebus extrinsecis possumus grauiter, quam in personali dignitate leuiter offendere Deum; ergo nec semper specificatiuum offensæ mortalis est immediatus contemptus, & despectus Dei; nec specificatiuum offensæ venialis est bonum extrinsecum Dei. Antecedens probatur, quia possumus in furto, quæ est res extrinseca Dei, grauiter; contrà verò in odio, & blasphemia indeliberata, quę immediatè versatur contra Deum, leuiter offendere Deum.

Quid sit in bonis extrinsecis offendi Deū.

100. Resp. nego antecedens; non enim bonum extrinsecū Dei dicitur res ipsa creata, in cuius materia peccatur, cùm etiam in materia rei creatę peccari possit cùm virtuali contemptu Dei, qui contemptus tantùm intrinsecè moraliter versatur circa dignitatem Dei; sed dicitur in bonis extrinsecis offendi Deus, quando non ipse Deus per peccatum deseritur; sed modus tantùm circa ipsum. Ex his patet ad primam partem antecedentis. Ad secūdam. Ideò huiusmodi actus indeliberati non sunt graues offensæ; esto immediatè versentur contra Deum: quia non computantur inter actus humanos simpliciter, cùm nō sint perfectè voluntarij. Vnde qua ratione non habent voluntarium simpliciter; ita nec morale specificatiuum simpliciter.

101. *Obijcies* 4. Sicut potest Rex & in sua persona, & in rebus extrinsecis grauiter, & leuiter à rustico offendi; ita potest Deus, & in sua personali dignitate, & in rebus extrinsecis grauiter, & leuiter à creatura offendi.

Rex non potest in sua persona leuiter offendi à rustico.

102. Resp. 1. Negando posse Regem in sua persona leuiter à rustico offendi; nam omnis contumptus, quantumuis minimus, Regiæ personæ à rustico factus, est grauis, & à rustico irrecompensabilis; quod inde patet, nam quęcunque vel minimę legis transgressio in contemptum Regis facta, æstimatur grauis offensa Regis.

Secus in rebus externis:

In quibus nequit Deus grauiter offendi secluso contemptu ipsius virtuali.

103. Resp. 2. Esto dari possit leuis offensa circa personam Regis, adhuc nego dari posse circa Deum ob infinitam distantiam, quæ est inter creaturam offendentem, & Deum offensum, quæ non est inter rusticum & Regem; maior enim, aut minor distantia facit, vt idem contemptus illatus vni sit grauis, illatus alteri grauis non sit. Cæterùm in rebus externis dupliciter potest Rex offendi: Vno modo per ablationem tantùm rerum externarum: alio modo per virtualem contemptum ipsius Regiæ personæ. Prima offensa, quatenus sistit, & consummatur tantùm in ablatione rei extrinsecæ, est diuersæ rationis ab offensa illata Regi, & compensabilis est à rustico, licet possit esse leuis, aut grauis intra suum ordinem. Secunda semper est grauis, & altioris ordinis, quàm possit à rustico compensari: quia tangit dignitatem ipsam regiam per virtualem contemptum, & despectum ipsius: Deus autem nequit rebus extrinsecis grauiter offendi, secluso virtuali contemptu ipsius, cùm nulla res eximi possit à Dominio Dei, vti eximi potest à Dominio Regis. Vnde solùm dicitur Deus in rebus extrinsecis leuiter offendi, quando contemptus rei extrinsecæ non inuoluit contemptum Dei, quod est, quoties per peccatum non deseritur ipse Deus vt vltimus finis, vt contingit in peccato veniali.

Contra Scotum, Mayronum, Rubionem, Gabrielem: quorum opinio censetur à Suario sapere Pelagian. Concilium Mileuit & Trident.

104. Dico 2. non potest actus solius naturæ viribus elicitus, esse condigna satisfactio pro offensa veniali: Est contra aliquos Scholasticos, & à fortiori contra Scotum in 4. dist. 21. q. 1. §. *In ista quæst.* Mayronum q. 1. Rubionem q. 1. art. 2. Gabr. dist. 16. q. 5. art. 1. & 3. dub. 1. opinantes debitum venialis condignè solui solius pœnæ temporalis solutione. Quam opinionem Suarez præcit. loco ait, errorem sapere Pelagij. Assertio colligitur ex Mileuitano 2. can. 6. 7. & 8. & Trid. sess. 6. cap. 11. quæ docent, per illa verba *dimitte nobis debita nostra* peti à iustis remissionem peccatorum venialium: ergo agnoscunt Concilia remissionem venialium esse à Deo, ac proinde ex speciali auxilio ipsius. Ratio verò est: quia condigna satisfactio debet esse in eodem ordine cum offensa: sed offensa venialis cùm sit contemptus feruoris circa Deū finem supernaturalē, est ordinis supernaturalis; actus autem solius naturę viribus elicitus est ordinis naturalis: cū neque ex auxilio, quo elicitur; neque ex gratia habituali, quę, vt suppono, nō dignificat nisi actus supernaturales

naturales à se elicitos, villam habet supernaturalitatem.

105. Dico 3. Non est supernaturalis attritio condigna satisfactio pro offensa veniali. Assertio colligitur ex Suarez, & Vasquez locis præcitatis: vbi pro condigna venialis satisfactione assignant solùm actum contritionis. Fundamentum verò est; quia condigna satisfactio est obsequiosa actio solius intuitu offensi exhibita: attritio autem non est actio intuitu Dei offensi saltem immediatè sed ipsius attriti exhibita, ergo. Maior constat: nam condigna satisfactio debet fieri in honorem offensi, & in recompensationem ipsius honoris læsi. Minor probatur: nam attritio est dolor de peccato vel propter malum, quod peccator incurrit; vel propter bonum, quo priuatus est, licet cum aliquo respectu ad Deum tamquam ad finem Cui.

Suarez, Vasquez.

Satisfactio est obsequiosa actio solius intuitu offensi exhibita.

106. Dices. ad condignam satisfactionem sufficit, vt tantùm ponat, quantum sustulit offensa: sed attritio tantùm ponit, quantum sustulit venialis offensa: nam hæc sustulit feruorem charitatis ab actu, & à Deo complacentiam, quam de tali feruore habebat; sed attritio restituit feruorem charitatis in actu, & eo ipso ponit obiectum complacentiæ respectu Dei, qui necessariò sibi complacet de omni actu bono: ergo restituit quantum abstulit offensa. Confirmatur. Non tenetur maius bonum peccator restituere, quàm debuisset actus oppositus peccato, ponere: sed actus oppositus peccato veniali non debuisset ponere bonum contritionis: nam illud tantùm bonum debuisset ponere, quod sat fuisset ad vitandum peccatum veniale, hic autem fuisset quiuis actus bonus.

107. Respondeo ad condignam satisfactionem non sat est, ponere, quod abstulit offensa; sed etiam recompensare, quod intulit eadem offensa: offensa autem venialis non solùm abstulit feruorem charitatis ab actu, & complacentiam in Deo; sed etiam intulit positiuam displicentiam in Deo: quia per peccatum posuit obiectum displicentiæ respectu voluntatis diuinæ; ergo licet attritio restituat feruorem in actu, & complacentiam in Deo; non tamen recompensat positiuam displicentiam, quam offensa intulit Deo. Vnde etiam in humanis ad condignam satisfactionem, non sat est, restituere, quod per offensam sublatum est; sed etiam compensare debet positiuam displicentiam, quam offensa intulit offenso, quod compensari solet vel obsequiosa aliqua actione in gratiam, & honorem offensi exhibita; vel alicuius pœnæ solutione. Responsio hæc desumpta est ex Anselmo lib. 1. cur Deus homo cap. 11. vbi sic scribit: *nec sufficit solummodo reddere quod ablatum est; sed pro contumelia illata plus debet reddere; quam abstulit. Sicut enim qui lædit salutem alterius, non sufficit, vt salutem restituat, nisi pro illata doloris iniuria recompenset aliquid; ita qui honorem alicuius violat, non sufficit honorem reddere, si non secundùm exhonorationis factam molestiam aliquid, quod placet illi, quem exhonorauit, restauret.* Vnde ad confirmationem, neganda est maior; nam præter bonum, quod peccatum abstulit, tenetur peccator resarcire malum displicentiæ, quod peccatum intulit.

Anselmus

108. Dico 4. Sola contritio, aut dilectio Dei super omnia finis supernaturalis est condigna satisfactio pro offensa veniali à iusto exhibita. Fundamentum: nam ea sola habet omnia ad condignam satisfactionem pro veniali requisita: nam restituit charitatis feruorem per veniale sublatum, per quem feruorem reordinat voluntatem ad familiaritatem cum Deo, à quo per veniale fuerat elongata creatura. Recompensat positiuam displicentiam, quam per veniale intulerat Deo, exhibendo perfectissimum opus in obsequium Dei. Quod autem etiam dilectio Dei super omnia finis supernaturalis sufficiat, Probatur: quia hæc etsi non includat explicitè detestationem peccati, includit tamen implicitè: quia dum fertur in Deum super omnia, implicitè, & virtute includit detestationem omnium peccatorum, quæ actu diligens detestaretur, si actu sibi menti occurrerent. Ex his

109. Infero, contritionem de solis mortalibus, aut de vno tantùm veniali, aut dilectionem Dei, quæ actu non se extenderet ad detestanda omnia venialia, non esse sufficientem satisfactionem pro omnibus venialibus, sed pro ijs dumtaxat, quorum esset formalis, aut virtualis detestatio. Ratio, quoniam ad actionem condignè satisfactoriam requiritur, vt fiat intuitu offensi in recompensationem offensę; non fit autem in recompensationem offensæ, quæ nec formaliter, nec virtualiter illatam offensam detestatur.

110. *Obijcies.* Tam attrito, quàm contrito potest Deus remissionem venialium extra sacramentum denegare: ergo nullum est inter attritionem, & contritionem in ordine ad venialia extra sacramentum remittenda discrimen.

111. Resp. negando consequentiam: nam licet vtrique tam attrito, quàm contrito de potentia absoluta possit Deus remissionem venialium negare; adhuc tamen magis contra leges amicitiæ esset, negare remissionem venialium iusto contrito; quàm attrito, non solùm quia contritio est condigna satisfactio ex parte offendentis; sed etiam quia est inchoatio perfectissimæ familiaritatis ex parte iusti, cùm sit actus perfectissimæ amicitiæ, procedens ex puro motiuo dilectionis Dei, cui iuxta leges amicitiæ debetur mutua correspondentia familiaritatis ex parte Dei. Attritio verò non modò non est condigna satisfactio, cùm non retractet peccatum propter Deum, & intuitu ipsius immediatè; sed nec est actus familiaritatis, cùm non procedat ex motiuo dilectionis Dei; sed alicuius boni creati solùm respectum dicentis ad Deum; ac proinde maiori iure remissionem venialis exigit contritio,

Maiori iure contritus exigit remissionem venialis, quam attritus.

Attritio non est condigna satisfactio pro peccato veniali.

contritio, quàm attritio. Quia tamen neutra natura sua formaliter includit familiaritatem Dei, nam hæc non consistit in sola conuersione Dei, qua se conuertit ad iustum, conseruando in illo actum charitatis ab eodem iusto elicitum; sed in collatione specialium auxiliorum successiuè conferendorum; quę auxilia non eo ipso Deus iusto restituit, quò illum diligit vt diligentem se per ipsum actum contritionis; sed posito actu contritionis, adhuc posset illi in futurum negare huiusmodi auxilia in pœnam præteriti peccati.

112. Dices. Hinc sequitur, vel contritionem non esse condignam satisfactionem pro peccato veniali, contra quartam assertionem; vel certè statim ea oblata extingui peccatum veniale. Sequela probatur: nam condigna satisfactio est, quæ absque vlla extrinseca acceptatione offensi adæquatè recompensat offensam: ergo si adhuc oblatam à iusto propter veniale peccatum contritionem posset Deus pro offensa veniali sibi irrogata non acceptare, contritio non erit condigna satisfactio pro veniali; aut si erit, non poterit Deus illam non acceptare: vel etiamsi Deus illam non acceptet, eo ipso quod à iusto in recompensationem offensæ exhibetur, extinguitur offensa, & consequenter peccatum veniale. Sicut in humanis eo ipso extinguitur offensa, quo sufficiens satisfactio pro ea ab offendente offertur, etiamsi ab offenso non acceptetur.

Quæ sit condigna satisfactio.

113. Respondeo negando vtramque consequentiam: & ad probationem dico, condignam satisfactionem illam dici, quæ spectata intrinseca natura satisfactionis, de se æquiualet offensæ, esto aliunde possit ab offenso in recompensationem offensæ non acceptari: quia nimirum potest illa alijs titulis esse debita offenso. Quemadmodum potuit Deus satisfactionem Christi, quæ de se dignissima fuit, & longè excedens offensam per peccatum sibi illatam, pro offensæ recompensatione non acceptare, sed pro alijs titulis sibi debitam exigere. Eadem ratione posset creatus princeps condignam satisfactionem pro illata iniuria sibi oblatam non acceptare, si posset eam alijs titulis exigere. In quo casu non eo ipso censeretur extincta offensa; quo condigna pro illa satisfactio offerretur, esto ab offenso non acceptaretur: quia posset pro alijs titulis ab offenso acceptari: sed tunc tantùm iuxta prudentem, & moralem æstimationem hominum censeretur extincta offensa, quando exhiberetur condigna satisfactio nullis alijs titulis offenso debita: quod de nostra satisfactione oblata Deo dici non potest; eo quod innumeris titulis, ijsque strictissimis sint omnes nostræ actiones Deo obligatæ.

114. Instabis. Contritio non includit specialia auxilia iustum ad diuinam familiaritatem promouentia, quorum auxiliorum voluntariam priuationem includit peccatum veniale habituale: ergo contritio non est condigna satisfactio pro peccato veniali: nam condigna satisfactio tantùm restituit, quantùm abstulit offensa. Confirmatur. Ideò contritio non est condigna satisfactio pro peccato mortali: quia non includit gratiam iustificantem, cuius voluntariam priuationem includit peccatum mortale habituale.

De ratione illius esse vt conuersionē offensi erga offendentem ponat exigitiuè.

115. Respondeo negando consequentiã: ad cuius probationem, dicendum est, de ratione condignę satisfactionis non esse, vt ipsa physicè, & formaliter ponat reconciliatiuam conuersionem offensi erga offendentem; sed tantùm moraliter & exigitiuè. Cùm enim reconciliatiua conuersio offensi erga offendẽtem non pendeat physicè, & formaliter ab offendente; sed ab ipso offenso; est enim vitalis & liber actus ipsius offensi, qui ab alio, quàm ab ipso offenso elici non potest, implicat physicè, & formaliter poni ab offendente; sed sufficit, si ab offendente ponatur tantùm moraliter, & exigitiuè, vt iuxta leges prudentiæ nõ possit offensus suam reconciliatiuam conuersionem offendenti denegare. Contritio igitur à iusto pro suo peccato veniali Deo exhibita, quamuis physicè & formaliter reconciliatiuam conuersionem Dei erga se nõ contineat: quia posset Deus ad iustum contritum non se familiariter conuertere per restitutionẽ specialium auxiliorum in pœnam peccati subtractorum; continet tamen illam moraliter, & exigitiuè, quia iuxta leges mutuæ amicitiæ, quę inter Deum & hominem intercedit, non posset Deus talem conuersionem iusto cõtrito denegare, etsi illam negare posset vt absolutus Dominus: nam sic non tenetur leges amicitiæ cum creatura seruare.

116. Ad confirmationem, longè dispar est ratio de contritione exhibita à peccatore pro offensa mortali, & à iusto pro offensa veniali: tum quia contritio in peccatore non est actus amici, cùm non supponat in contrito amicitiam; proinde iuxta leges amicitiæ non tenetur Deus amicabiliter ad illum se cõuertere; tum maximè, quoniam contritio nequit esse condigna satisfactio pro offensa mortali, sicut potest esse pro offensa veniali: nam mortale includit explicitum, vel implicitum contemptum ipsius Dei boni increati; veniale autem solùm dicit contemptum feruoris charitatis, quod est bonum creatum. Vnde negandum est, ideò formaliter contritionem non esse condignam satisfactionem pro offensa mortali, quia non includit gratiam iustificantem, in cuius priuatione completur macula peccati mortalis: nam etiamsi illam includeret, adhuc non esset pro offensa peccati mortalis condigna satisfactio: siquidem nulla satisfactio puræ creaturæ, quantauis gratia habituali prædita, possit esse condigna pro offensa peccati mortalis; sed quia illa secundùm moralem, & prudentem æstimationem non æquiualet contemptui, & iniuriæ, quam peccatum mortale infert Deo. Quem cõtemptum, & grauem iniuriam quia

Cur contritio non sit condigna satisfactio pro peccato mortali.

non

non infert peccatum veniale, cùm hoc non sit immediatè contra Deum, per separationem ab ipso, tanquam ab amico, & fine vltimo; sed contra aliquod bonum creatum, poterit pro eo contritio iusti secundùm moralem æstimationem esse æquiualēs satisfactio.

Nec attritio nec cōtritio adæquata absterfio venialis.

117. Ex dictis infero, neque attritionem, neque contritionem esse adæquatam peccati venialis maculæ abstersionem, per se sumptā; sed vt coniunctam cū restitutione specialium auxiliorum in odium peccati subtractorum. Fundamentum est: quia neutra per se sumpta formaliter includit familiaritatem Dei, cùm hęc pendeat ab actu diuinæ voluntatis, intuitu attritionis, vel contritionis restituentis iusto pristinam familiaritatem in pœnam peccati subtractam: Et quia macula peccati venialis adæquatè sumpta includit voluntariam priuationem talis familiaritatis, ea non tollitur per solam attritionem, vel contritionem; sed per illam vt coniunctam cum restitutione diuinæ familiaritatis. Quemadmodum nec sola contritio est adæquata abstersio maculæ peccati mortalis; sed vt coniuncta cum infusione gratiæ habitualis, in cuius priuatione consummatur macula peccati mortalis.

Ad satisfactionem necessaria promissio diuina:

118. Infero 2. Necessariam fuisse promissionem diuinam de acceptanda iusti satisfactione pro suo peccato veniali oblata, non quidem ad reddendam illam formaliter condignam, cùm potius supponat illam ex se formaliter condignam; sed vt pro illata offensa recusari non possit, & pro alijs tantùm titulis, quibus eadem creaturę satisfactio Deo obligata est, acceptari.

Quæ etiam supposita non est illa ex iustitia.

119. Infero 3. Satisfactionem, etiam pro peccato veniali cōdignam à iusto Deo oblatam, adhuc posito pacto, & promissione Dei de illa non refutanda, non esse ex iustitia; sed tantùm ex æqualitate, cùm nullum ius transferat in Deum, quod Deus ex se in illam non habeat, tanquam supremus Dominus omnium. quo iure implicat Deum se priuare, illudque in creaturam transferre: vt fusè ostendimus tomo 6. disp. 6. sect. 7.

120. Ad primum argumentum primæ sententiæ, negatur consequentia: ad cuius probationem, distinguendum est antecedens: nulla satisfactio, quæ eget gratia Creditoris concomitanter in ipsa actuali solutione debiti, est condigna, concedo: nulla satisfactio, quę gratia Creditoris eget antecedenter ad solutionem debiti, est condigna, nego. Cęterùm contritio pro veniali offensa à iusto exhibita, etsi gratia Dei creditoris egeat antecedenter; haud tamen gratia creditoris eget concomitanter in ipsa debiti solutione formaliter: nam posito auxilio gratiæ gratis antecedenter collato, contritio iusti intrinsecè, & formaliter est condigna satisfactio ex parte iusti pro peccato veniali, ab eodem iusto commisso. De hac gratia antecedenter requisita explicantur Scripturæ, Concilia, & Doctores, cùm dicunt venialia dimitti, & non solui: quia solui non tam importare videtur condignitatem operis ad debitum secundùm æqualitatem; quàm secundùm iustitiam, quę alios titulos strictiores excludit. Atque ex his patet ad secundum & tertium, ab auctoritate Sancti Thomæ, & oratione Dominica ducta. Ad quartum, negatur minor. Cuius probationis antecedens verum tantùm est de offensa peccati mortalis, non autem venialis, vt ex dictis constat.

Solui importat condignitatem operis ad debitum secundùm æqualitatem.

SECTIO VIII.

An venialia remittantur per formam natura sua incompossibilem cum illis?

121. RAtio dubitandi: quia in sacramento remittuntur per augmentum gratiæ habitualis, quod natura sua non pugnat cum venialibus: Extra sacramenta verò per contritionem, & dilectionem Dei, quę saltem de potentia absoluta stare potest cum venialibus habitualibus; sicut etiam cū mortalibus. In contrarium est; nam alioqui venialia remitterentur per extrinsecum fauorem Dei, quod implicat: quia cùm voluntas Dei extrinseca non mutet intrinsecè obiectum, non potest destruere intrinsecam irrectitudinem & obliquitatem peccati: quia hæc non destruitur, nisi per intrinsecam formam oppositam; sicut curuitas in linea non destruitur, nisi per oppositam rectitudinem.

Suarez.

121. PRIMA sententia Suarij 3. p. tomo 1. disp. 4. sect. 11. & tomo 4. disp. 9. sect. 4. num. 24. & disp. 12. sect. 1. num. 8. & lib. 7. de Gratia cap. 24. negantis, veniale tolli per formam incompossibilem; sed semper admisceri extrinsecum fauorem Dei condonantis, & remittentis peccatum. Fundamentum est: quia nulla forma ex natura sua est incompossibilis cum peccato veniali. Confirmatur: quia minor dispositio requiritur ad remittenda venialia in sacramento; quàm extra: ergo sicut potest per sacramentum suppleri defectus maioris illius dispositionis, quæ requiritur extra sacramentum: ita posset de potentia absoluta suppleri omnis defectus, adeoque remitti sola condonatione extrinseca. Eandem sententiam sequitur Coninck disp. 2. dub. 10. num. 93. & dub. 14. & alij recentiores.

Coninck.

Vasquez.

122. SECVNDA sententia est Vasquez prima secundæ disp. 107. cap. 4. & tertia parte quæst. 87. art. 3. dub. 2. num. 11. affirmantis, venialia semper remitti per formam physicè incōpossibilem, quæ vel est dilectio Dei extra sacramentum, vel gratia habitualis, aut augmentum ipsius in sacramento, data cum respectu, & intuitu attritionis: nam vt sic opponitur venialibus. Fundamentum ipsius est: quia

quia sicut veniale consistit in solo respectu rationis ad actum præteritum nondum retractatum: ita gratia data cum simili respectu rationis pullulante ex actu propriæ attritionis, sufficienter opponitur peccato veniali, quia vt sic est gratia reconciliationis.

123. DICO 1. Nequeunt peccata venialia remitti per extrinsecum dumtaxat fauorem Dei. Vnicum, & me iudice, efficacissimum fundamentum est: quoniam hic fauor extrinsecus non tollit moralem obliquitatem, & irrectitudinem, quam in anima iusti peccatum veniale relinquit: manente autem morali obliquitate, & irrectitudine, manet peccatum; cùm nihil aliud sit peccatis habituale; quàm moralis obliquitas, & irrectitudo; seu macula à præterito actu peccati in animo relicta. Maior probatur: nam hic fauor extrinsecus Dei non est aliud; quã actus ipse Dei liberè terminatus ad creaturam per modum remittentis, & condonantis peccatum. Implicat autem peccatum re ipsâ deleri per extrinsecum dumtaxat actum Dei ad creaturam terminatum: igitur implicat remitti peccatum per solum fauorem Dei. Maiorẽ concedunt aduersarij. Minor, in quâ est difficultas, probatur: quoniã actus solus extrinsecus Dei, cùm non immutet intrinsecè obiectum, non potest tollere intrinsecam irrectitudinem, & moralem maculam, quam peccatum relinquit in anima. Nam hæc non tollitur, nisi per formam moraliter oppositam, forma autem moraliter opposita irrectitudini, & voluntariæ maculę peccati, non est solus actus extrinsecus Dei; sed ex parte peccatoris est actus retractans peccatum, & ex parte Dei restitutio familiaritatis in odiũ peccati venialis subtractæ. Nam illa forma moraliter opponitur alteri formæ, quæ tantùm ponit, quantùm sustulit altera: sed peccatum veniale sustulit à iusto perfectam conformitatem moralem cum lege, & Deo fine supernaturali: quam conformitatẽ nequit re ipsâ conferre solus actus extrinsecus Dei: nam hic non ponit, nisi solam extrinsecam denominationem ab ipso actu extrinseco Dei. Quæ denominatio non tollit habituale voluntarium cum priuatione familiaritatis relictum ex præterito actu peccati: quamdiu autem perseuerat habituale voluntarium cum priuatione familiaritatis ex præterito actu relictum, perseuerat ipsum peccatum veniale.

Quid sit peccatum habituale.

124. Confirmatur 1. Dupliciter potest aliqua forma re ipsâ tolli: vno modo per suspensionẽ physici concursus; alio per formalem incompossibilitatem. Nequit autem peccatum habituale tolli per suspensionem physici concursus, cùm illud physicè à Deo non pendeat: ergo per formalem incompossibilitatem: nequit autem sola extrinseca voluntas Dei tollere per formalem incompossibilitatem habituale peccatum relictum ex peccato actuali præterito: nam sicut hoc dicit essentialem respectum ad propriam volũtatem peccatoris, à qua liberè originatur; ita tolli nequit per solam extrinsecam voluntatem Dei; sed necessariò tolli debet per oppositum actum liberè originatum ab eadem voluntate peccatoris: nam hic tantùm tollere potest respectum illum, quem voluntarium habituale relictum à voluntario actuali præterito includit. Quamdiu enim hoc voluntarium habituale non tollitur, nõ tollitur fundamentum peccati, cũ semper priuatio gratiæ, vel familiaritatis maneat habitualiter voluntaria peccatori. Vnde sicut implicat, perseuerante voluntario actuali peccati præsentis, remitti peccatum actuale: ita implicat, perseuerante habituali voluntario peccati præteriti, remitti peccatum habituale. Et hoc ideo: quia quamdiu perseuerat voluntarium peccati, perseuerat peccatum imputabile peccatori, vel actu, si voluntariũ sit actuale; vel habitu, si voluntarium sit habituale: cũ peccatum sit imputabile peccatori formaliter per ipsius voluntarium. Vnde quamdiu perseuerat voluntarium siue actuale, siue habituale, perseuerat imputabilitas ipsa peccati. Quod voluntarium, cùm consistat in essentiali respectu ad propriam volũtatem, à qua essentialiter dependet: implicat tolli per aliud; quàm per actum oppositum, à propria voluntate elicitum.

Quamdiu voluntarium habituale nõ tollitur, non tollitur fundamentum peccati.

125. Confirmatur 2: Implicat solâ extrinsecâ voluntate Dei, nulla factâ mutatione in creatura, tolli physicam formã ex subiecto: ergo etiã implicat sola extrinsecâ voluntate Dei, nullâ mutatione factâ in creaturâ, tolli formam moralem ex subiecto. Consequentia constat à paritate rationis: nã ita se habet forma moralis, moraliter inhærens subiecto, sicut forma physica physicè inhærens subiecto: ergo si nequit forma physica sola extrinseca voluntate Dei è subiecto tolli, nec poterit sola extrinseca voluntate Dei forma moralis ex eodem subiecto tolli. Antecedens probatur: quia implicat, solâ extrinseca voluntate Dei, nulla facta mutatione in subiecto, vel positiua per productionẽ alicuius formæ; vel negatiua per suspensionẽ physici concursus, tolli aut è pariete albedinẽ, aut ex aëre tenebras: nisi enim vel suspẽdatur physicus cõcursus, quo albedo cõseruatur; vel lux in aëre producatur, impossibile est, vt vel albedo expellatur è pariete, vel tenebræ ex aëre.

Implicat tolli physicam formã è subiecto nulla facta mutatione in creatura.

126. Confirm. 3. Vel extrinseca voluntas Dei tollit maculã peccati, illam amplius ad culpã peccatori nõ imputando; vel re ipsa ex animo peccatoris delendo. Si 1. verè macula peccati re ipsa ex animo peccatoris nõ deletur; sed tantũ non imputatur, vt plerię; nostri tẽporis Hæretici autumãt. Si 2. vel illam delet formaliter per formalem denominationem sui, qua obiectum extrinsecè denominat volitum, amatum, & à Deo dilectum, qua extrinseca denominatione posita, statim cesset macula in subiecto: vel illam delet quasi moraliter efficienter: quia nimirum vi actus diuini terminati ad peccatorẽ per modum condonantis, & remittentis,

statim re ipsâ quasi moraliter efficienter deletur macula peccati ex animo peccatoris. Primum dici non potest: tum quia macula peccati est forma intrinsecè inhærens saltem moraliter subiecto: nulla autem forma intrinseca subiecto reipsa tolli atque expelli potest sola extrinseca forma. Non enim tolli possunt tenebræ ex aëre per solam lucem extrinsecam existentem tantùm in sole: ergo nec macula peccati tolli potest per actum extrinsecum in Deo tantùm existentem. Tum quia, vt vna forma aliam tollat, debet illi opponi: actus autem extrinsecus Dei non opponitur maculę peccatoris: nam hæc consistit in voluntariâ priuatione rectitudinis, & conformitatis debitæ cum regulâ: actus autem liber Dei non est voluntaria rectitudo, & conformitas voluntatis creatæ cum sua regula, sed est tantùm rectitudo, & conformitas ipsius voluntatis increatæ cum regulâ, & dictamine increato. Vnde semper manet voluntaria obliquitas; & moralis difformitas cum suâ regulâ in voluntate peccatoris, donec per oppositam rectitudinem, & conformitatem moralem cum eadem regulâ tollatur.

Nulla forma intrinseca subiecto re ipsâ tolli potest sola extrinsecâ formâ.

127. Neque dici potest secundum: nam delere peccatum quasi efficienter moraliter, non est aliud, quàm ad positionem solius voluntatis Diuinę condonare volentis, nulla facta mutatione in peccatore, tolli ac deleri peccatum ipsum, virtute solius voluntatis Diuinæ extrinsecè condonantis; & contra hoc est: tum quia hęc est aperta petitio principij: nam huius rei petitur ratio, quo pacto possit vi solius extrinsecæ voluntatis Dei re ipsâ, & non tantùm extrinsecâ non imputatione, deleri ac tolli intrinseca macula peccati: tum quia non est intelligibile quòd mera & sola extrinseca voluntas Dei re ipsâ deleat, & abstergat intrinsecam maculam peccatoris. Sicut non est intelligibile, quòd mera, & sola extrinseca voluntas Dei expellat tenebras ex aëre, albedinem ex pariete: cùm sola extrinseca voluntas Dei sit actus immanens intrinsecè denominans Deum volentem, & obiectum extrinsecè volitum, nullam per se ipsum ponens moralem conformitatem, & intrinsecam rectitudinem in obiecto volito.

Non potest dici quod extrinseca Dei condonatio deleat peccatum moraliter efficienter.

128. *Obijcies* 1. Implicat Deum efficaciter velle destrui peccatum, & illud re ipsâ non destrui: igitur solâ extrinsecâ voluntate Dei destrui potest peccatum. Resp. Negando consequentiam. Etenim hoc ipso, quod Deus efficaciter vult destrui peccatum, necessariò adhibet media ad illud destruendum: media autem ad illud destruendum sunt, quæ naturâ sui opponuntur peccato. Quare implicat, Deum efficaciter velle destrui peccatum, & re ipsâ non adhibere media, quæ suaptè naturâ destruunt peccatum: sicut implicat Deum efficaciter velle destrui tenebras, & re ipsâ non adhibere lucem, quæ suaptè naturâ destruit tenebras.

129. *Obijcies* 2. Potest Deus cedere iuri auersionis, & indignationis, quod in peccatorem ratione peccati, patrati acquirit: ergo solâ extrinsecâ voluntate potest peccatum remittere. Antecedens probatur: nam Deus habet liberum dominium super tale ius: ergo liberè potest illud cedere. Consequentia verò primi Enthymematis ostenditur: nam per talis iuris cessionem nil necessariò Deus in peccatore producit: & ex aliâ parte cedendo tali iuri, non potest manere auersus, & indignans erga peccatorem; sed necessariò manet conuersus, & amicus, cùm non possit manere suspensus.

130. Resp. 1. Negando consequentiam, eiusque prioris partis probationem: implicat namque Deum ex auerso, & indignante contra peccatorem, fieri conuersum, & amicum, vel familiarem erga eundem, absque physicâ mutatione peccatoris: cù nequeat liber actus Dei transire de auersione in conuersionem erga peccatorem, absque physicâ mutatione peccatoris, vt latè probo in primo tomo disp. 14. sect. 3.

131. Respondeo 2. Esto possit Deus absque intrinsecâ mutatione peccatoris cedere iuri indignationis, & auersionis, quod habet contra peccatorem: adhuc nego, per talis iuris cessionem re ipsâ tolli peccatum, & maculam à peccatore. Nam per talis iuris cessionem tantùm sequitur, Deum nolle punire peccatorem, nec ab eo pro illata offensâ satisfactionem exigere, non autem tollere intrinsecam maculam, & moralem obliquitatem, quam reliquit culpa in animo peccatoris: nam hæc essentialiter pendet à libera voluntate peccatoris, à quâ sicut liberè causatur: ita liberè destrui debet: quæ libera dependentia maculæ à voluntate peccatoris tolli non potest per liberam dumtaxat voluntatem Dei. Confirmatur: nam sicut Princeps, cedendo iuri suo contra offendentem, non tollit moralem obliquitatem, & intrinsecam deformitatem, quam offensa ipsa reliquit in animo offendentis: sed solùm ius puniendi, & condignam satisfactionem pro illata iniuria exigendi.

Deus cedens iuri indignationis non tollit peccatum.

132. *Obijcies* 3. Sicut potest Princeps cedendo iuri suo, acceptare offendentem in pristinam gratiam, & amicitiam; ita poterit Deus: sed implicat Deum peccatorem acceptare in pristinam gratiam, & amicitiam, vel familiaritatem, & illi peccatum non remittere: ergo potest Deus per solam cessionem iuris peccatum remittere.

133. Respondeo. Negando paritatem. Ratio discriminis est: quia Princeps acceptat offendentem in pristinam gratiam, & amicitiam per solam mutationem sui, non autem per mutationem obiecti. Quo fit, vt voluntas principis, nihil causando in offendente, possit per solam mu-

Cur Princeps possit offendentem acceptare in pristinam gratiam cedendo iuri, non Deus.

tationem

rationem sui actus acceptare illum in pristinam amicitiam & familiaritatem. Deus autem nequit peccatorem in pristinam amicitiam, vel familiaritatem acceptare, quin illi peccatum remittat: quia cùm id nequeat Deus neque per mutationem sui, neque per formam suapte naturâ non destructiuam pecccati, necessariò, si peccatorem in pristinam amicitiam, vel familiaritatem acceptat, debet illi peccatum remittere.

134. DICO 2. Nequeunt peccata venialia remitti vel per quamcunque contritionem, & dilectionem Dei extra Sacramentum; vel per gratiam habitualem; vel augmentum ipsius datum cum respectu, & intuitu attritionis tanquã dispositionis in Sacramento. Tota hæc assertio est contra Vasquez supra citatũ. Cuius prior pars probatur: quia non quæuis contritio, aut dilectio Dei est forma incompossibilis cum peccato veniali: ergo non per quamcunque contritionem, aut dilectionem Dei delentur peccata venialia extra Sacramentum. Consequentia patet: nam venialia non delentur in sententia Vasquez, nisi per formam incompossibilem: ergo si non quæuis contritio, aut dilectio Dei est forma incompossibilis cum peccato veniali, sequitur, non per quamcunque contritionem, aut dilectionem Dei deleri peccata venialia extra Sacramentum. Antecedens probatur: nam illa est forma incompossibilis peccato veniali, quæ cum illo esse nequit: sed datur aliqua contritio & dilectio Dei, quæ cum peccato veniali esse potest, qualis esset contritio & dilectio, quæ detestaretur aliqua tantùm peccata venialia: igitur non omnis contritio, aut dilectio Dei est incompossibilis cum peccato veniali. Minor constat ex supra disputatis, vbi probauimus, posse nos per contritionem detestari vnum peccatum veniale, non detestatis cæteris: immò posse nos detestari vnum, retentâ complacentiâ ad reliqua.

Contra Vasquez.

Non quæuis contritio est forma incõpossibilis cũ peccato veniali.

135. Posterior assertionis pars probatur. Primò; quia non videtur, quo pacto gratia habitualis, vel eius augmentum, etiam datum intuitu attritionis tanquam dispositionis, sit forma suaptè naturâ incompossibilis cum peccato veniali. Nam per hoc nihil reale acquirit gratia habitualis, ipsomet Vasquez teste; sed solùm purum respectum rationis ad præteritum actum attritionis. Quare si ex se gratiâ habitualis, vel eius augmentum nullam dicit incompossibilitatem cum peccato veniali, vt ipsemet fatetur, neque illam dicere poterit data cum respectu, & intuitu attritionis: quia per talem respectum gratia non mutatur intrinsecè; cùm tamen deberet per intrinsecam repugnantiam peccatum veniale expellere; quia expellit illud vt forma suapte naturâ incompossibilis cum illo. Confirmatur: quia per Vasquez neque gratia habitualis ex se, neque attritio ex se dicit vllam repugnantiam cum peccato veniali; ergo neque cum illo respectu rationis, cùm talis respectus rationis neque gratiam, neque attritionem intrinsecè mutet.

Per superadditum respectum rationis gratia non mutatur intrinsecè.

136. Secundò. Si per Vasquez augmentum gratiæ habitualis, datum intuitu attritionis tanquam dispositionis in Sacramento, est forma suapte naturâ expulsiuâ peccati venialis; cur non etiam attritio iusti cum respectu ad augmentum gratiæ recipiendum in Sacramento? Confirmatur: nam in eius sententiâ potest Deus de potentiâ absolutâ remittere peccatum mortale per solam infusionem gratiæ habitualis, absque vllo actu retractatiuo peccatoris: cur igitur in ipsius sententiâ non poterit de potentiâ absolutâ remitti peccatum veniale per solam infusionem augmenti gratiæ habitualis, cum aliquo respectu ad reconciliationem peccatoris dati, absque vllo actu retractatiuo peccatoris?

137. Tertiò demum probatur contra Vasquez: quoniam peccatum veniale non includit priuationem gratiæ habitualis, vel augmenti ipsius; sed peculiarium auxiliorum, quæ iustum excitabant, & promouebant ad familiaritatem Dei, vt mox probabimus: igitur forma deletiua peccati venialis non potest esse gratia habitualis, vel eius augmentum: nam illa est forma deletiua peccati, in cuius priuatione consistit macula peccati: igitur si macula peccati venialis non consistit in priuatione gratiæ habitualis, vel augmenti ipsius, non poterit forma expulsiua venialis esse gratia habitualis, vel augmentũ ipsius, quocunque tandem respectu huiusmodi augmentum detur.

Peccatum veniale non includit priuationẽ gratiæ habitualis.

137. DICO 3. Forma, quâ peccata venialia remittuntur, est efficax retractatio ex parte peccatoris, & restitutio specialium auxiliorum, quæ in odium peccati venialis à iusto subtracta fuere. Fundamentum est: quoniam per eam formam remittitur peccatum veniale, quæ illi opponitur: forma autem, quæ peccato veniali opponitur, est efficax retractatio ex parte peccatoris, & restitutio specialium auxiliorum ex parte Dei: igitur per eam remittitur peccatum veniale. Maior patet: nam peccatum remitti, ac deleri reipsâ; & non solùm per extrinsecam non imputationem, est, per oppositam formam tolli quidquid habet rationem peccati, & moralis maculæ. Minor probatur: nam peccatum veniale tria includit; voluntariam difformitatem ad legem, priuationem specialis familiaritatis cum Deo, & aliquam offensam contra Deum ex his resultantem. Atqui difformitas à lege tollitur per efficacem retractationẽ peccatoris; priuatio familiaritatis cum Deo per restitutionem specialium auxiliorum, quibus iustus redintegratur in pristinam familiaritatem Dei; offensa verò tollitur hoc ipso, quod Deus per specia-

lia auxilia conuertitur ad iustum, vt familiaris: implicat enim Deum conuerti ad iustum vt familiarem, & adhuc manere illi offensum odio opposito familiaritati.

Triplex genus diuinorum auxil.

139. Pro explicatione huius assertionis notandum, triplex genus auxiliorum distingui, alia, quæ dantur peccatoribus, vt possint ad Deum se conuertere; alia, quæ dantur iustis & amicis, vt possint à venialibus culpis se liberare; alia demum, quæ dantur intimis familiaribus Dei. Ergo sicut per peccatum mortale auferuntur simul cum gratiâ habituali auxilia debita iustis, & amicis Dei, relictis tantùm ijs, quæ necessaria sunt ad conuersionem in Deum; ita per peccatum veniale subtrahuntur auxilia debita familiaribus Dei, relictis tantū auxilijs, quę dantur communibus iustis, & amicis, vt possint se ad pristinam familiaritatem reducere. Porrò hæc specialium auxiliorum priuatio iustum excitantium, & promouentium ad intimam familiaritatem cum Deo, vt est voluntaria peccatori habet rationem peccati, & moralis maculæ, vt physicè est à Deo, habet aliquam rationem odij & auersionis Dei à iusto; ac proinde nisi restituantur, peccatum veniale re ipsa non remittitur: non secus ac de priuatione gratiæ habitualis in 3. tom. disp. 24. philosophati sumus: quę, vt est voluntaria peccatori, habet rationem peccati, & maculæ; vt physicè est à Deo, habet rationem odij, & auersionis inimicitiæ à peccatore, qui nisi illam restituat, peccatum mortale non remittit.

Priuatio specialium ut est voluntaria habet rationē maculæ: vt à Deo, auersionis.

Conclusio quarta.

140. Dico 4. Hæc forma adæquatè sumpta est incompossibilis etiam de potentiâ absolutâ cum peccato veniali. Fundamentum est: quia implicat, & iustum efficaciter retractare peccatum veniale, & Deum pristinam familiaritatem in odium peccati venialis iusto subtractam restituere, & peccatum veniale re ipsâ non deleri: ergo hæc forma adæquatè sumpta est incompossibilis, etiam de potentiâ absolutâ cum peccato veniali. Consequentia elucet. Antecedens probatur. Nam si restitutis auxilijs, & familiaritate in odium peccati venialis subtractâ, adhuc perseuerare posset peccatum veniale, posset Deus iustum simul amare vt familiarem, & non amare vt familiarem: quod implicat. Sequela probatur: nam per restitutionem pristinæ familiaritatis Deus necessariò amaret iustum vt sibi familiarem, cùm nequeat Deus non amare obiectum iuxta ipsius amabilitatem: contrà verò non posset Deus eundem iustum non odisse odio opposito familiaritati, perseuerante in eo peccato veniali, cùm nequeat Deus non odisse obiectum iuxta propriam ipsius odibilitatem: sed macula peccati venialis includit voluntariam priuationem familiaritatis cum Deo: ergo illud Deus necessariò odit odio opposito suæ familiaritati. Quod autem hoc implicet, facilè ostenditur: nam amando iustum vt familiarem, necessariò ei communicat suam familiaritatem; cùm non possit amare, nisi communicando obiecto illam formam amabilitatis, iuxta quam illud amat, cùm tota specificatio liberi actus in Deo sumatur ex obiecto, ad quod liberè tendit. Contrà verò odio habendo, odio opposito suæ familiaritati, necessariò ab eodem iusto subtraheret suam familiaritatem; quia non potest odisse, nisi per eam mutationem obiecti, quæ sit condigna odio Dei: ergo simul communicaret, & tolleret ab eodem iusto suam familiaritatem: quæ sunt manifestè contradictoria.

Tota specificatio liberi actus in Deo sumitur ex obiecto.

141. Confirmatur: nam ideo in meâ sententiâ implicat gratia, & peccatum mortale, simul: quia per gratiam Deus necessariò peccatorem amaret amore amicitiæ, quo exigit amari gratia; & simul necessariò odisset odio inimicitię, quo odibile est peccatum mortale, & consequenter eidem simul communicaret, & subtraheret eandem gratiam: communicaret, amando illum amore amicitiæ: subtraheret, eundem habendo odio inimicitię. Pari ergo ratione implicabit, amare iustum amore perfectæ familiaritatis per communicationem specialium auxiliorum, & simul odisse odio opposito perfectæ familiaritati per subtractionem eorundem auxiliorum.

142. *Obijcies* 1. Posset Deus restituere auxilia iusto ex motiuo tantùm liberalitatis, non ex motiuo reconciliationis; sed in eo casu restituendo auxilia, non remitteret peccatum: quoniam vt illud remittat, requiritur, vt subtracta auxilia restituat ex motiuo reconciliandi se cum peccatore. Maior probatur: quia potuit Deus ante vllum commissum peccatum eadem numero auxilia iusto dare ex motiuo liberalitatis; ergo etiam post commissum peccatum.

143. Respondeo negando maiorem, propter implicantiam supra assignatam: quoniam simul amaret amore familiaritatis, & odisset odio opposito familiaritati. Ob eandem rationem non posset Deus restituere gratiam habitualem peccatori contrito ex puro motiuo liberalitatis, & nullo pacto ex motiuo reconciliationis: quoniam illum simul amaret amore amicitiæ, & odisset odio inimicitiæ: cùm non possit Deus formam, quam in obiecto ponit, non amare amore debito tali formæ. Quare concedendum est, posse, imò de facto semper Deum gratiam peccatori restituere ex motiuo liberalitatis: quia posset illam, quocunque actu peccati retractatiuo posito, non restituere; haud tamen potest illam simul non dare ex motiuo reconciliationis: quia non potest illam donando, peccatorem non amare amore amicitiæ, ac proinde non deponere odium inimicitiæ contra peccatorem conceptum. Ad probationem verò maioris, negatur consequentia: quoniam ante commissum peccatum nullam repugnantiam habet iustus ad reci-

Nequit Deus restituere contrito gratiam habit. ex puro motiuo liberalitatis & non reconciliationis.

piendam

piendam familiaritatem Dei ex solo motiuo liberalitatis; cùm nullum habeat peccatum, quod cum familiaritate Dei pugnet.

144. *Obijcies* 2. Potest Deus efficaci[...] venialia retractanti non remittere: ergo forma, quâ venialia remittuntur, non est cum illis incompossibilis. Consequentia probatur: nam forma, quâ venialia remittuntur, integratur ex efficaci retractatione peccatoris, & restitutione familiaritatis Diuinæ. Antecedens patet: nam sicut potest Deus peccatori contrito non restituere gratiam iustificantem in odium peccati mortalis subtractam; ita potest iusto attrito, vel contrito non restituere familiaritatem in odium peccati venialis subtractam.

Forma venialis remissiua adæquatè est incompossibilis cum veniali.

145. Resp. Distinguendo consequens: forma venialis remissiua adæquatè sumpta pro retractatione peccatoris & restitutione diuinæ familiaritatis non est cū peccato incompossibilis, nego; inadæquatè sumpta pro sola retractatione peccatoris, concedo. Sicut forma, quâ remittitur peccatum mortale, est incompossibilis cum ipso peccato mortali, non inadæquatè sumpta pro solâ retractatione peccatoris; sed adæquatè accepta tam pro retractatione peccatoris: quā pro infusione gratiæ iustificantis.

146. Cæterùm etsi absolutè possit Deus efficaciter retractanti venialia non remittere, ex suppositione tamen promissionis, & pacti cum iustis initi de venialibus remittendis, nequaquam potest. Hoc autem pactum non obscurè colligitur ex Trident. sess. 14. c. 5. docente, peccata venialia, vtpote quotidiana, multis alijs remedijs quàm Sacramēto pœnitentiæ expiari posse. Quæ concilij doctrina necessariò supponit promissionem, & pactum Dei cum iustis de condonandis illis peccatis venialibus extra confessionem. Porrò hæc promissio, & pactum Dei de condonandis venialibus iustis extra confessionem posita efficaci retractatione illorum, non pendet ex purâ, & merâ extrinseca voluntate Dei, sed fundatur in ipsa intrinsecâ lege amicitiæ, quę connaturaliter exigit, vt semper amicus sit promptus acceptare amicum ad pristinam familiaritatem, & intimā communicationem secretorum, à quâ per leues offensas alter amicus recessit, quoties offendens offensas efficaciter retractat. Vnde quamuis iusti retractatio non cogat absolutè Deum ad illam pro condonandis venialibus acceptandam, naturaliter tamen exigit, vt acceptetur.

Tridentinū

Iusti retractatio connaturaliter exigit acceptari.

147. Dices. Si naturaliter exigit; ergo necessariò illam Deus acceptat, cùm necessariò feratur in obiectum iuxta naturalem exigentiam ipsius obiecti. Resp. Negando consequentiam: nam hinc tantùm sequitur, Deum necessariò amare exigentiam ipsam retractationis, & terminum qui naturaliter exigitur, nō vt actu positum; sed vt possibilem. Sicut necessariò amando gratiam habitualem vt exigitiuam gloriæ, non necessariò amat illam in ordine ad gloriam actu positam, vel ponendam; sed tantùm vt possibilem. Eadem ratione necessariò amando suam omnipotentiam, non necessariò amat illam in ordine ad creaturas, cum quibus habet necessariam connexionem, vt actu existentes; sed tantùm vt possibiles.

148. *Obijcies* 3. Peccata venialia non solùm remittuntur extra Sacramentum confessionis per contritionem; sed etiam per attritionem. Atqui attritio simul cum restitutione familiaritatis Diuinæ non opponitur adæquatè peccato veniali: quia peccatum veniale præter difformitatem cum lege, & priuationem familiaritatis Diuinę; includit aliquam offensam Dei, quę per attritionem non tollitur, cùm hæc peccatum non retractet intuitu Dei offensi, quo pacto tantùm tollitur offensa per peccatum veniale illata Deo.

149. Resp. Distinguendo minorem: attritio simul cum collatione familiaritatis nō opponitur offensæ Diuinæ per modum condignæ satisfactionis, concedo, per modum formę incompossibilis, nego. Etenim hoc ipso, quod Deus restituendo iusto pristinam familiaritatem deponit odium contra illum, necessariò tollitur offensa, cùm nequeat Deus deponere odium contra peccatorem, & simul manere offensus illi, cùm formaliter Deus maneat infensus peccatori per odium contra illum. Confirmatur: nam eodem modo gratia habitualis vnà cum efficaci retractatione peccatoris opponitur offensæ Diuinæ, non per modum condignæ satisfactionis; sed per modum incompossibilis formæ: quia hoc ipso, quod Deus restituit gratiam habitualem, quę est vera amicitia, & adoptio, peccatori, deponit odium inimicitiæ contra illum conceptum, quo deposito, necessariò cessat offensa.

Attritio simul cum collatione familiaritatis opponitur offensa Diuina per modum formæ incompossibilis.

150. Instabis. Saltem hinc sequitur, peccatum veniale non remitti absque aliquo extrinseco fauore Dei, sponte cedentis iuri quod ratione offensæ acquirit in peccatorem. Resp. Negando sequelam: nam cùm talis offensa per peccatum veniale Deo illata necessariò tollatur per collationem specialium auxiliorum, quæ intrinsecè inhærent iusto, dici non potest tolli extrinseco fauore Dei: nam extrinsecus fauor est, qui nullam intrinsecam formam ponit in obiecto. Sicut neque dicitur peccatum mortale quoad offensam cōtra Deum remitti extrinseco fauore, etiamsi forma remittens peccatum mortale de se non sit condigna satisfactio pro illo: sufficit enim adhoc vt non dicatur offensa extrinseco fauore remitti, à formâ peccati remissiuâ, vt talis forma huiusmodi fauorem non modò connaturaliter; sed etiam essentialiter exigat. Atqui tam infusio gratiæ habitualis, per quam remittitur mortale; quàm collatio familiaritatis Diuinæ, per quam remittitur veniale, essentialiter includit depositionem odij Dei contra peccatorem, ac proinde offensæ condonationem, quę cum depositione odij Dei contra

contra peccatorem consistere non potest.

151. *Obijcies* 4. Nihil intrinsecum acquirit retractatio iusti per coniunctionem cum restitutione familiaritatis Diuinæ: ergo si absque illâ non est incompossibilis forma cum peccato veniali, neque erit simul cum illâ. Confirmatur: nam ideo assertione secunda contra Vasquez docuimus, non posse venialia remitti per augmentum gratiæ intuitu attritionis in Sacramento datum; quia nihil intrinsecum acquirit vel gratia per respectum ad attritionem; vel attritio per respectum ad gratiam.

152. Resp. Negatur antecedens: nam per coniunctionem cum familiaritate diuinâ, cum quâ componit vnam formam adæquatè remissiuam peccati venialis, acquirit incompossibilitatem cum odio Dei contra veniale concepto, quam ex se non habebat. Nec est par ratio de augmento gratiæ dato intuitu attritionis in Sacramento: nam neque attritio ex se, neque augmentum gratiæ, & consequenter neque totum conflatum ex attritione, & augmento gratiæ habet incompossibilitatem cum peccato veniali. At licet attritio seorsim sumpta non habeat incompossibilitatem cum veniali; habet tamen coniuncta cum familiaritate Diuinâ, cùm hęc repugnet cum odio Dei opposito familiaritati, & consequenter cum peccato veniali, quod necessariò extinguitur, deposito odio Dei contra illud, cùm nequeat peccatum esse, & actu à Deo non odio haberi.

153. *Obijcies* 5. Tunc remittitur peccatum, quando infunditur forma opposita peccato: sed specialia auxilia; quæ sunt forma opposita peccato veniali, non infunduntur, quando ponitur efficax retractatio iusti, quia illa non infunduntur statim, & omnia simul; sed successiuè, & tempore opportuno: ergo peccatum veniale non remittitur statim atque illud iustus retractat: sed quādo ei infunduntur specialia auxilia. Confirmatur. Peccatum mortale non remittitur, quando ponitur retractatio peccatoris; sed quando à Deo infunditur gratia iustificans, quæ in odium peccati fuit sublata: ergo nec veniale, nisi quando à Deo conferuntur specialia auxilia, quæ in odium ipsius fuerunt sublata.

Positâ retractatione iusti conferuntur specialia auxilia iure & virtute.

154. Resp. Cum distinctione minoris: quando ponitur retractatio iusti, non conferuntur specialia auxilia, actu & formaliter, concedo; iure & virtute, nego. Posita enim efficaci retractatione in iusto, statim ex pacto & promissione Dei iustus acquirit infallibile ius ad omnia ea auxilia, quæ in odium peccati fuerunt subtracta, ac proinde tunc remittitur peccatum veniale. Ad confirmationem, negatur consequentia. Ratio discriminis: quoniam peccatum mortale de facto non dicit solam priuationem iuris ad gratiam sanctificantem, sed priuationem ipsiusmet gratiæ sanctificantis. Vnde nisi restituatur gratia ipsa sanctificans de facto non remittitur mortale. Veniale vero solùm dicit actualem priuationem iuris ad specialia auxilia, non autem actualem priuationem ipsorúmet auxiliorum quoniam hæc non supponuntur omnia simul collata, & inhærentia iusto; sed successiuè tantum conferenda. Vnde solùm ius habet iustus ad ea accipienda opportuno tempore. Sicut igitur peccatum veniale non priuat iustum specialibus auxilijs actu simul collatis; sed successiuè conferendis: ita forma remissiua peccati venialis non sunt auxilia actu collata, & simul existentia: sed ius ad illa suo tempore accipienda. Sicut quia peccatum mortale non priuat peccatorem gloria actuali; sed futura, forma remissiua mortalis non est gloria actualis; sed ius ad gloriam futuram. Dixi, *de facto*: quia potuisset de possibili Deus iustificare peccatorem etiam à culpa mortali per solùm ius ad gratiam; sicut de facto illum à mortali iustificat per solùm ius ad gloriam futuram: quia potuisset Deus tam gloriam, quàm gratiam promittere dandam in futuro, & per actum retractationis solùm conferre ius ad gratiam, & gloriam futuram: in quo euentu peccator iustificatus fuisset per solùm ius ad gratiam.

155. *Obijcies* 6. Non apparet, in quo tale ius fundetur. Non in auxilio antecedente retractationem: nam ante retractationem non remittuntur venialia: hæc enim, cùm remittantur intuitu ipsius retractationis, remitti non possunt ante retractationem. Neque in auxilio comitante actum ipsum retractationis: nam hoc auxilium, cùm sit causa ipsius actus, est enim causalitas ipsius, non potest fundare ius, quod datur intuitu eiusdem actus. Nec demum fundari potest in actu ipso retractationis: quia cùm hic sit causa mouens Deum ad restituendum ius subtractæ familiaritatis, non poterit simul ius fundare, alioqui esset simul causa, & effectus respectu eiusdem. Esset causa restituti iuris ad Diuinam familiaritatem, quatenus per intrinsecam suam bonitatem Deum moueret ad tale ius restituendum: esset effectus, quatenus idem actus esset ipsum ius collatum & restitutum virtute ipsiusmet actus.

156. Respondeo hoc ius proximè fundari in ipsâ promissione, & pacto Dei inito cū iustis. Hoc ipso enim, quod iustus retractat veniale, ex decreto Dei acquirit ius ad sublata auxilia suo tempore accipienda. Ex dictis deducitur quo pacto iustus simul habeat paratum auxilium ad venialia detestanda, & nihilominus suo demerito priuatus sit specialibus auxilijs ad familiaritatem diuinam: quia auxilia ad detestanda venialia non sunt eadem, quæ conferuntur in ordine ad familiaritatem Diuinam: sunt enim hæc vberiora, & frequentiora: nā præterea quibus venialia detestamur, sunt alia illustriora, quibus creator intimiùs communicat se creaturæ, & vicissim creatura Deo per varios affectus reuerentiæ, & amoris.

SECTIO IX.

An & quomodo venialia remittantur in aliâ vitâ?

Alensis.

157. PRIMA sententia Alens. 4. parte q. 15. mem. 3. a. 3. §. vlt. Negantis venialia remitti post hanc vitam, sed in termino continuatiuo vitæ & mortis. Fundamentum, quia post hanc vitam non est tempus merendi, & satisfaciendi pro peccatis, iuxta illud Ioannis 9. *Me oportet operari opera eius, qui misit me, donec dies est; veniet nox, quando nemo potest operari.* Per diem autem Patres intelligunt tempus vitæ præsentis, per noctem verò futuræ. Confirmatur, alioqui remitti etiam possent mortalia, contra illud Ecclesiastes 11. *lignum in quocunque loco ceciderit ibi erit.*

Ioannis 9.

Eccles. 11.

158. SECVNDA sententia Magistri in 4. dist. 21. & omnium Scholasticorum affirmantium. Colligitur ex Matth. 12. *Qui peccauit in Spiritum sanctum, non remittetur ei neque in hoc sæculo, neque in futuro.* Ex quo Patres præcipuè Greg. lib. 4. Dialogorum cap. 39. deducunt esse aliqua peccata, quæ remittuntur in alio sæculo. *In qua*, inquit, *sententia datur intelligi quasdam culpas in hoc sæculo, quasdam vero in futuro posse Laxari.* Fundamentum: quia potest aliquis ex hac vitâ decedere cum solis venialibus: nemo autem poterit nisi purgatus ab omni peccato gloriam ingredi: ergo dari debet modus, quo possint hæc post mortem remitti. Tota controuersia superest de modo, & quando post mortem remittantur.

Magister.

Matth. 12.

S. Gregor.

159. Primus modus Scoti in 4. dist. 21. q. 1. §. *in ista quæstione*, Bassol. qu. 1. a. 2. Gabr. dist. 16. q. 5. a. 3. dubio 2. ad 1. & 2. Maior. q. 1. affirmantium, remitti in purgatorio per solutionem pœnæ; vel, vt docet Scotus, per ipsam mortem voluntariè acceptatam. Fundamentum: quia veniale consistit in reatu pœnæ temporalis: ergo eâ solutâ, soluitur peccatum. Hic modus falso nititur fundamento sæpè à nobis suprà impugnato.

Scotus
Bassolus
Gabriel
Maior.

160. Modus 2. Scoti, & Bass. docentium, remitti in instanti mortis non per actum tunc elicitum; quia tunc homo est extra statum viæ, ac proinde extra statum merendi, & satisfaciendi; sed per merita facta in vita, relata ab ipso merente, vel à Deo ad remittenda hæc venialia post mortem. Sed contrà, quia peccatum nequit remitti, nisi retractetur; nequit autem retractari peccatum præsens per retractationem præteritam, alioqui possemus ordinare præsentem contritionem pro remissione peccati mortalis in futurum committendi. Cuius ratio est: quia hoc ipso, quod peccamus, retractamus præteritam retractationem in ordine ad præsens peccatum: ergo non potest per præteritam contritionem, etiam ab ipso pœnitente ordinatam ad præsens peccatum, præsens peccatum remitti. Antecedens constat: quia sicut præsens contritio retractat præterita peccata; ita præsens peccatum præteritam contritionem, non quidem quoad præterita peccata remissa, quia illa nunquam redeunt; sed quoad peccatum præsens, quia non minùs peccatum præsens opponitur præteritæ contritioni, quàm præsens contritio præterito peccato. Cōsequentia etiam patet: quia nequit peccatum remitti, nisi retractetur.

Scotus
Bassolus.

161. Tertius est aliquorum apud Bonau. in 4. dist. 21. a. 2. q. 1. & S. Thom. q. 1. a. 3. opinantium, venialia remitti post mortem per ipsam gratiam finalem, quæ, sublato fomite carnis, & pronitate ad peccãdum, quam anima contrahebat ex vnione ad corpus, statim remittit venialia, tranquillando potentias, & subijciendo illas perfectæ rationi. Sed contrà, quia cum gratiâ finali non pugnant venialia, at hæc remitti debent per aliquid sibi repugnans; ex eo autem quod gratia sublato impedimento corporis, ordinet potẽtias animæ, solùm facit, vt tollat pronitatem ad peccandum in futurum, non autem, vt tollat peccatum præteritum.

Apud Bonau. & S. Thomam.

162. Quartus Bonauent. supra citati S. Thomæ q. 7. de malo a. 11. ad 16. Durandi in 4. dist. 21. q. 1. Aureoli a. 1. Richardi a. 2. q. 1. Argent. a. 4. ad 2. Soti dist. 15. q. 2. a. 2. aientium, venialia post mortem remitti in purgatorio per pœnas ipsas purgatorij patienter toleratas. Addit S. Thomas citato loco de malo: probabilius esse, ea statim remitti. Sed contrà: quia nullum est impedimentum, quin statim post mortem remitti possint per actum feruentis dilectionis in Deum.

Bonauent.
S. Thomas
Durandus
Aureolus
Richardus
Argentinas
Sotus.

163. Quintus, & *probabilior modus est* Palud. in 4. dist. 21. q. 1. a. 2. conclus. 3. Capreol. q. 1. a. 1. c. 1. Palatij disp. 1. Henriquez li. 4. de Sacramentis c. 15. num. 9. Suarez disp. 11. sect. 4. Vasquez 3. p. q. 87. a. 1. dubio 2. num. 17. affirmantium, venialia remitti statim in instanti separationis animæ à corpore per actum feruentis Charitatis, quo anima toto cõnatu fertur in Deum, detestando omnes suas culpas veniales contractas, & non dum remissas. Quem modum vt probabilem etiam sequuntur Scotus, & Bass. supra citati.

Modus verior.
Paludanus
Capreolus
Palatius
Henriquez
Suarez
Vasquez.

Scotus
Bassolus.

164. Fundamentum est: quia anima statim è corpore separata agnoscit suas culpas vt impedimentum ad gloriam, & perfectam familiaritatem cum Deo: & ex aliâ parte nullum habet impedimentum, quo possit à perfectâ detestatione eorum retardari: ergo statim detestatur; quâ detestatione positâ, statim Deus restituit animæ peculiaria auxilia ad perfectam familiaritatem sui, per quã auxiliorum restitutionem completur remissio venialium ex parte Dei: at totum hoc fieri potest, antequam ingrediatur purgatorium; in quo tantùm purgantur pœnæ ex præteritis peccatis relictæ: ergo.

165. DICES. Quid si anima nollet præteritas

teritas culpas detestari? Resp. aut nollet pro nunquam, aut pro certo tempore; si pro nunquam, peccaret mortaliter: quia vellet in perpetuum carere beatitudine, quod est mortale. Verùm hoc implicat in animâ separatâ quæ sicut non potest mereri, ita nec demereri: si pro certo tempore, nullum puto fore peccatum: quia non statim tenetur ad venialia nondum remissa detestanda. Casus tamen est moraliter impossibilis: quia nulla est ratio, quæ posit animam retardare à subitâ detestatione venialium, & multæ sunt, quæ illam impellunt ad statim detestandum.

166. Ad primam sententiam. Resp. aut illud instans est intrinsecum vitæ; aut intrinsecum morti, implicat enim esse intrinsecum vtrique simul, cùm nequeat vita, & mors, quæ sunt contradictoria, simul esse in eodem instanti. Si secundum, labitur in nostram sententiam: si primum, contra est: quia cùm adhuc anima in eo instanti sit in viâ, posset venialiter peccare; cùm igitur in eodem instanti non posit quis peccare, & peccatum simul retractare, assignandum est aliud tempus, in quo possit tale peccatum remitti, quod aliud esse non potest; quàm instans intrinsecum morti: quod est terminus viæ, in quo potest anima de venialibus pœnitere; non tamen ampliùs venialiter peccare: quia, vt docet Richardus; sicut mali in termino obstinantur in malum, vt non possint ampliùs bonum velle, licet possint velle malum; ita boni confirmantur in bonum, vt non possint ampliùs malum velle, quamuis possint velle bonum; & sicut obfirmatio in malum non tollit posse malum velle; sed solùm tollit posse bonú velle; ita confirmatio in bonum non tollit posse velle bonum; sed solùm posse velle malum.

Peccata venialia in vitâ non retractata remittuntur in instanti intrinseco mortis. Richardus.

167. Ad fundamentum eiusdem sententiæ, concedo, post vitam non esse tempus merendi præmium essentiale, esse tamen tempus satisfaciendi pro culpis venialibus: sicut & satisfaciendi pro pœnis. Fuit autem hoc necessarium animæ decedenti ex hac vitâ cum gratiâ, vt posset à se tollere impedimentum, quod ipsam retardaret à consecutione gloriæ, quæ illi debetur ratione gratiæ: & quia venialia tolli nequeunt sine actu retractatiuo proprio, necessarium fuit, vt posset anima post mortem sua peccata venialia retractare; sicut & pro pœnis in purgatorio satisfacere. Est autem discrimen inter culpam & pœnam: quia potest pro pœnâ solâ pœnæ tolerantiâ satisfieri: quia pœna naturâ suâ est inuoluntaria, non potest autem pro culpa sine proprio actu libero peccatoris satisfieri: quia sicut peccatum essentialiter consistit in actione liberâ; ita remitti nequit sine oppositâ actione libera retractatiuâ.

Necessarium fuit animæ ex hac vita decedenti posse retractare venialia.

Discrimen inter culpã, & pœnam.

168. Ad confirmationem, disparitas est: quia mortale tollit gratiam, & amicitiam Dei, quam non tollit veniale, proinde debetur animæ iustæ in termino positæ auxilium ad detestanda venialia, quæ illam retardant à gloriâ; non autem animæ iniustæ, cui, quia caret gratiâ & amicitiâ Dei, nullum debetur auxilium ad sua peccata detestanda.

DISPVTATIO VII.

De reditu peccatorum per pœnitentiam dimissorum.

1. EXPLICATA natura, & principali effectu pœnitentiæ, quæ est remissio peccatorum, explicanda est irreuocabilitas talis effectus: de quâ duplex est quæstio: vna de facto, an peccata per pœnitentiam remissa, de facto redeant per subsequens peccatum: Altera de possibili, an saltem ea redire possint de potentiâ absolutâ. Vtramq; disputabimus: & quoniam in peccato duo sunt, culpa, seu macula; & reatus, seu dignitas pœnæ, controuersia, prout de facto à Catholico disputatur, non est quoad reditum culpæ; sed pœnæ, vt notatunt Gratianus dist. 4. de pœnit. can. *qui recedit*, & Palat. in 4. dist. 22. disp. 1. §. *porrò*. Omnes enim Catholici concordant, peccata semel dimissa, non posse saltem de lege ordinariâ quoad culpam redire. An verò redire possint de potentiâ absolutâ, infrà.

Grianus. *Palatius.*

SECTIO I.

An de facto peccata dimissa redeant per subsequens peccatum?

2. PRIMA sententia Gratiani distinct. 4. Canone citato, & de consecratione distinct.

Gratianus.

distinct. 4. cap. *Quomodo*, in fine affirmantis. Citantur Hugo Victorinus lib. 2. de Sacramentis parte 14. cap. 9. & Guilielmus Parisiensis tract. de Sacramentis fol. 45. columna 3. Magister verò in 4. dist. 22. adductis auctoritatibus vtriusque sententiæ, iudicium relinquit lectori. Ochamus in 4. q. 9. ad quintum dubium, neutram partem ait posse probari; negatiuam tamen docet esse magis consonam Sanctorum dictis.

Hugo Victorinus. Guilielmus Parisiensis. Magister. Ocham.

3. Primum fundamentum est auctoritas Scripturæ Psalmo 108. *In memoriam redeat iniquitas Patrum eius in conspectu Domini.* In quem locum August. *Si ergo Iudas teneret illud, ad quod vocatus est, nullo modo ad eum vel sua præterita, vel parentum iniquitas pertineret: sed quia non tenuit adoptionem in familia Dei; sed iniquitatem vetusti generis, rediit iniquitas Patrum eius in conspectu Domini, vt in eo etiam ipse puniretur.* Et Matth. 18. *Serue nequam*, inquit Christus, *omne debitum dimisi tibi:* cùm tamen paulò post ob peccatum immisericordiæ in fratrem: *iratus dominus tradidit eum tortoribus, quoad vsque redderet vniuersum debitum*; ergo per subsequens peccatum reuixit debitum, quod ei dimissum fuerat. Et Iacobi 2. *qui offendit in vno, factus est omnium reus:* ergo, qui de nouo peccat, contrahit peccata iam dimissa.

Psalm. 108. Augustin. Matth. 18. Iacob. 2.

4. Secundum fundamentum est. Sicut merita peccato mortificata, per pœnitentiam reuiuiscunt ad præmium; ita demerita pœnitentia deleta, per subsequens peccatum resurgunt ad pœnam. Confirmatur: quia si quis moriatur cum subsequente peccato, non solùm torquebitur pœna æterna debita tali peccato; sed etiam pœna æterna debita prioribus remissis: quia pœna temporalis, in quam fuerunt illa commutata, per subsequens peccatum fit æterna.

5. Secunda sententia Præpositiui apud Altisiodiorensem q. 4. tract. 6. qu. 1. & apud Bonau. in 4. dist. 22. art. 1. q. 1. affirmantis solùm per quatuor genera peccatorum, videlicet per Apostasiam à fide, odium in fratrem, contemptum confessionis, & dolorem de præterita pœnitentia, dimissa peccata redire.

Præpositiuus. Bonauent.

6. Tertia sententia S. Thomæ 3. parte quæst. 88. art. 1. & omnium Scholasticorum in 4. dist. 22. negantium, per subsequens peccatum præterita remissa redire ad culpam, & pœnam; nisi per modum cuiusdam circumstantiæ aggrauantis subsequens peccatum: *Quæ sententia vera est, & sequenda, & opposita est omninò falsa, & improbabilis.*

S. Thomas Scholastic.

7. Probatur primò ex Nahum Propheta cap. 1. *Non consurget duplex tribulatio.* Vertunt 70. *nō vindicabit Dominus bis in idipsum in tribulatione.* Quo testimonio Hieronymus confutat hæreticos, qui Deum arguebant vt crudelem, quòd hominum peccata sæpius puniret. Secundò ex responsione Prosperi contra secūdam obiectionem Gallorum, quæ refertur citato Canone, *Qui recedit*, inquit, *à Christo, & alienus à gratia finit hanc vitam, quid nisi in perditionem cadit? sed non in quod remissum est, recidit.* Tertiò ex Gelasio Papa dist. 4. can. 24. *Diuina*, inquit, *clementia dimissa peccata in vltionem vlterius redire non patitur*, quo quid clarius? vt mirer, Gratianum in oppositam abiisse sententiam.

Nahum 1. cap. Hieronym. Prosper. Gelasius Papa.

8. Probatur 4. Ratione S. Thomæ: quia Deus absolutè, & sine conditione futuri euentus peccata condonat: ergo nequeunt redire. Consequentia constat, quia Deus est immutabilis. Implicat ergo, quod semel, absolutè, & sine conditione remisit, iterum redire. Antecedens probat tum ex Scriptura, in qua absolutè pœnitenti promittitur remissio peccatorum; tum ex formis ipsis sacramenrorum, quæ vt instrumēta Christi per se ordinantur ad remissionem absolutam peccatorum.

S. Thomas.

9. Dices. Etiam Deus absolutè dicitur concedere gratiam: quam tamen per subsequēs peccatum subtrahit; ergo etiamsi absolutè dicatur dare remissionem peccatorum; illam tamen per subsequens peccatum reuocat.

10. Respondeo nego consequentiam. Nam gratia pendet meritoriè in conseruari à creatura; non autem præteritorum peccatorum remissio. Cuius ratio est: quia gratia, cùm sit amicitia inter nos, & Deum, pugnat suapiè natura cum peccato, quod est inimicitia inter nos, & Deum: Remissio verò præteriti peccati non pugnat cum subsequente culpa: vnde non hoc ipso, quo quis committit nouum peccatum, contrahit reatum præteriti: quia nulla est inter ea naturalis connexio, vti est inter peccatum, & priuationem gratiæ: quo fit, vt in conseruatione gratiæ, necessariò subintelligenda sit hæc tacita conditio, *si homo non peccabit*, quæ conditio non est necessariò subintelligenda in remissione peccatorum, vnde si aliunde non exprimatur, semper censenda est dari absolutè, & sine conditione pendente ex futuro euentu. Iuxta hanc doctrinam intelligitur locus Pauli ad Roman. 11. *Dona Dei sunt sine pœnitentiâ*, hoc est irreuocabilia; intelligitur autem de donis, quæ in conseruari meritoriè non pendent ab humanâ voluntate, siue sint dona naturalia, siue supernaturalia, vt sunt characteres Sacramentales: qui quoniam nullo modo pendent meritoriè in conseruari ab humanâ voluntate manent etiam in damnatis.

Paullus ad Rom. 11.

11. Quòd autem per subsequens peccatum redeant priora remissa per modum circumstantiæ aggrauantis, est S. Thomæ, & omnium Scholasticorum. Cuius ratio est: quia, cæteris paribus, grauius peccat, qui post acceptum beneficium iustificationis delinquit; quoniam in hoc admiscetur circumstantia ingratitudinis, dum delinquit in benefactorem: ratione cuius

S. Thomas Scholastici.

circum-

circumstantiæ dicuntur dimissa peccata redire: non secundùm pœnam, quam ipsa ex proprio obiecto meruerunt; sed secundùm pœnam, quam meretur nouum peccatum subsequens ex priorum remissione, vt circumstantia ingratitudinis: quia sicut talis circumstantia aggrauat subsequens peccatum in ratione malitiæ; ita & in ratione pœnæ tali malitiæ correspondentis. Cæterum falsum est, quod docet Scotus dist. 22. a. 3. non solùm dimissa peccata redire ratione ingratitudinis; sed etiam ratione nouę obligationis, quâ pœnitens per ipsam pœnitentiam voto se obligauit ad non peccandum inposterum: *quia sine tali*, inquit, *voto non est condigna pœnitentia*. Falsum inquam est: quia propositum de cætero non peccandi, quod pœnitentia includit, non est votum inducens nouam obligationem: alioqui quodlibet peccatum subsequens esset in duplici specie.

Contra Scotum.

12. Pro Maiori tamen explicatione, sunt hæc tria aduertenda. Primum, non ipsa peccata proximè, & formaliter: sed remissionem peccatorum redire, vt circumstantiam aggrauantem subsequens peccatum. Ratio: quia quod per modum circumstantiæ ingratitudinis aggrauat subsequens peccatum, est nouum beneficium peccatori collatum; hoc autem non sunt peccata; sed remissio ipsa peccatorum, ex quâ subsequens peccatum moraliter aggrauatur.

Remissio peccatorum redire: circumstantia aggrauans subsequens peccatum.

13. Secundum est: quod non secundùm eandem pœnam, quam præterita peccata ex proprio obiecto meruerunt, redeunt vt circumstantia peccati subsequentis: sed solùm secundùm eam, quæ consequitur ex malitiâ peccati subsequentis, vt formaliter aggrauati ex remissione præcedentium. Ratio: quia non redeunt secundùm formalem malitiam, quam habuerunt ex se; sed solùm vt terminus, & circumstantia nouæ malitiæ subsequentis culpæ.

14. Tertium: hanc circumstantiam ingratitudinis non conferre actui nouam speciem malitiæ nisi expressè intendatur; sed tantùm aggrauare per modum cuiusdam circumstantiæ. Pro quo notandum, esse aliqua peccata, quorum malitia consummatur in ipso affectu interno voluntatis: aliqua verò, quorum malitia consummatur in aliquâ operatione distinctâ ab ipso interno affectu voluntatis. Prioris generis sunt, odium Dei, contemptus superioris, inuidia, & cætera huiusmodi. Posterioris sunt, fornicatio, furtum, homicidium, & cætera, quæ consummantur in opere externo. Prioris generis species non contrahitur, nisi per expressum affectum. Posterioris verò contrahitur etiam per interpretatiuum. Cuius discriminis ratio à priori est: quoniam malitia priorum peccatorum formaliter consistit in ipso interno affectu voluntatis: igitur quamdiu hic non ponitur perfectus, & consummatus, non ponitur perfecta, & consummata malitia talis peccati. Porrò tunc internus affectus voluntatis ponitur perfectus, & consummatus, quando ponitur expressus in suum obiectum. Ergo quamdiu hic non ponitur expressus; sed solùm interpretatiuus, & implicitus, non ponitur completa, & consummata malitia talis peccati. Contra verò, quia malitia posteriorum peccatorum formaliter desumitur ex opere externo, eo perfectè posito, etiamsi affectus ipse internus, quo voluntas ad huiusmodi opus tendit, non sit perfectus, & expressus; sed tantùm interpretatiuus, contrahitur completa, & specifica malitia talis peccati, quæ tota desumitur ex opere externo, & affectus voluntatis solùm requiritur vt fundamentum moralitatis, non vt formaliter præbens malitiam actui. Ad præbendum autem solùm fundamentum moralitatis in actu prauo sufficit voluntarium interpretatiuum, vt constat in omissione præcepti, cuius malitia perfectè contrahitur per solùm voluntarium interpretatiuum. Cùm igitur ingratitudo sit peccatum prioris generis cuius malitia consummatur in affectu internæ voluntatis, eius species non contrahitur, nisi per expressum affectum, quo peccator fertur contra suum benefactorem.

Ad fundamentũ moralitatis præbendam sufficit voluntarium interpretatiuum.

15. Ad fundamentum primæ sententiæ Resp. vel scripturam, & Patres loqui de reditu quoad circumstantiam ingratitudinis modo explicato; vel de reditu quoad culpam, & pœnam æquiualentem: quia per subsequens peccatum contrahitur similis pœna æterna sensus, & priuatio eiusdem beatitudinis, iuxta hunc sensum explicatur illud Iacobi 2. *Qui offendit in vno, factus est omnium reus.* Eadem quippe beatitudine obiectiuâ priuamur per vnum, ac per aliud peccatum. Interdum verò scriptura loquitur tantùm de pœnâ temporali, quâ peccata parentum Deus punit in filijs, quo pacto intelligitur citatus Psalmus 108. Nam cæterùm Deus non punit peccata parentum pœnâ æterna in filijs: siquidem *anima quæ peccauerit, ipsa morietur* Ezechiel: 8. nec *filius portabit iniquitatem patris*, vel *pater iniquitatem filij*, vt eadem sacra scriptura ibidem testatur.

Iacobi 2.

Psal. 108.

Ezech. 18.

16. Dices: ergo saltem redit eadem pœna damni: quia hæc est priuatio beatitudinis, quę est eadem in quouis peccato, cùm sit indiuisibilis. Concedit Durand. consequentiam in 4. distinct. 22. q. 1. num. 8. Sed neganda est: nam gloria, quâ per subsequens peccatum, priuamur, semper est maior: gloria enim respondet gratiæ: gratia autem, quâ per subsequens peccatum priuamur semper est maior: quia præter gratiam innocentiæ, includit gratiam pœnitentiæ: suppono enim ex sequenti disputatione, per pœnitentiam nos semper ad maiorem gratiam resurgere: quia præter gratiam præcedentem peccato amissam, & per pœnitentiam restitutam, resurgimus ad

Durandus.

nouum

nouum gradum, qui virtute pœnitentiæ nobis confertur: ac proinde semper peccatum subsequens nos priuat maiori gratiâ, & consequenter maiori gloriâ; quàm peccatum præcedens. Nec obstat, quod gloria obiectiua sit eadem in omnibus, nam penes illam non sumitur inæqualitas beatitudinis; sed penes gloriam formalem, quæ diuersa est, iuxta diuersitatem meritorum, vt ex primo tomo disputat. 9. sect. 14. suppono.

Deus pronior est ad præmiandū quàm ad puniendum.

17. Ad secundùm fundamentum, disparitas est: quia Deus pronior est ad præmiandum quàm ad puniendum. Ad confirmationem respondeo, ideo pœnam temporalem nondum solutam, in quam commutata fuit pœna æterna peccati præteriti, coniunctam cum subsequente peccato mortali fieri æternam; quia ratione peccati mortalis de nouo contracti subiectum fit inhabile ad soluendum.

SECTIO II.

An saltem de potentiâ absolutâ peccata semel dimißa redire poßint?

18. PRÆSENS quæstio intelligitur tam de reditu quoad culpam; quàm quoad pœnam; & consequenter quoad vtramque in hac sectione disputabimus.

Richardus, Durandus, Paludanus, Capreolus, Argentinas, Palatius.

19. PRIMA sententia est Richardi in 4. distinctione 22. articulo 1. quæstione 1. Durandi quæstione 1. Paludanis quæstione 1. Capreolis quæstione 2. articulo 1. Argentinæ quæstione 1. articulo 1. Palatij disputatione 1. negantium, peccata semel dimissa redire posse quoad culpam. Fundamentum est: quia nequit idem numero actus peccaminosus redire virtute naturali, vt patet; nec diuinâ: alioqui Deus esset author peccati, quod implicat.

Paludanus.

20. Confirmat Paludanus nam vel Deus reproduceret eundem numero actum peccaminosum, passiuè tantùm concurrente creaturâ: & sic non esset peccatum: quia peccatum non est, quod liberè non fit: nequit autem liberè fieri, quod à creatura actiuè non fit, quoniam libertas in actiuâ potentiâ consistit: vel coagente creaturâ; & tunc licet esset idem numero actus, formaliter; essent tamen duo peccata formaliter: quia licèt vnus tantùm esset physicè actus præsens, & præteritus; moraliter tamen censerentur duo.

Sotus. Vasquez.

21. SECVNDA sententia est Soti in 4. distinctione 16. quæstione 1. articulo 1. Vasquez 3. parte quæstione 88. articulo 1. Dub. vnico Num. 73. negantium, peccata dimissa redire posse, etiam quoad pœnam. Probat Vasquez: quoniam implicat remitti peccatum, nisi per formam nobis intrinsecam, suapte naturâ peccati, & maculæ ab eo relictæ abstersiuam. Quod autem hoc modo remittitur, implicat redire. Maiorem supponit probatam ex prima secundæ disputatione 104. & 106. minorem ostendit: quia peccatum sic semel destructum, condignè, & ex naturâ rei manet destructum; ergo non potest iterum redire ad culpam: quia quod re ipsâ destructum, & sublatum est, non potest iterum redire, nisi ex nouâ productione. Nec dici potest, quod Deus illud remittat sub conditione: quia cùm remissio non fiat extrinseco fauore, & ex voluntate Dei; sed intrinsecâ formâ suapte naturâ expellente, & destruente peccatum, non potest talis conditio apponi; implicat enim redire albedinem à parte rei sublatam per nigredinem ex solo pacto, & voluntate Dei, nisi adsit noua causa productiua illius. Ex quo infert, nec redire posse quoad pœnam: quia pœna supponit culpam, cùm sit passio illius: sed implicat redire culpam; ergo & pœnam.

Suarez. Henriquez. Nugnez. Coninck.

22. TERTIA sententia Suarez disp. 13. sect. 1. num. 11. & sect. 2. num. 14. Henriquez lib. 4. de Sacramentis cap. 32. num. 4. Nugnez 3. parte quæst. 88. art. 1. dist. 2. Coninck disp. 2. dub. 18. negantium, peccata redire posse quoad culpam; non autem quoad reatum pœnæ. Fundamentum: quia potest pœna fundari in culpâ iam remissâ: vt patet de pœnâ temporali debitâ culpæ iam remissæ.

Scotus. Aureolus. Maior. Medina. Valentia. Coninck.

23. QVARTA sententia Scoti in 4. distinctione 22. quæstione vnica articulo 1. Aureoli articulo 1. Maioris quæstione 1. Medin. Cod. de pœnitentia quæstione 9. §. *nec valet*. Valentiæ disp. 7. quæst. 5. Puncto 1. affirmantum, peccata redire posse & quoad culpam, & quoad pœnam. Quam sententiam probabilem putat Coninck. In quâ controuersiâ maior est difficultas; quàm primâ fronte appareat. Pro qua

24. Nota quæstionem fieri posse vel de reditu physico actus peccaminosi vel de reditu morali. Priori modo controuersia est, an idem peccatum numero præteritum redire possit. Posteriori verò est, an idem peccatum numero iam remissum redire possit, non quidem physicè quoad entitatem actus; sed moraliter quoad imputabilitatem malitiæ, ita vt verè quis censeatur maculatus, & à Deo auersus non solùm propter peccatum de nouo commissum, sed etiam propter præterita iam remissa. Vtramque quæstionem indicant Scholastici.

Ochamus.

25. DICO I. Non implicat redire eundem numero actum physicum peccati. Est Ochami in 4. quæstione 9. ad secundum dubium. Fundamentum: quia posito quod creatura ex suâ libertate se determinet ad eumdem actum specie, exempli gratia furti, non repugnat Deum cum creaturâ influere

fluere ad talem actum physicum, eodem concursu generali numero, quo influxit ad consimilem actum physicum præteritum: ergo non implicat redire eundem numero actum physicum peccati. consequentia patet, quoniam actus, vt suppono, indiuiduantur ex concursu Dei: ergo si potest idem actus physicus præsens peccati fieri per eundem numero concursum, quo actus præteritus, poterit idem numero actus physicus peccati redire, redeunte enim eadem formâ indiuiduante, redit idem indiuiduum. Antecedens probo. Nam vel hoc repugnat, quia Deus determinaret creaturam ad hunc actum indiuiduum peccati; vel quia reproducendo eundem numero concursum, id non faceret vt causa vniuersalis: quia non faceret iuxta naturalem exigentiam rerum; sed vt causa particularis, cùm id faceret supra naturalem cursum rerum: implicat autem Deum esse causam particularem actus peccaminosi.

Actus indiuiduantur ex concursu Dei.

26. Atqui non repugnat ratione primi, quia de facto Deus determinat omnes actus in indiuiduo, nec propterea dicitur auctor, vel causa peccati; eo quod determinatio quoad indiuiduum supponit determinationem quoad speciem: prius enim ratione creatura se determinat ad hunc actum in specie; quàm Deus determinet concursum ad hunc actum in indiuiduo. Quare ad hanc indiuiduationem actus non concurrit Deus vt primò determinans, sed vt determinatus ab ipsâ creatâ voluntate sese ex suâ libertate determinante ad hanc speciem actus, ad quam Deus non concurrit præueniendo, sed comitando concursum liberum creaturæ; quia verò creatura non potest se ipsâ determinare ad indiuiduationem actus, expectat determinationem hanc à primâ causâ.

Determinatio quoad determinationē quoad speciem.

27. Dices. Esto Deus non primò determinet actum peccati ad indiuiduationem in genere, nam ad illam determinat se ipsa creatura hoc ipso, quòd determinat se ad talem actum peccati in specie, essentialiter exigitiuum alicuius indiuiduationis; saltem Deus determinat primò actum peccati ad hanc indiuiduationem in particulari: nam ad hanc in particulari neque exigitiuè determinat se creatura, cùm nequeat illam in particulari cognoscere, sed Deus ipse ex liberâ suâ voluntate eligens hunc potius concursum, quàm alium.

28. Resp. Negando, Deum dici posse primò creaturam determinare ad hunc numero actum peccati. Nam primò ad aliquid determinare, est ita ad illud determinare; vt nulla præsupponatur exigentia: cùm igitur in creaturâ præsupponatur exigentia ad aliquam saltem indiuiduationem in genere, per actum ipsum in specie, ad quem primò se ipsâ determinat, non poterit Deus dici primò illam determinans, ne quidem quoad hanc indiuiduationem in particulari: quia licèt non præsupponatur exigentia ad hanc indiuiduationem determinatè; præsupponitur tamen ad aliquam in genere: ad quam cùm non possit creatura se ipsâ determinare, exigit, vt determinetur à Deo, vt à primâ causâ. Vnde si non formaliter, saltem æquiualenter hæc determinata indiuiduatio peccati est à creaturâ.

Quod sit primò determinare ad aliquid.

Determinata indiuiduatio peccati est à creatura æquiualenter.

29. Instabis. Sufficit ad hoc vt Christus sit author operis boni præcepti, vt liberè illud producat quoad solam speciē actus, esto illud non liberè producat quoad rationem genericam: ergo sufficiet, vt Deus dicatur author peccati, vt liberè ad illud concurrat quoad solam indiuiduationem, esto non liberè concurrat quoad rationem specificam. Ita enim se habet in peccato ratio indiuidualis ad specificam; sicut in opere præcepto ratio specifica ad genericam: nam sicut in opere præcepto ratio specifica contrahit genericā: ita in peccato ratio indiuidualis contrahit specificā. Ergo sicut ex eo quod Christus liberè producit in opere præcepto solā rationē specificā, dicitur author totius operis præcepti: ita ex eo quod Deus liberè producat solam indiuiduationem in peccato, dicetur author totius peccati.

30. Respondeo: Negatur consequentia. Ratio discriminis: quoniam in peccato ratio specifica præsupponitur prius ratione liberè à creaturâ producta; quàm à Deo producatur ratio ipsa indiuidualis: nam esto Deus concurrat etiam ad rationem specificam peccati physicè; haud tamen ad illam concurrit liberè; sed necessariò ex suppositione sui decreti, quo ab æterno se obligauit ad concurrendum cum omni actu libero creaturæ; ac proinde dici non potest Deus concurrere vt primò determinans ad ipsam indiuiduationem peccati, cùm ipsa indiuiduatio peccati præsupponat ratione priorem specificam rationē peccati, alicuius indiuiduationis essentialiter exigitiuam. At verò tota substantia operis præcepti, tam quoad rationem genericam, quàm quoad rationem specificam liberè producebatur à Christo. Solùm autem dicebatur præceptum necessarium quoad rationem genericam: quia non poterat Christus illud refutare, vel circa illud actum nolitionis elicere. Cæterum quoniam in potestate ipsius erat, eundem actum præceptum cum hoc, vel illo motiuo; hoc vel illo tempore elicere, tota substantia actus erat sub liberâ potestate ipsius: cùm nihil de substantiâ actus præcepti præsupponebatur prius ratione productum independenter à liberâ voluntate humanâ Christi; sed totus actus æquè primò proximè producebatur à libertate humanâ Christi, vt latè probo in 6. tomo, disp. 25. sect. 3.

31. Nec repugnat ratione secundi. Nam quamuis Deus reproduceret eundem indiuiduum concursum corruptum actus peccati vt causa particularis, eo quod non ageret in tali casu iuxta leges naturæ ab ipso præscriptas; non tamen esset

Deus reproducendo eundem numero concursū actus peccati, non est causa particularis.

esset causa particularis, neque quoad esse physicum, neque quoad esse morale peccati: quia nec ipse præueniret voluntatem creatam, excitando illam ad talem actum, vti eandem excitat ad actum honestum: nec illam primò determinaret ad talem actum. Vnde solùm esset causa particularis quoad modum reproducendi eundem numero concursum corruptum; non autem quoad substantiam, vel malitiam actus. Vt si Deus coageret cum igne comburente subiectum distans, esset quidem causa particularis quoad modum agendi in distans, non autem quoad substantiam ipsam ignis producti, cùm nihil plus influeret in illum, quam influeret in eundem, si ageret in præsens subiectum. Ita non plus Deus quoad substantiam actus influeret in peccatum, reproducendo in illo eundem numero concursum corruptum; quàm influeret, si illum produceret distincto numero concursu. Cuius ratio à priori est: quia per hunc modum extraordinarium agendi Dei, nihil in suo modo operandi intrinseco variaretur creatura: nam eodem modo hęc liberè se determinaret ad aliquam indiuiduationem actus in genere, & Deus concomitanter tantùm illam determinaret ad hanc indiuiduationem in particulari. Quod autem Deus determinaret illam ad eandem indiuiduationem actus corrupti, non variaret intrinsecum modum operandi creaturæ. Nec Deus plus influeret in entitatem actus, quàm influeret, si ad illum concurreret distincto numero concursu: nam eodem modo actus peccati à creatura fieret per distinctum concursum, ac per eundem reproductum.

32. Dices. Repugnat Diuinæ bonitati, vti miraculis ad producendũ actum peccati. At vbi est repugnantia? etenim sicut nulla est repugnantia, vt Deus determinet creaturam ad hanc, vel illam indiuiduationem actus peccati; ita nec vt illam determinet ad eandem numero indiuiduationem corruptam, nam quod reproducat eundem numero actum, nulla est repugnantia: quod reproducat eundem numero actum peccati ex suppositione, quod creatura liberè velit se determinare ad eandem speciem actus, nulla itidem est repugnantia. Et ratio est: quoniam hæc ipsa successiua determinatio distinctorum concursuum ad actus eiusdem speciei; decreta est ab ipso Deo propter maiorem perfectionem vniuersi: ergo absque vllo præiudicio suæ bonitatis decernere potuisset, vt de facto omnes eiusdem speciei effectus reproducerentur per eundem numero concursum.

33. Dico 2. talis actus licet physicè vnus, moraliter tamen & in ratione peccati esset duplex. Fundamentum: quia culpa, & offensa in tali actu esset, duplex: nam hæc desumitur ex libera applicatione creaturæ ad actum rationi difformem: sed hæc applicatio bis fieret à creatura, quamuis eodem numero actu: vnde bis peccaret, quia bis liberè se ad peccandum applicaret.

34. Dices. Ita se habet anima constituta in duplici tempore, atque in duplici loco; sed constituta in duplici loco, vnum committeret peccatum per vnum actum vtrobique replicatum: ergo constituta in duplici tempore, vnum committeret peccatum per vnum actum vtroque tempore replicatum.

35. Respondeo nego maiorem: nam constituta in duplici tempore duplicem adhibet applicationem ad peccandum, & quantum est de se per duplicem actum peccati; per accidente autẽ, ratione eiusdem cõcursus reproducti, vnum eliceret numero actum physicum; cum duplici tamen malitia, ratione duplicis applicationis liberæ: at constituta in duplici loco, vnam haberet liberam applicationem ad peccandum, à qua vtrobique denominaretur idem peccator: nam hæc denominatio, cùm sit moralis, non requirit actum pręsentem, vt subiectum denominet.

36. Dico 3. implicat, etiam de potentia absoluta, redire eadem peccata remissa quoad imputabilitatem, posita remissione, prout de facto fit. Fundamentum: quia de facto remissio fit absolutè, absque vlla conditione de futuro. Implicat autem, facta remissione absolutè sub nulla conditione de futuro, ea redire quoad imputabilitatem: quia vt possint redire quoad imputabilitatem, debent non esse omninò, & absolutè deleta. nam quod est absolutè deletum, omninò non est: ergo redire non potest reditu morali, & per imputabilitatem: quia hic reditus non fit per actionem physicam, reproducentem peccata præterita: sed per moralem resultantiam, [illegible]a, quæ ad peccatum non imputabantur, incipiant ad peccatum imputari: quod autem hoc modo redit, supponitur non esse in se absolutè deletum: sed tantùm sub conditione. Quare supposita absoluta remissione peccatorum, non solùm est hic reditus peccatorum impossibilis ratione immutabilis decreti diuini: sed etiam ratione ipsorum peccatorum, quod aduertit Suarez sect. 1. num. 6.

Suarez.

37. Dico 4. Absolute non implicat, eadem peccata semel remissa redire quoad moralem imputabilitatem. Colligitur ex præcitata auctoritate Gelasij, qui huiusmodi non reditum peccatorum reuocat ad clementiam Diuinam, non ad naturam ipsam rei.

Gelasius.

38. Omitto fundamentum Scoti, quo probat posse redire idem numero peccatum: quia nimirum posito, quòd peccatum consistat in destinatione ad pœnam, potest Deus peccatorem destinare ad eandem pœnam, post subsequens peccatum, ad quam destinauerat ob præcedens.

Scotus.

39. Omitto fundamentum Aureoli opinantis, ideò pręterita peccata posse redire, quia illa non habent esse reale in se: sed tantùm obiectiuum in intellectu. *Est enim*, inquit, *peccatum macula, & indecentia moralis, habens tantùm esse obiectiuum in apprehensione.* Quod autem non habet esse reale in se: sed tantùm obiectiuum in intellectu, potest concipi

Aureolus.

concipi idem numero cum eo, quod est corruptum. Etenim falsum est, peccatum nullum habere esse in se, saltem morale independenter ab omni intellectu: alioqui non esset aliquis peccator, nisi quando conciperetur peccator.

Mayronus. Bassolus. Ochamus. 40. Relinquo rationem Mayroni, Bassoli, & Ochami, quia nimirum potest Deus eũdem numero actum peccati reproducere, tum quia in hac assertione non loquimur de reditu physico; sed morali peccati, per solam imputabilitatem actus præteriti, absque physica reproductione illius: tum quia non posset talis actus à solo Deo reproductus, vti isti Authores ponunt, imputari nobis ad peccatum, quia peccatum essentialiter est actio libera creaturæ.

Fundamẽta Authoris. 41. Duplex ego affero ad hoc probandum fundamentum. Primùm ducitur à puritate meritorum, hoc pacto. Non repugnat præterita merita, peccato abolita, reuiuiscere eadem numero: ergo nec demerita, gratia condonata, redire eadem numero. Antecedẽs admittunt omnes, & constabit ex disp. sequẽti. Consequentia verò probatur: nam sicut meritum destruitur per peccatum; ita peccatum deletur per gratiam; cùm non minus iustus desinat esse, ac denominari iustus superueniente peccato; quàm peccator desinat esse, ac denominari peccator superueniente gratia: & tamen possunt priora merita abolita peccato, superueniente gratia, reuiuiscere in ratione meriti: ergo & priora demerita abolita per gratiam, superueniente peccato, reuiuiscere in ratione demeriti. Legantur S. Th. q.89.a.5.ad 1. & Aureolus in 4. dist. 22.a[illegible].

S. Thomas. Aureolus.

Vasquez. 42. Respondet Vasquez q.89.ar.5.dub.1. nu.40. non eodem modo peccatum destruere meritum, ac meritum iustificans destruit peccatum: quia efficacius est meritum ad destruendum peccatum; quàm peccatum ad destruendum meritum, quia meritum destruit peccatum satisfactione condigna. Quod autem condignè satisfactum est, non potest amplius iuste exigi; peccatum autem non destruit meritum destructione condigna, quia non tollit, quin meritum semel in gratia factum, semper ius habeat ad præmium, licet tale ius impediatur peccato, quo sublato, statim ius redit ad præmium.

Refellitur. 43. Sed contrà: quia falsum est, efficacius esse meritum ad destruendum peccatum; quàm peccatum ad destruendum meritum. Nam vel loquimur de efficacitate morali, vel physica; si de physica, eodem modo peccatum expellit meritum iustificans; ac meritum iustificans peccatum: sunt enim contraria, quorum non minus vnum expellit aliud, quàm contrà, vt constat de frigore & calore; luce & tenebris. Si de morali, efficacius est peccatum ad destruendum meritum; quàm contrà: quia indignius est peccatum, vtpote contra Deum, quam sit dignum meritum, vtpote ab homine: ergo efficacius est peccatum ad destruendum moraliter meritum: quia maiorem ponit indignitatem in subiecto, vi cuius destruatur meritum, quam ponat dignitatem meritum, vi cuius destruatur peccatum. Quod autem de facto peccatũ non tollat, quin meritum semel in gratia factum semper ius habeat ad præmiũ, non prouenit ex natura rei, sed ex ordinatione Diuina. Legatur Bonauent. in 4.d.14.p.2.q 3.a.2.

Peccatum habet moralem efficacitatem maiorem ad destruẽdum meritũ quàm contrà.

Bonauent.

44. Secundùm fundamentum. Quia potuit Deus ea conditione nobis peccata remittere, vt de nouo peccantibus redirent priora remissa quoad moralem imputabilitatem, sed si hoc modo remitterentur, verè illa re ipsa delerentur per gratiam, & rursus amissa gratia eadem redirent per moralem imputabilitatem; ergo. Maiorem ostẽdo, tum quia hac conditione potuit merita abolere, vt eadem de nouo in gratiam redeuntibus reuiuiscerent; tum quia sicut potuit facere, vt peccante Adamo omnes posteri peccarent: ita peccante homine semel post actam pœnitentiam, omnia eius peccata redirent.

45. At dispar, inquies, est ratio: quia peccatum Adami nunquam fuit remissum in ordine ad posteros. Sed contrà, quia potuit Deus illud remittere, etiam in ordine ad posteros sub conditione, si post actam pœnitentiam aliud non commisisset: tum à priori, quia remissio peccatorum non solum pendet ex actu peccatoris: sed etiam ex voluntate Dei remittentis, & cõdonantis offensam: quia igitur nullus actus peccatoris potest esse condigna satisfactio pro offensa mortali illata Deo, potuit Deus eam remittere sub conditione, si de cætero non peccauerit. Minor probatur quoad primam partem: nam gratia, posita retractatione peccatoris, destruit peccatum tanquam forma incompossibilis: & quoad esse physicum, & quoad esse morale: quia & tollit maculam ex parte peccatoris, & extinguit odium ex parte Dei. Neque ex eo quod talis remissio sit cum conditione pendente ex futuro, verè, & re ipsa de præsenti non fit, quia conditio de futuro non suspendit effectum de præsenti: cùm enim remissio peccatorum sit effectus formalis inseparabilis à gratia, implicat hanc poni, & ab ea de præsenti suspendi remissionem peccatorum.

Conditio de futuro non suspendit effectum de præsenti.

46. Probatur eadem minor quoad secundam partem: nam per talem conditionem non acceptatur peccatoris pœnitentia pro præteritis peccatis, si aliud nouum commiserit: ergo de nouo peccante redirent pristina remissa. Vnde priuatio gratię de nouo inducta non solùm macularet animam per respectum ad peccatum pręsens: sed etiam per respectum ad peccata præterita: & odium Dei non solùm ferretur in peccatorem propter peccatum præsens: sed etiam propter pręteritum, per subtractionem eiusdem gratiæ in pœnam vtriusque peccati.

47. *Obijcies*. Implicat Deum verè, & re ipsa offensam condonare, & nihilominus, in eam ius odij, & indignationis sub conditione retinere. Assumptum probatur: quia tale ius impedit, quo minus Deus totaliter, & amicabiliter conuertatur ad peccatorem: nam totaliter,

iter,& amicabiliter ad alium conuerti est, non modò nullum odium; sed nec ius vllum ad odium contra offendentem sibi reseruare. Etenim hoc ipso, quod offensus propter offensam ius aliquod odij,& indignationis contra offendentem sibi, reseruat, non censetur offensam totaliter & ex animo condonasse, sed adhuc propter illam manere infensus, & auersus ab offendente. Porrò dum manet aliquod ius indignationis, & odij contra offendentem in Deo, manet in offendente aliquod debitum incurrendi huiusmodi odiũ, & indignationem Dei. Implicat igitur cum tali iure in Deo resumendi pristinum odium, & indignationem, offensam verè, & re ipsa extingui, ac remitti. Consequentia patet: quia offensam verè, & re ipsa extingui, est, nihil illius manere in animo, & voluntate offensi: ergo si adhuc propter illam manet in Deo cõtra hominem ius odij,& indignationis sub conditione, nõ poterit dici verè,& re ipsa extincta; sed adhuc radicitus manere in ipsa actione peccaminosa præterita, in qua manet tantùm sopita, non penitus extincta culpa.

48. Confirmatur primò. Quod potest redire non est in se ipso destructum: cùm implicet quod in se ipso destructum est, redire posse, nisi noua actione reproductiua. Igitur si præteritum peccatũ potest redire quoad antiquam culpam,& moralem imputabilitatem absque noua sui reproductione, nõdum quoad culpam destructum est; ac proinde nec re ipsa cõdonatione Diuina extinctũ; sed tantũ sopitũ,& suspensum, donec posita cõditione, possit suum authorem inficere, ac maculare.

49. Confirmatur secundò. Nequit peccatum verè & re ipsa à Deo remitti, nisi perfecta conuersione amicabili ipsius erga peccatorem. Implicat autem Deum perfecta cõuersione amicabili in peccatorem conuerti, reseruato sibi iure indignationis,& odij contra peccatorem. Maior supponitur à nobis probata in 3. tomo disp. 33. sect. 1. cuius ratio est: quia cùm peccatum mortale sit inimicitia contra Deum, vt Trident. testatur sess. 6. c. 7. nec possit peccati macula deleri, nisi per oppositam formam, vt ibidem ostendo, non poterit peccatum remitti, nisi per amicabilem conuersionem Dei erga peccatorem, quæ fit per sanctificantis gratiæ infusionem. Minor probatur: nam hoc ipso quod Deus retinet sibi ius odij,& indignationis contra peccatorem, non potest beneuolè, & amicabiliter ad illum conuerti.

Trident.

50. Confirmatur 3. Ideo merita peccato mortificata non manent extincta; sed tantùm sopita,& suspensa quoad ius, quod habent ad gloriam: quia manent cum obligatione redeundi ad proprium Dominum sub conditione, si condignam de peccato egerit pœnitentiam. Ergo pari modo, ideò præterita peccata non manebunt extincta; sed tantùm sopita,& suspensa quoad moralem imputabilitatẽ culpæ,& reatus pœnæ æternæ, quia manent cũ obligatione redeundi ad propriũ authorem sub conditione, si iterum peccauerit.

51. Confirmatur 4. Implicat peccatum sub conditione remissum, manere posse cum natura hypostaticè à Deo assũpta. Ergo quod tantùm sub conditione remittitur, non verè, & re ipsa remittitur. Consequẽtia patet, quia si verè,& re ipsa remitteretur, manere posset cum natura hypostaticè assumpta. Antecedẽs probatur: quia implicat Deum hypostaticè naturam creatam peccatricem sibi vnire, & non absolutè omnia peccata illi condonare; sed tantùm sub conditione, quamdiu illa manebit hypostaticè sibi vnita: alioqui posset talis homo Deus pro suis præteritis peccatis nondum extinctis,& deletis orare.

52. Hæc argumenta postulant, vt explicemus, quo pacto possit peccatum esse sub conditione tantùm remissum,& nihilominus verè,& re ipsa esse remissum, pro eo saltem tempore, pro quo non ponitur conditio: non obstante quod & in Deo maneat ius resumendi pristinum odium,& indignationem contra peccatorem, ex suppositione quòd iterum peccauerit; & in homine debitum incurrendi eandem indignationem, & odium, sub conditione quòd iterũ Deum offenderit.

53. Hoc autem probo primò à posteriori: nam si talis homo iustificatus per solam remissionem sub conditione, si iterum non peccauerit, moreretur tempore illo intermedio, antequam laberetur in nouum peccatũ, saluaretur; & si nullum aliud supponeretur habere impedimentum, præter debitum contrahendi præterita peccata sub conditione, si iterum peccauerit, statim euolaret in cœlum: ergo, non obstante tali iure in Deo, & debito in homine sic iustificato, verè,& re ipsa remitteretur totum peccatum, pro eo saltem tempore, pro quo seruaretur conditio, sub qua remissum fuit peccatum. Consequentia elucet, cùm nullus saluari, ac cœlum statim ingredi valeat, qui vel minima peccati labecula sit infectus. Antecedens probatur, nam pro toto eo tempore intermedio non posset homo ille ob præterita peccata sub conditione remissa denominari peccator, cùm præterita peccata per Diuinam condonationem maneant suspensa ad præbendum suum effectum formalem pro toto illo tempore, pro quo non ponitur conditio, pro quo respectu hominis manent, ac si essent absolutè remissa.

54. Probatur secundò: quia posset Deus remittendo huiusmodi homini sub conditione peccatum, illi infundere gratiam sanctificantem, aut etiam vnionem hypostaticam: sed implicat cum gratia sanctificante, & multò magis cum vnione hypostatica aliqua peccati mortalis labes: ergo quod sub conditione remittitur, verè, & re ipsa remittitur pro eo saltem tempore, pro quo seruatur conditio de nouo peccato nõ committendo, non obstante, & iure resumendi pristinum odium in Deo, & debito incurrendi idem odium Dei in homine. Minor quoad vnionẽ hypostaticam certissima est, quam suppono ex 6. tomo disput. 24. sect. 1. & 2. Quoad

gratiam verò sanctificantem suppono ex 3. tomo disp. 32. sect. 1 cuius fundamentum est: quia non potest Deus non odisse odio inimicitiæ peccatum, dum actu inest homini; nec contrà non amare amore amicitię gratiam sanctificantem, dum illam conseruat in homine: implicat autem eundem hominem à Deo odio haberi odio inimicitiæ, & simul diligi amore amicitiæ: quoniã odio habẽdo odio inimicitiæ, deberet suam gratiam subtrahere; amando verò amore amicitię, deberet eandem gratiam in homine conseruare: cùm nec possit odio habere, neque amare, nisi per mutationem obiecti suo odio, & amori proportionatam. Maior probatur: quia nulla apparet implicantia: nam si qua esset, ea esset, quia remissio peccati sub conditione nõ extingueret omnino peccatum. Sed contrà est: quia licet illud non omnino extingueret pro quocunque tempore, & conditione; illud tamen omnino extingueret in ordine ad effectum constituendi hominem peccatorẽ & à Deo auersum pro eo tempore, pro quo conditio non poneretur: nã pro eo tempore esset idem, ac si omnino peccatum esset deletũ quoad effectũ formalem constituendi hominem peccatorẽ. Ergo posset pro eo tempore Deus infundere homini suam gratiam sanctificantem, aut etiã vnionem hypostaticam. Porrò implicat hominem habere gratiam sanctificantem, & à fortiori vnionem hypostaticã, & non esse verè sanctum, iustum, & amicum Deo; & è cõuerso Deum amicum, & beneuolum tali homini.

Implicat habere gratiam sanctificantem & non esse verè Sanctum,

55. Confirmatur primò. Non esset talis homo pro eo tempore, pro quo non peccaret, dignus æterna pœna: ergo nullam pro eo tempore haberet maculam ex præteritis peccatis, sub conditione tantùm remissis, deriuatam. Consequentia patet: nam ad quamlibet maculam peccati mortalis consequitur dignitas ęternæ pœnæ. Antecedens probatur; quia non posset Deus huiusmodi hominem ęterna pœna condignè punire, alioqui faceret contra suum decretum, quo illi pro eo saltem tempore peccatum, & consequenter cum eo æternam pœnam condonasset. Nec dici potest, talem hominem manere dignum aliqua pœna temporali: nam si aliqua macula ex pręteritis peccatis mortalibus sub conditione remissis maneret, illa non posset esse macula venialis, sed mortalis.

56. Confirmatur secundò. Non minùs voluntas diuina potest esse efficax in remittendo peccato pro vno tempore tantùm quã pro omni: ergo sicut remittendo peccatum pro omni tempore, pro omni tempore manet homo à tali peccato mundatus: ita remittendo peccatum pro vno tantùm tempore, manebit homo pro eo saltem tempore à tali peccato purgatus.

57. Confirmatur 3. nam cum iure, quod Deus sibi reseruaret ad pristinum odium cõtra peccatorem resumendum, sub conditione, si iterum peccauerit, non repugnat amicabilis conuersio ipsius erga hominem; neque cum debito in homine incurrendi idem odiũ Dei, sub eadem conditione, si denuo peccauerit, repugnat perfecta sanctitas, & iustitia in eodem homine: ergo non obstante tali iure in Deo, & debito conditionato in homine, verè, & re ipsa de præsenti posset totum peccatum remitti. Consequentia patet: nam tunc totum remittitur peccatum, quando & Deus amicabiliter conuertitur ad hominem, & homo perfecta sanctitate, & amicitia Dei donatur. Nam per hæc & Deus, deposito saltem ad tempus odio, fit verus amicus homini; & homo, abstersa saltem ad tempus macula, per inhęrentem gratiam fit verus amicus Dei. Antecedens probatur quoad primam partem: Nam ius illud, quod sibi reseruaret Deus, resumendi pristinum odium, sub conditione, si homo iterum peccaret, non est odium, quod tantùm pugnat cum vero amore amicitiæ, igitur cum illo non pugnat amica conuersio Dei erga hominem. Quoad secundam verò partem ostendo: nam debitum incurrendi pristinum odium Dei, sub conditione, si iterum peccaret, non est peccatum: tum quia tale debitum imponeret solus Deus: tum quia non esset materia confessionis, non enim posset quis de tali debito Sacramentaliter se accusare, ab eoque absolutionem petere.

58. Ex dictis soluuntur rationes in oppositum adductæ. Negandum quippe est, vel ius resumendi pristinum odium in Deo, sub conditione si homo iterum peccauerit, impedire, quo minùs verè, & re ipsa de præsenti amicabiliter conuertatur ad hominem; cùm non possit Deus per gratiam sanctificantem ad hominem conuerti, quin verè, & re ipsa illum diligat, dilectione amicitię: quia non potest Deus obiectum non diligere, dilectione bonitatis tali obiecto proportionata: Vnde nihil odij, vel indignationis de pręsenti contra talem hominem in Deo maneret: cùm totum odium, & indignatio Dei erga talem hominem de præsenti tolleretur per ipsam gratiæ infusionem: nec debitum in homine incurrendi pristinum odium Dei, sub conditione, si iterum peccauerit, poneret aliquam maculam in ipso homine. Cęterùm dicitur pristina macula radicaliter manere in præterito peccato, sub conditione tantùm remisso, non quod aliquid illius de pręsenti deriuetur in hominem, eumque moraliter inficiat; sed tantùm, quia, posita conditione, statim reuiuisceret & in pristinum statum rediret: eo modo quo dicitur gloria radicaliter manere in meritis peccato mortificatis, non quod aliquid gloriæ, vel iuris ad gloriam ex illis de præsenti redundet in peccatorem; sed quia, sublato peccato, statim illa reuiuiscunt ad pristinam gloriam, & ius conferunt ad illam resurgenti à peccato.

Soluuntur argumenta.

59. Ad primam confirmationem, distinguendum est antecedens: quod potest redire sine noua sui reproductione, nõ est absolutè pro omni tempore, & conditione destructũ, concedo; non est pro aliquo saltem tempore destructum, nego. Quare retorqueo argumentum:

tum: nam sicut implicat, quod pro quouis tempore, & nulla conditione posita, moraliter destructum est moraliter redire: ita implicat, quod pro certo tempore, & sub certa cōditione moraliter destructum est, pro tali tempore, & tali conditione non posita, moralier redire. Quemadmodum implicat, quod pro aliquo tempore physicè destructum est, pro eodem sine noua reproductione posse redire. Cæterùm absque vllo absurdo concedi potest, peccatum tali modo remissum dici posse sopitum, & suspensum, non autem penitus extinctū, eo quod, posita cōditione, possit reuiuiscere, & in pristinum statum redire. Nunquam autem concedendum est, pro eo statu, pro quo tale peccatum maneret sopitū, & suspensum, aliquam maculam deriuare in suum authorem: nam hoc implicat in adiecto, dicere, quod pro eo statu maneat sopitum, & suspensum; & tamen suum authorem inficiat, & maculet; sed pro eo tempore manet, ac si penitus esset deletum, quoad formalem effectum maculandi hominem.

60. Ad secundam confirmationem negāda est minor, eiusq; probatio, vt ex dictis abūde cōstat. Ad tertiā cōcedenda est paritas, quę potiùs est pro nobis, vt ex probatis constat.

61. Ad quartam negandum est antecedens. Etenim cùm ostensum sit, nihil maculæ actu manere in homine ex præteritis peccatis sub conditione remissis, pro toto eo tempore, pro quo non ponitur conditio, consequenter non implicabit, posse humanitatem cum peccatis sub conditione tantùm remissis hypostaticè assumi à Deo. Neque sequitur, quod talis homo Deus orare posset pro suis peccatis præteritis, quæ actu ipsius voluntatem de pręsenti macularent, cùm ex illis nihil maculæ deriuaretur in talem humanitatē hypostaticè vnitam Deo; sed tantùm pro ijs orare posset, ne redirent, sublata hypostatica vnione. Neque in hoc casu maior esset repugnantia, quàm si Deus assumeret naturam, quæ priùs peccasset, & post dissolutam vnionem iterum esset peccatura: nam talis humanitas, si vnita hypostaticè Deo futura sua peccata post dissolutam vnionem hypostaticam prævideret, orare posset Deum pro suis peccatis futuris.

Humanitas cum peccatis sub conditione tantùm remissis potest hypostaticè assumi à Deo.

62. Hactenus probatum est, posse Deum peccata remittere sub conditione, si iterum homo non peccauerit, vlteriùs indagandum superest, an possit Deus peccata remittere ad certum tempus, quo elapso, statim illa quoad pristinam culpam, & moralem imputabilitatem redirent, independenter ab vlla conditione, & nouo peccato ipsius hominis.

63 Ratio dubitandi pro negante parte est, quia in eo casu præterita peccata non redirēt voluntate hominis, sed Dei: hoc autem videtur impossibile: cùm Deus nō modò nequeat esse author peccati, sed neque reditus peccati, cùm ipse reditus peccati sit moraliter malus, & peccaminosus.

Deus potest peccata ad certum tēpus dimittere.

64. Nihilominus dicendum est, etiam hoc modo posse Deum peccata remittere: quod sic probo. Potest Deus peccatori contrito suā gratiam infundere, ad eumque cōuerti amore amicitię, & post aliquod tempus eandem gratiam ab eo subtrahere in odium præteriti peccati: igitur potest Deus ad certū tempus peccata dimittere, quo elapso, illa redeant quoad pristinam culpam & moralem imputabilitatē. Consequentia patet: nam sicut per infusionē gratiæ peccatū necessariò remitteretur, cùm nequeat gratia, & peccatum esse simul, vt suprà indicatum est: ita per subtractionem eiusdem gratiæ in odium præteriti peccati, pristinūm peccatum necessariò rediret quoad præteritam culpam, & moralem imputabilitatē: nam per talem subtractionem gratiæ factam in pœnam præteriti peccati, necessariò rediret pristinum odium Dei, fundatum in præterita offensa, ad certum dumtaxat tēpus condonata: & per consequens rediret pristinum peccatum quoad moralem imputabilitatem ex parte peccatoris, cùm nequeat redire pristinum odium ex parte Dei, quin redeat pristinum peccatum ex parte creaturæ: nam efficax odium Dei necessariò terminatur ad actuale peccatum creaturæ. Antecedens verò probatur, quia nulla apparet repugnantia, cur nō possit Deus suam gratiam infundere, & per eam se amicabiliter ad hominem conuertere, ac proinde offensam condonare, & post aliquot tempus eandem gratiam ab eo subtrahere in odium præteritæ offensæ, non absolutè; sed ad certum tempus condonatæ.

Efficax odiū Dei necessariò terminatur ad actuale peccatum creaturæ.

65. Dices, repugnantiam esse: quia implicat, Deum per gratiam vt amicum ad hominem conuerti, eiq; offensam condonare, & adhuc contra eum odium inimicitiæ pro futuro tempore propter eandem offensam sibi reseruare. Nam simul esset amicus per amicabilem conuersionem, & inimicus per odium, quod contra eundem pro futuro tēpore sibi reseruaret. Præterea simul remitteret offensā per infusionem iustificantis gratiæ, & non remitteret offensam per odium, quod adhuc contra talem hominem retineret.

66. Sed negandum est, in tali casu Deum simul fore amicum, & inimicum pro eodem tempore, & respectu hominis, eodem modo se habentis. Esset namq; amicus pro vno tempore, & inimicus pro alio. Pręterea diligeret Deus hominem vt amicum, præditū sua gratia, eundem odio haberet vt inimicum priuatum in pœnam peccati sua gratia. Quemadmodum de facto Deus eundem reprobum diligit vt amicum secundùm præsentem iustitiam; & odit vt inimicum secundùm futura demerita. Item remitteret offensam pro vno tempore per infusionem gratiæ sanctificantis, & amicabilem conuersionem sui ad hominem: non remitteret offensam pro alio tempore, & per subtractionem gratiæ in odium pręteriti peccati. Falsum quippe est, Deum pro præsenti tempore retinere odium contra talem hominem; sed ius tantùm ad illud resumendum pro futuro tempore per subtractionem suæ gratiæ: nam per talem subtractionem Deus resumeret suum pristinū odiū contra peccatorem. Atqui ius tantùm ad futurum

turum odium non repugnat, vt suprà probatum est, cum præsenti dilectione amicitiæ.

67. Instabis. Non potest peccatum semel à peccatore efficaciter retractatum, sub ratione culpæ, & moralis imputabilitatis redire, nisi opposito actu ab eodem retractetur prior peccati retractatio.

68. Respondeo negando assumptum. Etenim cùm peccatum non solùm dicat moralem auersionem à fine, & difformitatem à lege; sed etiam offensam & iniuriam contra Deum, quæ sola peccatoris retractatione tolli nequit; sed necessariò remitti debet à Deo per infusionem gratiæ; sicut potest Deus, adhuc posita retractatione peccatoris, illam non remittere; ita eandem potest ad certum dumtaxat tempus condonare: nam vt eadem offensa redeat quoad moralem imputabilitatem, non pendet à noua voluntate peccatoris; sed à solo Deo illam sub tali conditione remitiente.

69. Vrgebis. Vt iterum eadem offensa redeat culpabilis, debet redire vt voluntaria ipsi peccatori; ergo per nouum actum ipsius retractantem priorem peccati retractationem. Respondeo sat esse, vt redeat voluntaria pristina voluntate, qua primò fuit commissa.

70. At inquies, pristina voluntas est efficaciter retractata per contritionem: igitur non potest iterum per illam redire voluntaria peccatori. sed negandum est, illam fuisse retractatam condignè, & efficaciter; sed tantùm de congruo, & sufficienter; non enim illa retractata fuit quoad rationem iniuriæ illatæ Deo, cùm nulla satisfactio puræ creaturæ possit esse condigna pro iniuria illata Deo; sed solùm fuit retractata quoad auersionem, & difformitatem à lege. Quo fit, vt sicut, posita retractatione peccatoris per contritionem, adhuc offensa contra Deum maneat culpabilis peccatori: ita, eadem offensa remissa ad tempus, redire poterit culpabilis eidem peccatori. Nam sicut ex sola Dei voluntate pendet, vt peccatoris retractatio acceptetur, vel non acceptetur pro offensa sibi illata, cùm ex se condigna non sit; ita ab eadem sola Dei voluntate pendet, vt illa acceptetur, pro vno tempore, & non pro alio.

71. Ad rationem dubitandi, distinguenda est maior: redirent peccata hoc modo condonata sola voluntate Dei influente, & causante peccata, nego: redirent sola voluntate Dei non remittente absolutè peccata, concedo. Cùm enim, vt peccatum absolutè extinguatur, pendeat ex voluntate Dei illud absolutè remittentis, cùm non possit peccator sola sua voluntate peccatum delere, hoc ipso quòd Deus illud absolutè non remittit, est causa reditus, non per se influens in peccatum; sed non remittens absolutè peccatum, quæ non absoluta remissio vti mala non est, cùm iure Deus possit illam absolutè non concedere: sicut potest omnino non concedere: ita nullum erit absurdum, quod ex hac sola voluntate Dei non remittente absolutè peccatum, redeat pristinum peccatum.

Deus non esset tali casu causa reditus peccati per se influens in peccatum.

72. Ad complementum præsentis controuersiæ vltimò inuestigandum superest: An ad hoc, vt per subsequens peccatum redeant præterita, sub cōditione remissa, necessarium sit, vt peccator ipse sciat, sub tali conditione præterita peccata sibi remissa fuisse.

73. Ratio dubitandi pro affirmante parte est: quia nisi peccatori constet, hanc conditionem esse subsequenti peccato appositam, vt per illud nō solùm incurratur malitia præsentis peccati, sed etiam præteritorum, non poterunt præterita peccata remissa redire vt voluntaria peccatori: sed vt redeant quoad culpam, & moralem imputabilitatem, redire debent vt voluntaria peccatori: ergo vt redeant quoad culpam, & moralem imputabilitatem, constare debet peccatori. Maior patet: quia quod nullo modo est notum, nullo modo potest esse voluntarium, cùm voluntarium essentialiter pendeat ex notitia obiecti. Igitur si omnino est ignotus peccatori reditus peccatorum sub conditione remissorum, non poterit talis reditus illi esse voluntarius. Minor probatur: quia nequit reditus præteritorum peccatorum ad culpam imputari, nisi sit voluntarius: nam sicut nullum peccatum ad culpam imputari potest, nisi sit voluntarium: ita nec reditus ipse peccati, nisi etiam sit voluntarius.

74. Confirmatur primò. Non contrahitur malitia circumstantiæ obiecto appositæ, nisi præcedat aliqua notitia illius: ergo nec contrahitur malitia reditus præteritorum peccatorum, nisi præcedat aliqua notitia illius. Est enim hic reditus præteritorum peccatorum noua circumstantia per se non connexa cum subsequenti peccato: sed ex pacto, & voluntate Dei illi apposita, vnde nisi sciatur, non poterit illius malitia ad culpam imputari.

75. Confirmatur 2. nam propter eandem causam tomo 3. disp. 25. de peccato originali sect. 2. docuimus, necessariam fuisse Adamo notitiam pacti inter ipsum, & Deum, de transfundendo ipsius peccato in posteros, vt tale peccatum futurum esset voluntarium voluntate capitis in posteris. Ergo à fortiori, vt reditus præteritorum peccatorum sit culpabilis, ac proinde volūtarius peccatori, debet illi esse notus.

76. Oppositum tamen longè verius, ac probabilius est, iactisque nostris principijs conformius. Cuius vnicum, ac potissimum fundamentum est: quoniam vt possit præteritum peccatum quoad pristinam, culpam & moralem imputabilitatem suo authori redire, sufficit, vt fuerit voluntarium in sua prima productione, quando primò à peccatore commissum fuit, & à Deo pro aliquo tempore, vel sub aliqua conditione non remissum. Quod sic probo. Ad hoc, vt peccatum simpliciter quoad culpam imputetur peccatori, sufficit, vt non sit à Deo remissum, etiamsi hoc ignoretur à peccatore, & de illo pœnitentiam egerit. Ergo, vt semel remissum, moraliter quoad cul-

Ad reditum peccatorum non est necessarium vt peccator sciat peccata esse tantùm sub cōditione remissa.

pam redeat, sufficit, vt illud non sit à Deo remissum pro illo tempore, vel sub illa conditione, sub qua redit, etiamsi id ignoretur à peccatore, & de eo pœnitentiam egerit. Antecedens negari non potest, nisi ab ijs, qui putant, contritionem se ipsa formaliter sanctificare subiectum. Nam in horum sententia remissio peccati est effectus formalis contritionis, qui impediri non potest, posita contritione in subiecto: sicut nullus effectus formalis formæ in subiecto apto positæ. In communi tamen, & vera sententia, quæ cum Trident. sess. 6. cap. 7. docet, contritionem esse tantùm dispositionem ad iustificationem, & remissionem peccatorum, negari non potest: nam adhuc, posita contritione ex parte peccatoris, vlteriùs requiritur infusio gratiæ sanctificantis ex parte Dei, per quam formaliter peccata remittit, vt ex eodem Concilio constat. Nec aliqua necessitate cogitur Deus, vt ad contritionem peccatoris suam gratiam infundat: sed potest illam pro sua libertate negare, cùm sit distinctum beneficium ab ipsa contritione: nec vllam cum ea essentialem connexionem habeat.

Concilium Trident.

Infusio gratiæ sanctificantis est distinctum beneficium ab ipsa contritione.

77. Quod autem nec vlla requiratur notitia peccatoris, vt peccatum à Deo non remissum illi ad culpam imputetur, patet: quia peccatum quamdiu non est remissum, semper imputatur peccatori ad culpam: nam quamdiu non est remissum, semper manet propriùs actus peccatoris, ac proinde illum denominans peccatorem. Igitur si ad ipsam non remissionem peccati nulla necessaria est peccatoris notitia, neque illa necessaria erit, vt non remissum denominet suum authorem peccatorem.

78. Quod autem neque hæc notitia requiratur, vt peccatum sub conditione remissum quoad pristinam culpam moraliter peccatori redeat, probatur: quia peccatum non remissum pro certo aliquo tempore, vel sub certa aliqua conditione, quoad præbendum effectum formalem peccatoris, perinde se habet pro eo tempore, & conditione, pro qua non est remissum, ac se habet peccatum non remissum post instans primę suæ productionis: cùm tam post instans primæ suæ productionis, quàm pro futuro tempore, vt à Deo non remittatur, pendeat à sola voluntate Dei independenter ab vlla notitia peccatoris: ergo si non remissum post instans primæ suæ productionis imputatur proprio authori ad culpam, etiamsi talis peccati non remissio ignoretur à peccatore, imputabitur etiam illi ad culpam non remissum post certum tempus, & sub certa conditione, etiamsi hanc peccati non remissionem ad certum tempus, & sub certa conditione peccator ipse ignoret: & ratio à priori est supra tacta: quia quamdiu peccatum manet à Deo non remissum, quod suo iure, independenter à voluntate, & notitia peccatoris, potest non remittere, manet vt proprius actus peccatoris, ac proinde illum formaliter denominans peccatorem.

79. Ad rationem dubitandi, negandum est, vt præterita peccata moraliter redeant quoad pristinam culpam, necessarium esse nouum voluntarium distinctum à priori, quo primo fuerunt commissa. Nam sicut moraliter redeunt quoad eandem pristinam malitiam: ita & quoad pristinum voluntarium. Quod confirmari potest exemplo meritorum peccato mortificatorum: nam quemadmodum, vt hæc moraliter redeant quoad rationem pristinam meriti, non est necessarium nouum voluntarium distinctum à priori: nam etiamsi pœnitens ignoraret, per subsequentem pœnitentiam omnia pristina merita mortificata redire, adhuc illa redirent: ita, vt præterita peccata quoad pristinam malitiam & moralem imputabilitatem redeant, non est necessarium nouum voluntarium distinctum à priori, quo illa primò producta fuerunt, nam illud idem moraliter redit cum ipsa malitia peccatorum, non obstante, quòd illud fuerit à peccatore per contritionem retractatum: quia non fuit retractatum condignè, & efficaciter, eo quòd non fuerit sufficiens ad extinguendam offensam contra Deum, quæ in præteritis peccatis includebatur: nec à Deo fuerit absolutè acceptatum pro omni tempore.

80. Ex his patet ad probationem maioris. Etenim concedendum est, reditum prǽteritorum peccatorum non posse esse voluntarium peccatori, nisi sit illi notus: negandum tamen est, talem reditum debere esse voluntarium peccatori, vt præterita peccata moraliter redeant quoad culpam: quia cùm non debeant redire quoad nouam malitiam, quo pacto necessarium esset nouũ voluntarium, quo talis noua malitia contraheretur: sed quoad pristinam, quæ fuit voluntaria voluntario præterito, non est necessarium nouum voluntarium à præterito distinctum.

81 Ad probationem verò minoris, negandum est, reditum ipsum peccatorum debere ad culpam imputari, ad hoc vt moraliter redeant præterita peccata quoad pristinam malitiam; sed sufficere, si sola ipsa prǽterita peccata quoad pristinam malitiam imputetur ad culpam, per solam non remissionem absolutè factam à Deo: nam hoc ipso, quod illa non fuerũt absolutè remissa à Deo: sed solùm sub certo tempore, & cõditione, elapso tempore, vel posita conditione, nullo nouo voluntario posito, moraliter redeunt quoad effectum inficiendi, & maculandi suum authorem.

82. Ad priorem confirmationem, negatur consequentia: nam ad primò contrahendam malitiam obiecti, vel circumstantiæ, necessaria est notitia ipsius malitiæ, cùm nulla malitia culpabiliter contrahi possit, nisi voluntariè: nulla autem possit esse voluntaria, nisi sit cognita. At verò ad contrahenda eadem peccata, quę antea commissa fuere, non requiritur nouum

volun-

voluntarium, sed sufficit pristinum, quo primo illa fuerunt voluntaria. Nam quamdiu cum tali voluntario illa manent à Deo non remissa, manent sicut antea moraliter proprio authori imputabilia. Cęterùm dupliciter potest pristinum peccatum moraliter redire; vno modo vt circumstantia aggrauans tantùm subsequens peccatum, nouam illi malitiam communicans à priori distinctam; alio modo secundùm eandem omnino malitiam, quam primò habuerunt, quando primò à proprio authore producta sunt. Priori modo necessaria est notitia peccatori de reditu peccati, per modum nouæ circumstantiæ aggrauantis subsequens, non autem posteriori. Ratio discriminis: quoniam iuxta primùm modum præteritum peccatum concurrit vt noua circumstantia causans nouam malitiam in actu subsequentis peccati: nulla autem noua malitia causari potest, nisi voluntariè. Vnde si de facto, qui post acceptum beneficium iustificationis, laberetur in nouum peccatum cum inuincibili ignorantia, vel obliuione accepti beneficij, non incurreret nouam malitiā ingratitudinis per subsequēs peccatum. Iuxta secundum verò modum peccatum non concurrit vt circumstantia causans nouam malitiam, quam antea non haberet. sed vt actus, & forma moralis moraliter denominans subiectum secundùm eandem malitiam, quam habuisse supponitur in prima sui productione.

Dupliciter potest pristinum peccatum redire moraliter.

83. Ad posteriorem confirmationem, ratio disparitatis est: quoniam notitia de transfundendo peccato in posteros fuit necessaria Adamo, ad hoc vt ipsius peccatum de priuato, & personali fieret publicum, & capitale omnium posterorum. Nisi enim Adamus habuisset notitiam pacti diuini cum ipso initi, tanquam cum capite, & origine omnium posterorum non potuisset ipsius peccatum esse publicum, & vniuersale omnium posterorū, sed mansisset tantùm personale ipsius proprium, proinde non potuisset vt voluntarium imputari posteris: cùm non possit Deus facere, vt quod est voluntarium vni, fiat voluntarium alteri, nisi ad tale voluntarium aliquo modo concurrat alter. Est enim voluntarium forma essentialem respectum dicens ad principium, à quo est, cùm sit actus vitalis, de cuius essentia est ordo ad proprium principium. Concurrerunt autem aliquo modo posteri ad voluntarium Adami per notitiam, quam ille habuit, se fuisse à Deo constitutum caput posterorum. Nam licet posteri non cōcurrerint physicè, & subiectiuè ad voluntariū Adami, vt capitis ipsorum; concurrerunt saltem moraliter, & obiectiuè, per notitiam, quam Adamus ipse habuit de morali connexione voluntatum posterorum cum voluntate sua. Atque hoc modo potuit voluntarium Adami tribui posteris: sicut voluntarium capitis tribuitur membris. Ex his deducitur manifesta disparitas: nam notitia pacti fuit necessaria Adamo ad constituendum peccatum ipsius vt voluntarium omnium posterorum: Notitia verò reditus præteritorum peccatorum non est necessaria ad constituendum peccatum præteritum, vt voluntarium, cùm iam sufficienter supponatur voluntarium ex prima sua voluntaria productione.

Cur ad peccatum Adami necessaria fuerit notitia de transfundendo peccato in posteros.

Disparitas inter peccatū Adami, & nostrum rediens.

84. Ad argumenta initio Sectionis adducta, ad fundamentum primę sententiæ, patet ex dictis, quo pacto possint eadem numero peccata siue physicè, siue moraliter, & quoad imputabilitatem redire, absque eo quod Deus sit author illorum: ex quibus etiā constat ad confirmationem pro eadem sententia à Paludano adductam.

85. Ad fundamentum verò secundæ sententiæ, neganda est minor. Ad cuius probationem, negandum est, peccata à Deo remitti non posse sub conditione, esto remittantur per formam suaptè natura expulsiuam peccati, qualis est gratia sanctificans, vel vnio hypostatica: nam licet huiusmodi formæ, dum sunt pręsentes, & subiectum informant, non fauore extrinseco; sed intrinseca dignitate & sanctitate destruant peccatum: dum tamen illæ, vel nouo peccato deperduntur, vt gratia sanctificans; vel per solam suspensionem Diuini concursus, destruitur, vt vnio hypostatica, quæ non posset per peccatum destrui, possunt dimissa redire: quia illa non fuere dimissa, nisi sub conditione, si de cætero non peccaueris. Nec est eadem ratio de albedine, quę destructa per nigredinem nequit sine noua actione realiter productiua redire: quia hic reditus est physicus, qui nequit fieri absque physica actione, peccata verò dimissa redeunt quoad solam imputabilitatem: reditus autem quoad solam imputabilitatem non repugnat fieri sine physica actione peccati redeuntis, etiamsi peccatum supponatur deletum pro tempore quo non fuit posita conditio, vt patet de meritis peccato abolitis. Et ratio est, quia vt hoc modo peccata redeant, non est necesse, vt ea iterum physicè existant, sed sufficit, vt semel tantùm extiterint, nec remissa fuerint, nisi sub conditione: nam tunc sublata conditione, moraliter redeunt quoad imputabilitatem, absque noua actione physica; quia sub hoc onere fuerunt remissa.

Reditus peccati qui ad solam imputabilitatem potest fieri sine actione physica peccati redeuntis.

DISPV-

DISPVTATIO VIII.

De virtutum reparatione per pœnitentiam.

1. Hic est alter pœnitentiæ effectus, restituere dona supernaturalia per peccatum amissa. Sunt autem hæc dona duplicis generis; Alia quæ per se; Alia, quę tantùm per accidens iustificationem consequuntur. Per se iustificationem consequuntur, quę per se in suo genere à pœnitentia causantur, vel dispositiuè, vt à pœnitentia virtute; vel efficienter moraliter, vt à pœnitentia Sacramento, cuiusmodi sunt gratia iustificans, & virtutes omnes infusæ, quæ per peccatum fuerunt sublatæ. Per accidens iustificationem consequuntur, quæ per accidens causantur à pœnitentia virtute, vel Sacramento, vt sunt præterita merita mortificata, & quidquid ad ea consequitur: item gratia Sacramentalis, & gloria illi correspondens. Dicuntur autem hæ causari per accidens à pœnitentia: quia, vt S. Thomas docet in 4. dist. 14. q. 2. art. 2. ad 1. & 2. pœnitentia est tantùm causa remouens prohibens in ordine ad hæc merita: nam per se pœnitentia solùm remouet peccatum, quo remoto, statim illa reuiuiscunt secundùm valorem, quem habebant ante peccatum. Supponimus autem hic vt certum, per pœnitentiam vnà cum gratia iustificante infundi omnes virtutes supernaturales, quæ per peccatum fuerunt sublatæ: quia cùm hæ sint connaturales potentię, quibus gratia sanctificans operatur suos effectus supernaturales, æternæ gloriæ proportionatos, sunt illi naturaliter debitæ. Quare controuersia non est, an vnà cum gratia sanctificante pœnitenti restituantur virtutes, quę naturaliter comitantur gratiam, quam pœnitens accipit vi præsentis dispositionis; sed an prȩter has restituantur etiam præterita dona, quæ illi infusa fuerunt ante peccatum, vel propter propria, vel propter Christi merita. In qua controuersia tria erunt disputanda. Primum, an hęc dona per sequentem pœnitentiā redeant: Secundum, An redeant quoad prœmium essentiale: Tertium, An quoad totum prœmium essentiale.

Quæ dona supernaturalia per se, quæ per accidens iustificationem consequantur.

S. Thomas.

Virtutes supernaturales sunt gratiæ connaturaliter debitæ.

SECTIO I.

An merita peccato mortificata per subsequentem pœnitentiam reuiuiscant?

2. Dicuntur merita mortificata reuiuiscere, quia sublato peccato, quo erant impedita, rursus à Deo acceptantur ad prœmium, ad quod erant antea ordinata. Cùm enim merita semper censeantur manere in acceptatione remunerantis, quamdiu illa non sunt perfectè remunerata; cumque nulla merita in gratia, & ex gratia facta perfectè in hac vita à Deo remunerentur, quippe quorum condignum prœmium est æterna beatitas, remoto peccato, ea rursus dicuntur reuiuiscere: quia rursus à Deo acceptantur ad prœmium æternæ beatitatis. Hoc adnotato.

Cur merita mortificata dicantur reuiuiscere.

3. Ratio dubitandi est, quoniam peccatum abolet omnia merita, vt constat ex illo Ezechielis 18. *Si iustus auerterit se à iustitia sua, & fecerit iniquitatem, omnes iustitiæ eius, quas fecerat, non recordabuntur.* Vbi Glossa, *Sicut*, inquit, *iustum antea peccatorem non grauant antiqua delicta, sic peccatorem antea iustum veteres iustitiæ non iuuant.* Confirmatur: quia sicut peccata semel dimissa nunquam redeunt: ita merita semel amissa nunquam resurgunt.

Ezech. 18.

Glossa.

4. Verùm communis sententia est, ea per pœnitentiam ad pristinum prœmium reuiuiscere: est Magistri in quarto, distinct. 14. Alensis 4. parte quæst. 12. mem. 4. art. 6. Alberti in 4. distinct. 14. artic. 22. Bonauent. in secunda parte distinctionis art. 2. q. 1. & 3. S. Thomę q. 2. a. 3. quæstiunc. 2. & 3. & 3. parte q. 89. a. 5. Caietani ibidem, & Capreoli dist. citata q. 2. a. 1. Scoti dist. 22. a. 2. Richardi dist. 14. a. 8. q. 2 Paludani q. 1. ar. 1. c. 1. & q. 7. Aureoli dist. 22. a. 1. Argentinæ eadem distinctione a. 1. ad primum & secundum contra 1. conclusionem, Durandi q. 1. ad 2. & in 3. dist. 31. q. 2. n. 9. Ochami q. 9. circa finem ad 6. dubium, Marsilij q. 11. art. 1. Gabr. dist. 14. q. 3. dubitatione 3. Soti distinct. 16. quęst. 2. art. 1. Palatij dist. 14. disp. 5. Petri Soti lect. 6. de pœnitentia, Medinę Cod. de pœnitent. tract. 1. q. 8. Suarez relectione de reuiuiscentia meritorum disp. 1. sect. 1. Valentię disput. 7. quæst. 6. Puncto 1. Vasquez in tertiam partem q. 89. a. 2. dubio 1. Syluij in eandem q. 11. Coninck disput. 2. dubio 20. & reliquorum Scholasticorum.

Magister. Alensis. Albertus. Bonauent. S. Thomas. Caietanus. Capreolus. Scotus. Richardus. Paludanus. Aureolus. Argentin. Durandus. Ocham. Marsilius. Gabriel. Dominicus Sotus. Palatius. Petrus Sotus. Medina. Suarez. Valentia. Vasquez. Coninck. Syluius.

5. Præcipuum fundamentum hęc sententia habet in illis verbis ad Hebræos 6. *Non enim iniustus Deus, vt obliuiscatur operis vestri, & dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius.* His enim verbis Paulus Hebręos animat ad perseuerantiam bonorum operum, eo quod Deus non est iniustus, & infidelis, vt obliuiscatur remunerari bona opera. Quoniam verò dicere quis posset

Ad Heb. 6.

posset, Paulum loqui de operibus viuis, quæ nunquam fuere peccato interrupta, non autem de operibus per peccatum mortificatis, & interruptis; conandum est ostendere, his verbis Paulum vtraque opera complecti.

6. Hoc autem probo, tum quia in hoc sensu hæc verba explicat tam Glossa interlinearis: *ideò*, inquit, *de vobis confidimus*, *quia olim multa operati estis, pro quibus si pœnitemini de malis, benefaciet vobis Deus*; quàm Glossa ordinaria: *sicut enim*, ait, *priora bona per sequentia mala mortua fuerunt, & irrita facta; ita ipsa eadem per pœnitentiam, & alia bona sequentia reuiuiscunt*; tum quia id affirmant Anselmus S. Thomas lect. 3. in hunc locum, Hugo Cardinalis, & alij. *De vobis*, inquit Anselmus, *confidimus, qui olim multa operati estis, pro quibus si de malis pœnitentiam egeritis, benefaciet vobis Deus.* Vnde iuxta hanc sententiam supponit Apostolus Hebræos post aliquot bona opera fuisse lapsos, eosque spe remunerationis priorum operum hortatur ad pœnitentiam; *quia Deus*, inquit, *non obliuiscitur remunerari pristina vestra merita*, tum quia in hoc sensu hoc testimonium citatur à Trid. sess. 6. cap. 16. his verbis: *Hac igitur ratione iustificatis hominibus, siue acceptam gratiam perpetuò conseruauerint, siue amissam recuperauerint, proponenda sunt Apostoli verba: Abundate in omni opere bono, scientes quod labor vester non est inanis in Domino: non enim iniustus est Deus, vt obliuiscatur operis vestri, & dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius*. quibus verbis non solùm comprehendit opera viua, & peccato nunquam interrupta; sed etiam mortificata, & pœnitentia viuificata, alioqui frustra apposuisset illam disiunctiuam: *Siue acceptam gratiam perpetuò conseruauerint siue amissam recuperauerint*; etenim per hanc disiunctiuam aliquid plus promittit, quàm promitteret, si absolutè dixisset: *omnibus iustificatis proponenda esse Apostoli verba:* atqui hoc aliud esse non potest, quàm remuneratio præteritorum operum, quæ aliquando fuere peccato impedita. Ad hanc eandem sententiam confirmandam adducit Hugo verba illa Ieremiæ 2. *recordatus sum tui, miserans adolescentiam tuam, & charitatem desponsationis tuæ*: quid autem est, Deum miserantem recordari adolescentiæ, & charitatis nostræ, quàm pristina opera in charitate facta, & peccato interrupta obliuioni non tradere?

7. Hoc ipsum probant duo alia testimonia, alterum Ioëlis 2. *& reddam vobis annos, quos comedit locusta*: vbi Glossa interlinearis: *non patiar*, inquit, *perire vbertatem, quam perturbationibus animi perdidistis*. quem locum vrget Hieronymus contra Nouatum, qui pœnitentiam negabat, probans ex hoc, peccatorem per pœnitentiam restitui in pristinum statum: *quia annos*, inquit, *quos perturbationibus ante regnantibus perdideramus in nobis, quando opera nostra locusta, bruchus, rubigo erucaque consumpserant, Deus nobis perire non patitur*.

Glossa interlinearis. *Glossa ordinaria.* *Anselmus.* *S. Thomas.* *Hugo Cardinalis.* *Trident.* *Hugo.* *Ier. 2.* *Ioelis 2.* *Glossa interlinearis.* *Hieronym.*

8. Alterum est parabola de filio prodigo Luc. 15. cui reuertenti ad Patrem, statim restituta est stola prima: quam Patres communiter interpretantur gratiam baptismalem quæ per peccatum amittitur; hanc docet Christus sub parabola filij prodigi, nobis pœnitentibus restitui, & quia explicari posset de gratia, non quæ respondet Baptismo, sed pœnitentiæ; Notat Iansen. in hunc locum cap. 94. quod vbi apud nos est, *stola prima*, in Græco dicitur, *stola illa, illa inquam prima*, quod energiam habet ad significandam illam eandem pristinam stolam, qua peccator induebatur, antequam peccaret.

9. Secundò probo à paritate: nam Baptismus fictè susceptus recedente fictione, reuiuiscit ad totum effectum, quem contulisset, si sine fictione à principio susceptus fuisset: ergo & merita per peccatum mortificata, condonato peccato, reuiuiscunt ad præmium, ad quod ordinabantur ante peccatum. Antecedens est certum ex Augustino, de quo nos præcedente tomo disput. 4. Consequentia probatur: quia si potest meritum Christi per Baptismum fictè applicatum, recedente fictione, reuiuiscere, poterit & meritum proprium peccatum mortificatum, sublato peccato, reuiuiscere ad præmium.

10. Nec obstat primò, quòd illud sit meritum Christi, quod videtur efficacius ad restituendum effectum, eò quod hoc non potest mortificari per peccatum suscipientis: quia licet non mortificetur in se: tamen mortificatur, vt applicatum subiecto per propriam dispositionem ipsius, à quo pendet in causando suum effectum: ergo si hoc recedente fictione, reuiuiscit, etiam illud, recedente peccato, reuiuiscet.

11. Nec obstat 2. quòd Baptismus fictè susceptus nunquam fuit expeditus ad dandum suum effectum, sicut proprium meritum: nam hoc potiùs confirmat nostram sententiam: quia si potest Sacramentum, quod nunquam fuit expeditum ad effectum gratiæ ob indispositionem subiecti, recedente indispositione, acceptari ad talem effectum, à fortiori poterit meritum, quod aliquãdo fuit viuum, & efficax ad dandum præmium, sublato obstaculo, iterum acceptari ad præmiũ.

12. Nec obstat 3. quòd meritum contulit præmium nempe augmentum ipsum gratiæ, ad quod ordinabatur: Baptismus verò fictè susceptus nunquam contulit gratiam regeneratiuam, quam continebat. Nam nec meritum contulit præmium, ad quod principaliter ordinabatur, quod est æterna gloria. Vnde ex hoc potiùs confirmatur nostra sententia: quia sicut meritum ordinatur ad duo, ad gratiam immediatè, ad gloriam vltimatè: sic Baptismus ad characterem immediatè, ad gratiam regeneratiuam vltimatè, & principaliter: & tamen ex eo, quod hic contulit primum, non tollitur, quia recedẽte fictione, conferat secundũ: ita neque ex eo quod meritum contulit primum, tolli debet,

Luc. 15. *Iansenius.* *August.* *Baptismus ordinatur immediatè ad characterem, vltimatè ad gratiam regeneratiuam.*

debet, qui sublato peccato, conferat secundum, ad quod finaliter ordinatur.

Concilium Trident.

13. Tertiò à priori. nam ex Trident. sess. 6. cap. 16. & can. 32. vt meritum de facto consequatur vitam æternam, tres tantùm conditiones requirit. Prima est vt sit opus iusti existentis in gratia: secunda, vt sit factum ex auxilio gratiæ per Christum. Tertia, vt moriens in gratia decedat: *& nihil amplius*, subdit Tridentinum, *deesse credendum est*: sed opera iustorum, etiam peccato interrupta, si subiectum comitentur iustificatum per finalem pœnitentiam, habet has tres conditiones: ergo nihil deesse credendum est, quo minùs præmium æternæ vitæ consequatur.

Huius nulla ratio naturalis est.

14. Ratio naturalis ad hanc sententiam probandam nulla est, vt omnes ferè Scholastici supponunt, qui ad solam misericordiam Dei recurrunt, qui quoniam pronior est ad miserandum, potiùs hanc legem seruat cum operibus bonis, vt per subsequentem pœnitentiam reuiuiscant ad pristinum meritum: quàm cum malis, vt per subsequens peccatum redeant ad antiquam pœnam.

15. Controuersum tamen est, an simul cum misericordia aliquid misceatur de Iustitia, latè sumpta Iustitia, prout inter Deum, & hominem intercedere potest. Negant Altisiodorensis, Aureolus, & Bassolus: Affirmant verò Scotus, & Suarez, qui, quatenus peccator iuuatur ad pœnitentiam faciendam, aiunt esse opus misericordiæ: quatenus autem condonato peccato per pœnitentiam antiqua merita redeunt, docent esse opus iustitiæ: quippe quæ ex promissione Dei de iustitia postulant præmium: sicut qui obsequia impendit principi, si postea cadens à gratia principis, iterum in eius amicitiam admittatur, cum ipso redeunt omnia antiqua merita, quæ de iustitia exigunt condignum præmium apud principem.

Altisiod. Aureolus. Bassolus. Scotus. Suarez.

16. Mihi vero distinguendum est: nam si cōsideretur reditus antiquorum meritorum, ille est opus solius misericordiæ; quia ex sola liberalitate Dei, & non ex natura rei, vt contendit Vasquez, potiùs redeunt merita, quàm demerita, vt probatum est Disp. præcedente: nam peccatum tota hac pœna, ob suam grauitatem, dignum erat. Quare non solùm est opus misericordiæ, peccatorem ad dignè pœnitendum iuuare: sed etiam per pœnitentiam ad gratiam restitutum antiqua merita recuperare: quæ iure poterant propter præteritum peccatum negari. Si verò considerentur opera ipsa secundùm se, ea digna sunt præmio æternæ vitæ: quippe quæ in gratia facta sunt, quę suaptè natura condignitatem habet ad gloriam: nec propter peccatum amiserunt, quin illa in gratia facta sint: Atque adeo vt sic huiusmodi opera habent aliquid de Iustitia, seu potiùs de condignitate, supposita liberalitate Dei, de non extinguendis propter patratum peccatum antiquis meritis. Quemadmodum sola misericordia Dei est, vt peccator redintegretur in pristinam amicitiā Dei, quæ in pœnam peccati condignè poterat in perpetuum negari, vti negata fuit Angelis semel peccantibus: ea tamen posita, opera ex tali subiecto grato, & amico procedentia, condignè postulant præmium æternæ vitæ.

Vasquez.

17. Neque exemplum, quod affertur de obsequijs impensis principi, est ad rem: tum quia non quęuis offensa facta principi postulat pro condigna pœna obliuionem omnium meritorum; sicut quæuis offensa peccati mortalis illata Deo: Tū quia non omnia obsequia impensa principi, sunt illi iure aliquo strictò debita; sicut omnia obsequia impensa Deo: Vnde sæpe tenetur ille princeps remunerare, etiamsi nolit remunerandum in pristinam amicitiam restituere.

Omnia obsequia impensa Deo, sunt illi iure strictè debita.

18. Ex his constat, quem certitudinis gradum habeat hęc sententia. Petrus Soto solùm appellat *probabilem*: Alensis, & reliqui ferè antiqui Scholastici *communem*: Dominicus Soto oppositam censet *erroneam*: Bannez 2. 2. q. 24. a. 6. dub. 6. § *decisio authoris, temerariam, & errori proximam*: Suarez, *impiam ac temerariam*: Vasquez *plusquam temerariam*. Ego verò contrariam opinionem iudico esse *temerariam*, cùm sit contra omnes Scholasticos: nec non *periculosam*, cùm sit contra nonnullas authoritates Sacræ Scripturę in nostro sensu communiter à Patribus explicatas.

Petrus Soto. Alensis. Dominicus Soto. Bannez. Suarez. Vasquez. Censura ab Auctore lata.

19. *Obijcies* primò. Non videtur, quo pacto antiqua merita reuiuiscant; non in se: quia non sunt; non in Diuina acceptatione: quia in ea omnia merita etiam damnatorum manent. Secundò: quia non est maior ratio, cur potiùs redeant opera bona facta in gratia, & non etiam in statu peccati. Tertiò, Si Deus mouetur ex meritis mortificatis ad ea præmianda in pœnitente iustificato: ergo ex ijsdem mouebitur ad dandam gratiam peccatori, vt à peccato resurgat, & consequenter poterit homo per merita præcedentia mereri sibi reparationem lapsus futuri, contra S. Thomam prima secundæ q. 114. a. 7.

S. Thomas.

20. Respondeo ad primum, merita reuiuiscere non in se: sed in Diuina acceptatione, quatenus sublato peccato, tanquam obstaculo, acceptantur à Deo in præmium personæ, cuius illa sunt, Nego autem, in Diuina acceptatione manere merita damnatorum: quia manere merita in Diuina acceptatione, non est, illa vtcunque à Deo videri; sed videri vt præmianda, & cum approbatione futuræ remunerationis, quo pacto non videntur merita damnatorum. Legantur S. Thomas in 4. dist. 14. q. 2. articulo 3. quæstiunc. 3. Mayronus dist. 22. q. 2.

Quid sit manere merita in diuina acceptatione.

S. Thomas. Mayronus.

21. Ad 2. Resp. maiorem rationem esse: quia, vt ex Tridentino prædicto loco constat, vt opera nostra sint meritoria æternæ vitę, debent procedere ex gratia non tantùm actuali: sed etiam habituali, tum quia sunt meritoria per modum obsequij: obsequium autem non est acceptum, nisi sit ab amico: sola autem gratia habitualis constituit

Conc. Trid.

nos amicos Dei: Tum quia præmium vitæ æternæ, est præmium Amicorum, & filiorum Dei, cùm sit perfectissima communicatio bonorum, & secretorum Dei: ergo non debetur, nisi operibus amicorum, & filiorum Dei. Opera autem in statu peccati facta non sunt huiusmodi: nec ea dignificari possūt per subsequentem gratiam: quia gratia non dignificat opera, nisi in ea influendo, nequit autem gratia subsequens influere in opera præterita: nam ex quo illa producta sunt, non possunt ampliùs pendere ab influxu gratiæ futuræ. Vnde dicuntur opera mortua, quia carent principio vitę, quæ est gratia ipsa habitualis. Legatur S. Thomas 3. parte quæst. 89. art. 6. Non inficior tamen, ea remunerari à Deo præmio aliquo temporali, vt ex B. Gregorio testatur S. Thomas artic. citato ad tertium.

Gratia non dignificat opera nisi in ea influendo.

Gregorius. S. Thomas.

22. Ad tertium in primis S. Thomas lect. 3. in caput vltimum ad Hebræos & Scotus in 4. distinct. 22. art. 2. in fine, non reputant absurdum, Deum aliquo pacto moueri ex meritis præteritis ad dandam gratiam peccatori, vt à peccato resurgat, non quidem ex Iustitia, aut ex Fidelitate: sicut mouetur ex contritione ad dandam primam gratiam, cum nulla de hoc extet promissio: sed ex misericordia, & benignitate sua, qui aliquo modo acceptat prꝫterita merita mortificata, vt gratiam conferat ad resurgendum. Cùm autem S. Thomas prima secundæ negat, ad reparationem futuri lapsus dari meritum, etiam de congruo, intelligendus est de merito fundato in promissione, & fidelitate, non autem de merito fundato in sola misericordia Dei, cum aliquo fundamento in re ipsa. Quę doctrina vera est.

Scotus.

Quo sensu ad reparationem futuri lapsus non detur meritum.

23. Respondeo tamen secundo, negando sequelam: quoniam sublato peccato per pœnitentiam, antiqua merita redeunt ad pristinam dignitatem, & valorem: vnde possunt de condigno mouere Deum ad soluendum præmium proportionatum: ante pœnitentiam vero manent impedita peccato, & consequenter inepta ad mouendum de condigno Deum ad præmium vllum soluendum.

24. Ad rationem dubitandi, nego peccatum abolere: sed tantùm mortificare, seu impedire antiqua merita, quin suum præmium consequantur: idque ex ordinatione Dei. Locus autem Ezechielis, & Glossæ intelligitur, si peccator perseuerauerit in Iniustitia sua, vt ferè omnes Scholastici exponunt. Ad confirmationem, nego paritatem: nam peccata de facto Deus absolutè delet, merita verò non nisi sub conditione, si peccator pœnitentiam non egerit.

Respōdetur ad rationem dubitandi allatam in num. 3.

Ad locum Ezech. Gloss.

SECTIO II.

An merita mortificata per pœnitentiam reuiuiscant ad præmium essentiale?

25. Duplex præmium respondet nostris meritis; vnum essentiale, vt est gratia in hac vita, & gloria eiusque accrementum in alia: Alterum accidentale, vt est gaudium quod tam Viatores, quàm Beati habent de suis bonis operibus. Controuersia igitur est, an merita mortificata per subsequentem pœnitentiam reuiuiscant, non solùm ad præmium accidentale, sed etiam ad essentiale gratiæ, & gloriæ.

26. Prima sententia affirmat, reuiuiscere ad solum præmium accidentale: hanc refert Suar. in opusc. Disp. 2. sect. 1. docet tamen, eam apud nullum authorem Scholasticum sub his terminis reperiri, & reuera nullus, quem ego legerim, illam docet, solùm videtur fauere S. Thomas 3. p. q. 89. ar. 5. ad 3. & in 3. dist. 31. quęst. 1. ar. 4. quęstiunc. 3. ad 4. vbi docet, prꝫterita merita plenariè tantùm reuiuiscere ad præmium accidentale: quod etiam docet Caiet. loco cit. sed hæc sententia meritò à Suar. vt improbabilis, & temeraria notatur, quippe quę tacitè negat reuiuiscentiam meritorum: nam qui negat merita reuiuiscere ad præmium essentiale, negat ea reuiuiscere simpliciter: quia meritum, vt meritum formaliter est per ordinem ad præmium essentiale: habet enim rationem meriti, quatenus à præmiante ordinatur ad aliquid, quod merens non haberet ex sola natura operis. Est enim præmium aliquod bonum correspondēs operi ex libera donatione præmiantis. Vnde debet esse aliquid, quod operans sine tali donatione non haberet ex sola natura operis, alioqui nihil plus haberet à præmiante in præmium sui operis; quàm haberet si nihil ab ipso reciperet: sed gaudium accidentale non est aliquod bonum, quod operans non haberet, absque libera donatione præmiantis: quia cùm sit proprietas naturaliter consequens ad opus bonum, non pendet ex libera donatione alterius; sed ex ipsa natura operis boni, quod hoc ipso quo fit, gaudium parit operanti, ergo negat meritum reuiuiscere, qui affirmat, illud reuiuiscere ad solum præmium accidentale. Confirmatur: quia tale gaudium consequitur etiam ad opera bona facta in statu peccati; cùm tamen hæc nullo pacto reuiuiscant. Cæterùm non negat S. Thomas, merita reuiuiscere ad præmium essentiale; sed non plenariè, sicut ad accidentale, vt optimè explicat Capreo. in 4 d. 14. q. 2. a. 3. ad 1. Scoti.

Suarez.

S. Thomas.

Caietanus.

Censura à Suario.

Quid sit præmium.

S. Thomas.

Capreolus.

27. Secunda sentētia docet, antiqua merita reuiuiscere ad præmiū essentiale, in ratione præmij tātùm, nō in ratione rei. distinguit

hæc sententia gloriam vt præmium, & vt perfectio quędam est beati; docetque eam crescere posse vt præmium, esto non crescat vt perfectio est beati. Fundamentum est, quia præmium vt præmium solùm dicit esse signum, & testimonium meritorum; vnde eò est maius, quò datur in signum, & testimonium plurium meritorum, etiamsi in ratione rei sit minimum. Contrà verò, eò præmium est minus, quò datur in signum pauciorum meritorum, etiamsi in ratione rei sit maximum. Maius enim est præmium in ratione præmij, gladius datus militi à principe in signum multorum heroicorum operum, quā ciuitas data duci in testimonium vnius tantùm operis. Cuius ratio est, quia ex Aristotele honor, qui consistit in publico testimonio honorantis de virtute honorati, est proprium præmium virtutis: ergò visio Dei quatenus datur beatis in testimonium bonorum operum, habet rationem præmij: quia per illam vident se honorari à Deo in præmium suorum meritorum: ergo eò maior erit gloria in ratione præmij, quò plura ob merita datur, etiamsi in ratione visionis non sit maior.

Aristoteles.

28. Probatur 2. potest gloria esse maior in ratione rei; minor verò in ratione præmij: ergo è conuerso, maior in ratione præmij, & minor in ratione rei. consequentia tenet à paritate rationis. Antecedens probatur; nam potest vnus habere plures gradus gratiæ ex opere operato per sacramenta, pauciores verò ex meritis proprijs. Alius contra plures ex proprijs meritis, pauciores verò ex opere operato. Sed gloria non respondet, vt præmium, gratiæ datæ ex opere operato; sed collatæ ex opere operantis, quia prēmium dicit essentialem respectum ad meritum; sicut pœna ad culpam. Nec est nouum, quod eadem res detur ex pluribus titulis. Constat primò: Nam gloria ex Trident. sess. 6. cap. 16. datur & tanquam hæreditas filijs Dei & vt merces operarijs. Secundò, quia idem præmium respondet Christo pluribus titulis. mouetur autem hæc sententia ex quadam ratione philosophica: nam sicut habitus naturalis non producit nisi secundùm dispositionem actus, ex quo gignitur; ita nec habitus supernaturalis; nisi secundùm dispositionem actus charitatis, à quo meritoriè producitur.

Concilium Trident.

29. Hanc sententiam insinuat Caiet. 3. p. q. citata art. 5. quem explicat in 1. art. dum idem ait esse, merita reuiuiscere; atque ex pluribus capitibus præmium fieri debitum: nempe ex meritis prioribus, & ex meritis posterioribus. Expressè illam defendit Bann. secunda secundę q. 24. art. 6. dub. 6. conclus. 3 Verùm illam falsissimam, & S. Thomę aduersissimam appellat Sotus in 4. dist. 16. q. 2. art. 2. §. *verumtamen*, nec desunt qui illam erroneam putant. Ego ad minimum falsam censeo: quia reuera tollit reuiuiscentiam meritorum, & solùm ponit illa reuiuiscere quoad purum titulum. Quod sic probo: nam merita reuiuiscere quoad præmium essentiale, est, illa acceptari ad prēmium, ad quod sunt per se à Deo ordinata; sunt autem à Deo per se ordinata ad beatitudinem; ergo si ad hanc non acceptantur, non reuiuiscunt quoad præmium essentiale. Maior constat: quia cùm meritum dicat essentialem respectum ad prēmium, à prēmiante constitutum, illud erit essentiale præmium meritorum, ad quod per se ordinatur à præmiante. Minor est de fide, qua constat, vitam ęternam esse in præmium promissam nostris operibus, vt constat ex Trident. sess. 6. cap. 16. Consequentia probatur, nam omne aliud præmium, quod non est beatitudo, non est essentiale meritorum: ergo ad quodcunque aliud acceptentur; non acceptantur ad præmium essentiale. Atqui acceptari ad nouum titulum beatitudinis, non est acceptari ad ipsam beatitudinem: ergo acceptari ad nouum titulum beatitudinis, non est acceptari ad præmium essentiale. Minorem probo: nam acceptari ad nouum titulum beatitudinis, est acceptari ad quendam honorem extrinsecum, quem Deus tribuit beato, ob merita peccato interrupta. Est autem hic honor extrinsecus, maior quædam notitia, & æstimatio, quam Deus habet de meritis, & virtute beati, quam non habet de alio beato, in quo est æqualis beatitudo cum paucioribus meritis; sed totum hoc extrinsecum est beato: quia tota hæc maior notitia, & æstimatio est in ipso Deo: quia honor, teste Aristotele, est in ipso honorante: ergo si ad hoc tantùm reuiuiscunt merita, non reuiuiscunt ad præmium essentiale, ad quod per se ordinantur; sed ad extrinsecum, & accidentale.

Caietanus.

Bannez.

Sotus.

Censura.

Concilium Trident.

Honor est in honorante. Aristoteles.

30. Dices, esse quidem hanc notitiam, & meliorem æstimationem, quam Deus habet de virtute beati, extrinsecam beato formaliter: quia non inhæret ipsi, sed Deo; esse tamen intrinsecam obiectiuè: quia Deus manifestat Beato per ipsam visionem hanc, quam de ipso beato habet, meliorem æstimationem; vnde obiectiuè complet præmium essentiale ipsius; quoniam videre se laudari à Deo, est aliqua beatitudo.

31 Sed contrà; nam esto beatus videat se laudari à Deo, atque in meliore æstimatione esse, quàm alium, qui eandem beatitudinem formalem habet cum paucioribus meritis; non tamen propter hoc erit beatior: quia maior beatitudo ex Augustino 5. Confessionum cap. 4. & omnibus Theologis, mensuratur ex perfectiore visione Dei: quia hæc sola est, quæ hominem beat, cùm igitur notitia, quam beatus habet de meliore ęstimatione, quam Deus format de suis meritis, & virtute, non addat supra Deum, nisi obiectum creatum, ipsa scilicet merita, & personam, cuius illa sunt, vt actu laudata à Deo, non poterit ex hoc esse beatior: supponimus enim, Deum in se ęqualiter videri ab alio, qui pauciora habet merita: quia sicut in obiecto creato non beatur; ita nec in eo potest magis beari.

S. August. Beatitudo mensuratur ex perfectione visionis Dei.

32. Confirmatur 1. quia vel merita peccato interrupta, & pœnitentia viuificata, sunt digna prēmio intrinseco beatitudinis; vel non

non. Si primum; ergo Deus tribuit illud, alioqui præmiaret citra cōdignum. Si secuncundum; ergo non laudat illa Deus: quia laus ex S. Thoma prima secundæ q. 2. art. 2. est signum & testimonium excellentiæ, quæ propter virtutem debetur laudato. Vnde tunc, inquit, exhibetur, quando maius præmium exhiberi non potest. Cùm igitur Deus possit maius præmium exhibere virtuti, illud potius exhibebit; quàm extrinsecam laudem.

S. Thomas. *Quid sit laus.*

33. Confirmatur 2. Quia laus, quam Deus tribuit, est fecunda; vnde sicut non potest Deus amare, quin amatum faciat intrinsecè bonum; ita nec laudare, quin laudatum reddat intrinsecè perfectum. Est enim hæc propria perfectio amoris diuini efficacis, qualis est amor, quo Deus amat beatorum merita, vt non possit ad obiectum terminari, nisi perficiendo illud, & reddendo illud dignum suo amore.

34. Secundò probatur ex absurdis. Nam sequeretur primò, contra iustitiam distributiuam, perfectiorem beatitudinem consequuturum qui in tota vita innumerabilia commisit scelera, & deinde in fine vitæ elicuit contritionem vt octo, quam qui in tota vita quàm plurima egregia exercuit virtutum opera, & deinde commisso semel peccato, resurrexit in fine vitæ per contritionem vt duo.

25. Sequeretur 2. Omne præmium debitum iustis, propter ipsorum merita, saluari posse per hunc honorem extrinsecum, & meliorem æstimationem, quam Deus de ipsorum virtute, & meritis habet: possent enim omnes recipere intrinsecam beatitudinem commensuratam soli gratiæ sacramentali, inæquale verò præmium essentiale correspondens proprijs meritis, per inæqualem honorem, & æstimationem, quam Deus de ipsorum meritis, & virtute conciperet, quod est contra Trident. sess. 6. can. 32. vbi definit, iustum suis bonis operibus mereri augmentum gratiæ, & gloriæ.

Concilium Trident.

36. Tertiò à priori: nam merita peccato interrupta, & postea pœnitentia viuificata, habent omnes conditiones, vt acceptentur ad præmium essentiale: nam sublato peccato, manet in diuina acceptatione vt antea: sed antea erant acceptata ad præmium essentiale intrinsecum; ergo & postea, sublato peccato. Consequentia probatur: quia sublato peccato, redeunt ad pristinum honorem, & dignitatem. Cuius ratio est: quia peccatum non minuit intrinsecum valorem meriti, sed impedit tantùm ius ad gloriam: sublato autem impedimento, redit idem valor & ius, quod erat antea.

Peccatum non minuit intrinsecum valorem meriti.

37. Quare ad fundamentum oppositæ sententiæ, distinguo de præmio, vel extrinseco, & imperfecto; vel intrinseco, & perfecto: primum saluatur in solo extrinseco testimonio honorantis, quale est præmium, quod tribuunt homines, qui quoniam nequeunt perfectè virtutem præmiare, præmiant illam, vt possunt per extrinsecum signum, & testimonium; de quo præmio intelligendus est Aristoteles. Secundum consistit in ipsa beatitudine, & felicitate intrinseca hominis, vt S. Thomas testatur prima secundæ q. 2. art. 2. ad primum, & docuit Philosophus primo Ethicorum 9. cuius rationem assignat S. Thomas ibidem: nam homines virtuosè operantur propter beatitudinem: contra verò non virtuosè operantur propter honorem: quia operari propter honorem, est ambitio: Deus autem virtutem perfectè præmiat, alioqui non perfectè homines ad eam incitaret.

Aristot. *S. Thomas.*

38. Ad 2. vel argumentum nihil concludit, si nimirum comparet gradus gloriæ, collatos ex opere operato meritorum Christi, ad gradus gloriæ, comparatos ex proprijs meritis. Nam sicut alij sunt gradus gloriæ collati ex meritis Christi; alij ex meritis proprijs; ita potest vnus beatus habere gloriam maiorem in ratione rei, hoc est ex meritis Christi, quam in ratione præmij, hoc est ex meritis proprjis; ita è conuerso potest alius habere maiorem gloriam, vt præmium respondens proprijs meritis; quam vt hæreditatem respondentem meritis Christi, vel assumit falsum, si supponat, posse vnum beatum habere maiorem gloriam in ratione rei respondentem meritis proprijs; minorem verò in ratione præmij; alium verò maiorem in ratione præmij, minorem in ratione rei respondentem etiam meritis proprijs. Nam hoc ipso, quod vnus habet maiorem gloriam in ratione præmij, habet maiorem in ratione rei respondentem proprijs meritis; comparando igitur gradus gloriæ ex proprijs meritis vnius cum gradibus gloriæ, ex proprijs meritis alterius, semper quò maior est gloria in ratione rei, eò etiam est maior in ratione præmij: & è contra, quò maior est gloria in ratione præmij, eò maior est in ratione rei.

Quo maior est gloria in ratione rei, eò maior est in ratione præmij.

39. Nec puto nouum, quod interdum eadem res detur pluribus titulis, præsertim quando vel tituli sunt diuersæ rationis, vt sunt tituli hæreditatis, & coronæ respectu gloriæ, quæ vt hæreditas debetur filijs, vt corona militibus, vel quando meritum est infinitum, præmium verò finitum, vt est meritum Christi; & præmium illi respondens: quia tunc, cum vnus actus meritorius absorbeat totum præmium, alijs actibus respondebit idem præmium sub alijs titulis: puto autem nouum, quod absque sufficiēti ratione asseratur, quod gloria debita iustis vt corona, augeatur vt præmium ex nouo titulo meritorum in ratione dumtaxat extrinseci honoris, & testimonij diuini, & non in ratione intrinsecæ beatitudinis. Nam hoc non congruit modo operandi Dei, & suaui prouidentiæ eiusdem. Nec vrget ratio Philosophica, ex qua hæc sententia mouetur, nam vel illa falsa est, etiam in habitibus acquisitis, vt ego puto; vel certè non militat in infusis: qui vt in sui productione non pendent physicè ab actibus; ita nec debent illis proportionari quoad intensionem, quasi nequeant meritoriè intendi per actus remissos.

40. Tertia sententia Altisidiorens. lib. 4. tract. 6. c. 6. q. 1. Richar. in 4. dist. 14 art. 8. quæst. 2. Scoti dist. 22. art. 2. Aureoli art. 1.

Altisidior. Richardus. Scotus. Aureolus.

Mayroni

Mayronus. Bassolus. Maior. Marsilius. Gabriel. Palatius. Sotus. Suarez. Vasquez. Syluius. Henriquez.

Mayroni q. 2. Bass. dist. 14. q. 3. art. 3. Maioris dist. 22. q. vnica, Marsil. q. 11. art. 1. conclus. 2. Gab. dist. 14. q. 3. art. 3. dist. 3. Palatij dist. 14. disp. 6. Soti disp. 16. q. 2. art. 2. Suar. in opusc. de reuiuiscentia meritorum disp. 2. q. 1. Vasquez 3. p. q. 89. art. 5. Syluij ibid. Henriquez lib. 4. de sacramentis cap. 34. & aliorum afferentium, pristina merita resurgere ad præmium essentiale intrinsecum; *qua vera est & sequenda*; cuius veritas constat ex dictis, & clarius constabit ex dicendis.

SECTIO III.

An antiqua merita semper resurgant ad totum præmium essentiale?

Alensis. Bonauent. S. Thomas. Paludanus. Capreolus. Caiet. Petri Sotus.

41. PRIMA sententia Alens. 4. p. qu. 12. memb. 4. art. 5. §. *aliter* Bonau. in 4. dist. 14. parte 2. art. 2. qu. 1. S. Thomæ 3. p. q. 89. art. 5 ad 3. Palud. in 4. dist. 14. q. 1. art. 2. Capreol. q. 2. art. 1. Caiet. 3. p. loco cit. Petri Soti lect. 6. de sacramento pœnitentiæ, negantium. Fundamentum quia illa non resurgunt iuxta mensuram charitatis, ex qua processerunt; sed iuxta quam reuiuiscunt: sed hæc interdum est minor, interdum maior charitate præterita: ergo non semper resurgunt ad idem præmium; sed aliquando ad minus, quando charitas, in qua resurgunt est minor; aliquando ad maius, nempe quando charitas, in qua resurgunt, est maior.

Clarior explicatio.

42. Hæc sententia duplicem potest habere sensum. Primus est, quod non maius respondet præmium præsenti contritioni resurgentis; quam responderet si nulla præcessissent merita: & in hoc sensu confutata est supra: nam sequeretur, antiqua merita reipsa ad essentiale premium non resurgere, etiamsi nulla præcessissent merita, adhuc pœnitens haberet præmium commensuratum præsenti contritioni. Secundus est, quod pœnitens non solùm resurgat ad prẹmium præsenti contritioni respondens; sed etiam ad aliquod respondens meritis preteritis iuxta proportionem prẹsentis contritionis. Quæ proportio dupliciter explicari potest. Primò Arithmeticè, vt quot gradus gratiæ, & gloriẹ correspondent prẹsenti contritioni, totidem restituantur ex præteritis meritis: & hanc meritò reijcit Sotus; quoniam non solùm inquit habenda est ratio quantitatis, verùm & multitudinis, magnitudinisque meritorum, quæ fuerunt mortificata: plus enim gratiæ restituendum est, si cecidit à gratia vt decem; quàm si cecidisset à gratia vt quinque. Secundò Geometricè, habita ratione ad merita præcedentia, & hoc explicari adhuc potest dupliciter.

Sotus.

Modus explicandi vel:

43. Prior modus est, quod merita non reuiuiscant secundùm valorem, quem acceperunt ex gratia, & charitate, ex qua processere; sed secundùm valorem, quem haberent ex gratia, & charitate, in quam resurgunt, si ex ipsa procederent. supponit autem hæc opinio, merita maiorem, vel minorem valorem sumere ex maiore, vel minore gratia, & charitate subiecti; & iuxta hunc modum rectè dici possunt antiqua merita resurgere secundùm mensuram prẹsentis charitatis. Hunc modum sequitur Henriquez lib. 4. de sacramentis cap. 16. & 34. addit tamen, quod si pœnitens ante mortem recuperet gradum antiquæ gratiæ per plura merita, restituetur illi gradus antiquæ gratiẹ, & gloriæ meritis viuificatis respondens.

vinificationem meritorum. Henriquez.

Alter modus Soti.

44. Posterior est, quem sequitur, & explicat Sotus his duabus propositionibus, prima est. Si quis eliciat summam contritionem, quam per auxilium Dei elicere potest, præter gratiam respondentem præsenti contritioni, recuperat omnem gratiam deperditam. Secunda propositio est, in qua proportione contritio deficit à summa; in ea etiam deficit antiqua gratia, quæ restituitur: vt si contritio sit medietate minor summa, restituitur medietas gratiæ deperditæ; si quarta, vel sexta parte minor, quarta vel sexta pars gratiæ deperditẹ restituetur, & sic deinceps.

45. Probat primam propositionem: quia contritio non solùm est dispositio ad præsentem gratiam; sed ad ipsam viuificationem meritorum: ergo sicut posita dispositione ponitur effectus; ita posita summa dispositione ponitur summus effectus.

Aristot.

46. Probat secundam quoniam ex Philosopho 6. & 7. physicorum, ea proportio seruanda est inter minorem dispositionem, & effectum, quæ seruatur inter summam dispositionem, & effectum: ergo si ad summam pœnitentiam tota gratia deperdita restauratur, ad minorem minor, cum ea proportione, qua minor dispositio distat à summa. Ex his colligit, semper pœnitentem resurgere ad maiorem gratiam, quam haberet ex prẹsenti tantùm contritione: quia vltra gradum respondentem præsenti contritioni, semper recuperat aliquem ex antiquis meritis, vel saltem ex gratia Baptismali, si nulla præcesserunt merita; non tamen semper ad totam; sed aliquando, nempe quando elicit summam contritionem: atque hanc putat esse sententiam S. Tho. q. cit. art. 2. ad 2. docentis: quod pœnitentia quantum est de se, vim habet reparandi defectus ad perfectum, & promouendi ad vltiorem statum, quam etiam sequitur Valentia disp. 7. q. 6. puncto primo.

S. Thomas. Valentia. Reijciuntur.

47. Sed neuter modus placet. Non prior: tum quia ex eo sequeretur, interdum antiqua merita resurgere ad maiorem valorem; quàm acceperunt ex gratia, & charitate, ex qua processerunt: si nimirum gratia, & charitas, in qua ex vi præsentis pœnitentiæ peccator resurgit, sit maior; quam fuit gratia; & charitas, ex qua processerant: quia si defectus præsentis gratiæ, & charitatis minuit valorem

præteritorum operum, excessus augebit: tum quia (& est ratio à priori) gratia, & charitas non tribuunt valorem operibus, nisi vt principium influens: nam valorem tribuunt dignificando illa, dignificant autem communicando se illis physicè, vel moraliter: sed gratia, & charitas præsens non est principium operum præteritorum; ergo non producunt iterum illa; sed solùm tollunt impedimentum, quo sublato redeunt cum antiquo valore, & dignitate, quam acceperunt ex gratia, & charitate, ex qua processerunt.

48. DICES. Gratia præterita dignificat opera præsentia: quia contritio non solùm dignificatur ex gratia præsente, quæ illi respondet; sed etiam ex antiqua recuperata: ergo & gratia præsens dignificare poterit opera præterita. Respondeo negando consequentiam: etenim potest gratia præterita esse principium operum præsentium: quia potest gratia præterita recuperata influere in opera præsentia; non potest autem gratia præsens influere in opera præterita, quia talis influxus supponit physicam coniunctionem inter principium influens, & effectum, cùm gratia non dignificet, nisi opera, ad quæ physicè concurrit per suos habitus, vt suppono ex 3. tomo.

Cur gratia præterita possit dignificare opera præsentia non contrà.

49. Nec placet posterior modus: tum quia, vt rectè Vasquez, diuinatorius est. Quis enim Soto reuelauit, secundùm hanc proportionem restitui nobis antiqua merita? tum quia non potest explicari, quæ sit hæc summa contritio: nam vel dicitur summa, quam potest simpliciter homo elicere cum quocunque auxilio Dei, & hæc non datur: quia sicut non datur summum auxilium, quo maius dari non possit; ita nec summa contritio: vel dicitur summa, quam potest homo elicere cum præueniente auxilio, quod de facto recipit: & tunc esto detur summa, ex ea tamen duo sequuntur absurda. Primum, quod adæqualem contritionem inæqualia restituerentur merita: vt si duo habentes inæqualia merita mortificata, æquali præuenti auxilio, summam vterque eliceret contritionem, ambo per æqualem pœnitentiam ad inæqualia resurgerent merita: quin posset vnus per remississimam contritionem, quæ tamen esset summa respectu auxilij, quo præueniretur, resurgere ad quamplurima merita; alter per intensissimam contritionem, quæ tamen non esset summa respectu auxilij, quo excitaretur, resurgere ad paucissima merita, quæ haberet. Secundum, quod numquam posset pœnitens cum sola attritione, & sacramento, etiamsi attritio esset summa, recuperare omnia merita: quia non accedit cum optima dispositione, qua potest, quæ est contritio, quæ adhuc remissior, est perfectior dispositio; quàm summa attritio. Fundamentum autem, in quo hæc sententia nititur, falsum est, scilicet contritionem non modò esse dispositionem ad præsentem; sed etiam ad præteritam gratiam deperditam. Nam respectu præteritæ, solùm se habet vt causa remouens prohibens, eo quòd respectu illius non est principium moraliter influens, quia non potest esse principium moraliter influens respectu effectus iam producti.

Vasquez.

Non datur summum auxilium gratiæ.

Contritio respectu gratiæ præteritæ, non habet se vt dispositio.

50. Nec valet quod obijcit Valentia, Deum in ea proportione nos diligere, suamque gratiam nobis communicare, qua nos ipsum diligimus: ergo ea proportione antiquam gratiam, & merita nobis restituit, qua ipsum ex vi præsentis contritionis, & gratiæ diligimus. Nam hoc supponit præsentem contritionem, & gratiam esse dispositionem ad antiquam, Quod iam negatum est.

Ad Valent.

51. SECVNDA sententia Scoti in 4 dist. 22. art. 2. Mayr. q. 2. Bass. dist. 14. q. 3. art. 3. Marsil. q. 11. art. 1. conclus. 2. affirmantium, pœnitentem resurgere ad totum ius gloriæ, respondens antiquis meritis; non tamen ad totam gratiam deperditam. Vnde colligit hæc sententia, semper pœnitentem resurgere ad maiorem gloriam quàm habebat antea: quia præter gloriam, quæ respondet præsenti gratiæ, resurgit ad totam gloriam, quæ respondebat antiquis meritis; non tamen semper ad maiorem gratiam: quia cùm non restituatur antiqua, & ea quæ datur ob præsentem contritionem, non semper fit æqualis deperditæ, non semper pœnitens resurgit ad maiorem, vel æqualem gratiam.

Scotus. Mayron. Bassol. Marsilius.

52. Fundamentum Scoti: quia merita quibus respondet ius ad gloriam, cùm sint opera nostra, per peccatum non deperduntur; sed tantùm impediuntur: semper enim per ea manet nobis ius ad gloriam, licet impeditum, & suspensum: gratia verò, cùm sit purum donum Dei, semel amissa nunquam redit: quia nullum ius in illam manet in nobis.

Scotus.

53. Sed contrà, quia nequeunt antiqua merita resurgere ad gloriam, quin etiam resurgant ad gratiam: tum quia gloria est debita meritis mediante gratia, nam iuxta mensuram gratiæ datur gloria. Cuius ratio est: quia gratia cùm sit adæquata participatio diuini esse, est radix, & subiectum omnium supernaturalium perfectionum, vnde omnes perfectiones supernaturales, quæ sunt quædam singulares participationes attributorum, & operationum diuinarum, dicunt attributionem ad gratiam, tanquam proprietates ad subiectum, & essentiam, à qua exiguntur: repugnat autem connaturaliter, augeri proprietates, non aucta forma, & essentia, cuius sunt proprietates: ergo repugnat connaturaliter, augeri gloriam, & amorem beatificum, non aucta gratia, cuius hæ sunt proprietates.

Refutatur.

Repugnat connaturaliter augeri gloriam, non aucta gratia.

54. Confirmatur primò: quia sicut visio, & dilectio beatifica non excedunt habitus luminis, & charitatis, quorum sunt actus, & proprietates; ita nec habitus luminis, & charitatis gratiam, cuius hæ sunt proprietates, & potentiæ: tum quia sequeretur, Deum plus præmiare præmio essentialis gloriæ, quem minùs diligeret; & contrà, minus præmiare, quem magis diligeret. Sequela constat. Nam Deus diligit creaturam per gratiam; ergo si antiqua merita resurgunt ad gloriam, & non

[illegible] contrà.

55. Confirmatur 2. Nam ficut ius ad gloriam fundatur in gratia;ita maius ius ad gloriã maiorem in gratia maiore; est enim gratia ipsa passiua adoptio Dei, quæ ius tribuit ad gloriam ipsius. Lege Aureolum in 4. dist. 22. art. 1. propos. 3.

Aureolus.

Examinatur ratio Scoti.

56. Cæterùm fundamentum Scoti ad summum probat de prima gratia collata sine nostris meritis, & de sacramentali, collata ex opere operato Christi, non autem de gratia collata ex meritis nostris, de qua est eadem ratio, ac de gloria ipsa: etenim meritis in gratia factis non minùs, vt præmium, respondet augmentum gratiæ, quàm gloriæ: ergo non minùs debent merita resurgere ad augmentum gratiæ sibi respondens vt condignum præmium; quàm ad augmentum gloriæ.

57. Secundò dico, quod nec probat de ipsa gratia collata ex opere operato & sine nobis meritis: quia licet talis gratia sit purum donum Dei; tamen semel collata, fit nostra, non minùs, quàm cætera dona Dei nobis collata: ergo semper manet in acceptatione diuina, vt nostra. Cæterùm gratis dicitur, quod quę pendent ex liberali donatione Dei, semel per peccatum amissa, nunquam per pœnitentiam recuperantur. Nam hoc erat probandum: & sanè excellens misericordia Dei suadet oppositum. Adde, quod quæ respectu nostri à Deo gratis donantur, non gratis donantur respectu Christi, cuius merito omnia debentur; Gratia igitur semel nobis ex Christi meritis applicata non minùs fit nostra; quàm gratia ex meritis proprijs nobis collata, quia merita Christi ex ordinatione ipsius fiunt nostra.

Altisidior. Richardus. Aureolus. Durandus. Maior. Gabriel. Palatius. Medina. Suarez. Vasquez. Coninck.

58. Tertia sententia Altisidiorens. lib. 4. tract. 4. cap. 6. quæst. 1. ad primum, Richar. in 4. dist. 14. art. 8. quæst. 2. Aureol. dist. 22. art. 1. propos. 3. Durand. in 3. dist. 31. q. 2. ad tertium, Maior. dist. 22. Gabr. dist. 14. quæst. 3. artic. 3. dubio 3. 4. & 5. Palatij distinct. 14. disp. 6. conclus. 1. & secunda, Medina Codice de pœnit. tract. 1. quæst. 8. Suar. de reuiuiscentia meritorum disp. 2. sect. 2. & 3. Vasquez 3. parte, quæst. 89. art. 5. dub. 3. Coninck disp. 2. dub. 20. affirmantium, per quamcunque pœnitentiam, etiam remissam, & imperfectam, cum aliquo sacramento, omnia merita antiqua resurgere ad totum præmium essentiale, ad quod fuerant ante peccatum acceptata. *Quæ sententia vt probabilior amplectenda est.*

59. Vnicum fundamentum est: quia posito, quod antiqua merita resurgunt ad præmium essentiale, vt iam probatum est sect. præcedente, probabilius est, dicere, quod resurgant ad totum: tum quia sine fundamento dicuntur resurgere ad partem tantùm præmij, cùm auctoritates, Scripturæ, & Patrum suadeant oppositum; tum quia (& est ratio à priori) resurgere, ac reuiuiscere propriè dicitur, quod resurgit ad eandem vitam, quam habebat antea: non enim physicè resurgere dicitur, qui cum diuersa numero anima ad distinctam numero vitam resurgit; sed vita meritorum est gratia: ergo si non resurgunt ad eandem moraliter vitam gratiæ, ex qua processerunt; sed ad aliam, ex qua non processerunt, non possunt propriè dici resurgere, ac reuiuiscere, cùm non sint eadem numero moraliter merita; sicut non esset idem numero homo, qui non resurgeret ad eandem numero vitam substantialem animæ: nam ita se habet gratia ad constituendum moraliter meritum; sicut anima ad constituendum hominem in esse hominis.

60. Confirmatur: nam eadem numero merita inuariata intrinsecè, quæ per peccatum erant impedita, remoto peccato, fiunt expedita ad præmium: vnde pœnitentia non est dispositio ad ea viuificanda, vti est ad præsentem gratiam; sed sola remotio impedimenti, & causa per accidens, nullum tribuens valorem antiquis meritis; sed aliunde supponens ea constituta in ratione meriti, & valoris de condigno.

Pœnitentia ad viuificanda merita est causa per accidens.

61. Ex his soluuntur tres aliæ controuersiæ. Prima, an per pœnitentiam restituatur tota gratia, & gloria per peccatum amissa. Negat Vasquez cit. loco art. 5. dub. 3. num. 17. putat enim, restitui solam gratiam, & gloriam quæ correspondebat proprijs meritis; non autem quæ correspondebat meritis Christi collata per sacramenta, cùm nulla auctoritas hoc probet. Cæteri verò vel expresè affirmant, hanc etiam gratiam per pœnitentiam restitui, vt Sotus, Henriquez, Suarez; vel implicitè supponunt, dum absolutè docent, omnem deperditam restitui, *quæ sententia probabilior est*, & sequitur ex dictis: fundatur autem tum in parabola de filio prodigo, cui, ad Patrem reuertenti, restituta est prima stola, quam Patres intelligunt gratiam Baptismalem: tum quia non minùs Christi meritum semel nobis applicatum, quàm meritum proprium efficax est ad gratiam amissam reparandam; tum quia gratia baptismalis confertur recedente fictione, ergo eadem peccato deperdita per pœnitentiam restituitur.

Vasquez.

Sententia Soti, Henriquez, Suarez, & verior.

62 Secunda, an statim tota gratia amissa per pœnitentiam restituatur? Negant aliqui putantes restitui in fine vitæ, quando pœnitens per subsequentia merita peruenit ad eum gradum, à quo cecidit: Alij, etiam si ad eum gradum non peruenerit, restitui censent in fine vitæ; sed oppositum *est probabilius*: cùm nulla sit causa eam differendi in fine vitæ.

Verius est gratiam deperditam non restitui in fine vitæ, sed ante.

63. Tertia, an simul cum gratia omnes virtutes restituantur; pro cuius explicatione, distinguendum est duplex genus virtutum: aliæ quæ cum pœnitentia pugnant, vt Innocentia, & Virginitas: aliæ quæ cum pœnitentia non pugnant. Posteriores omnes reparantur, vt sunt omnes habitus infusi; non autem acquisiti: quia pœnitentia non restituit, nisi dona supernaturalia connaturaliter connexa cum gratia. Priores reparantur æquiualenter: quia solùm reparantur quoad dona intrinseca, in quibus principaliter consistunt, non quoad connotationem extrinsecam. Innocentia

Duplex est genus virtutum.

Quid Innocentia & Virginitas importent.

centia enim duo importat, & gratiam cum habitibus infusis intrinsecis, & præterea connotat, quod hæc nunquam fuerint per peccatum amissa: vt Virginitas importat habitum infusum, connotata corporis integritate. Pœnitentia igitur reparat, hæc omnia, vt sunt dona intrinseca, non autem quoad connotatum extrinsecum: quia hoc semel amissum reparari non potest, cùm formaliter consistat in ipsamet negatione amissionis.

64. Supererat quarta controuersia: an simul cum meritis reuiuiscant opera satisfactoria quoad effectum satisfactionis? & quidem de operibus satisfactorijs in statu gratiæ factis, nulla est difficultas, cùm sit eadem ratio, ac de reliquis operibus bonis factis in statu gratiæ; sed difficultas sola est de operibus satisfactorijs factis in statu peccati, quæ vim habuerunt satisfaciendi pro pœna ex opere operato Christi, vt fuit pœnitentia à confessario in sacramento pœnitentiæ iniuncta, & in peccato adimpleta; Applicatio missæ, & indulgentiarum peccatori facta. Verùm de hac difficultate disputabimus infrà, cùm de satisfactione, quæ est pars sacramenti pœnit.

65. *Obijcies* primò: ex dictis sequeretur, quòd peccator semper reportaret commodum ex suo peccato: quia semper resurgeret ad maiorem gratiam, quàm haberet, si nunquam peccasset: hoc autem videtur absurdum cùm occasionem præbeat peccandi, vt peccator ad maiorem gratiam resurgat.

66. Secundò non semper homo post charitatem grauiùs cadit, quàm antea vnquam ceciderat: ergo nec semper post peccatum gratior resurgit, quàm antea fuerat.

67. Tertiò, vel pœnitens recuperat gratiam amissam nouo merito, vel antiquo. Non nouo: quia illud adæquatè remuneratur præsente gratia. Non antiquo: alioqui posset quis per merita in gratia facta mereri sibi reparationem post lapsum sibi conferendum.

Ex peccatis tantùm per accidens reportari potest bonum.

68. Respondeo ad primum nego ex peccato, nisi damnationem per se reportari; per accidens autem, & occasionaliter posse aliquod bonum reportari: vt ex peccato Adæ Incarnationem Verbi. Nihil igitur boni ex peccato reportat homo; sed tantùm ex pœnitentia, quæ peccatum supponit. Nego etiam, ex hoc posse hominem occasionem peccandi accipere, cùm plerumque maiora sint bona, quę homo per peccatum amittit, nempe omnia illa opera bona, quę facit tempore peccati, quàm sit maior illa gratia, ad quam per pœnitentiam resurgit.

Semper homo per pœnitentiam resurgit gratior.

69. Ad secundum nego consequentiam: quia per nouum peccatum non redeunt antiqua delicta; sicut per pœnitentiam reuiuiscunt præterita merita. Vnde semper homo per pœnitentiam resurgit gratior: quia simul cum gratia præsente reuiuiscit antiqua; non autem per nouum peccatum semper cadit grauiùs: quia per nouum non reuiuiscunt antiqua, remissa.

70. Ad tertium dico, hominem recuperare antiqua merita deperdita, non ex nouo motiuo contritionis: quia non est hæc nisi sola obicis remotio respectu antiquorum; sed ex meritis antiquis, posita promissione Dei, qui omnia merita semel in gratia facta remoto obice, semper ad præmium acceptat. Ad probationem, nego sequelam: quia dum homo existit in peccato, non est dignus, vt ei conferatur gratia.

S. Thomas.

71. Dices; fuit dignus, dum erat in gratia, vt ei restitueretur gratia post lapsum futurum. Sed contrà, quoniam vt rectè S. Thomas prima secundæ q. 114. art. 7. vt homo sit dignus recipere gratiam, non sufficit vt fuerit dignus, quando elicuit meritum; sed debet esse dignus, quando recipit gratiam: quia non solùm debet esse dignus, vt principium eliciens meritum; sed vt subiectum recipiens effectum meriti; vt enim quis mereatur alteri non solùm debet esse dignus ipse, qui meretur; sed etiam subiectum, cui meretur: sed homo per peccatum fit subiectum indignum, ergo licet vt principium merens fuerit dignum; quia tamen vt subiectum recipiens non est dignum; non potest meritoriè recipere primam gratiam post lapsum ex meritis elicitis tempore gratiæ.

72. Atque hæc de pœnitentia virtute, ad cuius complementum agendum superest de illius præceptis, an, quando, & quomodo obliget.

DISPVTATIO IX.

SECTIO PRIMA.

An de contritione sit speciale praeceptum?

Victoria.

1. PRIMA sententia Victoriæ apud Canum releċt. de sacramento Pœniten. parte 4. negantis. Primò quia Sanċtus Tho. secunda secundæ quæst.14. ar.1. ad tertium,& art.2. docet finalem impœnitētiam, vt importat solam permanentiam in peccato, non esse speciale peccatum; sed circumstantiam cuiuslibet peccati: Esse autem speciale peccatum, solùm vt importat propositum non pœnitendi: at si de potentia foret speciale prçceptum, non modo expressum propositum non pœnitendi; sed ipsa finalis permanentia in peccato esset speciale peccatum: quia, vt omissio præcepti sit culpabilis, non requirit, vt expressè intendatur.

2. Secundò. Si esset speciale præceptum recuperandi gratiam per contritionem, esset etiam speciale præceptum conseruandi gratiam: Vnde qui peccando amitteret gratiam, duplex committeret peccatum, alterum in propria materia, in qua peccaret, alterum non conseruandi gratiam.

3. Tertiò. Prçceptum non obligat quoad modum; sed solùm quoad substantiam actus; esto igitur obligemur ad pœnitendum; non obligamur tamen ex motiuo charitatis, ex quo tantùm motiuo pœnitentes gratiam recuperamus; sed possumus præceptum implere ex quocunque motiuo, etiam temporalis damni, vel infamiæ.

4. Quartò. Sequeretur, non posse hominem ex hac vita decedere cum vno tantùm peccato mortali; sed saltem præter peccatum, cuius ipsum non pœniteret, contraheret nouum peccatum impœnitentiæ, & quia neque huius pœniteret, contraheret aliud peccatum impœnitentiæ, à priore distinċtū, & sic in infinitum. Cçterùm non negat hæc sententia, peccatorem simpliciter obligari ad pœnitendum: nam saltem obligatur ex præcepto virtutis, quam peccando lædit; sed negat obligari ex peculiari prçcepto contritionis; ita, vt impœnitentia non sit nouum peccatum contra nouum prçceptum; sed idem commissum moraliter perseuerans.

S. Thomas.

5. SECVNDA sententia Sanċti Thomæ 3. parte quæst. 84. art.7. ad primum, & qu. 85. art. 2. in argumento *sed contra*, & reliquorum Scholasticorum, quos infrà citabimus, affirmātiū, *quæ verior est*; vt colligitur ex Lucç 17. *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis.*

Luc. 17.

6. Probatur primò à posteriori. Omnes tenemur speciali præcepto charitatis ad procurandam salutem spiritualem proximo, in hoc enim fundatur præceptum fraternç charitatis, & correptionis; ergo à fortiori ad procurandam salutem spiritualem nobis. Consequentia cōstat: quia arċtiori vinculo tenemur nostram, quàm proximi salutem procurare.

7. Secundò à priori: quoniam, vt reċtè S. Thomas 3. p. q. 68. art. 1. & secunda secundæ q. 3. art. 2. quidquid est necessarium ad salutem, cadit sub prçceptum diuinæ legis: contritio est necessaria ad salutem; ergo cadit sub prçceptum. Maior constat: nā ideo Baptismus, & confessio sunt prçcepta: quia sunt necessaria ad salutem. Cuius ratio est: quia vnusquisque naturali prçcepto astringitur ad salutem animæ magis, quàm ad salutē corporis, & hoc ideo: quia vnusquisque tenetur adhibere media ad consequendū vltimum finem, ad quem est ordinatus. Minor probatur: quia salus nostra consistit in perfeċta reconciliatione cum Deo: ad perfeċtam autem reconciliationem cum Deo, necessaria est cōtritio. Nam iure naturç tenetur peccator ad faciendum quidquid cum auxilio diuino potest ad satisfaciendum Deo: ergo iure naturç tenetur ad eliciendum aċtum contritionis: ergo contritio est necessaria ad salutem. Consequentia patet: quia si contritio est necessaria ad reconciliationem, & sine reconciliatione non habetur salus, sequitur, quòd contritio sit necessaria ad salutem.

S. Thomas.

Peccator iure naturæ tenetur ad contritionem ex triplici cap.

8. Confirmatur: quia, vt colligitur ex S. Thoma q. 84. art. 5. ad 2. ex triplici capite obligatur peccator ad pœnitēdum. Primò ex charitate erga Deum, quem sicut tenemur super omnia diligere; ita eius malū, & offensam auersari. Secundò ex charitate erga seipsum, cùm non minùs teneatur seipsum diligere in bonis animç, quàm corporis; nec minùs procurare sibi salutem æternam, quàm temporalem. Tertiò ex speciali virtute pœnitētię, quæ sicut tenemur ius primæ regulæ illçsum seruare: ita lçsum quoad fieri potest, resarcire.

S. Thomas.

9. Ad primum primæ sententiæ, quod attinet ad auċtoritatem Sanċti Thomç dupliciter potest perseuerantia in peccato se habere: Vno modo materialiter, quādo speciale

præceptum pœnitentiæ non obligat, vel quia non aduertitur, vt ab eo, qui subita morte interit; aut naturaliter obliuiscitur, aut inuincibiliter tale præceptum ignoratur; vel quia nondum currit tempus præcepti. Secundò formaliter, quando & tempus præcepti pœnitentię currit, & à peccatore aduertitur. Primo modo, perseuerantia in peccato est sola circumstantia peccati non minùs, quàm perseuerantia in opere bono est accidens, & circumstantia actus boni. Secundo modo, est speciale peccatum impœnitentiæ distinctum, quod vt committatur, non est necesse, vt expresse; sed tantùm implicitè, & indirectè intendatur. Vbi igitur S. Thomas docet, finalem impœnitentiam esse solam circumstantiam peccati, intelligendus est primo modo. Vbi verò affirmat esse speciale peccatum, explicandus est secundo modo, vt seipsum explicat in 2. dist. 43. q. vnic. art. 3. ad tertium, eumque interpretantur Sotus in 4. dist. 17. q. 2. art. 6. & Canus præcitatus.

Quando finalis impœnitentia sit circumstantia, & quando sit peccatum speciale.

S. Thomas.

Sotus. Canus.

10. Ad secundum eo modo, quo est peculiare præceptum recuperandi gratiam, est etiam peculiare præceptum illam non amittendi: at sicut non semper gratiam non recuperare, est speciale peccatum, sed certo tempore; ita nec semper gratiam amittere, est speciale peccatum, sed aliquando: nempe quando periculum est, illam ampliùs non recuperandi, ob defectum tēporis, vel rationis vsus. Vnde nego, semper, qui gratiam amittit, duplex committere peccatum; sed solùm quando periculum est, illam amplius non recuperandi.

11. Ad tertium concedo antecedens, quando modus non est de substantia actus, secus, quando est: quia tunc omittere modum, est omittere substantiam ipsam præcepti; tale est motiuum charitatis respectu contritionis, quia hæc essentialiter dicit, fieri ex motiuo charitatis. Ceterùm licet pœnitentes ex solo motiuo satisfaciendi Deo, impleamus præceptum pœnitentię specialis; non tamen implemus præceptum charitatis, quam Deo, & nobis debemus.

12. Ad quartum nego sequelam: nam posset quis cum vno tantùm peccato mori, non aduertendo præceptum pœnitentię: quod si aduertat, vltrò concedo, præter præteritum, nouum committere peccatum impœnitentię: nego tamen ipsum impœnitere impœnitentiæ esse distinctum peccatum ab ipsa impœnitentia: quia ipsum impœnitere impœnitentiæ, non dicit diuersam malitiam ab ipso impœnitere reliquorum peccatorum.

SECTIO II.

An præceptum contritionis statim obliget?

13. PRIMA sententia Argent. in 4. dist. 17. quæst. 2. art. 4. ad quartum, Mayroni q. 1. §. *tertia particula* affirmantium. Quod de Religiosis docet Bonau. in 4. dist. 17. p. 2. art. 2. q. 2. eo quòd totum tempus vitæ est religioso tempus pœnitentiæ, & ideò statim ac peccat, tenetur confiteri, si potest, aut saltem conteri.

Argent. Mayronus. Bonauent.

14. Probatur primò, & est fundamentum Argentin. quæ sunt de iure naturæ, statim obligant: reconciliari, ac satisfacere offenso, sunt de iure naturæ: ergo contritio, qua Deo reconciliamur, & satisfacimus pro illata offensa, statim obligat. Maior probatur, nam ideo dilectio Dei statim obligat ad formalem pœnitentiam, quia est de iure naturæ. Confirmatur: quia statim tenemur resarcire damnum in bona corporis, fortunæ, honoris, aut animæ illatum proximo; ergo à fortiori statim tenemur resarcire damnum in Dei honorem, & bona spiritualia nostra illatum.

15. Secundò. Ex præcepto charitatis statim tenemur corripere fratrem, vt illum à peccato eruamus; ergo à fortiori statim obligamur, nos à peccato per contritionem liberare.

16. Tertiò. Statim tenemur adhibere medicamenta, ne salus corporis pericliteiur: ergo multo magis pœnitentiam, ne periclitetur salus animæ.

17. Quartò. Non minùs post peccatum tenemur à peccato auerti; quàm ante peccatū à peccato cauere; sed tenemur ante à peccato cauere: ergo & post à peccato auerti.

18. Quintò. Semper homo tenetur non esse Deo infensus, & inimicus: ergo si peccatum incurrit, statim tenetur ab eo se liberare, cùm per peccatum homo fiat infensus & inimicus Deo.

19. Sextò. Si liceret pœnitentiam differre; liceret etiam pro eo tempore pœnitentiam non velle: ergo liceret etiam pro eo tempore velle permanentiam in peccato, & inimicitiam cum Deo; at hoc nunquā licet, cùm sit ex obiecto malum. Prior sequela patet. Posterior probatur: quia qui vult antecedēs, vult etiam consequens in antecedente inclusum: ergo qui vult non pœnitere pro aliquo tempore, pro eodem vult perseuerare in peccato, & inimicitia Dei.

20. Septimò. Priuatus gratia habituali nō potest diu omnia peccata cauere; ergo tenetur statim gratiam recuperare, ne se constituat sub morali periculo in alia peccata incidendi: Nam teste Greg. homil. 11. in Ezechielem, peccatum, quod per pœnitentiam non deletur, suo pondere trahit ad aliud.

21. SECVNDA

Scholastici. 21. SECVNDA sententia communis Scholasticorum negatiua; pro cuius explicatione, notandum ex Marsil. in 4. q. 12. art. 1. parte 5. dub. 3. dupliciter posse nos obligari ad commissum peccatum detestandum: Primò ex eodem præcepto, quo tenebamur illud non committere: idem quippe præceptum virtutis obligat ad non transgrediendum ius eius, & transgressum compensandum. Secundò ex nouo præcepto distincto, & consequenter sub nouo peccato specie diuerso. *Marsilius.*

22. DICO primò. Nemo tenetur ex nouo præcepto ad statim pœnitendum. Fundamentum: quia nemo de tali peccato in confessione se accusat, nec vllus confessor de tali peccato pœnitentem interrogat; cùm tamen esset distinctè confitendum, si sub nouo præcepto teneremur ad statim commissum peccatum detestandum. Ratio: quia vel hoc esset nouum præceptum charitatis erga Deum; vel erga nos ipsos; vel pœnitentiæ specialis ad recompensandam iniuriam illatam Deo. Non primum, & tertium: quia nullum nouum damnum, aut noua iniuria per se fit Deo ex eò, quòd non statim peccatum retractamus. Non secundum, quia nullum nobis prouenit irreparabile damnum, ex eò quòd pœnitentiam differimus. quod autem aliquod proueniat, amissio scilicet bonorum operum, quæ fiunt in statu peccati, non est sufficiens ad obligandum nos sub nouo præcepto ad statim pœnitendum: quia cùm eorum operum simus perfecti Domini, possumus nostro iure cedere.

Præceptum contritionis est affirmatiuum. 23. Demum, & est commune fundamentum Scholasticorum: præceptum contritionis est affirmatiuum, quod non obligat ad statim; sed certo tempore, vrgente scilicet graui aliqua necessitate: sicut, inquit S. Thomas præcit. loco in 4. præceptum eleemosynæ non semper oblata occasione obligat, sed tẽpore necessitatis: alioqui quoties qui petenti eleemosynam non daret, peccaret. Nec refert, quod peccans sit religiosus: quoniam, vt docet S. Thomas in 4. dist. 17. q. 3. art. 1. quæstiuncula 4. in fine, Religiosi non plus tenentur; quàm cæteri, nisi ad ea, ad quæ se ex voto obligarunt. *S. Thomas.* *S. Thomas.*

24. DICO 2. Nemo tenetur ex eodem præcepto, quo astringitur peccatum non committere, illud idem sub nouo peccato statim retractare. Fundamentum est idem, ac præcedentis conclusionis. Nam aliàs teneremur de hoc distinctè confiteri. Ratio à priori, est, quia sola permanentia in peccato non addit supra peccatum, nisi circumstantiam temporis: ergo non tenemur sub nouo peccato commissum statim retractare. Antecedens constat à paritate virtutis, cuius sola permanentia non addit diuersam rationem virtutis; sed solam cõtinuationem eiusdem actus. Consequentia verò probatur: nam vbi non est noua ratio obligandi, non potest esse noua obligatio: ergo si sola permanentia in peccato non addit nouam rationem obligandi, neque cessatio à peccato inducit nouam obligationem.

25. Ad primum oppositæ sententiæ, nego maiorem: etenim non omnia, quæ sunt de iure naturæ affirmatiuo statim obligant: vt diligere Deum, honorare parentes, sunt de iure naturæ; & tamen non statim obligant; sed suo tempore. Ad probationem nego, ideo formaliter dilectionem Dei statim ad pœnitendum obligare, quia est de iure naturæ; sed quia est de iure naturæ, vt passio necessariò consequens ad efficacem dilectionem Dei. *Cur dilectio Dei statim ad pœnitendū obliget:*

26. Ad confirmationem, neque nos sub nouo peccato teneri ad resarciendum illatum damnum proximo, nisi ratione noui damni emergentis, quod proximus incurrit, aut probabiliter timetur incursurus ex mea non recompensatione. Cęterùm si nullum illi timeretur nouum damnum, nõ teneremur statim ex noua obligatione illatum damnum resarcire. eadem ratio militat de bonis Dei, & spiritualibus nostris; nam si ex non recompensatione nostra periclitatur honor, & fama Dei apud homines, aut ęterna salus nostra, tenemur sub nouo peccato statim commissũ peccatum retractare: absolutè tamen negatur consequentia: Nam ex damno illato proximo semper per se nascitur nouum damnum, ratione cuius tenemur sub nouo peccato illatũ statim resarcire: nam vel damnum est in bonis temporalibus, & hæc quia sunt per se vtilia proximo, semper eorum priuatio per se affert nouum damnũ; vel in spiritualibus, & dispar est ratio de nobis: quoniam nos semper possumus vrgente necessitate, amissam salutem nobis recuperare, non sic proximo, cuius salus non est in nostra potestate: & ideo ratione periculi, tenemur sub nouo peccato statim illatum damnum in spiritualibus, quoad fieri potest, ei resarcire. *Et tenemur proximi damnū resarcire: non sic pœnitere.*

27. Ad 2. Nego consequentiam, ob rationem assignatam: quoniam nostra salus semper est in potestate nostra, non autem salus proximi. Cæterùm si posset nobis certo constare correctionem habituram effectum in fratrem tẽpore necessitatis, quo ipse sibi ex nouo præcepto tenetur salutem procurare, non teneremur statim illam adhibere. Quia verò hoc & per se nobis incertum est, & sępe periculum est incurrendi nouum peccatum, statim ex præcepto charitatis illam adhibere tenemur.

28. Ex his patet ad tertium: nam quando ad salutem corporis censetur necessarium, vt medicamentum statim adhibeatur, statim est adhibendum; secus quando non censetur necessarium, aut differri potest in aliud tempus: & in hoc eadem ratio est de salute animæ, & corporis.

29. Ad quartum maior est vera de auersione actuali negatiua, qua statim tenemur à peccato actuali desistere; non autem de auersione actuali positiua qua positiuè auertamur à peccato commisso: nam sicut ante non tenebamur statim positiuè peccatum detestari; sed solùm non positiuè in peccatum tendere; ita neque post commissum peccatum tenemur statim illud positiuè detestari, sed tantùm ab illo cessare.

30. Ad 5. Concedo, semper hominem teneri, non esse Deo infensum, & inimicum actu, non autem habitu, nisi quando currit præceptum de reconciliando nos cum Deo.

31. Ad 6. Concessa priore sequela, neganda est posterior; nam primum obiectum non dicit intrinsecè malitiam: dicit enim solam negationem pœnitentiæ, pro tempore, quo non obligat sub nouo peccato. Secundum verò dicit intrinsecè malitiam: quia dicit ipsum positiuum statum peccati, & inimicitiam cum Deo, quæ sunt intrinsecè mala. Vnde non possunt sine distincto peccato per nouum actum esse volita.

32. Ad probationem posterioris sequelæ, nego consequentiam, de voluntate explicita, & per se terminata ad permanentiam peccati, & inimicitiam Dei; concedo tamen de voluntate implicita, & virtuali, quo pacto volita non inducunt distinctum peccatum; nam sicut non retractare peccatum, est virtualiter, & implicitè velle perseuerare in peccato; & tamen hoc non implicat nouum peccatum: ita velle explicitè non retractare pro tunc peccatum, licet sit virtualiter velle perseuerare in peccato, non inuoluit nouum peccatum.

33. Ad 7. Nego consequentiam; nam quamuis verum sit, non posse diu absque nouo peccato perseuerare eum, qui priuatur habitu gratiæ; hinc tamen non sequitur, ad hoc periculum vitandum peccatorem, statim teneri ad pœnitendum, tum quia non statim in hoc periculo constituitur; tum quia, cum hoc tempus sit incertum, potest pro quolibet determinato tempore iudicare, se non esse in hoc morali periculo peccandi.

SECTIO III.

Quando præceptum contritionis obligat?

Alensis. Bonauent. S. Thomas. Paludanus. Richardus. Marsilius. Gabriel. Angelus. Syluester. Sotus.

34. PRIMA sententia Alens. 4. parte q. 17. mem. 2. art. 2. §. 2. Bonau. in 4. dist. 16. p. 1. art. 3. qu. 2. & dist. 17. p. 2. art. 2. q. 2. S. Tho. dist. 17. q. 3. art. 1. quæstiuncula 4. Palud. q. 1. art. 3. Richar. dist. 14. art. 9. q. 1. Marsil. q. 12. art. 1. parte 5. dub. 3. Gabr. dist. 14. q. 3. art. 3. dub. 2. Angeli verbo *contritio* num. 5. Syluestri verb. *dominica* q. 6. Petri Soti de pœnit. lect. 13. affirmantium, obligare, quoties peccata menti occurrunt, vt practicè detestanda. Addit verò Sotus intelligendum esse de peccatis, de quibus nondum acta est pœnitentia.

Fundam. Richardi.

35. Probat primò Richar. Nam alioqui non fideliter seruaret reparatum fœdus diuinę amicitię, cui actu non displiceret peccatum, quod inter ipsum, & Deum fuit causa inimicitiæ.

Paludani.

36. Secundò probat Palud. charitas inclinat ad detestandam offensam in Deum commissam; facere autem contra inclinationem charitatis, est mortale: ergo non detestari peccata, quando menti occurrunt practicè detestanda est mortale: quia est niti, contra inclinationem charitatis, quæ tunc practicè dictat, detestanda esse peccata.

Gabrielis.

37. Tertiò probat Gabriel, occurrente peccato, vt offensa Dei, voluntas tenetur circa illud aliquem actum elicere, non complacentiæ, vt patet: ergo displicentię. Maiorem probat, tum quia ex charitate tenemur conformari diuinæ voluntati; sed diuinæ voluntati actu displicet omne peccatum; ergo & nobis actu displicere debet, quoties illud consideramus vt offensiuum Dei: tum quia esset magnus contemptus Dei, qui stare non potest cum dilectione, quam vnusquisque debet Deo, si cogitantes de peccato vt offensiuo Dei, nullum eliceremus actum: quia parui penderemus Deum in nostro cogitatu, cum nullus cogitans de offensa amici, à se commissa, non doleat.

38. Quartò. Præceptum est, aliquando de peccatis conteri: non potest autem opportunius tempus assignari, quam cùm memoriæ occurrunt vt offensiua Dei: ergo tunc obligant, vt actu ea detestemur.

Marsilij.

39. Quintò probat Marsilius. resistere Deo vocanti ad pœnitentiam, est nouum peccatum mortale: quia nolle ad salutem redire, non est tantùm veniale; cui autem commissa peccata practicè detestanda occurrunt, is à Deo interiùs vocatur ad pœnitentiam: ergo tali vocationi non consentire, est Deo vocanti resistere, iuxta illud Prouerbiorum primo: *qui vocaui, & renuistis &c. ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo*, qui Auctores, exceptis Marsilio, & Soto, loquuntur de peccatis etiam remissis.

Prou. 1.

Marsilius. Angelus.

40. SECVNDA sententia Marsilij supra citati, Angeli verbo *feria* num. 41. asserentium peccatorem obligari saltem in diebus festiuis. Fundamentum: quia in his diebus tenemur Deo vacare; non possumus autem Deo vacare, nisi priùs de peccatis conteramur, vel saltem atteramur, inquit Angelus: propterea enim dictum est Leuitici 23. *Sabbatum requietionis est, affligetisque animas vestras*: & paulò pòst: *omnis anima, quæ afflicta non fuerit die hac, peribit.* Hæc sententia solùm loquitur de peccatis nondum remissis.

Leuit. 23.

Scotus. Bassolus. Palatius. Sotus. Medina. Canus. Valentia. Suarez. Vasquez. Henriquez.

41. TERTIA sententia Scoti in 4. dist. 17. q. vnic. art. 3. qu. 2. art. 3. Palatij in 4. dist. 17. disp. 2. Soti quæst. 2. art. 6. Medin. Cod. de Pœnit. tract. 1. q. 6. Cani relect. de Pœnit. parte 4. Valent. disp. 7. q. 8. puncto 4. Assertione 6. Suar. disp. 15. sect. 6. Vasquez q. 86. art. 2. dub. 6. Henriquez lib. 4. de sacramento Pœnit. cap. 6. & aliorum affirmantiũ, præceptum contritionis per se tantùm obligare, vrgente necessitate. Quæ autem sit hæc necessitas, controuertunt Doctores. Conueniunt, in articulo mortis omnes teneri, cùm illa sit suprema necessitas. Vnde Scotus, & Bassol. præciso præcepto annuæ confessionis, putant contritionem obligare semel tantùm ante mortem: Sotus addit, quoties obligat

præceptum

præceptum confessionis: quia præceptum contritionis in lege Euangelica non est abrogatum; sed determinatum quantum ad modum per sacramentum confessionis. idem igitur est tempus annuæ confessionis, & contritionis, plerique docent, quoties vrget publica necessitas: nam tunc vnusquisque tenetur se constituere in gratia, vt à Deo exaudiatur. Alij alios assignant casus, vt quando quis est administraturus, vel suscepturus sacramenta. addit Valentia, cùm primum quis Christianam religionem suscipit.

42. Pro explicatione, nota primò hic duplicem esse controuersiam, aliam quando contritio obligat sub peculiari præcepto ad detestanda peccata nondum remissa, & confessa; aliam, quando obligat ad detestanda peccata iam remissa, & confessa. Secundò, aliud esse contritionem obligare per se; aliud ratione alterius præcepti adiuncti. Nam in primo casu inducit obligationem per se, & consequenter obligat ad speciale peccatum, in secundo inducit obligationem per accidens, & non obligat ad distinctum peccatum.

43. Dico 1. Sola memoria peccati commissi, & nondum remissi, etiam vt practicè detestabilis, non obligat ad contritionem. Fundamentum: quia non est vnde præceptum istud colligatur, cùm enim hoc sit affirmatiuum, non obligat statim ac menti occurrit practicè seruandum. Confirmatur: quia non minùs præceptum charitatis obligat ad diligendum Deum; quàm contritionis ad detestandum peccatum: atqui sola memoria Dei practicè diligibilis non obligat ad actualem dilectionem Dei; ergo nec sola memoria peccati practicè detestabilis ad actualem detestationem peccati.

44. Dico 2. Contritio non obligat ad detestanda peccata nondum remissa, diebus festis. Fundamentum: quia potest seruari præceptum, sabbata sanctificandi, sine contritione: Nam illud solùm obligat ad exibendum debitum cultum Deo per opera Religionis, quæ seruati possunt etiam à peccatore: nam hæc consistunt in quibusdam ceremonijs exhibendis Deo in recognitionem supremi dominij, quod habet in creaturas. nec semper in his festis tenemur elicere actum dilectionis Dei, cum quo necessariò connectitur detestatio peccatorum nondum remissorum menti occurrentium. Confirmatur: alioqui tenerentur fideles de hoc peccato specialiter confiteri; de quo tamen nec confitentur pœnitentes, nec confessarij interrogant. nec obstat, quod finis huius præcepti sit, animam Deo sanctificare: quia non semper finis præcepti cadit sub præcepto.

Non semper finis præcepti cadit sub præcepto.

45. Dico 3. Licet per accidens contritio sæpe obliget ad detestanda peccata nondum remissa; per se tamen non obligat, nisi in quibusdam casibus. Per accidens autem obligat primò: quoties sunt administranda sacramenta: nam tunc tenetur minister in sanctitate se conformare Deo principali agenti, cum quo concurrit vt morale instrumentum ad actionem per se sanctificatiuam subiecti, ne iniuriam inferat Deo, & sacramento, vt probatum est tomo præcedente disp. 9.

46. Obligat 2. quoties suscipienda sunt sacramenta, confirmationis, ordinis, & matrimonij: nam quisque tenetur ea dignè, & cum fructu suscipere. Ad baptismum autem, & confessionem, cùm sint sacramenta mortuorum, per se ordinata ad primam gratiam, non est necessaria contritio; sed sufficit attritio. Ad Eucharistiam verò, & Extremam-Vnctionem requiritur confessio, ad illam ex præcepto diuino, vt constat ex Trident. sess. 13. cap. 7. ad hanc ex iure naturæ, cùm semper hoc sacramentum suscipi debeat in supremo periculo vitæ, in quo semper obligat sacramentum pœnitentiæ ad confitenda peccata nondum confessa.

Concilium Trident.

47. Obligat 3. quoties quis tenetur elicere actum dilectionis erga Deum: implicat enim peccatorem diligere Deum super omnia, & actu non detestari peccata menti occurrentia nondum remissa, vt ex suprà disputatis constat.

48. Obligat 4. quoties quis erroneè putat, se teneri ad contritionem habendam: quia cùm nunquam sit licitum operari contra conscientiam, quotiescunque aliquis erroneè iudicat, se teneri ad contritionem eliciendam, tenebitur illam elicere, alioqui operaretur contra conscientiam dictantem hic, & nunc, eliciendam esse contritionem.

49. Per se verò obligat primò in articulo mortis, vero, vel præsumpto: quia tunc vnusquisque tenetur, & ratione charitatis erga se, & ratione satisfactionis, dilectionisque erga Deum, perfectam agere pœnitentiam, Deoque perfectè reconciliari, cùm aliud tempus ad pœnitendum non supersit.

50. Obligat 2. in morali periculo vitæ; est autem morale periculum vitæ, non in quo vni, aut alteri; sed in quo plerisque solet mors contingere, vt in bello, vel longa, & periculosa nauigatione. Fundamentum est: quia morale periculum vitæ æquiualet supremo articulo mortis.

51. Obligat 3. in casu publicæ necessitatis, quando probabiliter timetur, Deum punire populum ob peccata particularia. Nam tunc vnusquisque tenetur per contritionem se disponere ad placandam diuinam iustitiam, ne propter sua peccata Deus totum populum puniat, sicut propter solùm peccatum Achan Deus puniuit totum exercitum Israel. Iosue 7.

Iosue 7.

52. Obligat 4. quoties quis aggreditur opus Heroicum, à quo aut publica salus, aut magna vtilitas populi dependet, vt potens habeat Dei auxilium, quod plerumque peccatoribus denegatur; Vt si quis intercessor constituatur apud Deum pro salute populi: nam tunc tenetur facere quantum in se est, vt non frustretur fine, ad quem assumitur.

53. Obligat 5. certo quoque tempore ante mortem, quod tempus Sotus docet esse quando periculum foret, ne peccata, vtpote quæ

Reijcitur sententia Soti.

quæ singillatim recogitata detestanda sunt, memoriæ exciderent. Verùm hoc communiter non admittitur, alioqui etiam teneremur, propter simile periculum, præuenire tempus annuæ confessionis: quod falsum est vt infrà ostendemus.

54 Obligat 6. in casu, in quo currit præceptum annuæ confessionis, & deest confessarius, vel pœnitens obmutuit: nam tunc teneretur contritione supplere effectum sacramenti: est Henriquez lib. 4 de sacramentis cap 6. num. 8. Fundamentum ipsius est quia præceptum confessionis in lege Euangelica est subrogatum præcepto contritionis. Sed de hoc infrà disp. 17. de præcepto Ecclesiastico confessionis, sect. 4.

Henriquez.

55. Dico 4. Nunquam contritio obligat sub nouo præcepto ad detestanda peccata, aliàs detestata, nisi in articulo mortis, aut in probabili periculo vitæ, & in casu publicæ necessitatis, in quo salus populi periclitaretur. Fundamentum huius posterioris partis est: quia in his casibus ratione propriæ charitatis, & proximi, tenemur adhibere media certissima ad salutem; ergo tenemur conteri de peccatis, etiam alias detestatis. Antecedens constat: quia in his casibus charitas obligat ad exhibendam omnem moralem diligentiam, vt nostræ, & proximi saluti prouideamus. Consequentia verò probatur, nam neque de peccatis aliàs detestatis sumus certi, quod sint nobis condonata, defectu veræ contritionis, confessionisve; ergo etiam de illis tenemur in his casibus conteri, vt certiores efficiamur de nostra, & proximi salute. Fundamentum prioris partis quia vltra hos casus, non tenemur tantam diligentiam adhibere, vnde satis est, probabiliter habere certitudinem de condonatione nostrorum peccatorum.

56. Ad primum Richar. pro prima sententia, nego sequelam: nam fideliter seruat iustificatus reparatum fœdus diuinæ amicitię; si actu sibi non complaceat de peccatis memorię occurrentibus.

57. Ad 2. Palud. nego eum, qui solùm facit contra inclinationem charitatis negatiuè, mortaliter peccare. Cæterùm qui actu non detestatur peccata, quę sibi menti occurrunt, solùm facit contra charitatem negatiuè, non sequendo positiuè naturalem propensionem charitatis inclinantis ad detestandam offensam amici.

Non peccat mortaliter qui contra inclinationē charitatis facit negatiuè.

58. Ad 3. Gabriel, nego maiorem: & ad priorem probationem nego, ex charitate nos teneri conformari voluntati diuinę consulenti; sed tantùm præcipienti; seu nego, nos semper teneri conformari voluntati diuinæ positiuè; sed tantùm negatiuè, vt nunquam ei positiuè difformemur. Ad posteriorem, nego fore contemptum Dei, aut positiuè contra habitualem charitatem, quam semper Deo debemus, nullum elicere actum circa peccata, quæ memoriæ occurrunt, etiam vt offensiua Dei; neque sub pœna peccati hoc postular amicitia nostra ad Deum.

Semper tenemur conformari voluntati diuinæ negatiuè.

59. Ad 4. argumentum eiusdem Auctoris, negatur minor, vt patet ex dictis.

60. Ad 5. Marsilij nego maiorem: nam non semper Deus vocat obligando; sed consulendo tantùm, vt constat ex cit. loco Ecclesiastici, alioqui semper sub præcepto teneremur respondere internis motionibus ad bonum excitantibus, quod falsum est.

61. Ad Scripturam dico, vel in ea explicari pœnam debitam peccatoribus ob transgressiones aliorum pręceptorum, qui dum inspirationibus diuinis nolunt acquiescere, meritam pœnam suis peccatis reportant; vel explicari speciale peccatum impœnitentiæ finalis; quando contritio sub speciali præcepto obligat omnes. Scholastici verò explicandi sunt negatiuè, vt quoties peccata occurrunt, teneamur ijs non consentire, non autem positiuè dissentire: Ita Canus, specialiter Caiet. tomo 1. opusc. tract. 17. q. de contritione ad primum Sanctum Thom. explicat quod non simpliciter dixit peccata esse detestanda, quando memoriæ occurrunt; *sed præcipuè*, inquit, *in periculo mortis, aut aliquo articulo*, vbi tempus conterendi quoad obligationem determinat per tempus periculi mortis, aut alterius articuli obligantis.

Canus. *Caietanus.* *S.Thomas.*

62. Ad fundamentum secundæ sententiæ patet ex secunda nostra assertione.

63. Ad locum Leuitici respondet primò Medina: illum non intelligi de contritione internâ; sed de afflictione externâ per abstinentiam à voluptatibus. Secundò, esto intelligatur de contritione internâ, quod probabile est; erat enim institutum semel in anno decima die mensis septimi, & dicebatur festum propitiationis, seu expiationis, in quo Sacerdos sacrificabat, & orabat pro peccatis populi, vt Deus illis peccata remitteret, vt habetur cap. 16. hoc autem lege Euangelicâ commutatum est in præceptum confessionis.

Medina. *Leuit. 16.*

SECTIO IV.

An sacramentum Pœnitentiæ in omni casu suppleat præceptum contritionis?

64. Prima sententia Vegę 13. in Trident. cap. 15. & 20. Valent disp. 7. q. 8. de contrit. punct. 4. assert. 6. Suar. disp. 15. sect. 4. negantium, Vega, & Suarez saltem in articulo mortis putant, præceptum contritionis per se obligare, independenter à præcepto confessionis.

Vega. *Valentia.* *Suarez.*

65. Fundamentum Suar. quia homo ratione charitatis, quam erga seipsum, & Deum debet habere tenetur tutiorem viam in eo articulo eligere: at tutior via est, præter sacramentum confessionis, adhibere medium contritionis; quia opinio, quæ affirmat, solam

Fundam. Suarez.

attritionem

attritionem cognitam cum Sacramento sufficere ad iustificationem, non est certa. Igitur poterit esse falsa. Dato ergo, quod sit falsa, sic accedens ad Sacramentum non iustificabitur: quoniam vt iustificemur, non pendet ex opinione nostrâ probabili, sed ex ipsâ institutione Sacramenti: ergo in tali casu propria charitas obligat, ne nos æternæ damnationis periculo exponamus. Secundò, esto opinio illa certa sit, adhuc possumus esse dubij, nequid ex parte nostra, vel ministri omissum sit, quod ad validitatem Sacramenti sit necessarium. Confirmatur: quia saltem tenetur homo in articulo mortis Deum super omnia diligere; sed hic actus necessariò involuit detestationem omnium peccatorum; ergo. Valentia absolutè affirmat, in nullo casu, in quo per se obligat præceptum contritionis, posse per solam attritionem cum Sacramento confessionis suppleri. Fundamentum Valent. quia ex scripturis habemus, pœnitentiam esse in præcepto: sed nomine legitimæ pœnitentię venit contritio: ergo non potest per alium actum, qualis est vsus Sacramenti cum sola attritione suppleri: nam hoc esset destruere præceptum ipsum contritionis, quæ non quemcunque actum; sed actum specialis virtutis pœnitentiæ importat: sicut quia actus Fidei, spei, & Charitatis, sunt in præcepto, non possunt per alios actus virtutum suppleri.

Valentia.

66. Confirmatur: quia licet iustificemur per contritionem, tenemur tamen speciali præcepto confessionis peccata contrita confiteri: ergo licet iustificemur suo tempore per confessionem, tenemur peculiari præcepto, de confessis conteri, posito, quod nunquam de illis fuerimus contriti: quia præceptum pœnitentię non obligat ad repetendam, sed tantùm ad agendam pœnitentiam.

67. Secunda sententia Cani relect. de pœnit. p. 4. Henriquez lib. 4. de Sacramentis cap. 6. num. 5. Vasquez 3. p. q. 86. a. 2. dub. 6. Coninck disp. 3. dub. 1. Nugnez in additione ad 3. partem q. 1. dub. 4. a. 3. affirmantiū. *Quæ probabilior est & sequenda.*

[...]nus [Hen]riquez [Va]squez [Co]ninck [Nu]gnez.

68. Fundamentum; quia in lege Euangelicâ pręceptum contritionis commutatum est in præceptum confessionis; ergo in omnibus casibus, in quibus antea obligabat contritio, nunc suppleri potest per Sacramentum confessionis. Consequentia constat. Antecedens probatur: tum quia alioqui Christus per præceptum confessionis non alleuasset; sed aggrauasset onus. Nam præter præceptum contritionis, addidisset præceptum confessionis: tum quia hinc sequeretur, Sacramentum confessionis remittere peccata in voto contritionis, suo tempore exercendæ? Quod falsum est: Nam potius contritio peccata remittit in voto confessionis, vt constat ex Tridentin. session. 14. capite 4. est enim Sacramentalis absolutio vltima sententia decretoria absoluens reum ab omni vinculo peccatorum, quo ligatus tenebatur, iuxta illud Ioan. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.*

[Conc]ilium [Tride]ntin. [...]d sit [...]atio [...]men- [...] 20.

69. Tum quia, si iustificatus per Sacramentum confessionis tenetur vlterius conteri, vel tenetur præcepto Charitatis erga se, vel erga Deum; vel ex virtute ipsa pœnitentiæ: quà Deo debet pro illatâ iniuriâ satisfacere. Non ex primo, cùm sit iam iustificatus, & certus moraliter de suâ iustificatione. Non ex secundo: quia licet hoc obliget in fine vitæ; non tamen obligat ad detestanda peccata iam confessa, & remissa. Non ex tertio. Quoniam Deus est magis contentus satisfactione, quam ei exhibemus in Sacramento pœnit. Nam hæc operatur in virtute meritorum Christi, quæ medio hoc Sacramento, teste Trident. sess. 6. cap. 7. nobis communicantur.

Concilium Tridentin.

70. Ex dictis sequitur, neque in articulo mortis teneri ad contritionem, qui per Sacramentum confessionis in eo articulo iustificatus est; teneri tamen, si non habet copiam confessoris, etiam de peccatis aliàs confessis, & contritis conteri. Primum constat: quia iam præcepto contritionis satisfactum est per Sacramentum confessionis. Secundum probatur, quia in eo casu teneris adhibere certa media ad salutem consequendam. Neque dicas, pari ratione nos teneri præter Sacramentum confessionis, adhibere medium contritionis. Nam licet hoc consultius sit; non est tamen necessarium, cùm ferè certum sit, sufficere Sacramentum confessionis, quæ certitudo satis est ad non obligandum sub nouo præcepto morientem ad medium contritionis abhibendum; quam certitudinem quia non habet, qui alias de suis peccatis confessus & contritus est, tenetur in articulo mortis conteri, vel saltem confiteri: quia is articulus naturali Iure obligat ad faciendum, quantum in nobis est, vt efficiamur moraliter certi de nostrâ salute: à fortiori tenebitur conteri, si confiteri non poterit, qui vel peccatorum oblitus per solam dilectionem Dei, vel attritus per aliud Sacramentū, quàm pœnitentiæ iustificatus est: quia semper manet præceptum perfectæ pœnitentiæ adimplendum, posito, quod non fuit suo tempore adimpletum. Sequitur 2. Sacramentum pœnitentiæ non solùm supplere præceptum contritionis per dolorem, quem essentialiter includit; sed etiam præceptum satisfaciendi Deo per opera pœnalia ob peccata contra Deū cōmissa, per Sacramentalē satisfactionē à confessario pœnitenti iniunctam.

71. Ad fundamentum Suar. nego hominem, etiam in articulo mortis, teneri tutiorē viam sub pręcepto eligere; sed sufficit, vt eligat tutam, & moraliter certam, quæ omne practicum dubium tollat oppositæ partis: præsertim quando neque pars tutior tollit metaphysicè omne dubium, sed solùm à tuta differt secundū magis, & minus intra eundē gradū moralis certitudinis. Nā si quis conetur ad habendam contritionem, nunquam erit metaphysicè certus de illa.

72. Ad priorem probationem, nego antecedens

cedens. Nam post Trident. opinio de attritione cum Sacramento poenitentiae, est ita certa; vt in dubium reuocare non liceat.

73. Ad 2. dico, adhuc tale dubium manere, posito conatu de contritione habendâ: nec propter illam qualemcunque maiorem securitatem, ponendum est peculiare praeceptum, ad illam obligans sub poenâ peccati mortalis, ratione cuius homo in eo articulo constitueretur sub maiori dubio de diligentiâ adhibitâ ad tale praeceptum seruandum. Quare tutius erit, moribundum excitare ad contritionem habendam, non tanquam sub praecepto; sed tanquam sub cõsilio, vt quoad fieri potest anima morientis in eo articulo à scrupulis liberetur. Legatur Corduba lib. 5. de indulgentijs q. 39. §. 3. *punctum est*, vbi tradit, quae sint eo temporis articulo moribundo suggerenda.

Corduba.

74. Ad confirmationem, nego minorem, si aliunde moralem certitudinem habeamus, quòd peccata sint nobis condonata. Caeterũ, an saltè eo tempore sub praecepto teneamur actum dilectionis Dei elicere, est quaestio alibi disputanda.

75. Ad fundamentũ Valent. nego minorẽ: constat ex Trident. sess. 14. cap. 4. vbi non solũ vocat poenitentiã contritionẽ; sed etiã attritionem, qua vtiliter concussi Niniuitae poenitentiam egerunt. Qui igitur docet, praeceptum poenitentiae suppleri posse per Sacramentum confessionis, non tollit praeceptum poenitentiae specialis virtutis; licèt haec non sit determinatè necessaria: nam etiam haec seruari potest per attritionem; sed negat tãtũ dici debere ex motiuo Caritatis, ex cuius tantùm motiuo elicitur contritio. Et ratio est: quia in Sacramento confessionis formaliter includitur poenitentia, quamuis non haec determinata contritionis, quae in hoc Sacramento censetur commutata in attritionem ob merita Christi, quae nobis per hoc Sacramentum communicata altiori modo supplent defectum contritionis. Caeterùm actus Fdei, Spei, & Charitatis, neque possunt per alias virtutes suppleri; neque institutum est speciale Sacramentum, in quo ex meritis Christi suppleatur perfectio horum actuum; sicut institutum est Sacramentum confessionis, in quo ex meritis Christi suppletur perfectio contritionis.

Ad fund. Valentia. Concilium Tridentin.

76. Ad confirmationẽ, nego consequentiã; quoniã de primo habemus praeceptum; Non autem de 2. quin retorqueo argumentum: nã ideo tenemur peccata contrita cõfiteri: quia praeceptum cõtritionis commutatum est in praeceptũ confessionis: ergo substitui potest in omni casu, in quo obligaret praeceptũ cõtritionis: quia etiam in hoc seruatur praeceptum formalis poeninitentiae, quae in praecepto ipso confessionis essentialiter includitur. Atque haec de poenitentiã virtute.

DE POENITENTIA SACRAMENTO.

HActenus de Poenitentia virtute: sequitur de Poenitentia sacramẽto, quae poenitentiã virtutẽ supponit. Haec varijs nominibus à Patribus insignitur. Dicitur Reconciliatio à principali effectu, quod peccatorem cũ Deo reconciliat. Absolutio, quia poenitentẽ peccatorũ vinculis astrictũ absoluit. Confessio, quia propriam requirit peccatorum confessionẽ. Exomologesis, quae teste Tertull. de Poenit. c. 9. idem Graecè sonat, quod Latinè Confessio. Quã lib. de orat. definiens: exomologesis, *inquit,* est petitio veniae, quia qui petit veniã delictum cõfitetur. *Manus impositio ex peculiari ritu & ceremonia, quae hoc sacramentũ per Sacerdotalis manus impositionẽ impẽditur. Secunda tabula, quia baptismalis innocẽtiae naui effracta, huius sacramẽti virtute innixi ad salutis portũ appellimus. De sacramento Poenitẽtiae agit S. Tho. 3. p. q. 84. in qua agit de sacramento Poenitẽtiae secũdũ se, q. verò 90. de partibus ipsius in cõmuni, acturus de singulis in particulari, nisi morte praeuentus fuisset. Vnde quae in ipsius sũma Theologica de sacramẽto Poenitentiae desunt, à Thomistis supplẽtur ex ijs, quae idẽ Angelicus Doctor Iuuenis disputauit cum reliquis Scholasticis, duce Magistro sentent. in 4. à distinct. 14. vsq; ad 22. inclusiuè. Nos doctrinae ordinẽ sequentes priùs de institutione & natura huius sacramẽti, tũ de singulis ipsius partibus disputabimus.*

Tertullian.

S. Thom.

Magister sentent.

DISPVTA-

DISPVTATIO X.

De institutione & natura sacramenti Pœnitentiæ.

SECTIO PRIMA.

An sit aliquod Pœnitentiæ sacramentum à cæteris distinctum, à Christo institutum.

1. SICVT sacramentum hoc plura includit, potestatem remittendi peccata ex parte ministri, Confessionem peccatorum, dolorem, & propositum ex parte pœnitentis; ita variè circa illud erratum est. Iacobitæ apud Thomam Vualdẽsem de sacramento Pœnitentiæ ca. 135. Montanistæ, vt refert Hieronymus Epist. 54. ad Marcellam aduersus Montanum: Nouatiani, vt testatur Ambrosius lib. 1. de pœnit. ca. 2. Caluinus lib. 3. Christianarum Instit. cap. 4. à numero 12. & lib. 4. cap. 19. & multi ex Lutheranis apud Bellarminum lib. 1 de pœnit. cap. 9. Negant, potestatem remittendi peccata communicatam esse Ecclesiæ. Wicleffus, referente eodem Vualdensi, Confessionem; alij dolorem; alij certum Ministrũ, alij aliam partem huius sacramenti negant: alij demũ negant, illud à Baptismo distingui.

Vualdensis. Hieronym. Ambrosius.

Bellarmin.

2. Contra hos omnes errores SS. Tridentina Synodus tota sess. 14. definit. Hoc esse verè, & propriè sacramentum, à Christo institutum, à Baptismo distinctum, supponens ex parte Ministri potestatem remittendi, & retinendi peccata; ex parte verò pœnitentis includere confessionem, dolorem, & satisfactionem, vt materiam huius sacramẽti. Quam veritatem contineri docet in illis verbis *Christi* Ioan. 20. *quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt.*

Contra errores circa pœnitentiã Tridentini concilij definitio.

Ioan. 20.

3. Ex quibus sic prædicta veritas deducitur. In his verbis, Christus contulit Apostolis, eiusque successoribus potestatem remittendi peccata; verisimile autem non est, eam exercendam contulisse; per actus merè internos, tam ex parte absoluentis: quàm ex parte absoluendi. quoniam hic modus non est hominum proprius, qui interna noscunt per externa: ergo per signa aliqua externa, tam ex parte absoluentis, ad significandum internam absolutionem peccatorum: quàm ex parte absoluendi, ad testificanda sua peccata, & voluntatem consequendi remissionem eorundem. Nam nec absolui possunt, qui peccatorum vinculis astricti non sunt; nec eorum remissionem consequi merentur, qui illam non desiderant, & desiderando petũt ab ijs, qui illam impendere possunt. Igitur datur duplex symbolum alterum accusatorium ex parte rei; alterum absolutorium ex parte Iudicis: quod cùm stabile sit, vtpote à Christo toti Ecclesiæ, firma lege sancitum, & promissionem contineat iustificantis gratiæ, erit verè, & propriè sacramentum. Est enim sacramentum, efficax signum gratiæ sanctificantis homines à peccatis. Nam eo posito, non potest non poni peccatorum remissio, vt veritas ipsa testatur. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Ergo, est verè, & propriè Sacramentum.

4. Ex eisdem verbis constat, hoc Sacramentum esse à Christo institutum, proinde Diuini, non humani Iuris; tum quia verba, quæ huius Sacramenti institutionem continent, à Christo dicta sunt: tum quia ab alio nõ potuit, quàm à Christo potestas peccata remittendi hominibus impertiri. Nam solus is potest primò Ministrum delegare, qui principalem potestatem habet ad munus, ad quod delegat, obeundum. Solus autem Christus, & quatenus Deus, potestate Auctoritatis, & quatenus homo, potestate excellentiæ, principalem virtutem habet remittendi peccata: Nam & solus ipse potest gratiam, qua peccata remittuntur, principaliter conferre, & ipse tantum iniurias, per peccatum sibi illatas, principaliter condonare.

Sacramentum pœnitentiæ à Christo est institutum.

5. Quod sit à Sacramento Baptismi distinctum, patet: quia hoc ordinatur ad peccata post Baptismum commissa remittenda, ad quæ non se extendit Baptismus, cùm hic iterari non possit. Nec satisfaciunt Hæretici dicentes, solam memoriam Baptismi fide excitatã, peccata post Baptismum remittere; nã alioqui frustranea esset hæc noua potestas remittendi peccata à Christo Ecclesiæ concessa: atqui certũ est, hanc potestatem à Christo Ecclesiæ traditã Ioan. 20. esse distinctam à potestate

Distinctum à Baptismo.

Ioan. 20.

à potestate remittẽdi peccata per Baptismũ, tum quia potestas remittendi peccata per Baptismũ supponitur Apostolis collata ante mortem Christi, Ioan. 4 vbi dicitur: quod discipuli Iesu Baptizabant: hæc autem potestas remittendi peccata commissa post Baptismum promittitur. Matth. 16. & traditur Ioan. 20. Post resurrectionem illis verbis: *Quorum remiseritis peccata* &c. vt colligitur ex Trident. sess. 14. cap. 1. tum quia Paulus de Baptismo loquens Hebr. 6. vt est communis expositio Patrum, contra Nouatum: *impossibile, ait, eos, qui semel per illum sunt illuminati rursus renouari ad pœnitentiam*; cùm tamen de pœnitentia sacramento loquens 2. Corinth. 5. Fideles hortatur ad illud frequentandum; *reconciliamini*, inquit, *Deo, qui dedit nobis ministerium reconciliationis*: tum quia ad Baptizandum aptus est, quilibet, ad absoluendum non nisi certus Ecclesiæ Minister. Cuius ratio est: quia hoc exercetur per modum iudicij, quod & scientiam in cognoscenda causa, & iurisdictionem in ferenda sententia supponit: illud per modum simplicis ablutionis, regenerantis hominum ad primum esse supernaturale, quod nullã prærequirit causæ cognitionem, aut ministri iurisdictionem; sed externam duntaxat applicationem materiæ, cum recta forma verborum, & intentione faciendi, quod fecit Christus. Congruentia est, quia decebat, vt in Christiana Republica esset tribunal, in quo & animarum causæ cognoscerentur, & Diuinæ offensæ punirentur, & peccatores per Sacerdotes, tanquam per Tetrarchas Deo reconciliarentur.

Ioannis 4. Matth. 16. Ioannis 20. Concilium Tridentinum. ad Hebræ. 6. 2. Cor. 5.

6. Obijciunt Hæretici: Christum citat. loco Ioan. 20. loqui de remissione peccatorum, quæ fit per Baptismũ in ijs, qui per verbum prædicationis conuertuntur ad fidem: ergo non traditur distincta potestas à potestate remittendi peccata per Baptismũ. Vnde Caluinus priori loco citatus, n. 14. in fine totã vim homines à peccatis absoluendi ponit in prædicatione Euangelij: *Hoc tamen, inquit, in ministerio clauium maximè verum est, cuius tota vis in eo posita est, vt Euangelij gratia, per eos, quos Dominus ordinauit, fidelium animi, publicè, ac priuatim obsignentur: quod fieri, nisi sola prædicatione, nequit.*

Ioannis 20. Caluinus.

7. Resp. cit. loco Bellar. c. 10. hunc locum exponi dupliciter. Primò: vt detur potestas remittendi peccata, tam infidelibus, quàm fidelibus: quã expositionem sequitur Cyrillus, & Iansenius in hunc locum: Secundò, vt detur sola potestas remittendi peccata fidelibus iam Baptizatis, quæ est cõmunior interpretatio Patrum, & patet: quia potestas remittendi peccata per Baptismũ supponitur collata Ioan. 4. Secundũ hanc expositionem obiectio nullã habet vim. Secũdũ priorẽ vero dicendũ, quod quamuis hic detur vtraq; potestas; non tamen datur cùm eodem ritu; nam ad remittenda peccata infidelium, datur cum ritu ablutiuo, sub certa forma verborum, deducta ex illis verbis Matth. vlt. *Baptizantes eos in nomine Patris* &c. ad remittenda verò peccata fidelium, datur cum ritu absolutiuo, sub alia forma verborum, deducta, ex illis verbis Ioan. 20. *Quorum remiseritis peccata* &c. Cùm non sit maior ratio, cur ex vno loco potius; quàm ex alio colligatur certus ritus, & forma sacramenti, cum vtrobique Christus assignet, certam materiam, ac formam sacramenti. Neque erat maior congruentia, & necessitas vnius sacramenti; quàm alterius.

Bellarminus. Cyrillus. Iansenius. Ioannis. 4. Matth. vltimo. Ioannis 20.

SECTIO II.

An sacramentum Pœnitentię fuerit à Christo quoad omnes suas partes completè institutum?

8. Prima sentẽtia Glossæ de pœnit. dist. 5. consideret Alens. 4. p. q. 18. nu. 3. a. 2. Bonau. in 4. dist. 17. p. 2. a. 1. q. 3. negantiũ: solùm enim docent, fuisse à Christo institutũ formale; non autem materiale huius sacramenti: appellant formale, potestatem absoluendi; materialẽ vero ipsam peccati confessionẽ, ex qua hoc sacramentũ integratur, docent ergo, Christũ solùm contulisse potestatẽ absoluendi à peccatis; Apostolos verò postea monitionibus, & præceptis traxisse peccatores ad penitentiã, vt constat Iacob. 5. vbi 1. præceptũ confessionis promulgatur. Inclinat Magister d. 17. c. vlt. vbi ait, fortè tẽpore Ambrosij non dũ facta erat institutio cõfessionis, quæ modo est; Glossa verò censet, ne ab Apostolis quidem hoc præceptũ Confessionis emanasse: *Alioquì, inquit, obligaret Græcos; qui tamen hoc præcepto non tenentur: sed à quadã vniuersalis Ecclesiæ traditione, quæ quoniam ad Græcos non peruenit, illos non obligat.*

Glossa. Alensis. Bonauent. Iacobi 5. Magister. Senten.

9. Probant 1. Quoniam satis est in Republica ciuili constituere medicos cùm potestate curãdi infirmos, & ipsis relinquere modum curandi ægrotos; ergo satis erat, in Repub. Christiana constituere Sacerdotes cum potestate absoluendi à peccatis, ipsisq; relinquere modũ curandi peccatores. 2. Hoc sacramentũ est recidiuantium, datur enim ijs, qui post Baptismum recidiuant: ne igitur Christus daret occasionem recidiuandi, non debuit ipse confessionem instituere. 3. Ex Bonau. Confessio est opus purè humanum, vnde non illi; sed absolutioni communicata est virtus sacramenti: ergo non debuit institui à Christo; sed à puris hominibus.

Bonauent.

10. Secunda sententia non modò vera; sed etiã Catholica reliquorũ Scholasticorum in 4. d. 17. affirmantiũ: qui quamuis discrepent, an hoc sufficienter ex Euangelio colligatur, an potius habeatur traditione: omnes tamen concordant, integrum pœnitentiæ Sacramentum fuisse à Christo immediatè institutum: est de fide. Nam de fide est, hoc sacramẽtum esse à Christo immediatè institutum: atqui de fide est, contritionem, confessionem, & satisfactionem, esse materiam, & ad

Sacramentum pœnitentiæ integrum fuisse à Christo institutũ est de fide.

& ad integritatem huius Sacramenti ex Dei institutione pertinere, ex Trident. sess. 14. cap. 3. & can. 4. ergo de fide est, hoc Sacramentum Completè, & quoad omnes suas partes esse à Christo immediatè institutum. Consequentia constat: quia si aliqua pars non esset immediatè à Christo instituta, non posset totum Sacramentum dici à Christo institutum: & licet Concilium explicitè non vtatur particula *immediatè*; ex eius tamen doctrinâ euidenter colligitur: tum qui non agnoscit alium Sacramentorum Authorem; quam Christum Dominum: tum quia Confessionem ipsam, quam maximè impugnant Hæretici, docet, vt mox constabit, esse ex Christi mandato.

Concil. Tridentinum.

11. Probatur igitur 2. Speciatim de confessione, quam præcitatum Trid. sess. 14. cap. 5. Docet, institutam esse à Christo, eamque Iure Diuino necessariam esse omnibus post Baptismum lapsis: can. verò 6. non solùm definit, institutionem ipsius esse iure Diuino, & consequenter immediatè à Deo; sed etiam esse ex mandato Christi. Cuius ratio est: quia instituere Sacramentum, aut partem Sacramenti, est proprium Christi. Nam hoc pertinet ad potestatem excellentiæ, quam Christus non communicauit Ecclesiæ, cuius primi Ministri fuerunt Apostoli, & rationem huius reddit S. Doctor in 4. dist. 17. quæst. 3. art. 1. qu. 5. quia sicut opus creationis præsupponitur ad opus naturæ; ita institutio Ecclesiæ præsupponitur ad operationem ministrorum: sed Ecclesia fundatur in fide, & Sacramentis: ergo sicut ad Ministros Ecclesiæ non pertinet, articulos fidei condere, vel conditos remouere; ita nec Sacramenta instituere, aut instituta abrogare.

Concilium Tridentin. *Instituere sacramentum est proprium Christi.* *S. Thomas.*

12. Confirmatur: quia si qua pars Sacramenti pœnitentiæ esset ab Ecclesiâ instituta, in eâ dispensare posset: quia dispensare potest in omnibus, quæ ex ipsius potestate pendent: atqui in nullâ parte huius Sacramenti potest Ecclesia dispensare, vt est communis sententia Scholasticorum. Lege S. Thomam loco præcitato.

S. Thomas.

13. Cæterum dissensio est inter Scholasticos, an hæc veritas sufficienter colligatur ex Euangelio. Bassol. in 4. dist. 17. quæst. 2. art. 1. in fine, Gabriel. q. 1. art. 1. in fine, Medin. Cod. de Confess. Tract. 2. q. 2. §. *Dico* 2. negant: sed haberi putant, aut traditione per Apostolos oretenus Ecclesiæ factà, quod etiam probabile putat Scotus dist. 17. quæst. vnica, ar. primo in fine; aut communi Ecclesiæ consuetudine, vt censet Medina. Reliqui vero Scholastici affirmant, hoc sufficienter colligi ex illis verbis Ioan. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Ex quo loco institutionem huius Sacramẽti colligit Tridet. sess. 14. cap. 1. & 5. & can. 3. cum quo & nos integrum pœnitentiæ Sacramentum colligi ex hoc loco putamus sufficienter, hoc pacto. Per hæc verba Apostoli accipiunt potestatem remittendi & retinendi peccata fidelium. Nequeunt autem ea remittere, vel retinere, nisi præcedat distincta Confessio delictorum; quia nequit æquitas iudicij seruari, ac pœna proportionata culpæ taxari, nisi distinctè cognitâ causâ, & qualitate delicti: ergo habetur distincta confessio peccatorũ. Rursus nequeunt peccata remitti, nisi retractentur; ergo cum Confessione necessarius est aliquis internus dolor: & quia qui alium offendit, & ex se impotens est, illi condignè satisfacere, vt offensæ condonationem obtineat, oportet, vt sese offenso submittat, cum animo satifaciendi, iuxta beneplacitũ ipsius: hinc habetur propositum satisfaciendi: Demum, vt à peccatis confessis, & contritis pœnitens absoluatur, necessaria est absolutio Ministri, cui commissa est causa dlictorum; cùm hæc more humano petagi debeat: hinc habetur sententia absolutoria Ministri, signo aliquo expressa: at hæc nequit alio signo commodiùs exprimi; quàm voce ipsius Ministri: cùm debeat hæc naturâ suâ esse secreta. Atqui ex his integratur tota natura huius Sacramenti. Ergo ex his verbis sufficienter colligitur institutio huius Sacramenti. Igitur Sacramentum Pœnitentiæ quoad omnes suas partes fuit à Christo immediatè institutum.

Bassolus *Gabriel* *Medina* *Scotus* *Ioann. 20.* *Concil. Tridentinum.* *Ex Ioannis 20 cap. sufficienter soluitur.*

14. Obijcit Caluinus 1. citato loco nu. 15. qui primus Confessionem instituit, fuit Innocentius III. De pœnitentijs, & remissionibus, cap. *Omnis*: vbi annuam confessionem præcipit omnibus Christi fidelibus sub pœnâ, vt viuens arceatur ab ingressu Ecclesiæ, & moriens Christianâ careat sepulturâ.

Caluino.

15. Secundò obijcit factum Nectarij Episcopi Constantinopolitani, qui, vt scribit Sozomenus, Confessionem abrogauit: ergo confessio non est à Christo instituta, alioqui non potuisset ab homine abrogari.

Nectario.

16. Tertiò obijcit Chrysostomum successorem Nectarij, qui multis in locis Confessionem abrogat: præcipuè homil. 2. in Psalmo 50. *peccata tua*, inquit, *dicito, vt deleas illa: si confunderis alicui dicere, quæ peccasti, dicito ea quotidie in anima tua, non dico vt confitearis conseruo tuo, qui exprobret, dicito Deo, qui curat ea.*

Chrysost.

17. Resp. ad primum, Innocentium solùm determinasse tempus annuæ Confessionis, cuius vsus multò antea viguit in Ecclesia Dei, vt restantur Concilia, Laodicense sub Syluestro Papa can. 2. his verbis: *His, qui diuersorum peccatorum lapsus incurrunt, & instant orationi, Confessioni, ac Pœnitentiæ, malorum suorum perfectam conuersionem demonstrantes, pro qualitate peccati pœnitentiæ tempus tribuendum est.* Sexta Synodus generalis Constantinopolitana can. vlt. *Oportet autem eos*, inquit, *qui soluendi, & ligandi potestatem à Deo accepere, peccati qualitatem considerare, & eius, qui peccauit, ad conuersionem promptum studium, & sic morbo conuenientem afferre medicinam, ne si in vtroque*

Respondens Concilium Laodicense. *Synodus sexta Constantinopolitana.*

immoderatione vtatur, ab eius, qui laborat, salute excidat. Concil. Calibonense sub Clodoueo Rege & Vitaliano Papâ can. 8. hæc habet: *De pœnitentiâ verò peccatorum, quæ est medela animæ, vtilem omnibus hominibus esse censemus: & vt pœnitentibus à Sacerdotibus, facta confessione, indicatur pœnitentia vniuersitas Sacerdotum noscitur consentire.* Concil. Turonense sub Leone III. Pontifice & Carolo Magno celebratum anno 813. can. 22. de pœnit. hæc scribit: *Episcopis, & Presbyteris diligenti cautela pertractandum est, qualiter hominibus sua sibi delicta confitentibus tempus abstinendi adscribant, vt iuxta modum peccati pœnitentibus abstinentia indicetur.* Concil. Rhemense celebratum sub eodem Leone III. & Carolo Magno: *Omnibus his actis*, inquit, *ventilata est ratio Pœnitentiæ, vt Sacerdotes certiùs intelligerent, quomodo Confessiones recipere, & pœnitentiam secundùm Canonicam institutionem pœnitentibus deberent indicare:* & can. 16. *vt Episcopi, & Presbiteri examinent, qualiter Confitentibus peccata dijudicent, & tempus pœnitentiæ constituant.* Concil. Mogunt. sub Raban. Archiepiscopo, & Leone Papa 4. anno 847. can. 26. ita scribit: *ab infirmis in mortis periculo positis, per Presbyteros pura inquirenda est Confessio; non tamen illis imponenda quantitas pœnitentiæ, sed innotescenda.* Concil. Vuormaciense celebratum tempore Adriani II. & Ludouici II. Imperatoris anno Domini 868. can. 25. pœnitentibus, ait, *secundùm differentiam peccatorum, Sacerdotis arbitrio pœnitentiæ decernuntur. Debet itaque Sacerdos in pœnitentia danda singulorum causas singillatim considerare, originem quoque, modumque culparum, & affectus, gemitusque delinquentium diligenter examinare, manifesteque cognoscere: temporum etiam, & Personarum, locorum quoque, & ætatum qualitates inspicere, vt etiam pro consideratione locorum, ætatum, vel temporum, seu pro qualitate delictorum atque gemituum vnius cuiusque delinquentis, à Sacris regulis oculos non deflectat.* Ex his apparet, quàm impudenter ausus sit pronunciare Caluinus, Sacramentalem Cõfessionem fuisse inuentum Innocentij III. cũ tot Concilia ante ipsum eam constanter, tanquam à Christo institutam docuerint.

Concilium Calibonense. Turonense. Rhemense. Moguntin. Vuormaciense.

18. Nec minus illustria ad hanc eandem veritatem confirmandam sunt testimonia antiquorum Patrum, qui longo temporis interuallo præcesserunt Innocentium III. qui ad Pontificatum electus est anno 1198. Primus sit Clemens I. tertius à Beato Petro Pontifex, qui lib. 2. Apostolicarum constit. cap. 41. Episcopos, & Presbyteros instruens, ita scribit: *sic igitur faciendum tibi est Episcope, atque vt Ethnicum Baptismo totum post doctrinam admittis, sic hunc.* Nempe, qui, vt supra dixerat, *conuersus pœnitentiæ fructus ediderit, per manus impositionem, vt pote factum mundum pœnitendo, cunctis pro eo deprecantibus, in atiqua pascua restitue; eritque ei loco lauacri manuum impositio.* Secundus sit Irenæus, qui, vt testatur Hieronymus in Cathalogo Ecclesiast. scriptorum, vicinus fuit. Apostolorum temporibus, vtpote Polycarpi discipulus qui fuit Ioannis discipulus vt idem Hieronymus ibidem docet. Hic enim lib. 1. cap. 9. de quibusdam fœminis, à Marco Hæretico circumuentis, hæc scribit: *hæ sæpissimè conuersæ ad Ecclesiam Dei, confessæ sunt.* Et lib. 3. cap. 4. *Cerdon*, inquit, *sæpe in Ecclesiam veniens, & exomologesim faciens, sic consummauit, modò quidem latenter docens, modò verò exomologesim faciens.* Porrò Exomologesis, vt supra vidimus, idem apud Patres significat. quod confessio, seu, vt ex vocabulo ipso colligitur, foris, seu extra confessio.

Patres. Clemens. Irenæus. Hieronym.

19. Tertius sit Origenes homil. 2. in Leuiticum, vbi: *est adhuc & 7. licet dura, & laboriosa per pœnitentiam remissio peccatorum, cùm lauat peccator in lachrymis stratum suum, & fiunt ei lachrymæ suæ panes die ac nocte, & cùm non erubescit, Sacerdoti Domini indicare peccatum suum, & quærere medicinam* &c. Porrò verbum *erubescit*, apertè indicat hic sermonem esse de Confessione, quæ fit Sacerdoti, cui tantum peccata confiteri erubescimus, non autem Deo, cui aperta sunt omnia.

Origenes.

20. Quartus sit Tertullianus, qui, teste Hieronymo de Ecclesiasticis scriptoribus, floruit sub Seuero principe, & Antonino Caracalla: hic enim lib. de pœnit. cap. 9 hæc habet: *is actus, qui magis græco vocabulo exprimitur, & frequentatur exomologesis est, quâ delictum domino nostrum confitemur, non quidem vt ignaro, sed quatenus satisfactio confessione disponitur, confessione pœnitentia Deus mitigatur.* Vnde sic concludit: *itaque exomologesis prosternendi & humilificandi hominis disciplina est, conuersationem iniungens misericordiæ illicem.* Et quod loquatur de Confessione coram Sacerdote faciendâ, apertè constat ex ijs, quæ paulò post subit; *plerumque verò*, inquit, *ieiunijs preces alere, ingemiscere, lachrymari, & mugire dies noctesque ad Dominum Deum tuum, Presbyteris aduolui, & aris Dei adgeniculari.*

Tertullianus.

21. Quintus sit Cyprianus sermone 5. de lapsis, quo fideles exhortatur, vt antequam vel ex hac vita discedant; vel ad sacram Synaxim accedant, peccata sua Sacerdoti confiteantur, his verbis: *Confiteantur singuli, quæso vos fratres delictum suum, dum adhuc qui deliquit in sæculo est, dum admitti confessio eius potest, dum satisfactio, & remissio facta per Sacerdotem apud Dominum grata est.* Et paulò superiùs in eodem sermone: *denique*, inquit, *quando & fide maiore, & timore meliore sunt, qui quamuis nullo sacrificij; at libelli facinore constricti, quoniam tamen de hoc vel cogitauerunt, hoc ipsum apud Sacerdotes Dei dolenter, & simpliciter confitentur, exomologesim conscientiæ faciunt, animi sui pondus exponunt, salutarem medelam, paruis licèt & modicis vulneri-*

Cyprianus.

bus

bus exquirunt: Eandem doctrinam tradit lib. 3. Epist. Epist. 16.

22. Sextus sit Firmianus, qui & Lactantius, vt præcitatus Hieronymus docet, Arnobij discipulus, vixit temporibus Diocletiani. Hic lib. 4. de diuinis institutionibus cap. 17. ita de pœnit. loquitur: *Volens*, nempe Deus, *vitæ ac saluti nostræ pro æterna sua pietate consulere, pœnitentiam nobis in illa circumcisione proposuit, vt si cor nudauerimus, id est si peccata Confessi satis Deo fecerimus, veniam consequamur, quæ contumacibus, & admissa sua celantibus negatur ab eo, qui non faciem, sicut homo; sed intima, & arcana peccatoris intuetur.* Quod autem loquatur de Confessione facta non tantùm Deo; sed etiam Sacerdoti, Dei vicem gerenti, ex verbis ipsis, *nudare, & celare*, manifestè liquet: cùm nulla peccata possint Deo nudari, vel celari. Quin idem author eodem libro cap. 30. per Sacramentalem pœnitentiam, tanquam per propriam notam, & tesseram, veram Ecclesiam à non verâ discerni docet, his verbis: *Sed tamen, quia singuli cœtus Hæreticorum se potissimùm Christianos, & suam esse Catholicam Ecclesiam putant; sciendum est, illam esse veram, ex qua est Religio, Confessio, pœnitentia, quæ peccata & vulnera, quibus est subiecta imbecillitas carnis, salubriter curat.*

Firmianus.

23. Septimus sit Athanasius in illa verba Matth. 21. *Profecti in pagum, qui ex aduerso est, inuenietis pullum alligatum*, ad finem: *Inuestigemus ergo*, ait, *verum nostrum Regem Iesum Christum, nosq́; ipsos examinemus, num soluta sint vincula, vt melius proficiamus, quod si nondum soluta sint vincula, tradas te ipsum discipulis Iesu: adsunt enim, qui te soluant pro potestate eâ, quam à saluatore acceperunt.* Quam potestatem colligit ex illis verbis Matth. 16. *Quod ligaueris, super terram &c.* Et Ioann. 20. *Quorum remiseritis peccata.*

Athanas. Matth. 16. Ioannis 20

24. Octauus sit Basil. in regulis breuioribus, Regula 229. Respõdẽs enim ad interrogationem: *Nunquid flagitiosè facta abiecta omni verecundia, enuntiari apud omnes debeant, an apud aliquos? & apud quos? Omnino*, inquit, *In peccatorum confessione eadem ratio est quæ etiam in apertione vitiorum corporis. Vt igitur vitia corporis nequaquam quibusuis temere homines aperiunt, sed ijs tantummodo, qui rationem, qua ea curanda sint, teneant: eodem modo etiam peccatorum confessio fieri debet apud eos videlicet, qui ea possint curare.* Infra autem Regula 288. explicat, quinam sint hi, qui possint à peccatis absoluere: *Ijs*, inquit, *peccata aperiri debent, quibus credita est dispensatio mysteriorum Dei.* Idque confirmat exemplo Apostolorum, quibus Actorum 19. legitur: *quod multi credentium veniebant confitentes, & annuntiantes actus suos.*

Basilius. Actor. 19.

25. Nonus sit Chrysostomus, qui homil. 30. in Genesim, apertam mentionem facit de sacramentali confessione, quæ in hebdomada sancta fieri solebat, his verbis: *Quia in magnam hanc hebdomadam peruenimus, Dei gratia, nunc maximè, & ieiunij cursus intendendus, & magis continuandæ sunt preces, faciendaq́; diligens, & pura confessio peccatorum.* Quod autem Chrysostomus ad peccatorum confessionem requirat Sacerdotis ministerium, apertè constat ex ijs, quæ docet libro 2. de Sacerdotio; *Quamobrem*, inquit, *multa quidem arte opus est, vt qui laborant Christiani, vltro sibi persuadeant, Sacerdotum curationi sese submittere oportere.*

Chrysost.

26. Decimus sit Hieronymus in 16. Matth. *Legimus*, inquit, *in Leuitico de Leprosis, vbi iubentur, vt ostendant se Sacerdotibus, vt si lepram habuerint, tunc à Sacerdote immundi fiant: non quò Sacerdotes, leprosos faciant, & immundos; sed quò habeant notitiam leprosi, & non leprosi: & possint discernere, qui mundus, quive immundus sit. Quomodo ergo ibi leprosum Sacerdos mundum, vel immundum facit: sic & hìc alligat, vel soluit Episcopus, & Presbyter; non eos, qui insontes sunt, vel noxij; sed pro officio suo, cùm peccatorum audierit varietates, scit, qui ligandus sit, quive soluendus.* Vbi est notandum discrimen inter antiquos, & nouos Sacerdotes: quod illi per scientiam, quã de lepra habebant, solùm declarabant, quinam essent à lepra mundi, vel immundi: hi autem non solùm per clauem scientiæ dignoscunt, an pœnitentes sint digni absolutione, vel non absolutione; sed etiam per clauem potestatis à peccatis absoluunt, quãdo iudicant, eos esse absoluendos. Legatur idem in 10. cap. Ecclesiastæ, in quo rursus de Sacerdotibus pœnitentes à peccatis absoluentibus mentionem facit. Qua de causa in caput 16. Eze. & alibi, pœnitentiam Sacramentalem appellat *secundam tabulam* post naufragium baptismalis innocentiæ.

Hieronym.

27. Vndecimus sit Ambrosius, qui duos libros de pœnitentiâ conscripsit; De qua ita lib. 2. cap. 6. loquitur: *si vis iustificari, fatere delictum tuum: soluit enim criminum nexus verecunda Confessio peccatorum.* Quod autem loquatur de Confessione facienda Sacerdoti (præter quam quod apertè indicet vox, *verecunda*) expressè docet infra cap. 10. his verbis: *An quisquam ferat, vt erubescas Deum rogare, qui non erubescis rogare hominem: & pudeat te Deo supplicare, quem non lates, cùm te non pudeat peccata tua homini, quem lateas, confiteri?* Et exhortatione ad pœnitentiam, quæ habetur post finem 2. libri de pœnitentiâ, hæc de pœnitentia scribit: *Non solùm post pœnitentiam ab istis intus homo obseruare se debet; sed & ante pœnitentiam, dum sanus est, quia nescit, si possit ipsam pœnitentiam accipere, & confiteri Deo, & Sacerdoti peccata sua.*

Ambrosius.

28. Duodecimus sit Augustinus, qui multis in locis hanc veritatem docet, præsertim in lib. 50. Homil. Homil. 12. initio sic exorditur: *In omnibus scripturis Diuinis fratres dilectissimi, vtiliter ac salubriter admo-*

Augustin. Hilarius.

nemur,

nemur vt peccata nostra debeamus iugiter, & humiliter non solùm Deo; sed etiam sanctis, & Deum timentibus confiteri. Et homilia vlt. cap. 10. *Implicatus*, inquit, *tam mortiferis vinculis peccatorum detrectat, aut differt, aut dubitat confugere ad ipsas claues Ecclesiæ, quibus soluatur in terra vt sit solutus in cœlo.* Et cap. 11. loquens de pœnitente, *Veniat ad antistites, per quos illi in Ecclesia claues ministrantur, & tanquam bonus incipiens iam esse filius, maternorum membrorum ordine custodito, à præpositis sacrorũ accipiat satisfactionis suæ modum.* Vt Author de vera, & falsâ pœnitentia apud eundem Augustinum c. 10. initio: *Quem ergo pœnitet*, inquit, *omnino pœniteat, & dolorem lachrymis ostendat; repræsentet vitam suam Deo per Sacerdotem, præueniat iudicium Dei per confessionẽ. Præcepit enim Dominus mundatis, vt ostenderent ora Sacerdotibus: docens corporali præsentia confitẽda peccata, non per nuntium, non per scriptum manifestanda.* Et infrà: *Quare qui cõfiteri vult peccata, vt inueniat gratiã, quærat Sacerdotẽ scientẽ ligare, & soluere:* Et in fine capitis ita concludit: *Qui igitur omnino confitetur, Sacerdoti meliori, quam potest, confiteatur.* His adde Hilariũ Episcopum Pictauiensem, qui fuit antiquior Hieronymo, & multis alijs supracit. Patribus, quippè cuius obitus contigit, vt Baronius ostendit anno Domini 369. Hic can. 18. in Matthæum, de Confessione hæc ait: *Ad terrorem autem metus maximi, quo in præsens omnes continerentur, immobile seueritatis Apostolicæ iudicium præmisit, vt quos in terris ligauerint, id est, peccatorum nodis innexos reliquerint, & quos soluerint, Confessione videlicet veniæ receperint in salutem; hi Apostolica conditione sententia in cœlis quoque aut soluti sint aut ligati.*

29. Antiquis Patribus concordant reliqui tempore, & ætate posteriores: quos referre operæ pretium non iudicaui: nam vt in simili casu dixit Concil. Arasicanũ 2. can. vlt. *Cui pauca non sufficiunt, plura non proderunt:* si tamen pauca dici possunt, quæ hactenus pro hac Catholicâ veritate confirmandâ ex Concil. & Patribus in medium protulimus. Hoc tantum notetur, nullum fuisse sæculum, in quo Sacramentalis Confessionis expressa mentio facta non sit. Ex qua ortum duxit antiqua illa calumnia, quam Gentiles Christianis imponebant, eos Sacerdotum virilia adorare solitos esse, vt testatur Minutius Felix apud Baronium anno Christi 56. num. 18.

Concilium Arausican.

Minutius.

30. Nec minori robore, & authoritatis pondere hanc Euangelicam veritatẽ confirmant 4. generalia Concilia, Lateranense sub Innocent. III. Cõstantiense sess. 8. in qua referuntur & damnãtur errores Wicleffi, quorum septimus est. *Si homo debitè fuerit contritus, omnis Confessio exterior est sibi superflua, & inutilis.* Concil. Florent. in decreto de vnione Armenorum: Trident. tota sess. 14. Quæ Concilia, cùm non aliam tradant de Sacramento Pœnitentiæ doctrinam; quàm quæ ab antiquis Concilijs, & Patribus iam diu tradita fuerat, vt ex præcitatis Concil. & Patrib. constat, qui hæc Concilia negant, etiam antiquos Patres, & Concilia eos negare, sit necesse.

Concil. Later. sub In. III. Constantiense. Florentinũ & Trident.

31. Ex his omnibus hæc ratio conficitur. Non potest ab humanâ authoritate originem ducere illud quod continuata, & constanti omnium sæculorum ætate in Ecclesiâ obseruatum, nullum indicat suæ institutionis primordium: est enim Augustini Regula à Theologis recepta, quod quando aliqua consuetudo semper fuit ab Ecclesia obseruata, cuius tamen initium ignoratur, illam ortum trahere ab aliquâ traditione Diuinâ. Adde, quod cùm præceptum Sacramentalis Confessionis sit maximè arduum, & contra naturalem inclinationem hominum, qui summopere abhorrent secreta sua scelera, atque internas cogitationes, machinationésve homini aperire, vix potuisset solâ humana authoritate in totam Ecclesiam introduci, quin aliquæ particulares Ecclesiæ reclamassent, tale præceptum non acceptando: vti de facto non tota Ecclesia acceptauit Legem de publica Confessione faciendâ, quæ humana tantùm authoritate introducta fuit.

Ratio.

Regula S. Augustini ad dignoscendas traditiones.

32. Nonnulli hanc secretam, & auricularem Confessionem deducere conantur ex illo loco Actorum 19. *Multi credentium veniebant confitentes, & annunciantes actus suos:* præsertim cùm non desint Patres, qui hunc locum intelligant de Confessione priuata, & auriculari, verum quia neque Scholastici hoc loco communiter vtuntur, neque Patres ad hanc veritatem confirmandam, sed potius alium indicant esse sensum huius loci, vt videre est apud Lorinum, & aliunde clariora habemus huius Catholicæ veritatis argumenta, studio locum hunc prætermisi.

Actor. 19.

Lorinus.

33. Ad secundùm: duæ sunt circa factum Nectarij explicationes. Altera est, Nectarium à Nouatianis Hæreticis deceptum, quippe quorum consilio in rebus ad fidem pertinentibus sæpè vtebatur, vt restatur Socrates apud Baronium anno Christi 56. num. 28. Confessionem è sua Ecclesia sustulisse. In cuius rei confirmationem adduci posset quædam Epist. à Gregorio Nazianzeno, in cuius sedem Nectarius successerat, ad ipsum scripta, in qua Nectarium reprehendit, quod permittat, Arianos, Macedonianos, Eunomianos, & Apollinatistas Constantinopoli liberè agere: cuius Epistolæ meminit cit. loco Baronius.

Ad Nectarium.

Baronius.

34. Altera responsio est, Nectarium non secretam, & auricularem; sed publicam abrogasse Confessionem, eo tempore coram multis fieri solitam, vt legimus apud Cassianum collatione 2. cap. 11. & testantur Origenes Homil. 2. in Psalmum 37. & Augustinus libro 50. Homiliarum homil. vlt. cap. 11. Abrogauit autem illam propter quoddam flagitium, quod occasione publicæ confessionis accidit inter quandam mulierem,

Cassianus Origenes Augustin. Publica confessio fuit abrogata.

&

& Diaconum. & de hac publicâ Confessione intelligendus est Socrates apud Baronium anno præcitato num. 28. Cùm scribit ex omnibus Ecclesijs sublatum fuisse Presbyterum pœnitentiarium, qui in singulis Ecclesijs præficiebatur ad Confessiones audiendas. Quam publicam Cõfessioné etiam abrogat Leo Papa Epist. 80. Ad Episcopos Campaniæ, his verbis: *Illam etiam contra Apostolicam regulam præsumptionem, quam nuper agnoui à quibusdam illicita vsurpatione committi modis omnibus constituo submoueri (de pœnitentia videlicet, quæ ita à fidelibus postulatur) ne de singulorum peccatorum genere, libellis scripta Confessio publicè recitetur, cùm reatus conscientiarum sufficiat solis Sacerdotibus indicari, Confessione secreta.*

35. De eadem publicâ Confessione explicandus est Chrysostomus, dum solâ corã Deo factam Confessionem admittere videtur homil. 8. de pœnit. in fine, & homilia 4. de Lazaro circa medium, & homil. 31. in Epist. ad Hebræos. Ita enim in primo loco scribit: *Non reuelauit vlcus, non in commune Theatrum accusationem produxit, non delictorum testes statuit: intus in conscientia, adstante nemine, præter eum, qui cũcta videt, Deum; qui & scrutatur, & de peccatis iudicat, & omnium vitam quasi lance quadam vibrat, iudicium peccatorum statuens* &c. post quæ concludit: *atque sic pura conscientia sacram attinge mensam, particepsque sancti sacrificij fias.* In secundo verò loco hæc habet: *Caue enim homini dixeris, ne tibi exprobret. Neque enim conseruo confiteris, vt in publicum proferas; sed ei, qui Dominus est: ei, qui tui curam gerit; ei, qui tui curam gerit; ei, qui humanus est; ei, qui medicus est, ostendis vulnera.* Et infra inducit Deum sic cum pœnitente loquentem: *Non cogo te in medium prodire Theatrum, at multos adhibere testes: mihi soli dic peccatum priuatim, vt sanem vlcus, teq; dolore liberabo.* Demum in postremo loco sic loquitur: *Non tibi dico, vt ea tanquam pompam in publicum proferas, neque vt te accuses; sed vt pareas Prophetæ dicenti:* Reuela Domino viam tuam. *Apud Deum ea confitere, apud Iudicem confitere peccata tua, orans si non lingua, saltem memoria.* In his enim, & alijs similibus locis solũ intendit Chrysostomus publicam Confessioné negare. Vt facile colligi potest ex verbis ipsius. 1. Quia illã appellat accusationem factã in commune Theatrum. 2. Cùm dicit, non esse adhibendos testes. 3. Cùm dicit non esse faciendã homini, qui illam exprobret. Hæc enim omnia de publicâ tantùm confessione verificantur.

Chrysost.

36. Ad primum argumentum primæ sententiæ, nego consequentiam: ratio discriminis, quia qui constituit Medicos in aliquâ republica; sicut non tribuit illis virtuté; ita nec modum curandi infirmos: at quia Christus virtutem confert, confert etiam & modum absoluendi, & curandi à peccatis.

37. Ad 2. nego, Christũ instituendo cõfessionem peccatorũ de disse hominibus occasioné recidiuandi, sed potius instituisse remediũ, quo lapsi possent à peccato resurgere, & sanè decuit, vt ipse immediatè confessionem peccatorũ institueret. Nam sicut ipsi vt homini Ioan. 5. reseruatũ est iudicium de peccatis hominum; ita decuit, ipsum confessionem peccatorũ immediatè instituere; vt peccatores accedentes ad Sacerdotes, non accederét tanquam ad homines; sed tanquam ad Ministros, & vicarios Christi.

Ioan. 5.

38. Ad 3. nego consequentiam: nam etiam absolutio est opus humanum. Potuit igitur Christus opus humanum eleuare ad instrumentum propriæ sanctificationis, vt eleuat aquã, & verba in Baptismo. Vnde negandũ est, vim Sacramenti solùm sitã esse in absolutione, quamuis in eã principaliùs sita sit, vt Trident. docet sess. 14. c. 3. lege S. Th. 3. p. q. 84. a. 3. & Caiet. eadem q. a. 1. in fine.

Vis sacramenti principalius sita est in absolutione.
Concilium Trident.
S. Thomas
Caietanus.

39. Sententiam Glossæ Scotus appellat irrationabilẽ, Duran. plenã erroris, & periculosam in fide, Scotus errorem manifestũ, & intolerabilem. Ego verò Hæreticam, cùm sit expressè contra Trident. Nec verũ est, quod Græci non teneantur, aut non seruent præceptũ confessionis, vt constat tum ex primis duobus Concilijs à nobis supra citatis. Laodicensi, & 6. Synodo, quorũ Canones fuerũt à Græcis ipsis conscripti, & compositi: tum quia in Concil. Florent. quod congregatum fuit ad vniendam Ecclesiam Græcam cum Latinâ, nulla mentio fit de hoc; in quo tamen fit plena mentio de reliquis erroribus, in quibus Ecclesia Latina à Græcâ discrepat, præsertim cùm in eo Concil. fusè disputetur de omnibus Sacramentis nouæ legis. Tum ex eorum Euchologio, in quo forma huius Sacramenti assignatur.

Censura Dei Glossa.
Scotus
Durandus
Sotus.
Concilium Tridentin.
Concil. Laodicen. & Florentinũ.

SECTIO III.

An Sacramentum Pœnitentiæ in Lege Euãgelicâ sit medium Necessarium ad remissionem peccatorum mortaliũ post Baptismum?

40. RATIO dubitandi, quoniam non hoc ipso, quod Apostoli eorumque successores, autoritate Diuinâ constituti sunt Iudices animarũ in causâ peccatorũ, homines Iure Diuino tenentur ad eos sua crimina deferre: quia potuit Christus eos Iudices cõstituere solũ ad vtilitaté fidelium, vt si velint, possint ad eos recurrere; nõ tamẽ vt obligẽtur: vti fit in peccatis venialibus, quæ possumus: si volumus, subijcere clauibus; non tamẽ tenemur, cũ sint alia media ad ea expiãda.

41. Confirmatur: nã hoc fauet saluti animarum, quam Christus in hoc Sacramento præcipuè intẽdit, instituere plura media salutem consequendi, non solùm per ipsum Sacramentum pœnitentiæ; sed etiam per contritionem independenter à Sacramento Pœnitentiæ: alioqui nullum factum fuisset priuilegium Ecclesiæ per hoc Sacramentum; sed potius arduum impositum onus, si non possemus, vt antiquitus, actu etiam contritionis

rionis indepenter à Sacramento iustificari.

42. His non obstantibus, omnes Catholici cōtra Hæreticos conueniunt, hoc Sacramentum esse medium necessarium ad consequendam remissionem mortalium, quæ post Baptismum commisimus. Cōclusio definita est in Concil. Trident. sess. 14 c. 5. & can. 6. vbi statuitur Sacramentum confessionis de iure Diuino necessarium esse ad salutem. Tota controuersia est, quo pacto, & vnde hæc necessitas colligatur.

Trident.

43. Aliqui apud Glossam de pœnit. dist. 5. illam colligunt ex Iure naturali; Naturale siquidem est, dolere de peccatis, & per aliquod externū signum veniam à Deo petere. Vnde primi Parentes, qui non nisi ad præcepta naturalia obligabantur; ad suum peccatū confitendū inducti sunt à Deo. Sed contrà, nam quamuis naturale sit, suum peccatū agnoscere & de eo veniam à Deo petere; naturale tamen non est, illud alteri confiteri ad remissionem obtinendam.

Sententia VValdensis

44. Waldens. supra cit. illam colligit ex Iure Mosaico, in quo vigebat peccatorū confessio, vt patet de Sacrificijs, quę pro specialibus peccatis offerebantur, docet ergo, hoc Sacramentum solùm fuisse à Christo approbatum, & quoad aliqua suppletum. Sed contrà: quia nusquam legitur in veteri Iure distincta omnium peccatorum confessio, nisi ob aliqua specialia peccata, pro quibus specialia sacrificia offerebantur. Legatur S. Thomas in 4. dist. 17. art. 1. q. 2. ad argumenta.

S. Thomas.

Explicatur locus S. Iacobi 5.

45. Alij deducunt ex illo Iacob 5. *Confitemini alterutrum peccata vestra.* Sed contrà: quia hic locus cōmuniter exponitur de correctione fraterna; vnde Glossa interlinearis exponit de coæqualibus, & colligitur ex verbis sequentibus, *& orate*, inquit, *pro inuicem.*

Alensis Scotus Bassolus Gabriel Medina Iansenius Caietanus.

46. Alens. Bonau. Scotus. Bass. Gabr. Medin. supra cit. & Iansen. cap. 147 concordātiæ Euangelicæ in ea verba Ioan. 20. *Quorum remiseritis* &c. colligunt ex traditione Apostolicâ, aut ex consuetudine, & interpretatione Ecclesiæ. Inclinat Caiet. in citata verba Ioan. 20. Sed contrà: quia datur in scriptura locus, vt infra cōstabit, ex quo illa euidenter deducitur: nec posset Ecclesia suo facto, & consuetudine interpretari, quod in scripturis sufficienter non continetur, cùm non habeat auctoritatem inducendi nouam veritatem; sed reuelatam dumtaxat declarandi.

Scotus.

47. Scotus cit. loco in 4. dist. 17. a. 1. versu *aliter ergo.* Hâc viâ colligit necessitatē huius Sacramenti: qui amisit primam gratiam, tenetur sub præcepto recuperare illam; tum ex illo: *diliges Dominū Deum tuum:* tum ex alio: *diliges te ipsum:* sed vbi sunt duę viæ consequendi salutem, tenemur ad faciliorē, & tutiorem; sed facilior, & tutior via est, peccati remissionem consequi per pœnitentiam Sacramentū; quàm per pœnitentiam virtutem: ergo sub præcepto tenemur hoc Sacramentum suscipere ad peccati remissionē certiùs consequēdam. Maiorem supponit vt certam, vt reuera est. Minorem assumptam ostendit: quia in rebus ad salutem necessarijs tenemur sequi tutiorem viam; alioqui, si relictâ certiore, attentemus incertiorem, videmur salutem contemnere, eam periculo exponendo. Subsumptam minorē probat, quoniam ad consequendam gratiam cum pœnitentiâ Sacramento, sufficit, non ponere obicem; cum pœnitentia verò virtute requiritur contritio: potest autē quis certior esse, quod non ponat obicem; quàm quod habeat contritionē sufficientem ad iustificationem: quia potest probabiliter scire, se non accedere ad hoc Sacramentum cum aliquo peccato actuali, & cum intentione recipiendi Sacramentum, & effectum ipsius; at non potest scire, se habere pœnitentiam sufficientem ad iustificationē.

48. Hic Scoti modus est acutior; quā verior: tum quia falsum est, ad consequendam remissionem peccati per hoc Sacramentum satis esse, accedere sine obice actualis peccati; sed necessaria est attritio supernaturalis, vt infrà: tum quia etsi ratione dispositionis sit facilior, ac tutior via consequendi gratiā per pœnitentiam Sacramentum; quàm per pœnitentiam virtutem; quoniam ad illud sufficit attritio, ad hanc requiritur contritio; multis tamen alijs modis hæc via est incertior: quia pendet ex pluribus conditionibus nobis incertis: vt ex charactere Baptismali proprio, sine quo nullus effectus Sacramenti participari potest; ex charactere Baptismali, ac Sacerdotali Ministri, ex iurisdictione, & intentione absoluentis.

S. Thom.

49. S. Th. 3. p. q. 84. a. 5. & in 4. dist. 17. q. 3. a. 1. q. 3. necessitatē huius Sacramenti colligit ex eo, quod à Christo institutum est, vt Medicina; ad hoc autem vt medicina obliget ad sumptionem sui, supponi debet vt vnicum remedium ad salutem: ideo cit. loco 3. p. in argumento. *Sed contra* supponit ex illis verbis Lucæ 13. *Si pœnitentiam non habueritis, omnes simul peribitis*, à Christo institutum esse vt vnicum medium ad salutem consequendam. Sed contrà: quia hic locus, sicut & ille Matth. 3. *Pœnitentiam agite*, intelligi non potest de pœnitentia Sacramento, quæ nondum instituta erat, vt colligitur ex Trident. sess. 14. cap. 1. vbi hoc Sacramentum institutum docet Ioan. 20. sed de pœnitentia virtute, quæ semper fuit necessaria.

Luc. 13.

Matth. 3.

Concil. Tridentinum. Ioan. 20.

50. Reliqui Scholastici necessitatē huius Sacramenti deducunt ex Ioan. 20. *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt.* dissensio tamen inter eos est, an ea sufficienter deducatur ex solâ auctoritate remittendi; an simul ex auctoritate retinendi.

Vnde sufficienter deducatur forma pœnit. necessitas.

51. Richardus in 4. dist. 17. a. 2. q. 1. Duran. q. 8. Bacho. dist. 15. q. 2. a. 1. Mayr. dist. 14. q. 1. §. *Tertio* Argen. dist. 17. q. 2. a. 2. Mars. q. 12. a. 1. concl. 3. Sotus dist. 18. q. 1. a. 1. Bellar. lib. 3. de Sacramento pœnit. cap. 2. Henriquez lib. 4. de Sacramētis c. 3. num. 1. Suar. disp. 17. sect. 2. num. 12. sufficienter deduci putant ex solâ potestate remittendi. Primò: quia id docet Augustinus lib. 50. Homil. Homil. 49. Secundò:

Richardus Durandus Bacho. Mayr. Argent. Marsilius Sotus Bellarm. Henriquez Suarez S. August.

Secundò: quia per hæc verba Christus constituit Sacerdotes ordinarios Iudices ad cōponendas causas peccatorū, quatenus offensæ Dei sunt: ergo simul peccatoribus præceptum imposuit, vt sua peccata ad Sacerdotes iudicanda deferrent, cùm nequeat sine confessione delicti iudicium peragi. Confirmatur: quia Sacerdotes habēt à Christo potestatem iudicandi causas delictorum independenter à voluntate delinquentium: non possent autem hanc potestatem habere, nisi delinquētes tenerentur sua delicta ad Sacerdotem deferre. Tertiò: Sacramentum pœnitentiæ est institutum vt medium ad remissionem peccatorum: sed omne medium ad remissionem peccatorū institutum est sub præcepto: quia omne tale medium est necessarium ad salutem: ergo.

52. Sed contrà: nā omnia hæc saluantur, si dicamus per hæc verba Apostolos accepisse ordinariam potestatem iudicandi, & comprehendi causas peccatorum, si fideles voluerint ad eos recurrere; sic enim saluatur, quo pacto Sacerdotes habeant ordinariam potestatem à Christo independenter à voluntate delinquentium; & tamen delinquentes non teneantur ad ipsos recurrere: ergo ex concessione potestatis iudicandi & absoluendi præcisè non sequitur obligatio in peccatoribus: quia potuisset eos cōstituere Iudices cùm ordinariâ potestate absoluēdi à peccatis, si subditi voluerint ad eos recurrere, interim non tollendo alia media ad consequendā remissionē peccatorum: sicut de facto Sacerdotes sunt Iudices animarum in causâ peccatorum venialium; & tamen ex hac potestate præcisè non sequitur, quòd pœnitentes teneantur in causâ venialium ad eos recurrere, cùm possint alia via eorum remissionem consequi.

53. Neq; dicas vel cum Richardo, ex hoc sequi, Sacerdotes non fore Iudices animarū: *quia non est*, inquit, *meus Iudex ille, cui in arbitrio meo est subijci, & non subijci*: vel cum Soto, non habituros coërciuam potestatem, quæ necessaria est in ordinario Iudice. Nam & forent Iudices animarū in fauorem ipsarū tantùm: vt sunt in causa venialiū; Nec verū est, in quouis Iudice ordinario necessariā esse potestatē coërciuam, si hæc dicat auctoritatem compellendi reos, vt corā se causam dicant: quia quādo Iudex constituitur in fauorem rei, hæc auctoritas coërciua non cōmunicatur cum ipsâ potestatē iudiciaria, vt constat de venialibus; licet talis potestas coërciua in Iudice sit necessaria ex suppositione, quòd se illi subijciat. Nec propterea Sacerdotes dicendi essent Iudices arbitrarij. Nam Iudex arbitrarius propriè est is, qui auctoritatem Iudicandi accipit à partibus. Quod si arbitrarius dicatur, à quo iudicari aut non iudicari situ sit in arbitrio subditi, hoc modo Sacerdotes essēt Iudices arbitrarij; & in hoc sensu Scotus Sacerdotes appellauit Iudices arbitrarios, si peccatores nullū haberent debitum ipsos adeundi. Nec verū est, omne medium institutū ad consequendam remissionē peccatorum esse sub præcepto vt Sotus & Henriquez opinantur: nisi quādo esset vnicum, quod in casu nostro non esset: quia præter illud, esset contritio.

Richardo & Soteresb.

Quo sensu Confessarius sit Iudex arbitrarius.

Scotus.

Sotus. Henriquez.

54. Dicendū igitur cum Aureol. in 4. dist. 17 a 3. Palatio disp. 5. Vega 13. in Trident. c. 28. Vasquez 3. p. q. 90. a. 1. dubi. 2, necessitatē huius Sacramēti sufficiēter deduci ex vtraq; potestate, remittēdi, & retinendi simul: cuius signum est, quòd semper, cùm Christus hanc potestatē, vel promisit, vel concessit, cum eâ vtramque simul auctoritatem & remittendi, & retinendi coniunxit. *Tibi dabo*, inquit, Petro Matth. 16. *Claues regni Cœlorū: quodcunq; ligaueris super terram, erit ligatū & in cœlis: & quodcunq; solueris super terrā, erit solutū, & in Cœlis*: & Matth. 18. *Quæcunq; alligaueritis super terram, erunt ligata & in Cœlo: & quæcunq; solueritis super terram, erunt soluta & in Cælo.* Et Ioan. 20. vbi hanc potestatē in præcit. locis promissā Apostolis tradidit. *Accipite*, inquit, *Spiritū sanctum, quorū remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorū retinueritis, retēta sunt.* Ex hac duplici potestate remittēdi, & retinēdi peccata colligit Trid. sess. 14. c. 5. necessitatē confessionis: ex quâ & ego sic eam deduco.

Conclusio. Aureolus. Palatius. Vega. Vasquez.

Matth. 16.

Matth. 18.

Ioannis 20.

Concilium Tridentin.

55. Sacerdos ex Christi cōcessione auctoritatē habet retinendi peccata fidelium; ergo fideles ex præcepto Christi tenentur sua peccata sacerdoti pandere. consequentia probatur: quia nequit Sacerdos peccata pœnitentis retinere, nisi pœnitens teneatur ea clauibus subijcere. Nā finge, posse pœnitentē contritione, absq; Sacramento pœnitētiæ, re, vel in voto, remissionē peccatorū consequi, quâ ratione posset ea Sacerdos retinere: ergo dicitur Sacerdos ea posse retinere quatenus potestatē habet ea non absoluendi ex causâ: at nequit Sacerdos peccata pœnitentis ex causâ non absoluere, nisi pœnitēs ea Sacerdoti manifestet: ergo in ipsâ potestate retinendi peccata, Sacerdotibus cōcessa, includitur necessitas confitēdi fidelibus, cùm nequeat illa saluari, absq; debito confitēdi in ipsis fidelibus.

Ex potestate remittendi & retinendi peccata deducitur necessitas Confessionis.

56. Dices. 1. saluari potestatē retinēdi peccata in Sacerdote non absolutè; sed ex suppositione, quòd ea velit pœnitens clauibus subijcere, sicut saluatur potestas soluēdi venialia non absolutè, cùm illa remitti possint contritione; sed ex suppositione, quòd ea velit pœnitens clauibus subijcere.

57. Sed contrà: quia potestas retinēdi peccata, concessa est à Christo absolutè: igitur contra verba Christi limitatur ad ea tantùm retinēda ex suppositione. Nec est eadē ratio de venialibus: quia hæc possunt à Sacerdote remitti; non tamen absolutè retineri, nisi in ordine ad claues, si Sacerdos videt circa ea pœnitentem indispositū. Cuius discriminis ratio est, quoniam hoc Sacramentū per se institutū est ad aperiendā Ianuam Cœli, quod propterea dicitur clauis regni Cœlorū. Vnde sicut solùm mortale claudit Cœlum (nam veniale solùm retardat) ita ob sola mortalia per se primo institutū est; ergo de illis tātùm verificatur quoad vtramq; potestatē; de venialibus

cedens. Nam post Trident. opinio de attritione cum Sacramento pœnitentiæ, est ita certa; vt in dubium reuocare non liceat.

73. Ad 2. dico, adhuc tale dubium manere, posito conatu de contritione habendâ: nec propter illam qualemcunque maiorem securitatem, ponendum est peculiare præceptum ad illam obligans sub pœnâ peccati mortalis, ratione cuius homo in eo articulo constitueretur sub maiori dubio de diligentiâ adhibitâ ad tale præceptum seruandum. Quare tutius erit, moribundum excitare ad contritionem habendam, non tanquam sub præcepto; sed tanquam sub cōsilio, vt quoad fieri potest anima morientis in eo articulo à scrupulis liberetur. Legatur Corduba lib. 5. de indulgentijs q. 39. §. 3 *punctum est*, vbi tradit, quæ sint eo temporis articulo moribundo suggerenda.

Corduba.

74. Ad confirmationem, nego minorem, si aliunde moralem certitudinem habeamus, quòd peccata sint nobis condonata. Cæterū, an saltē eo tempore sub præcepto teneamur actum dilectionis Dei elicere, est quæstio alibi disputanda.

75. Ad fundamentū Valent. nego minorē: constat ex Trident. sess. 14. cap. 4. vbi non solū vocat pœnitentiā contritionē; sed etiā attritionem, qua vtiliter concussi Niniuitæ pœnitentiam egerunt. Qui igitur docet, præceptum pœnitentiæ suppleri posse per Sacramentum confessionis, non tollit præceptum pœnitentiæ specialis virtutis; licèt hæc non sit determinatè necessaria: nam etiam hæc seruari potest per attritionem; sed negat tātū dici debere ex motiuo Caritatis, ex cuius tantùm motiuo elicitur contritio. Et ratio est: quia in Sacramento confessionis formaliter includitur pœnitentia, quamuis non hæc determinata contritionis, quæ in hoc Sacramento censetur commutata in attritionem ob merita Christi, quæ nobis per hoc Sacramentum communicata altiori modo supplent defectum contritionis. Cæterùm actus Fdei, Spei, & Charitatis, neque possunt per alias virtutes suppleri; neque institutum est speciale Sacramentum, in quo ex meritis Christi suppleatur perfectio horum actuum; sicut institutum est Sacramentum confessionis, in quo ex meritis Christi suppletur perfectio contritionis.

Ad fund. Valentia. Concilium Tridentin.

76. Ad confirmationē, nego consequentiā: quoniā de primo habemus præceptum; Non autem de 2. quin retorqueo argumentum: nā ideo tenemur peccata contrita cōfiteri: quia præceptum cōtritionis commutatum est in præceptū confessionis: ergo substitui potest in omni casu, in quo obligaret præceptū cōtritionis: quia etiam in hoc seruatur præceptum formalis pœninitentiæ, quæ in præcepto ipso confessionis essentialiter includitur. Atque hæc de pœnitentiā virtute.

DE POENITENTIA SACRAMENTO.

HActenus de Pœnitentia virtute: sequitur de Pœnitentia sacramēto, quæ pœnitentiā virtutē supponit. Hæc varijs nominibus à Patribus insignitur. Dicitur Reconciliatio à principali effectu, quod peccatorem cū Deo reconciliat. Absolutio, quia pœnitentē peccatorū vinculis astrictū absoluit. Confessio, quia propriam requirit peccatorum confessionē. Exomologesis, quæ teste Tertull. de Pœnit. c. 9. idem Græcè sonat, quod Latinè Confessio. Quā lib. de orat. definiens: exomologesis, *inquit,* est petitio veniæ, quia qui petit veniā delictum cōfitetur. *Manus impositio ex peculiari ritu & ceremonia, qua hoc sacramentū per Sacerdotalis manus impositionē impēditur. Secunda tabula, quia baptismalis innocētia naui effracta, huius sacramēti virtute innixi ad salutis portū appellimus. De sacramento Pœnitētiæ agit S. Tho. 3. p. q. 84. in qua agit de sacramento Pœnitētiæ secūdū se, q. verò 90. de partibus ipsius in cōmuni, acturus de singulis in particulari, nisi morte prauentus fuisset. Vnde quæ in ipsius sūma Theologica de sacramēto Pœnitentiæ desunt, à Thomistis supplētur ex ijs, quæ idē Angelicus Doctor Iuuenis disputauit cum reliquis Scholasticis, duce Magistro sentent. in 4. à distinct. 14. vsq; ad 22. inclusiuè. Nos doctrinæ ordinē sequentes priùs de institutione & natura huius sacramēti, tū de singulis ipsius partibus disputabimus.*

Tertullian. S. Thomas. Magister sentent.

DISPVTATIO X.

De institutione & natura sacramenti Pœnitentiæ.

SECTIO PRIMA.

An sit aliquod Pœnitentiæ sacramentum à cæteris distinctum, à Christo institutum.

1. SICVT sacramentum hoc plura includit, potestatem remittendi peccata ex parte ministri, Confessionem peccatorum, dolorem, & propositum ex parte pœnitentis; ita variè circa illud erratum est. Iacobitæ apud Thomam Vualdensem de sacramento Pœnitentiæ ca. 135. Montanistæ, vt refert Hieronymus Epist. 54. ad Marcellam aduersus Montanum: Nouatiani, vt testatur Ambrosius lib. 1. de pœnit. ca. 2. Caluinus lib. 3. Christianarum Instit. cap. 4. à numero 12. & lib. 4. cap. 19. & multi ex Lutheranis apud Bellarminum lib. 1 de pœnit. cap. 9. Negant, potestatem remittendi peccata communicatam esse Ecclesiæ. Wicleffus, referente eodem Vualdensi, Confessionem; alij dolorem; alij certum Ministrũ, alij aliam partem huius sacramenti negant: alij demũ negant, illud à Baptismo distingui.

Vualdensis. Hieronym. Ambrosius. Bellarmin.

2. Contra hos omnes errores SS. Tridentina Synodus tota sess. 14. definit. Hoc esse verè, & propriè sacramentum, à Christo institutum, à Baptismo distinctum, supponens ex parte Ministri potestatem remittendi, & retinendi peccata; ex parte verò pœnitentis includere confessionem, dolorem, & satisfactionem, vt materiam huius sacramẽti. Quam veritatem contineri docet in illis verbis *Christi* Ioan. 20. *quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt.*

Contra errores circa pœnitentiã Tridentini Concilij decisio.

Ioan. 20.

3. Ex quibus sic prædicta veritas deducitur. In his verbis, Christus contulit Apostolis, eiusque successoribus potestatem remittendi peccata; verisimile autem non est, eam exercendam contulisse; per actus merè internos, tam ex parte absoluentis: quàm ex parte absoluendi. quoniam hic modus non est hominum proprius, qui interna noscunt per externa: ergo per signa aliqua externa, tam ex parte absoluentis, ad significandum internam absolutionem peccatorum: quàm ex parte absoluendi, ad testificanda sua peccata, & voluntatem consequendi remissionem eorundem. Nam nec absolui possunt, qui peccatorum vinculis astricti non sunt; nec eorum remissionem consequi merentur, qui illam non desiderant, & desiderando petũt ab ijs, qui illam impendere possunt. Igitur datur duplex symbolum alterum accusatorium ex parte rei; alterum absolutorium ex parte Iudicis: quod cùm stabile sit, vtpote à Christo toti Ecclesiæ, firma lege sancitum, & promissionem contineat iustificantis gratiæ, erit verè, & propriè sacramentum. Est enim sacramentum, efficax signum gratiæ sanctificantis homines à peccatis. Nam eo posito, non potest non poni peccatorum remissio, vt veritas ipsa testatur. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Ergo, est verè, & propriè Sacramentum.

4. Ex eisdem verbis constat, hoc Sacramentum esse à Christo institutum, proinde Diuini, non humani Iuris; tum quia verba, quæ huius Sacramenti institutionem continent, à Christo dicta sunt: tum quia ab alio nõ potuit, quàm à Christo potestas peccata remittendi hominibus impertiri. Nam solus is potest primò Ministrum delegare, qui principalem potestatem habet ad munus, ad quod delegat, obeundum. Solus autem Christus, & quatenus Deus, potestate Auctoritatis, & quatenus homo, potestate excellentiæ, principalem virtutem habet remittendi peccata; Nam & solus ipse potest gratiam, qua peccata remittuntur, principaliter conferre, & ipse tantum iniurias, per peccatum sibi illatas, principaliter condonare.

Sacramentum pœnitentiæ à Christo est institutum.

5. Quod sit à Sacramento Baptismi distinctum, patet: quia hoc ordinatur ad peccata post Baptismum commissa remittenda, ad quæ non se extendit Baptismus, cùm hic iterari non possit. Nec satisfaciunt Hæretici dicentes, solam memoriam Baptismi fide excitatã, peccata post Baptismum remittere; nã alioqui frustranea esset hæc noua potestas remittendi peccata à Christo Ecclesiæ concessa: atqui certũ est, hanc potestatem à Christo Ecclesiæ traditã Ioan. 20. esse distinctam

Distinctum à Baptismo.

Ioan. 20.

à potestate remittẽdi peccata per Baptismũ, tum quia potestas remittendi peccata per Baptismũ supponitur Apostolis collata ante mortem Christi, Ioan. 4 vbi dicitur: quod discipuli Iesu Baptizabant: hæc autem potestas remittendi peccata commissa post Baptismum promittitur. Matth. 16. & traditur Ioan. 20. Post resurrectionem illis verbis: *Quorum remiseritis peccata* &c. vt colligitur ex Trident. sess. 14. cap. 1. tum quia Paulus de Baptismo loquens Hebr. 6. vt est communis expositio Patrum, contra Nouatum: *impossibile, ait, eos, qui semel per illum sunt illuminati rursus renouari ad pœnitentiam*; cùm tamen de pœnitentia sacramento loquens 2. Corinth. 5. Fideles hortatur ad illud frequentandum; *reconciliamini*, inquit, *Deo, qui dedit nobis ministerium reconciliationis*: tum quia ad Baptizandum aptus est, quilibet, ad absoluendum non nisi certus Ecclesiæ Minister. Cuius ratio est: quia hoc exercetur per modum iudicij, quod & scientiam in cognoscenda causa, & iurisdictionem in ferenda sententia supponit: illud per modum simplicis ablutionis, regenerantis hominum ad primum esse supernaturale, quod nullã prærequirit causæ cognitionem, aut ministri iurisdictionem; sed externam duntaxat applicationem materiæ, cum recta forma verborum, & intentione faciendi, quod fecit Christus. Congruentia est, quia decebat, vt in Christiana Republica esset tribunal, in quo & animarum causæ cognoscerentur, & Diuinæ offensæ punirentur, & peccatores per Sacerdotes, tanquam per Tetrarchas Deo reconciliarentur.

Ioannis 4. Matth. 16. Ioannis 20. Concilium Tridentinum. ad Hebr. 6. 2. Cor. 5.

6. Obijciunt Hæretici: Christum citat. loco Ioan. 20. loqui de remissione peccatorum, quæ fit per Baptismũ in ijs, qui per verbum prædicationis conuertuntur ad fidem: ergo non traditur distincta potestas à potestate remittendi peccata per Baptismũ. Vnde Caluinus priori loco citatus, n. 14. in fine totã vim homines à peccatis absoluendi ponit in prædicatione Euangelij: *Hoc tamen*, inquit, *in ministerio clauium maximè verum est, cuius tota vis in eo posita est, vt Euangelij gratia, per eos, quos Dominus ordinauit, fidelium animi, publicè, ac priuatim obsignentur: quod fieri, nisi sola prædicatione, nequit.*

Ioannis 20. Caluinus.

7. Resp. cit. loco Bellar. c. 10. hunc locum exponi dupliciter. Primò: vt detur potestas remittendi peccata, tam infidelibus, quàm fidelibus: quã expositionem sequitur Cyrillus, & Iansenius in hunc locum: Secundò, vt detur sola potestas remittendi peccata fidelibus iam Baptizatis, quæ est cõmunior interpretatio Patrum, & patet: quia potestas remittendi peccata per Baptismũ supponitur collata Ioan. 4. Secundũ hanc expositionem obiectio nullã habet vim. Secũdũ priorẽ vero dicendũ, quod quamuis hic detur vtraq; potestas; non tamen datur cùm eodem ritu; nam ad remittenda peccata infidelium, datur cum ritu ablutiuo, sub certa forma verborum, deducta ex illis verbis Matth. vlt. *Baptizantes eos in nomine Patris* &c. ad remittenda verò peccata fidelium, datur cum ritu absolutiuo, sub alia forma verborum, deducta, ex illis verbis Ioan. 20. *Quorum remiseritis peccata* &c. Cùm non sit maior ratio, cur ex vno loco potius; quàm ex alio colligatur certus ritus, & forma sacramenti, cum vtrobique Christus assignet, certam materiam, ac formam sacramenti. Neque erat maior congruentia, & necessitas vnius sacramenti; quàm alterius.

Bellarminus. Cyrillus. Iansenius. Ioannis. 4. Matth. vltimo. Ioannis. 20.

SECTIO II.

An sacramentum Pœnitentię fuerit à Christo quoad omnes suas partes completè institutum?

8. PRIMA sentẽtia Glossæ de pœnit. dist. 5. consideret Alens. 4. p. q. 18. nu. 3. a. 2. Bonau. in 4. dist. 17. p. 2. a. 1. q. 3. negantiũ: solùm enim docent, fuisse à Christo institutũ formale; non autem materiale huius sacramenti: appellant formale, potestatem absoluendi; materialẽ vero ipsam peccati confessionẽ, ex qua hoc sacramentũ integratur, docent ergo, Christũ solùm contulisse potestatẽ absoluendi à peccatis; Apostolos verò postea monitionibus, & præceptis traxisse peccatores ad penitentiã, vt constat Iacob. 5. vbi 1. præceptũ confessionis promulgatur: Inclinat Magister d. 17. c. vlt. vbi ait, forrè tẽpore Ambrosij non dũ facta erat institutio cõfessionis, quæ modo est: Glossa verò censet, ne ab Apostolis quidem hoc præceptũ Confessionis emanasse: *Alioqui*, inquit, *obligaret Grecos; qui tamen hoc præcepto non tenentur: sed à quadã vniuersalis Ecclesiæ traditione, quæ quoniam ad Græcos non peruenit, illos non obligat.*

Glossa. Alensis. Bonauent. Iacobi 5. Magister Sentent.

9. Probant 1. Quoniam satis est in Republica ciuili constituere medicos cùm potestate curãdi infirmos, & ipsis relinquere modum curandi ægrotos; ergo satis erat, in Repub. Christiana constituere Sacerdotes cum potestate absoluendi à peccatis, ipsisq; relinquere modũ curandi peccatores. 2. Hoc sacramentũ est recidiuantium, datur enim ijs, qui post Baptismum recidiuant: ne igitur Christus daret occasionem recidiuandi, non debuit ipse confessionem instituere. 3. Ex Bonau. Confessio est opus purè humanum, vnde non illi; sed absolutioni communicata est virtus sacramenti: ergo non debuit institui à Christo; sed à puris hominibus.

Bonauent.

10. Secunda sententia non modò vera; sed etiã Catholica reliquorũ Scholasticorum in 4. d. 17. affirmantiũ: qui quamuis discrepent, an hoc sufficienter ex Euangelio colligatur, an potius habeatur traditione: omnes tamen concordant, integrum pœnitentiæ Sacramentum fuisse à Christo immediatè institutum: est de fide. Nam de fide est, hoc sacramẽtum esse à Christo immediatè institutum: atqui de fide est, contritionem, confessionem, & satisfactionem, esse materiam, & ad

Sacramentum pœnitentia integrum fuisse à Christo institutum est de fide.

& ad integritatem huius Sacramenti ex Dei institutione pertinere, ex Trident. sess. 14. cap. 3. & can. 4. ergo de fide est, hoc Sacramentum Completè, & quoad omnes suas partes esse à Christo immediatè institutum. Consequentia constat: quia si aliqua pars non esset immediatè à Christo instituta, non posset totum Sacramentum dici à Christo institutum: & licet Concilium explicitè non vtatur particula *immediatè*; ex eius tamen doctrinâ euidenter colligitur: tum qui non agnoscit alium Sacramentorum Authorem; quam Christum Dominum: tum quia Confessionem ipsam, quam maximè impugnant Hæretici, docet, vt mox constabit, esse ex Christi mandato.

Concil. Tridentinum.

11. Probatur igitur 2. Speciatim de confessione, quam præcitatum Trid. sess. 14. cap. 5. Docet, institutam esse à Christo, eamque Iure Diuino necessariam esse omnibus post Baptismum lapsis: can. verò 6. non solùm definit, institutionem ipsius esse iure Diuino, & consequenter immediatè à Deo; sed etiam esse ex mandato Christi. Cuius ratio est: quia instituere Sacramentum, aut partem Sacramenti, est proprium Christi. Nam hoc pertinet ad potestatem excellentiæ, quam Christus non communicauit Ecclesiæ, cuius primi Ministri fuerunt Apostoli, & rationem huius reddit S. Doctor in 4. dist. 17. quæst. 3. art. 1. qu. 5. quia sicut opus creationis præsupponitur ad opus naturæ; ita institutio Ecclesiæ præsupponitur ad operationem ministrorum: sed Ecclesia fundatur in fide, & Sacramentis: ergo sicut ad Ministros Ecclesiæ non pertinet, articulos fidei condere, vel conditos remouere; ita nec Sacramenta instituere, aut instituta abrogare.

Concilium Tridentin. Instituere sacramentum est proprium Christi. S. Thomas.

12. Confirmatur: quia si qua pars Sacramenti pœnitentiæ esset ab Ecclesiâ instituta, in eâ dispensare posset: quia dispensare potest in omnibus, quæ ex ipsius potestate pendent: atqui in nullâ parte huius Sacramenti potest Ecclesia dispensare, vt est communis sententia Scholasticorum. Lege S. Thomam loco præcitato.

S. Thomas.

13. Cæterum dissensio est inter Scholasticos, an hæc veritas sufficienter colligatur ex Euangelio. Bassol. in 4. dist. 17. quæst. 2. art. 1. in fine, Gabriel. q. 1. art. 1. in fine, Medin. Cod. de Confess. Tract. 2. q. 2. §. *Dico* 2. negant: sed haberi putant, aut traditione per Apostolos oretenus Ecclesiæ facta, quod etiam probabile putat Scotus dist. 17. quæst. vnica, ar. primo in fine; aut communi Ecclesiæ consuetudine, vt censet Medina. Reliqui vero Scholastici affirmant, hoc sufficienter colligi ex illis verbis Ioan. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Ex quo loco institutionem huius Sacramẽti colligit Trident. sess. 14. cap. 1. & 5. & can. 3. cum quo & nos integrum pœnitentiæ Sacramentum colligi ex hoc loco putamus sufficienter, hoc pacto. Per hæc verba Apostoli accipiunt potestatem remittendi & retinendi peccata fidelium. Nequeunt autem ea remittere, vel retinere, nisi præcedat distincta Confessio delictorum; quia nequit æquitas iudicij seruari, ac pœna proportionata culpæ taxari, nisi distinctè cognitâ causa, & qualitate delicti: ergo habetur distincta confessio peccatorũ. Rursus nequeunt peccata remitti, nisi retractentur; ergo cum Confessione necessarius est aliquis internus dolor: & quia qui alium offendit, & ex se impotens est, illi condignè satisfacere, vt offensæ condonationem obtineat, oportet, vt sese offenso submittat, cum animo satifaciendi, iuxta beneplacitũ ipsius: hinc habetur propositum satisfaciendi: Demum, vt à peccatis confessis, & contritis pœnitens absoluatur, necessaria est absolutio Ministri, cui commissa est causa delictorum; cùm hæc more humano peragi debeat: hinc habetur sententia absolutoria Ministri, signo aliquo expressa: at hæc nequit alio signo commodiùs exprimi; quàm voce ipsius Ministri: cùm debeat hæc naturâ suâ esse secreta. Atqui ex his integratur tota natura huius Sacramenti. Ergo ex his verbis sufficienter colligitur institutio huius Sacramenti. Igitur Sacramentum Pœnitentiæ quoad omnes suas partes fuit à Christo immediatè institutum.

Bassolus Gabriel Medina. Scotus. Ioan. 20. Concil. Tridentinum. Ex Ioannis 20 cap. sufficienter colligitur.

14. Obijcit Caluinus 1. citato loco nu. 15. qui primus Confessionem iustituit, fuit Innocentius III. De pœnitentijs, & remissionibus, cap. *Omnis*: vbi annuam confessionem præcipit omnibus Christi fidelibus sub pœnâ, vt viuens arceatur ab ingressu Ecclesiæ, & moriens Christianâ careat sepulturâ.

Caluino.

15. Secundò obijcit factum Nectarij Episcopi Constantinopolitani, qui, vt scribit Sozomenus, Confessionem abrogauit: ergo confessio non est à Christo instituta, alioqui non potuisset ab homine abrogari.

Nectario.

16. Tertiò obijcit Chrysostomum successorem Nectarij, qui multis in locis Confessionem abrogat: præcipuè homil. 2. in Psalmo 50. *peccata tua*, inquit, *dicito, vt deleas illa: si confunderis, alicui dicere, quæ peccasti, dicito ea quotidie in anima tua, non dico vt confitearis conseruo tuo, qui exprobret, dicito Deo, qui curat ea.*

Chrysost.

17. Resp. ad primum, Innocentium solùm determinasse tempus annuæ Confessionis, cuius vsus multò antea viguit in Ecclesia Dei, vt testantur Concilia, Laodicense sub Syluestro Papa can. 2. his verbis: *His, qui diuersorum peccatorum lapsus incurrunt, & instant orationi, Confessioni, ac Pœnitentiæ, malorum suorum perfectam conuersionem demonstrantes, pro qualitate peccati pœnitentiæ tempus tribuendum est.* Sexta Synodus generalis Constantinopolitana can. vlt. *Oportet autem eos*, inquit, *qui soluendi, & ligandi potestatem à Deo accepere, peccati qualitatem considerare, & eius, qui peccauit, ad conuersionem promptum studium, & sic morbo conuenientem afferre medicinam, ne si in vtroque*

Respondent Concilium Laodicense. Synodus sexta Constantinopolitana.

immoderatione vtatur, ab eius, qui laborat, salute excidat.

Concilium Calibonense.

Concil. Calibonense sub Clodoueo Rege & Vitaliano Papâ can. 8. hæc habet: *De pœnitentiâ verò peccatorum, quæ est medela animæ, vtilem omnibus hominibus esse censemus: & vt pœnitentibus à Sacerdotibus, factâ confessione, indicatur pœnitentia vniuersitas Sacerdotum noscitur consentire.*

Turonense.

Concil. Turonense sub Leone III. Pontifice & Carolo Magno celebratum anno 813. can. 22. de pœnit. hæc scribit: *Episcopis, & Presbyteris diligenti cautela pertractandum est, qualiter hominibus sua sibi delicta confitentibus tempus abstinendi adscribant, vt iuxta modum peccati pœnitentibus abstinentia indicetur.*

Rhemense.

Concil. Rhemense celebratum sub eodem Leone III. & Carolo Magno: *Omnibus his actis, inquit, ventilata est ratio Pœnitentiæ, vt Sacerdotes certius intelligerent, quomodo Confessiones recipere, & pœnitentiam secundum Canonicam institutionem pœnitentibus deberent indicare*: & can. 16. *vt Episcopi, & Presbiteri examinent, qualiter Confitentibus peccata dijudicent, & tempus pœnitentiæ constituant.*

Moguntin.

Concil. Mogunt. sub Raban. Archiepiscopo, & Leone Papa 4. anno 847. can. 26. ita scribit: *ab infirmis in mortis periculo positis, per Presbyteros pura inquirenda est Confessio; non tamen illis imponenda quantitas pœnitentiæ, sed innotescenda.*

Vuormaciense.

Concil. Vuormaciense celebratum tempore Adriani II. & Ludouici II. Imperatoris anno Domini 868. can. 25. pœnitentibus, ait, *secundùm differentiam peccatorum, Sacerdotis arbitrio pœnitentiæ decernuntur. Debet itaque Sacerdos in pœnitentia danda singulorum causas singillatim considerare, originem quoque, modumque culparum, & affectus, gemitusque delinquentium diligenter examinare, manifesteque cognoscere: temporum etiam, & Personarum, locorum quoque, & ætatum qualitates inspicere, vt etiam pro consideratione locorum, ætatum, vel temporum, seu pro qualitate delictorum atque gemitunm vnius cuiusque delinquentis, à Sacris regulis oculos non deflectat.* Ex his apparet, quàm impudenter ausus sit pronunciare Caluinus, Sacramentalem Cõfessionem fuisse inuentum Innocentij III. cũ tot Concilia ante ipsum eam constanter, tanquam à Christo institutam docuerint.

18. Nec minus illustria ad hanc eandem veritatem confirmandam sunt testimonia antiquorum Patrum, qui longo temporis interuallo præcesserunt Innocentium III. qui ad Pontificatum electus est anno 1198.

Patres.

Clemens.

Primus sit Clemens I. tertius à Beato Petro Pontifex, qui lib. 2. Apostolicarum constit: cap. 41. Episcopos, & Presbyteros instruens, ita scribit: *sic igitur faciendum tibi est Episcope, atque vt Ethnicum Baptismo lotum post doctrinam admittis, sic hunc.* Nempe, qui, vt supra dixerat, *conuersus pœnitentiæ fructus ediderit, per manus impositionem, vt pote factum mundum pœnitendo, cunctis pro eo deprecantibus, in atiqua pascua restitue; eritque ei loto lauacri manuum impositio.* Secundus sit

Irenæus.

Irenæus, qui, vt testatur Hieronymus in Cathalogo Ecclesiast. scriptorum, vicinus fuit. Apostolorum temporibus, vtpote Polycarpi discipulus qui fuit Ioannis discipulus vt idem Hieronymus ibidem docet.

Hieronym.

Hic enim lib. 1. cap. 9. de quibusdam fœminis, à Marco Hæretico circumuentis, hæc scribit: *hæ sæpissimè conuersæ ad Ecclesiam Dei, confessæ sunt.* Et lib. 3. cap. 4. *Cerdon*, inquit, *sæpe in Ecclesiam veniens, & exomologesim faciens, sic consummauit, modò quidem latenter docens, modò verò exomologesim faciens.* Porrò Exomologesis, vt supra vidimus, idem apud Patres significat, quod confessio, seu, vt ex vocabulo ipso colligitur, foris, seu extra confessio.

Origenes.

19 Tertius sit Origenes homil. 2. in Leuiticum, vbi: *est adhuc & 7. licet dura, & laboriosa per pœnitentiam remissio peccatorum, cùm lauat peccator in lachrymis stratum suum, & fiunt ei lachrymæ suæ panes die ac nocte, & cùm non erubescit, Sacerdoti Domini indicare peccatum suum, & quærere medicinam* &c. Porrò verbum *erubescit*, apertè indicat hic sermonem esse de Confessione, quæ fit Sacerdoti, cui tantum peccata confiteri erubescimus, non autem Deo, cui aperta sunt omnia.

Tertullianus.

20. Quartus sit Tertullianus, qui, teste Hieronymo de Ecclesiasticis scriptoribus, floruit sub Seuero principe, & Antonino Caracalla: hic enim lib. de pœnit. cap. 9 hæc habet: *is actus, qui magis græco vocabulo exprimitur, & frequentatur exomologesis est, quâ delictum domino nostrum confitemur, non quidem vt ignaro, sed quatenus satisfactio confessione disponitur, confessione pœnitentia Deus mitigatur.* Vnde sic concludit: *itaque exomologesis prosternendi & humilificandi hominis disciplina est, conuersationem iniungens misericordiæ illicem.* Et quod loquatur de Confessione coram Sacerdote faciendâ, apertè constat ex ijs, quæ paulò post subit; *plerumque verò*, inquit, *ieiunijs preces alere, ingemiscere, lachrymari, & mugire dies noctesque ad Dominum Deum tuum, Presbyteris aduolui, & aris Dei adgeniculari.*

Cyprianus.

21. Quintus sit Cyprianus sermone 5. de lapsis, quo fideles exhortatur, vt antequam vel ex hac vita discedant; vel ad sacram Synaxim accedant, peccata sua Sacerdoti confiteantur, his verbis: *Confiteantur singuli, quæso vos fratres delictum suum, dum adhuc qui deliquit in sæculo est, dum admitti confessio eius potest, dum satisfactio, & remissio facta per Sacerdotem apud Dominum grata est.* Et paulò superiùs in eodem sermone: *denique*, inquit, *quando & fide maiore, & timore meliore sunt, qui quamuis nullo sacrificij; at libelli facinore constricti, quoniam tamen de hoc vel cogitauerunt, hoc ipsum apud Sacerdotes Dei dolenter, & simpliciter confitentur, exomologesim conscientiæ faciunt, animi sui pondus exponunt, salutarem medelam, paruis licèt & modicis vulneribus*

bus exquirunt: Eandem doctrinam tradit lib. 3. Epist. Epist. 16.

Firmianus.

22. Sextus sit Firmianus, qui & Lactantius, vt prǽcitatus Hieronymus docet, Arnobij discipulus, vixit temporibus Diocletiani. Hic lib. 4. de diuinis institutionibus cap. 17. ita de pœnit. loquitur: *Volens*, nempe Deus, *vitæ ac saluti nostræ pro æterna sua pietate consulere, pœnitentiam nobis in illa circumcisione proposuit, vt si cor nudauerimus, id est si peccata Confessi satis Deo fecerimus, veniam consequamur, quæ contumacibus, & admissa sua celantibus negatur ab eo, qui non faciem, sicut homo; sed intima, & arcana peccatoris intuetur.* Quòd autem loquatur de Confessione facta non tantùm Deo; sed etiam Sacerdoti, Dei vicem gerenti, ex verbis ipsis, *nudare, & celare*, manifestè liquet: cùm nulla peccata possint Deo nudari, vel celari. Quin idem author eodem libro cap. 30. per Sacramentalem pœnitentiam, tanquam per propriam notam, & tesseram, veram Ecclesiam à non verâ discerni docet, his verbis: *Sed tamen, quia singuli cœtus Hæreticorum se potissimùm Christianos, & suam esse Catholicam Ecclesiam putant; sciendum est, illam esse veram, ex qua est Religio, Confessio, pœnitentia, quæ peccata & vulnera, quibus est subiecta imbecillitas carnis, salubriter curat.*

Athanas.

23. Septimus sit Athanasius in illa verba Matth. 21. *Profecti in pagum, qui ex aduerso est, inuenietis pullum alligatum*, ad finem: *Inuestigemus ergo*, ait, *verum nostrum Regem Jesum Christum, nosq; ipsos examinemus, num soluta sint vincula, vt melius proficiamus, quod si nondum soluta sint vincula, tradas te ipsum discipulis Jesu: adsunt enim, qui te soluant pro potestate eâ, quam à saluatore acceperunt.* Quam potestatem colligit ex illis verbis Matth. 16. *Quod ligaueris, super terram &c.* Et Ioann. 20. *Quorum remiseritis peccata.*

Matth. 16. Ioannis 20

Basilius.

24. Octauus sit Basil in regulis breuioribus, Regula 229. Respōdēs enim ad interrogationem: *Nunquid flagitiosè facta abiecta omni verecundia, enuntiari apud omnes debeant, an apud aliquos? & apud quos?* Omnino, inquit, *In peccatorum confessione eadem ratio est quæ etiam in apertione vitiorum corporis. Vt igitur vitia corporis nequaquam quibusuis temere homines aperiunt, sed ijs tantummodo, qui rationem, quâ ea curanda sint, teneant: eodem modo etiam peccatorum confessio fieri debet apud eos videlicet, qui ea possint curare.* Infra autem Regula 288. explicat, quinam sint hi, qui possint à peccatis absoluere: *Ijs*, inquit, *peccata aperiri debent, quibus credita est dispensatio mysteriorum Dei.* Idque confirmat exemplo Apostolorum, quibus Actorum 19. legitur: *quod multi credentium veniebant confitentes, & annuntiantes actus suos.*

Actor. 19.

Chrysost.

25. Nonus sit Chrysostomus, qui homil. 30. in Genesim, apertam mentionem facit de sacramentali confessione, quæ in hebdomada sancta fieri solebat, his verbis: *Quia in magnam hanc hebdomadam peruenimus, Dei gratia, nunc maximè, & ieiunij cursus intendendus, & magis continuandæ sunt preces, faciendaq; diligens, & pura confessio peccatorum.* Quòd autem Chrysostomus ad peccatorum confessionem requirat Sacerdotis ministerium, apertè constat ex ijs, quæ docet libro 2. de Sacerdotio; *Quamobrem*, inquit, *multa quidem arte opus est, vt qui laborant Christiani, vltro sibi persuadeant, Sacerdotum curationi sese submittere oportere.*

Hieronym.

26. Decimus sit Hieronymus in 16. Matth. *Legimus*, inquit, *in Leuitico de Leprosis, vbi iubentur, vt ostendant se Sacerdotibus, vt si lepram habuerint, tunc à Sacerdote immundi fiant: non quò Sacerdotes, leprosos faciant, & immundos; sed quò habeant notitiam leprosi, & non leprosi: & possint discernere, qui mundus, quive immundus sit. Quomodo ergo ibi leprosum Sacerdos mundum, vel immundum facit: sic & hic alligat, vel soluit Episcopus, & Presbyter; non eos, qui insontes sunt, vel noxij; sed pro officio suo, cùm peccatorum audierit varietates, scit, qui ligandus sit, quive soluendus.* Vbi est notandum discrimen inter antiquos, & nouos Sacerdotes: quod illi per scientiam, quã de lepra habebant, solùm declarabant, quinam essent à lepra mundi, vel immundi: hi autem non solùm per clauem scientiæ dignoscunt, an pœnitentes sint digni absolutione, vel non absolutione; sed etiam per clauem potestatis à peccatis absoluunt, quādo indicant, eos esse absoluendos. Legatur idem in 10. cap. Ecclesiastæ, in quo rursus de Sacerdotibus pœnitentes à peccatis absoluentibus mentionem facit. Qua de causa in caput 16. Eze. & alibi, pœnitentiam Sacramentalem appellat *secundam tabulam* post naufragium baptismalis innocentiæ.

Ambrosius.

27. Vndecimus sit Ambrosius, qui duos libros de pœnitentiâ conscripsit; De qua ita lib. 2. cap. 6. loquitur: *si vis iustificari, fatere delictum tuum: soluit enim criminum nexus verecunda Confessio peccatorum.* Quod autem loquatur de Confessione facienda Sacerdoti (præter quam quod apertè indicet vox, *verecunda*) expressè docet infra cap. 10. his verbis: *An quisquam ferat, vt erubescas Deum rogare, qui non erubescis rogare hominem: & pudeat te Deo supplicare, quem non lates, cùm te non pudeat peccata tua homini, quem lateas, confiteri?* Et exhortatione ad pœnitentiam, quæ habetur post finem 2. libri de pœnitentiâ, hæc de pœnitentia scribit: *Non solùm post pœnitentiam ab istis intus homo obseruare se debet; sed & ante pœnitentiam, dum sanus est, quia nescit, si possit ipsam pœnitentiam accipere, & confiteri Deo, & Sacerdoti peccata sua.*

Augustin. Hilarius.

28. Duodecimus sit Augustinus, qui multis in locis hanc veritatem docet, præsertim in lib. 50. Homil. Homil. 12. initio sic exorditur: *In omnibus scripturis Diuinis fratres dilectissimi, vtiliter ac salubriter admonemur,*

nemur vt peccata nostra debeamus ingiter, & humiliter non solùm Deo; sed etiam sanctis, & Deum timentibus confiteri. Et homilia vlt. cap. 10. *Implicatus*, inquit, *tam mortiferis vinculis peccatorum detrectat, aut differt, aut dubitat confugere ad ipsas claues Ecclesiæ, quibus soluatur in terra vt sit solutus in cœlo.* Et cap. 11. loquens de pœnitente, *Veniat ad antistites, per quos illi in Ecclesia claues ministrantur, & tanquam bonus incipiens iam esse filius, maternorum membrorum ordine custodito, à præpositis sacrorũ accipiat satisfactionis suæ modum.* Vt Author de verâ, & falsâ pœnitentia apud eundem Augustinum c. 10. initio: *Quem ergo pœnitet*, inquit, *omnino pœniteat, & dolorem lachrymis ostendat; repræsentet vitam suam Deo per Sacerdotem, præueniat iudicium Dei per confessionẽ. Præcepit enim Dominus mundatis, vt ostenderent ora Sacerdotibus: docens corporali præsentia confitẽda peccata, non per nuntium, non per scriptum manifestanda.* Et infrà: *Quare qui cõfiteri vult peccata, vt inueniat gratiã, quærat Sacerdotẽ scientẽ ligare, & soluere:* Et in fine capitis ita concludit: *Qui igitur omnino confitetur, Sacerdoti meliori, quam potest, confiteatur.* His adde Hilariũ Episcopum Pictauiensem, qui fuit antiquior Hieronymo, & multis alijs supracit: Patribus, quippè cuius obitus contigit, vt Baronius ostendit anno Domini 369. Hic can. 18. in Matthæum, de Confessione hæc ait: *Ad terrorem autem metus maximi, quo in præsens omnes continerentur, immobile seueritatis Apostolicæ iudicium præmisit, vt quos in terris ligauerint, id est, peccatorum nodis innexos reliquerint, & quos soluerint, Confessione videlicet veniæ receperint in salutem; hi Apostolica conditione sententia in cœlis quoque aut soluti sint aut ligati.*

29. Antiquis Patribus concordant reliqui tempore, & ætate posteriores: quos referre operæ pretium non iudicaui: nam vt in simili casu dixit Concil. Arauficanũ 2. can. vlt. *Cui pauca non sufficiunt, plura non proderunt:* si tamen pauca dici possunt, quæ hactenus pro hac Catholicâ veritate confirmandâ ex Concil. & Patribus in medium protulimus. Hoc tantum notetur, nullum fuisse sæculum, in quo Sacramentalis Confessionis expressa mentio facta non sit. Ex qua ortum duxit antiqua illa calumnia, quam Gentiles Christianis imponebant, eos Sacerdotum virilia adorare solitos esse, vt testatur Minutius Felix apud Baronium anno Christi 56. num. 18.

Concilium Arausican.

Minutius.

30. Nec minori robore, & authoritatis pondere hanc Euangelicam veritatẽ confirmant 4. generalia Concilia, Lateranense sub Innocent. III. Cõstantiense sess. 8. in qua referuntur & damnãtur errores Wiclessi, quorum septimus est. *Si homo debitè fuerit contritus, omnis Confessio exterior est sibi superflua, & inutilis.* Concil. Florent. in decreto de vnione Armenorum: Trident. tota sess. 14. Quæ Concilia, cùm non aliam tradant de Sacramento Pœnitentiæ doctrinam; quàm quæ ab antiquis Concilijs, & Patribus iam diu tradita fuerat, vt ex præcitatis Concil. & Patrib. constat, qui hæc Concilia negant, etiam antiquos Patres, & Concilia eos negare, sit necesse.

Concil. Later. sub In. III. Constantiense. Florentinũ & Tridení.

31. Ex his omnibus hæc ratio conficitur. Non potest ab humanâ authoritate originem ducere illud quod continuata, & constanti omnium sæculorum ætate in Ecclesiâ obseruatum, nullam indicat suæ institutionis primordium: est enim Augustini Regula à Theologis recepta, quod quando aliqua consuetudo semper fuit ab Ecclesia obseruata, cuius tamen initium ignoratur, illam ortum trahere ab aliquâ traditione Diuinâ. Adde, quod cùm præceptum Sacramentalis Confessionis sit maximè arduum, & contra naturalem inclinationem hominum, qui summopere abhorrent secreta sua scelera, atque internas cogitationes, machinationésve homini aperire, vix potuisset solâ humana authoritate in totam Ecclesiam introduci, quin aliquæ particulares Ecclesiæ reclamassent, tale præceptum non acceptando: vti de facto non tota Ecclesia acceptauit Legem de publica Confessione faciendâ, quæ humana tantùm authoritate introducta fuit.

Ratio.

Regula S. Augustini ad dignoscendas traditiones.

32. Nonnulli hanc secretam, & auricularem Confessionem deducere conantur ex illo loco Actorum 19. *Multi credentium veniebant confitentes, & annunciantes actus suos:* præsertim cùm non desint Patres, qui hunc locum intelligant de Confessione priuata, & auriculari, verum quia neque Scholastici hoc loco communiter vtuntur, neque Patres ad hanc veritatem confirmandam, sed potius alium indicant esse sensum huius loci, vt videre est apud Lorinum, & aliunde clariora habemus huius Catholicæ veritatis argumenta, studio locum hunc prætermisi.

Actor. 19.

Lorinus.

33. Ad secundùm: duæ sunt circa factum Nectarij explicationes. Altera est, Nectarium à Nouarianis Hæreticis deceptum, quippe quorum consilio in rebus ad fidem pertinentibus sæpè vtebatur, vt testatur Socrates apud Baronium anno Christi 56. num. 28. Confessionem è sua Ecclesia sustulisse. In cuius rei confirmationem adduci posset quædam Epist. à Gregorio Nazianzeno, in cuius sedem Nectarius successerat, ad ipsum scripta, in qua Nectarium reprehendit, quod permittat, Arianos, Macedonianos, Eunomianos, & Apollinaristas Constantinopoli liberè agere: cuius Epistolæ meminit cit. loco Baronius.

Ad Nectarium.

Baronius.

34. Altera responsio est, Nectarium non secretam, & auricularem; sed publicam abrogasse Confessionem, eo tempore coram multis fieri solitam, vt legimus apud Cassianum collatione 2. cap. 11. & testantur Origenes Homil. 2. in Psalmum 37. & Augustinus libro 50. Homiliarum homil. vlt. cap. 11. Abrogauit autem illam propter quoddam flagitium, quod occasione publicę confessionis accidit inter quandam mulierem,

Cassianus Origenes Augustin. Publica cõfessio fuit abrogata.

&

& Diaconum. & de hac publicâ Confessione intelligendus est Socrates apud Baronium anno præcitato num. 28. Cùm scribit ex omnibus Ecclesijs sublatum fuisse Presbyterum pœnitentiarium, qui in singulis Ecclesijs præficiebatur ad Confessiones audiendas. Quam publicam Cõfessionẽ etiam abrogat Leo Papa Epist. 80. Ad Episcopos Campaniæ, his verbis: *Illam etiam contra Apostolicam regulam præsumptionem, quam nuper agnoui à quibusdam illicita vsurpatione committi modis omnibus constituo submoueri (de pœnitentia videlicet, quæ ita à fidelibus postulatur) ne de singulorum peccatorum genere, libellis scripta Confessio publicè recitetur, cùm reatus conscientiarum sufficiat solis Sacerdotibus indicari, Confessione secreta.*

35. De eadem publicâ Confessione explicandus est Chrysostomus, dum solã corã Deo factam Confessionem admittere videtur homil. 8. de pœnit. in fine, & homilia 4. de Lazaro circa medium, & homil. 31. in Epist. ad Hebræos. Ita enim in primo loco scribit: *Non reuelauit vlcus, non in commune Theatrum accusationem produxit, non delictorum testes statuit: intus in conscientia, adstante nemine, præter eum, qui cũcta videt, Deum; qui & scrutatur, & de peccatis iudicat, & omnium vitam quasi lance quadam vibrat, iudicium peccatorum statuens* &c. post quæ concludit: *atque sic pura conscientia sacram attinge mensam, particepsque sancti sacrificij fias.* In secundo verò loco hæc habet: *Caue enim homini dixeris, ne tibi exprobret. Neque enim conseruo confiteris, vt in publicum proferas; sed ei, qui Dominus est: ei, qui tui curam gerit; ei, qui tui curam gerit; ei, qui humanus est; ei, qui medicus est, ostendis vulnera.* Et infra inducit Deum sic cum pœnitente loquentem: *Non cogo te in medium prodire Theatrum, ac multos adhibere testes: mihi soli dic peccatum priuatim, vt sanem vlcus, teq; dolore liberabo.* Demum in postremo loco sic loquitur: *Non tibi dico, vt ea tanquam pompam in publicum proferas, neque vt te accuses; sed vt pareas Prophetæ dicenti:* Reuela Domino viam tuam. *Apud Deum ea confitere, apud Iudicem confitere peccata tua, orans si non lingua, saltem memoria.* In his enim, & alijs similibus locis solũ intendit Chrysostomus publicam Confessionẽ negare. Vt facile colligi potest ex verbis ipsius. 1. Quia illã appellat accusationem factã in commune Theatrum. 2. Cùm dicit, non esse adhibendos testes. 3. Cùm dicit non esse faciendã homini, qui illam exprobret. Hæc enim omnia de publicâ tantùm confessione verificantur.

Chrysost.

36. Ad primum argumentum primæ sententiæ, nego consequentiam: ratio discriminis, quia qui constituit Medicos in aliquâ republica; sicut non tribuit illis virtutẽ; ita nec modum curandi infirmos: at quia Christus virtutem confert, confert etiam & modum absoluendi, & curandi à peccatis.

37. Ad 2. nego, Christũ instituendo cõfessionem peccatorũ de disse hominibus occasionẽ recidiuandi, sed potius instituisse remediũ, quo lapsi possent à peccato resurgere, & sanè decuit, vt ipse immediatè confessionem peccatorũ institueret. Nam sicut ipsi vt homini Ioan. 5. reseruatũ est iudicium de peccatis hominum; ita decuit, ipsum confessionem peccatorũ immediatè instituere; vt peccatores accedentes ad Sacerdotes, non accederẽt tanquam ad homines; sed tanquam ad Ministros, & vicarios Christi.

Ioan. 5.

38. Ad 3. nego consequentiam: nam etiam absolutio est opus humanum. Potuit igitur Christus opus humanum eleuare ad instrumentum propriæ sanctificationis, vt eleuat aquã, & verba in Baptismo. Vnde negandũ est, vim Sacramenti solùm sitã esse in absolutione, quamuis in eã principaliùs sita sit, vt Trident. docet sess. 14. c. 3. lege S. Th. 3. p. q. 84. a. 3. &. Caiet. eadem q. a. 1. in fine.

Vis sacramenti principalius sita est in absolutione. Concilium Trident. S. Thomas Caietanus.

39. Sententiam Glossæ Scotus appellat irrationabilẽ, Duran. plenã erroris, & periculosam in fide, Scotus errorem manifestũ, & intolerabilem. Ego verò Hæreticam, cùm sit expressè contra Trident. Nec verũ est, quod Græci non teneantur, aut non seruent præceptũ confessionis, vt constat tum ex primis duobus Concilijs à nobis supra citatis Laodicensi, & 6. Synodo, quorũ Canones fuerũt à Græcis ipsis conscripti, & compositi: tum quia in Concil. Florent. quod congregatum fuit ad vniendam Ecclesiam Græcam cum Latinã, nulla mentio fit de hoc; in quo tamen fit plena mentio de reliquis erroribus, in quibus Ecclesia Latina à Græcã discrepat, præsertim cùm in eo Concil. fusè disputetur de omnibus Sacramentis nouæ legis. Tum ex eorum Euehologio, in quo forma huius Sacrementi assignatur.

Censura Dei Glossæ. Scotus Durandus Sotus. Concilium Tridentin. Concil. Laodicen. & Florentinũ.

SECTIO III.

An Sacramentum Pœnitentiæ in Lege Euangelicã sit medium Necessarium ad remissionem peccatorum mortaliũ post Baptismum?

40. RATIO dubitandi, quoniam non hoc ipso, quod Apostoli eorumque successores, autoritate Diuinã constituti sunt Iudices animarũ in causã peccatorũ, homines Iure Diuino tenentur ad eos sua crimina deferre: quia potuit Christus eos Iudices cõstituere solũ ad vtilitatẽ fidelium, vt si velint, possint ad eos recurrere; nõ tamẽ vt obligẽtur: vti fit in peccatis venialibus, quæ possumus: si volumus, subijcere clauibus; non tamẽ tenemur, cũ sint alia media ad ea expiãda.

41. Confirmatur: nã hoc fauet saluti animarum, quam Christus in hoc Sacramento præcipuè intẽdit, instituere plura media salutem consequendi, non solùm per ipsum Sacramentum pœnitentiæ; sed etiam per contritionem independenter à Sacramento Pœnitentiæ: alioqui nullum factum fuisset priuilegium Ecclesiæ per hoc Sacramentum; sed potius arduum impositum onus, si non possemus, vt antiquitus, actu etiam contri-

tionis indepenter à Sacramento iustificari.

42. His non obstantibus, omnes Catholici cōtra Hæreticos conueniunt, hoc Sacramentum esse medium necessarium ad consequendam remissionem mortalium, quæ post Baptismum commisimus. Cōclusio definita est in Concil. Trident. sess. 14 c. 5. & can. 6. vbi statuitur Sacramentum confessionis de iure Diuino necessarium esse ad salutem. Tota controuersia est, quo pacto, & vnde hæc necessitas colligatur.

Trident.

43. Aliqui apud Glossam de pœnit. dist. 5. illam colligunt ex Iure naturali; Naturale siquidem est, dolere de peccatis, & per aliquod externū signum veniam à Deo petere. Vnde primi Parentes, qui non nisi ad præcepta naturalia obligabantur; ad suum peccatū confitendū inducti sunt à Deo. Sed contrà, nam quamuis naturale sit, suum peccatū agnoscere & de eo veniam à Deo petere; naturale tamen non est, illud alteri confiteri ad remissionem obtinendam.

44. Waldens. supra cit. illam colligit ex Iure Mosaico, in quo vigebat peccatorū confessio, vt patet de Sacrificijs, quę pro specialibus peccatis offerebantur, docet ergo, hoc Sacramentum solùm fuisse à Christo approbatum, & quoad aliqua suppletum. Sed contrà: quia nusquam legitur in veteri Iure distincta omnium peccatum confessio, nisi ob aliqua specialia peccata, pro quibus specialia sacrificia offerebantur. Legatur S. Thomas in 4. dist. 17. art. 1. q. 2. ad argumenta.

Sententia VValdensis

S. Thomas.

45. Alij deducunt ex illo Iacob. 5. *Confitemini alterutrum peccata vestra.* Sed contrà: quia hic locus cōmuniter exponitur de correctione fraterna; vnde Glossa inter linearis exponit de coæqualibus, & colligitur ex verbis sequentibus, *& orate*, inquit, *pro inuicem.*

Explicatur locus S. Iacobi 5.

46. Alens. Bonau. Scotus. Bass. Gabr. Medin. supra cit. & Iansen. cap. 147 concordātiæ Euangelicæ in ea verba Ioan. 20. *Quorum remiseritis* &c. colligunt ex traditione Apostolicā, aut ex consuetudine, & interpretatione Ecclesiæ. Inclinat Caiet. in citata verba Ioan. 20. Sed contrà: quia datur in scriptura locus, vt infra cōstabit, ex quo illa euidenter deducitur: nec posset Ecclesia suo facto, & consuetudine interpretari, quod in scripturis sufficienter non continetur, cùm non habeat auctoritatem inducendi nouam veritatem; sed reuelatam dumtaxat declarandi.

Alensis Scotus Bassolus Gabriel Medina Iansonius Caietanus.

47. Scotus cit. loco in 4. dist. 17. a. 1. versu *aliter ergo.* Hāc viā colligit necessitatē huius Sacramenti; qui amisit primam gratiam, tenetur sub præcepto recuperare illam; tum ex illo: *diliges Dominū Deum tuum:* tum ex alio: *diliges te ipsum:* sed vbi sunt duę viæ consequendi salutem, tenemur ad faciliorē, & tutiorem; sed facilior, & tutior via est, peccati remissionem consequi per pœnitentiam Sacramentū; quàm per pœnitentiam virtutem: ergo sub præcepto tenemur hoc Sacramentum suscipere ad peccati remissionē certiùs consequēdam. Maiorem supponit vt certam, vt reuera est. Minorem assumptam ostendit: quia in rebus ad salutem necessarijs tenemur sequi tutiorem viam; alioqui, si relictā certiore, attentemus incertiorem, videmur salutem contemnere, eam periculo exponendo. Subsumptam minorē probat, quoniam ad consequendam gratiam cum pœnitentiā Sacramento, sufficit, non ponere obicem; cum pœnitentia verò virtute requiritur contritio: potest autē quis certior esse, quod non ponat obicem; quàm quod habeat contritionē sufficientem ad iustificationem: quia potest probabiliter scire, se non accedere ad hoc Sacramentum cum aliquo peccato actuali, & cum intentione recipiendi Sacramentum, & effectum ipsius; at non potest scire, se habere pœnitentiam sufficientem ad iustificationē.

Scotus.

48. Hic Scoti modus est acutior; quā verior: tum quia falsum est, ad consequendam remissionem peccati per hoc Sacramentum satis esse, accedere sine obice actualis peccati; sed necessaria est attritio supernaturalis, vt infrà: tum quia etsi ratione dispositionis sit facilior, ac tutior via consequendi gratiā per pœnitentiam Sacramentum; quàm per pœnitentiam virtutem; quoniam ad illud sufficit attritio, ad hanc requiritur contritio; multis tamen alijs modis hæc via est incertior: quia pendet ex pluribus conditionibus nobis incertis: vt ex charactere Baptismali proprio, sine quo nullus effectus Sacramenti participari potest; ex charactere Baptismali, ac Sacerdotali Ministri, ex iurisdictione, & intentione absoluentis.

49. S. Th. 3. p. q. 84. a. 5. & in 4. dist. 17. q. 3. a. 1. q. 3. necessitatē huius Sacramenti colligit ex eo, quod à Christo institutum est, vt Medicina; ad hoc autem vt medicina obliget ad sumptionem sui, supponi debet vt vnicum remedium ad salutem: ideo cit. loco 3. p. in argumento. *Sed contra* supponit ex illis verbis Lucæ 13. *Si pœnitentiam non habueritis, omnes simul peribitis*, à Christo institutum esse vt vnicum medium ad salutem consequendam. Sed contrà: quia hic locus, sicut & ille Matth. 3. *Pœnitentiam agite*, intelligi non potest de pœnitentia Sacramento, quæ nondum instituta erat, vt colligitur ex Trident. sess. 14. cap. 1. vbi hoc Sacramentum institutum docet Ioan. 20. sed de pœnitentia virtute, quæ semper fuit necessaria.

S. Thomas.

Luc. 13.

Matth. 3.

Concil Tridentinum. Ioan. 20.

50. Reliqui Scholastici necessitatē huius Sacramenti deducunt ex Ioan. 20. *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt.* dissensio tamen inter eos est, an ea sufficienter deducatur ex solā auctoritate remittendi; an simul ex auctoritate retinendi.

Vnde sufficienter deducatur forma pœnit. necessitas.

51. Richardus in 4. dist. 17. a. 2. q. 1. Duran. q. 8. Bacho. dist. 15. q. 2. a. 1. Mayr. dist. 14. q. 1. §. *Tertio* Argen. dist. 17. q. 2. a. 2. Mars. q. 12. a. 1. concl. 3. Sotus dist. 18. q. 1. a. 1 Bellar. lib. 3. de Sacramento pœnit. cap. 2. Henriquez lib. 4. de Sacramētis c. 3. num. 1. Suar. disp. 17. sect. 2. num. 12. sufficienter deduci putant ex solā potestate remittendi. Primò: quia id docet Augustinus lib. 50. Homil. Homil. 49. Secundò:

Richardus Durandus Bacho. Mayr. Argent. Marsilius Sotus Bellarm. Henriquez Suarez S. August.

Secundò: quia per hæc verba Christus constituit Sacerdotes ordinarios Iudices ad cōponendas causas peccatorū, quatenus offensæ Dei sunt: ergo simul peccatoribus præceptum imposuit, vt sua peccata ad Sacerdotes iudicanda deferrent, cùm nequeat sine confessione delicti iudicium peragi. Confirmatur: quia Sacerdotes habēt à Christo potestatem iudicandi causas delictorum independenter à voluntate delinquentium: non possent autem hanc potestatem habere, nisi delinquētes tenerentur sua delicta ad Sacerdotem deferre. Tertiò: Sacramentum pœnitentiæ est institutum vt medium ad remissionem peccatorum: sed omne medium ad remissionem peccatorū institutum est sub præcepto: quia omne tale medium est necessarium ad salutem: ergo.

52. Sed contrà: nā omnia hæc saluantur, si dicamus per hæc verba Apostolos accepisse ordinariam potestatem iudicandi, & componendi causas peccatorum, si fideles voluerint ad eos recurrere; sic enim saluatur, quo pacto Sacerdotes habeant ordinariam potestatem à Christo independenter à voluntate delinquentium; & tamen delinquentes non teneantur ad ipsos recurrere: ergo ex concessione potestatis iudicandi & absoluendi præcisè non sequitur obligatio in peccatoribus: quia potuisset eos cōstituere Iudices cum ordinariâ potestate absoluēdi à peccatis, si subditi voluerint ad eos recurrere, interim non tollendo alia media ad consequendā remissionē peccatorum: sicut de facto Sacerdotes sunt Iudices animarum in causâ peccatorum venialium; & tamen ex hac potestate præcisè non sequitur, quòd pœnitentes teneantur in causâ venialium ad eos recurrere, cùm possint alia via eorum remissionem consequi.

Richardo & Sotores. 53. Neq; dicas vel cum Richardo, ex hoc sequi, Sacerdotes non fore Iudices animarū: *quia non est*, inquit, *meus Iudex ille, cui in arbitrio meo est subijci, & non subijci*: vel cum Soto, non habituros coërciuam potestatem, quæ necessaria est in ordinario Iudice. Nam & forent Iudices animarū in fauorem ipsarū tantùm: vt sunt in causa venialiū; Nec verū est, in quouis Iudice ordinario necessariā esse potestatē coërciuam, si hæc dicat auctoritatem compellendi reos, vt corā se causam dicant: quia quādo Iudex constituitur in fauorem rei, hæc auctoritas coërciua non communicatur cum ipsâ potestatē iudiciaria, vt constat de venialibus; licet talis potestas coërciua in Iudice sit necessaria ex suppositione, quòd se illi subijciat. Nec propterea Sacerdotes dicendi essent Iudices arbitratij. *Quo sensu Confessarius sit Iudex arbitrarius.* Nam Iudex arbitrarius propriè est is, qui auctoritatem Iudicandi accipit à partibus. Quod si arbitrarius dicatur, à quo iudicari aut non iudicari situ sit in arbitrio subditi, hoc modo Sacerdotes essēt Iudices arbitrarij; & in hoc sensu Scotus Sacerdotes appellauit Iudices *Scotus.* arbitrarios, si peccatores nullū haberent debitum ipsos adeundi. Nec verū est, omne medium institutū ad consequendam remissionē peccatorum esse sub præcepto vt Sotus & *Sotus. Henriquez.* Henriquez opinantur: nisi quādo esset vnicum, quod in casu nostro non esset: quia præter illud, esset contritio.

Conclusio Aureolus Palatius Vega Vasquez. 54. Dicendū igitur cum Aureol. in 4. dist. 17 a. 1. Palatio disp. 5. Vega 13. in Trident. c. 28. Vasquez 3. p. q. 90. a. 1. dubi. 2, necessitatē huius Sacramēti sufficiēter deduci ex vtraq; potestate, remittēdi, & retinendi simul: cuius signum est, quòd semper, cùm Christus hanc potestatē, vel promisit, vel concessit, cum eâ vtramque simul auctoritatem & remittendi, & retinendi coniunxit. *Tibi dabo*, inquit, Petro Matth. 16. *Claues regni Cœlorū: quodcunq; ligaueris super terram, erit ligatū & in cœlis: & quodcunq; solueris super terra, erit solutū, & in Cœlis*: & Matth. 18. *Quæcunq; alligaueritis super terram, erunt ligata & in Cœlo: & quęcunq; solueritis super terram, erunt soluta & in Cælo.* *Matth. 16. Matth. 18. Ioannis 20.* Et Ioan. 20. vbi hanc potestatē in precit. locis promissā Apostolis tradidit. *Accipite*, inquit, *Spiritū sanctum, quorū remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorū retinueritis, retēta sunt.* Ex hac duplici potestate remittēdi, & retinēdi peccata colligit Trid. sess. 14. c. 5. necessitatē confessionis: ex quâ & ego sic eam deduco. *Concilium Tridentin.*

Ex potestate remittendi & retinendi peccata deducitur necessitas Confessionis. 55. Sacerdos ex Christi cōcessione auctoritatē habet retinendi peccata fidelium; ergo fideles ex pręcepto Christi tenentur sua peccata sacerdoti pandere. consequentia probatur: quia nequit Sacerdos peccata pœnitentis retinere, nisi pœnitens teneatur ea clauibus subijcere. Nā finge, posse pœnitentē contritione, absq; Sacramento pœnitētiæ, re, vel in voto, remissionē peccatorū consequi, quâ ratione posset ea Sacerdos retinere: ergo dicitur Sacerdos ea posse retinere quatenus potestatē habet ea non absoluendi ex causâ; at nequit Sacerdos peccata pœnitentis ex causâ non absoluere, nisi pœnitēs ea Sacerdoti manifestet: ergo in ipsâ potestate retinendi peccata, Sacerdotibus cōcessa, includitur necessitas confitēdi fidelibus, cùm nequeat illa saluari, absq; debito confitēdi in ipsis fidelibus.

56. Dices 1. saluari potestatē retinēdi peccata in Sacerdote non absolutè; sed ex suppositione, quòd ea velit pœnitens clauibus subijcere, sicut saluatur potestas soluēdi venialia non absolutè, cùm illa remitti possint contritione; sed ex suppositione, quòd ea velit pœnitens clauibus subijcere.

57. Sed contrà: quia potestas retinēdi peccata, concessa est à Christo absolutè: igitur contra verba Christi limitatur ad ea tantùm retinēda ex suppositione. Nec est eadē ratio de venialibus: quia hæc possunt à Sacerdote remitti; non tamen absolutè retineri, nisi in ordine ad claues, si Sacerdos videt circa ea pœnitentem indispositū. Cuius discriminis ratio est, quoniam hoc Sacramentū per se institutū est ad aperiendā Ianuam Cœli, quod propterea dicitur clauis regni Cœlorū. Vnde sicut solùm mortale claudit Cœlum (nam veniale solùm retardat) ita ob sola mortalia per se primo institutū est; ergo de illis tātùm verificatur quoad vtramq; potestatē; de ve-

nialibus

nialibus verò cõsequenter, & proportionaliter; Nã sicut hæc nõ dicũtur simpliciter peccata, & offensæ Dei; sed secũdũ quid, & analogicè; ita nec de ijs necesse est, vniuocè verificari Sacramentũ quoad vtramq; potestatẽ.

58. Dices. 2. hãc necessitatẽ deduci ex solâ potestate retinendi peccata fideliũ: nam ex hac tantùm immediatè infertur, & obligatio in fidelibus, ea ad Sacerdotes deferẽdi, & potestas in Sacerdotibus ad ea remittẽda: quia qui habet potestatem retinendi necessariò supponitur habere potestatem remittendi: retinemus enim, quod remittere possumus.

59. Resp. necessitatẽ huius Sacramẽti non solùm importare debitũ manifestãdi peccata in subditis; sed etiam potestatẽ absoluẽdi in Sacerdotibus. Quę potestas ex solâ facultate retinendi deduci non potest: quia potuisset Sacerdos habere potestatẽ retinẽdi peccata, absq; eo quod habuisset potestatem ab ijs absoluẽdi: si nimirũ non ipse sed Deus ad ipsius preces peccata remitteret. Potuisset enim Sacerdos, auditis peccatis fidelium, pro ijs Deũ non orare; atque adeo potuisset ea retinere, absq; eo quod potuisset ab ijs absoluere. Ad hanc igitur potestatẽ significandã, necessaria fuit vtriusque potestatis expressio. Vnde ad illam probationẽ, retinemus quod remittere possumus, distinguendum est, vel per nos, vel per alium. Posset igitur Sacerdos peccata retinere, non quæ ipse immediatè absoluere posset; sed quorũ remissionẽ à Deo per suas preces impetrare vel non impetrare posset.

60. Deducitur primò: hoc sacramentum non esse tantũ institutum in fauorẽ pœnitentis, alioqui possemus eo liberè vti; sed etiam in fauorẽ honoris Diuini, cuius causâ agunt Sacerdotes in hoc foro, auctoritate sibi à Christo delegata, iuxta illud 2. Corint. 5. *Pro Christo legatione fungimur*; & docet Trid. sess. 14 c. 5. Affirmans, Christum è terris in cœlos ascensurũ, Sacerdotes sui Vicarios reliquisse, tãquã præsides, & Iudices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Christi fideles ceciderint. Vnde fit, vt nequeant fideles sine hoc sacramento, in voto saltẽ suscepto, remissionẽ peccatorum cõsequi, & sanè decuit vt in hoc Diuino Tribunali primaria ratio haberetur honoris Diuini. Nam hîc & in omni nostra iustificatione finaliter intenditur, & quia nequit pœnitens in causa lesæ Maiestatis Diuinæ, esse rectus Iudex sui, cõstitui debuit aliquis, qui auctoritate sibi à Christo delegata, posset, & deberet causam peccatorum cognoscere: & iuxta peccatorũ grauitatem iudicium ferre, quod in pœnitẽte necessariò supponit debitum manifestandi sua crimina Sacerdoti, qui incognitâ causa nequit iudicium ferre.

2. Cor. 5. Concil Tridentinum.

61. Deducitur 2. potestatẽ retinendi peccata in Sacerdote formaliter non esse potestatem obligandi pœnitentem ad confitenda sua peccata: nam hanc obligationem habet pœnitens ex ipsa institutione Christi, & potestate collata Sacerdotibus, qua supposita, vlterius Sacerdos potest peccata confessa pœnitentis retinere. Est igitur hæc potestas auctoritas nõ remittẽdi peccata, quæ formaliter opponitur potestati, remittẽdi peccata. Dupliciter autẽ potest Sacerdos in hoc foro peccata pœnitẽtis retinere: Primò, negando absolutionẽ, quã quocunq; modo neget Sacerdos, siue errante, siue nõ errante claue, sẽper pœnitẽs tenetur eã procurare. Secundò, iniungẽdo aliquid cui tenetur pœnitens parere: nã nisi tũc pareat, nõ poterit habere spiritũ veræ cõpunctionis: quia cõpũctio extẽditur ad obseruantiã omniũ præceptorũ, inter quæ est præceptũ iniũctum à Cõfessario.

Quid sit potestas retinendi peccata formaliter.

62. Deducitur 3. actũ, quo Sacerdos pœnitentẽ absoluit à peccatis, esse iudicialẽ; est de fide ex Trid. sess. 14. can. 9. ratio: quia Christus non contulit Apostolis potestatẽ remittẽdi, & detinẽdi peccata per modũ excellentię, vt possent quocunq; modo illa remittere, vel retinere; sed per modũ ministerialis virtutis secundũ determinatũ actum: hic autem, spectatâ naturâ Sacramẽti, nec cõueniẽtior, nec rationabilior esse potuit; quã iudicialis: quia cùm in hoc Sacramento Sacerdos non solũ debeat pœnitentis salutẽ; sed etiã recõpensationẽ Diuini honoris procurare, non potest cõuenientiùs; quàm per modũ iudicij hoc negotiũ trãsigere, pẽsatâ scilicet offensę grauitate, & subiecti dispositione, iudicialẽ sententiam ferre de peccatorum remissione, vel retentione.

Actus quo Sacerdos pœnitentem absoluit est iudicialis. Concilium Tridentinum.

63. Dices, etiã Baptismus requirit actũ Iudicialem, poscit enim certam dispositionẽ in suscipiẽte, de quâ iudicare debet Baptizans. Resp. hoc esse per accidẽs, ratione dispositionis, quã requirit in adulto, non per se ratione Sacramẽti, vt patet in paruulis, quibus hoc Sacramẽtũ impẽditur sine vllo actu iudiciali.

64. Deducitur 4. cùm remittũtur peccata per contritionẽ, remitti in ordine ad confessionẽ, ex Trid. sess. 14. cap. 4. quia semper cõtritus manet obligatus ad subijcienda sua peccata clauibus: non quod ea non remittãtur, donec clauibus subijciantur; sed quod per contritionẽ remissa, ex præcepto Diuino tenemur subijcere suo tempore clauibus sub pœnâ noui peccati; Quo fit, vt in ipsâ cõtritione includi debeat votum saltem implicitũ confessionis, vnde sequitur, hoc Sacramentũ non semper esse necessariũ in re: quia cùm sit affirmatiuũ, non obligat ad semper; semper tamen esse necessariũ in voto, saltẽ implicito, quia nunquã potest contritio iustificare, nisi saltem implicitè includat votum huius Sacramenti. Quod rectè explicuit Syluius supra cit. disp. 5, sect. 1.

Peccata remissa per contritionẽ, remissa sũt per ordinem ad confessionem. Concilium Trident.

Syluius.

65. Ex dictis patet ad rationem dubitandi. Ad confirmationem, dico, non solùm in hoc Sacramento attendendã esse salutem animarum; sed etiã causam Diuini honoris per cõdignã iniuriæ vindicationẽ. Nego tamẽ, per hoc, nullũ factũ esse Ecclesiæ priuilegiũ. Nam magnũ priuilegium est, posse cum solâ attritione in hoc Sacramento iustificari.

SECTIO

SECTIO IV.

In quo essentialiter consistat sacramentum Pœnitentiæ?

66. DVplex est essentia sacramenti, physica, & Metaphysica: illa constat ex materia, & forma, quæ in sacramentis nouæ legis sunt res, & verba, vt constat ex Florent. in decreto Eugenij IV. hæc ex genere & differentia, quæ sunt signum, & significatio. Est igitur Metaphysica essentia sacramenti pœnitentiæ, efficax signum gratiæ remissiuę peccati post Baptismum commissi; de qua nulla est controuersia, controuersia tantùm est de prima, de qua est

Concilium Florent.
Quæ sit essentia metaphysica sacramenti pœnitentiæ.

67. PRIMA sententia Scoti in 4. dist. 14. q. 4. §. *hic sunt tria*, & dist. 16. q. 1. §. *hic intelligendum*, in fine, Mayroni dist. 15. q. 4. & Rubi. dist. 16. q. 1. art. 2. opinantium sacramentum pœnitentiæ essentialiter consistere in absolutione Sacerdotis habentis iurisdictionem, sub certis verbis data, ex diuina institutione efficaciter significantibus absolutionem animæ à peccato; vt tamen validè fiat, requirere contritionem, & confessionem præuias, & satisfactionem subsequentem. Fundamentum: quia hoc sacramentum essentialiter consistit in sententia absolutoria iudicis. Confirmatur: nam Sacerdos dicitur conferre hoc sacramentum: at Sacerdos non confert, nisi absolutionem: ergo in ea tantùm essentialiter consistit.

Scotus. Mayronus. Rubio.

68. SECVNDA sententia Soti in 4. dist. 14. q. 1. art. 1. Henriquez lib. 4. de sacramentis cap. 11. asserentium, consistere in contritione, confessione, & satisfactione, connotata tantùm absolutione. Fundamentum: quia hoc sacramentum est compositum artificiatum; omne autem compositum artificiatum stat pro materia, connotata tantùm forma, seu figura. Nam licet figura sit de essentia rei artificiatæ; non est tamen, inquit Sotus, pars ipsius: quia non est de essentia subiecti; sed accidens eius.

Sotus. Henriquez.

69. TERTIA est Duran. in 4. dist. 16. q. 1. Aureol. art. 1. Bass. dist. 14. q. 1. art. 2. Gabr. q. 2. art. 1. notab. 1. Palatij dist. 16. disp. 1. affirmantium, illud essentialiter consistere in confessione, & absolutione. Fundamentum: quia contritio non est sensibilis, satisfactio verò non est necessaria: quia subsequitur sacramentum iam peractum: ergo sola confessio, & absolutio erunt de essentia, illa vt materia Metaphysica, hæc vt forma.

Durandus. Aureolus. Bassolus. Gabriel. Palatius.

70 Confirmat Aureol. quia hoc sacramentum est forum iudiciarium animarum: omne autem forum iudiciarium duo tantùm requirit, confessionem delicti, & absolutionem: ergo sola confessio, & absolutio sunt partes essentiales huius sacramenti.

71. Confirmat Palatius. Non potest effectus esse de essentia suę causæ; sed contritio requiritur in hoc sacramento ad reconciliandum peccatorem cum Deo; hic autem est effectus huius sacramenti: igitur non poterit esse de essentia ipsius.

72. QVARTA sententia est Marsilij in 4. q. 10. art. 1. aientis, sacramentum hoc constare contritione, & confessione vt materia, & absolutione vt forma. Fundamentum est: quia sicut materia Baptismi est aqua, sine qua nemo potest Baptizari Baptismo fluminis: ita materia sacramenti pœnitentiæ est contritio, & confessio, sine quibus nemo potest sacramentaliter absolui.

Marsilius.

73. QVINTA est Altisiodorens. lib. 4. tract. 6. q. 1. & 2. Alens. 4. p. q. 16. mem. 1. art. 2. & memb. 2. Bonau. in 4. dist. 16. circa textum: Sancti Thomæ 3. p. q. 84. & 90. art. 1. & 2. Caiet. q. 84. art. 1. Richar. in 4. dist. 16. q. 1. & 2. art. 1. Paludani q. 4. Capreoli q. 2. art. 1. Argent. art. 1. & recentiorum affirmantium, sacramentum pœnitentiæ constare contritione, confessione, & satisfactione, tanquam materia, & absolutione, tanquam forma. Fundamentum Caiet. est authoritas Florentini in decreto Eugenij de vnione Armenorum: Vbi primum de omnibus sacramentis nouæ legis ait, constare rebus tanquam materia, & verbis tanquam forma. Secundò specialiter de hoc sacramento docet, constare actibus pœnitentis, quos diuidit in tres supra numeratos, & absolutione Sacerdotis tanquam forma.

Altisiodor. Alensis. Bonauent. S. Thomas. Caietanus. Richardus. Paludanus. Capreolus. Argent.

74. Pro explicatione nota ex Aristotele 5. Metaphysices 6. duplex esse partium genus, alias essentiales, vt materiam, & formam in physicis, genus, & differentiam in Metaphysicis; alias integrales, seu quãtitatiuas, quarum aliæ sunt homogeneę; aliæ hæterogeneæ; priores constituunt primò rei naturam, seu essentiam: posteriores supponunt rem constitutam, & solùm perficiunt, seu integrant intra eandem rationem, vt manus, & brachia perficiũt, non autem primò constituunt hominem. Nam absque his consistit essentia hominis, quæ tamen nequit consistere sine anima, vel corpore.

Aristot.

75. DICO 1. Sacramentum pœnitentiæ integratur ex omnibus his actibus, contritione, confessione, & satisfactione tanquam materia: est Sancti Tho. q. 90. citata art. 2. & Alens. loco prænotato. Colligitur ex Trident. sess. 14. cap. 3. & can. 4. docente, hos actus requiri ad integritatem sacramenti pœnitentiæ. Fundamentum; quoniam partes integrales dicuntur, quę integrant, & perficiunt rei substantiam intra eandem rationem, tametsi primò non constituant: atqui omnes hi tres actus perficiunt sacramentum pœnitentię intra eandem speciem sacramenti, tametsi non omnes primò constituant. Minor probatur: Nam sacramentum pœnitentię per se primò constituitur in ratione signi efficaciter significantis gratiam remissiuam peccatorum: ergo quidquid integrat illud in ratione signi efficaciter significantis gratiam remissiuam peccatorum, est pars integralis illius: atqui

S. Thomas. Alensis. Concilium Trident.

qui singuli actus enumerati perficiunt sacramentum pœnitentiæ in ratione signi efficaciter significantis gratiam remissiuam peccatorum, per quod hoc sacramentum primò constituitur in ratione talis sacramenti: ergo. Minorem probo: Nam omnes his tres actus in hoc sacramento concurrunt ad integrandum signum efficax remissionis peccati, contritio vt peccati detestatio; confessio vt delicti accusatio; satisfactio vt peccati vindicta; præterea omnes à Christo assumuntur, vt instrumentum suæ passionis ad conferendam gratiam ex opere operato peccati remissiuam.

76. *Obijcies* 1. Satisfactio est tempore posterior sacramento: non igitur potest integrare illud in ratione signi efficaciter significantis gratiam remissiuam peccati.

77. Resp. nego consequentiam: quia non est signum permanens, quod habet partes simul existentes; sed successiuum habens partes vnam post aliam. Constat de absolutione, quæ est forma huius sacramenti, & tempore subsequitur confessionem. poterit igitur satisfactio integrare sacramentum pœnitentiæ, etiamsi tempore subsequatur alias partes.

S. Thomas.

78. *Obijcies* 2. Vltimum complementum huius sacramenti ex S. Thoma q. 84. art. 1. ad 2. est absolutio Sacerdotis: quia cùm sit quoddam sacramentale iudicium, vltimum complementum sumit ex sententia iudicis; ergo quidquid subsequitur absolutionem, non potest sacramentum integrare, tum quia vltimum complementum habet rationem vltimi perfectiui; ergo quidquid postea aduenit, habet rationem accidentis & extranei: tum quia absolutio est forma supponens materiam, in quam debet cadere, satisfactio autem se tenet ex parte materiæ; ergo non potest esse pars integrans sacramentum: quia pars integrans materiæ præcedit formam.

Quomodo absolutio sit vltimum complementũ sacram. Pœnit.

79. Resp. nego consequentiam: ratio quia absolutio non est vltimum complementum simpliciter; sed in ratione formæ: Vnde S. Thomas, non dixit esse vltimum complementum, sed complementum, nempe in genere formæ, quæ præbet primam rationem speciei, sicut anima homini. Satisfactio autem non est complementum in genere formę, sed materiæ.

80. Ad primam probationem dico, vltimum complementum habere rationem vltimi perfectiui in eo genere, in quo est vltimũ, & in eo genere, quidquid aduenit, aduenire vt accidens, & extraneum. Cæterùm satisfactio non aduenit sacramento pœnitentiæ in ratione formę specificantis; sed in ratione materiæ integrantis.

Satisfactio aduenit in ratione integrantis materiæ:

Duplex est hic materia.

81. Ad secundam dico, duplicem esse materiam in hoc sacramento: alteram destruendam, & hæc sunt peccata, quæ pręcedunt absolutionem, & cum ijs simul contritio, & confessio: quia nequeunt absolui, nisi vt retractata, & manifestata; alteram recompensatiuam, & hæc non necessariò præcedit formam quia condonatio, quæ completur per sententiam absolutoriam iudicis, non necessariò supponit recompensationem offensæ: quia cùm hæc pendeat ex arbitrio iudicis, connaturaliùs subsequitur sententiam remissiuam.

82. *Obijcies* 3. Satisfactio non est signum, & causa remissionis peccati; sed vel pœnæ relictę ex peccato, vel augmenti gratiæ; ergo non est pars integrans sacramenti pœnitentiæ. Antecedens constat, quia satisfactio per se supponit remissionem peccati factam vi absolutionis præcedentis, & solùm ipsa significat & causat remissionem pœnę relictæ ex peccato, & auget gratiam iam collatam. Consequentia probatur: quia, vt aliquid sit pars integralis alterius, debet perficere illam sub ea ratione, qua primò constituitur; vt vna pars albedinis integrat aliam: quia perficit illam sub ratione disgregantis visum, qua primò albedo constituitur: sed hoc sacramentum primò constituitur per rationem signi practicè significantis remissionem peccati; ergo.

Sacram. pœnit. est signum & causa remissionis pœnæ.

83. Resp. nego consequentiam: quia hoc sacramentum non solùm est signum, & causa remissionis culpæ; sed etiam pœnæ: vt autem aliquid sit pars integralis alterius, non est necesse, vt integret illud sub omni ratione, qua constituitur: non enim quodlibet membrum integrat hominem sub omni ratione, qua homo constituitur; ergo licet satisfactio non integret sacramentum pœnitentiæ sub ratione signi significantis remissionem culpæ; integrat tamen illud sub ratione signi significantis remissionem pœnę: quia vtrumque est de ratione huius sacramenti. Nec est par ratio de albedine integrante aliam albedinem: quia hæc constat ex partibus homogeneis, quarum singulæ sunt eiusdem rationis: at hoc sacramentum constat ex partibus heterogeneis, quarum singulæ sunt diuersæ rationis.

84. *Obijcies* 4. Satisfactio, quam pœnitens exequitur in peccato, non est signum efficax remissionis pœnæ; ergo saltem ea non est pars integralis huius sacramenti. Antecedens probatur: quia qui est in peccato non est capax remissionis pœnæ.

85. Resp 1. nego consequentiam: Nam sufficit, vt quantum est de se, sit efficax signum illius, quamuis ratione obicis illam non causet; sicut sacramentum informe, est verum sacramentum: quia quantum est de se, est efficax signum gratiæ, quamuis illam non causet defectu dispositionis. Resp. 2. negando antecedens, de quo infrà disp. 17. de satisfactione sect. 3.

Effectus potest integrare suam causam materialiter:

86. *Obijcies* 5. Effectus non potest integrare suam causam: satisfactio est effectus sacramenti pœnitentiæ: quia causatur ab illo; ergo nõ potest integrare illud. Maior patet quia effectus supponit causam, à qua produci debet.

87. Resp. effectum non posse integrare suam causam, vt causam sui formaliter: quia vt sic supponit essentialiter illam; posse tamen integrare illam sub ratione entitatis, & materialiter: sic calor intendendo seipsum, integrat se non sub ratione causæ formaliter, sed sub ratione entitatis. Satisfactio igitur non integrat sacramentum pœnitentię sub ratione

perfectæ

perfectæ entitatis sacramentalis.

Intentio ministri non est pars integralis.

88. *Obijcies* 6. Ergo etiam intentio Ministri erit pars integralis huius sacramenti. Resp. nego consequentiam: nam intentio Ministri se tenet ex parte efficientis; est enim causa moralis efficiens absolutionem, quę est complementum, & forma huius sacramenti: quamquam vt denominans absolutionem humanam, integrat formaliter illam.

89. Dico 2. Sacramentum pœnitentiæ essentialiter constat, contritione, confessione, & proposito saltem implicito satisfaciendi, tamquam materia, & absolutione iuridica Ministri, tamquam forma. Fundamentum: quia in eo consistit essentialiter res, sine qua non saluatur primarius, & adæquatus conceptus ipsius: sed primarius, & adæquatus conceptus huius sacramenti, est, esse signum efficax gratiæ reconciliatiuę, peccatoris cũ Deo per modum iudicij absolutorij: & hic conceptus non saluatur sine contritione, confessione, & proposito satisfaciendi ex parte pœnitentis, & iuridica absolutione ex parte Ministri. Minorem ostendo: Nam iudicialis absolutio essentialiter dicit accusationem delicti cum proposito exequendi pœnam à iudice infligendam, & ipsam iudicis sententiam: quatenus verò signum est gratiæ reconciliatiuæ cum Deo, necessariò supponit contritionem ex parte reconciliandi, sine qua perfecta reconciliatio intelligi nequit. Nequit igitur saluari essentialis conceptus huius sacramenti sine contritione, confessione, & proposito satisfaciendi, tanquam materia ex parte pœnitentis, & iuridica absolutione tanquam forma ex parte Ministri.

Conc. Flor. & Trid.

Catechismus de sacram. Pœnit.

90. Nec te moueant Florentinum, & Trident. quę non appellant hos actus materiam; sed quasi materiam: quia vt rectè Catechismus de sacramento Pœnitentiæ num. 14. *non ideo hi actus quasi materia*, inquit, *à Sancta Synodo appellantur, quia vera materiæ rationem non habeant; sed quia eius generis materia non sint, quæ extrinsecùs adhibeatur: vt aqua in Baptismo, Chrisma in confirmatione*; quod etiam adnotauit Sotus suprà citatus.

Sotus.

91. Ex his constat, interdum hoc sacramentum appellari sacramentum reconciliationis ab effectu; interdum absolutionis à forma; interdum confessionis à notiore parte materiæ; interdum pœnitentiæ ab ipsa contritione. quod non est intelligendum transitiuè cum Scoto; sed intransitiuè cum reliquis: nunquam verò dicitur sacramentum satisfactionis: quia hæc, licet sit de integritate, non est tamen de essentia.

Cur pœnitentia non dicatur sacramentum satisfactionis.

92. *Obijcies* 1. Potest dari sacramentum pœnitentię informe defectu contritionis: sed sacramentum informe est verum sacramentum; ergo sacramentum pœnitentiæ non dicit essentialiter contritionem.

93. Secundò potest hoc sacramentum dari sine confessione per signa tantùm, vt de moribundis docet Rituale Pauli V. & communior Thologorum Schola.

94. Tertiò. Si sacramentum pœnitentiæ essentialiter constaret ex actibus pœnitentis, pœnitens ipse diceretur hoc sacramentum sibi conferre; sicut qui confert aquam Baptizando, dicitur Baptismum conferre.

95. Quartò. vt partes componant totum, aliquam requirunt coniunctionem: sed contritio, confessio, & absolutio, nullam requirunt coniunctionem: Nam contritio præcedere potest confessionem, & confessio multo tempore absolutionem. Quintò confessio applicat tantùm materiam, supra quam cadere debet absolutio: ergo non est materia, sed tantùm conditio.

96. Resp. ad primum, nego dari posse sacramentum informe, absque vllo dolore; cùm nequeat forma huius sacramenti cadere, nisi in peccata aliquo dolore reconciliatiuò cum Deo informata: est enim talis dolor non tantùm ad effectum; sed etiam ad essentiam huius sacramenti necessarius; de quo disp. 12. sect. 6.

Nutus aliquando supplent vicem confessionis.

97. Ad secundum in tali casu signa ipsa subeunt vicem confessionis, sicut in matrimonio nutus supplent vicem verborum.

98. Ad tertium nego sequelam. Ratio quia contritio, & confessio non sunt proximè, & actu sacramentum, donec moraliter coniungantur cum absolutione: quia non sunt sacramentum, nisi vt actu eleuantur à clauibus ad esse instrumenti passionis Christi, homines sanctificantis ex opere operato.

99. Ad quartum nego minorem: & ad probationem, dico sufficere coniunctionem moralem, qualis intercedere solet inter accusationem rei, & sententiam iudicis: constat in matrimonio, in quo consensus vnius multo tempore præcedere potest consensum alterius: sunt enim hæc moralia composita, ideò moralem tantùm requirunt coniunctionem, quanta sufficit ad moralem contractum, & iudicium saluandum.

100. Ad quintum respondeo, confessionem considerari dupliciter; Vno modo, quatenus applicat, & subijcit peccata Sacerdoti, & vt sic est sola conditio: Secundò, vt est quædam accusatio sui cum spe veniæ virtute clauium obtinendæ; & vt sic est materia proxima intrinsecè constituens, & integrans hoc sacramentum.

101. Ex dictis cõciliantur quarta & quinta sententia. Nam quarta loquitur de partibus essentialibus: quinta de integralibus, de quibus intelliguntur Concilia, cùm docent, omnes tres actus requiri ad integritatem sacramenti.

102. Ad fundamentum verò primæ, nego maiorem: non solùm enim hoc sacramentum cõsistit in sententia iudicis; sed etiam in detestatione, & accusatione delicti; est enim iudicium absolutorium, & reconciliatiuum peccatoris cum Deo.

Quare Sacerdos dicatur conferre sacramentum pœnit.

103. Ad confirmationem, dici Sacerdotem conferre sacramentum, non quia confert illud quoad omnes partes; sed quia illud confert quoad præcipuam, cum morali coniunctione ad reliquas: qui autem attingit præci-

puam partem cum vnione ad reliquas, dicitur attingere totum formaliter: vt constat de agente naturali, quod attingens formam vnitam subiecto, dicitur attingere totum compositum formaliter.

104. Ad fundamentum secundæ nego minorem: nam qua ratione artificiatum essentialiter componitur ex materia, & forma artificiali, essentialiter dicit vtrumque: quia vtrumque per se concurrit ad tale compositum constituendum. Nec est necesse, ad hoc vt forma sit pars totius, vt sit de essentia subiecti: nam nec forma naturalis est de essentia materiæ; & tamen est pars compositi naturalis; sed sat est, vt sit de essentia totius; ergo si absolutio, & quæuis forma artificialis est de essentia totius compositi artificialis, vt Sotus concedit, erit etiam pars totius compositi artificiati.

Forma artificialis est de essentia compositi artificiati.

105. Ad fundamentum tertiæ respondeo, contritionem fieri sensibilem per confessionem; satisfactionem verò subsequi sacramentum, vt partem integrantem, non vt partem essentialem.

106. Ad primam confirmationem, nego minorem; quia hoc sacramentum non est forum coactum, & delicti tantùm vindicatiuum, in quo sufficit accusatio, & absolutio; sed spontaneum, & reconciliatiuum, quod præter accusationem delicti, & absolutionem iudicis, postulat liberam retractationem ipsius rei.

107. Ad secundam nego contritionem esse effectum pœnitentiæ sacramenti; sed pœnitentię virtutis: eadem enim contritio est effectus pœnitentiæ virtutis, à qua elicitur, & pars pœnitentiæ sacramenti, quod essentialiter componit: nec reconciliatio peccatoris cum Deo, qui est effectus pœnitentiæ sacramenti, consistit in contritione; sed in gratia, & amicitia Dei, quam hoc sacramentum causat, vt morale instrumentum passionis Christi.

Contritio est effectus pœnitentiæ virtutis, non sacram.

SECTIO V.

Quid in hoc sacramento sit res tantùm; sacramentum tantùm; res, & sacramentum simul?

108. Solent Scholastici cum Magistro in 4. dist. 22. cap. vlt. in quouis sacramento hæc tria distinguere, rem, sacramentum, rem & sacramentum simul. Primum significatur, & non significat; Secundum significat, & non significatur; Tertium significatur & significat. Est autem res vltimatus effectus sacramenti, qui in quolibet est gratie proportionata fini talis sacramenti, vt in Baptismo gratia regeneratiua, in hoc gratia recõciliatiua, quæ significatur per sacramentum; ipsa tamen non significat: quia non refertur ad vlteriorem terminum causandum. Sacramentum est externum Symbolum, quod in quouis sacramento est necessarium ex diuina institutione, vt in Baptismo forma & ablutio in hoc confessio, & absolutio, quæ significat interiorem absolutionem animæ, & ipsa non significatur: quia non est terminus alterius significationis, vel effectus alterius causæ: & de his nulla est difficultas: In quouis enim sacramento facilè est assignare externum signum, & vltimum effectum. Sola controuersia est de eo, quod est res, & sacramentum simul: quia non videtur in omnibus, & præcipuè in hoc sacramento, posse assignari.

Magister cum reliquis Scholasticis.

Res est vltimatus effectus sacramenti.

109. Ratio dubitandi est duplex. Prima: quia res, & sacramentum simul debet causatum ab eo, quod est sacramentum tantùm, esse signum, & causa gratiæ: vt character, qui in Baptismo est res, & sacramentum simul, causatus ab externo symbolo, est signum, & causa spiritualis regenerationis. In hoc autem sacramento non est assignabile aliquid, quod causatum à confessione, & absolutione, sit signum reconciliationis. Nam si quod esset, esset interior pœnitentia; at hæc non causatur; sed potiùs causat confessionem, impellendo voluntatem ad illam: nec etiam causatur ab absolutione: quia hæc supponit contritionem, vt materiam, & dispositionem pœnitentis.

110. Secunda ratio dubitandi est: quia id, quod est res & sacramentum simul, non constituit essentialiter sacramentum, cùm sit effectus ipsius, vt constat de charactere, qui non constituit essentialiter Baptismum; sed est effectus ipsius supponitque illum constitutum in ratione sacramenti: in hoc autem sacramento non potest assignari aliquid, quod sit effectus sacramenti, & causa gratiæ: cùm contritio non sit effectus huius sacramenti; sed pars essentialiter constituens illud.

111. Prima sententia esse potest: nihil inueniri in hoc sacramento, quod habeat rationem rei, & sacramenti simul: quoniam nulla auctoritate cogimur hoc in quouis sacramento assignare. Neque August. vt refertur de consecratione dist. 2. can. *hoc est*, vniuersaliter id docet; sed ad summum de Eucharistia.

August.

112. Secunda Palud. in 4. dist. 14. q. 1. art. 1. affirmantis, rem & sacramentum simul esse interiorem contritionem, & ornatum animæ, quem ponit in omnibus sacramentis, vt præuiam dispositionem ad gratiam.

Paludanus.

11. Tertia Magist. in 4. dist. 22. Bonau. art. 2. q. 2. Sancti Thom. 3. p. q. 84. art. 1. ad 3. Caiet. ibidem; Argent. dist. 22. art. 4. Capreol. q. 1. art. 1. & reliquorum Scholasticorum asserentium, interiorem pœnitentiam esse rem, & sacramentum simul.

Sententia Magister. Bonauent. S. Thom. Caietanus. Argent. Capreolus.

114. Dico 1. Assignandum est aliquid, quod in hoc sacramento sit res, & sacramentum simul: constat inductione reliquorum sacramentorum, vt in Baptismo, Confirmatione, & ordine, character; In Eucharistia,

corpus

corpus & sanguis Christi sub speciebus panis, & vini contentus; In Matrimonio, matrimoniale vinculum; In Extrema-Vnctione, corporis sanitas, quæ significat animi sanitatem, & ipsa rursus significatur ab externa olei vnctione.

115. DICO 2. Quod in hoc sacramento habet rationem rei, & sacramenti simul, non est animi ornatus: quia, vt docet Caiet. suprà cit. non modò hic ornatus superfluus est; sed etiam improbabilis: siquidem gratia nullam pręrequirit in subiecto dispositionem, vt in eo recipiatur. Patet in Angelis, in quibus sine huiusmodi ornatu gratiam à principio suæ creationis receperunt.

Caietanus.

116. DICO 3. Sola interior pœnitentia est res, & sacramentum simul. Fundamentum: quia hęc sola habet omnia requisita; requisita sunt, vt significet vltimatum effectum sacramenti, & simul significetur ab externo symbolo: sola interior pœnitentia, & significat gratiam remissiuam peccati, quæ est vltimatus effectus huius sacramenti, & significatur ab externo symbolo. Minor probatur: Nam confessio, licet significet interiorem pœnitentiam, à qua imperatur; ipsa tamen non significatur; & absolutio, licet significet interiorem absolutionem animæ, non tamen ipsa ab alio significatur.

Ad priorem rationem dubitandi, primò nego, vt aliquid sit res, & sacramentum simul, debere causari ab externo sacramento: sed satis esse, vt tantùm significetur. Colligo ex Magistro in fine distinctionis 22. vbi quàuis dicat, interiorem pœnitentiam esse signum, & causam interioris remissionis peccati; ipsam tamen exteriorem pœnitentiam docet, esse signum tantùm interioris pœnitentiæ.

Magister.

Secundò nego, interiorem pœnitentiam non causari ab externo symbolo in ratione sacramenti. Cuius ratio est, quia interior pœnitentia non est sacramentum, seu efficax signum gratiæ, nisi vt eleuata per externum symbolum confessionis, & absolutionis sacerdotalis ad esse instrumentum Passionis Christi: quia nunquam illa assumitur vt efficax signum gratiæ, nisi vt eleuata à Sacerdotali absolutione: vbi quamuis interior pœnitentia in ratione virtutis sit causa cõfessionis, in ratione tamen sacramenti seu signi productiui gratiæ, causatur à confessione, & absolutione per moralem coniunctionem. Nam tũc interior pœnitentia fit efficax signum gratiæ, cùm actu coniungitur cum Sacerdotali absolutione, à qua ex institutione Christi eleuatur ad esse instrumentum Passionis Christi. Lege Capreol. dist. 22. q. 1. art. 1. Quare concedo, absolutionem supponere interiorem pœnitentiam in ratione dispositionis, & actus pœnitentis: Nego autem supponere illam in ratione sacramenti, & signi efficacis gratiæ: quia vt sic non supponit, sed causat formaliter illam.

Capreolus.

Ad secundam rationem dubitandi, nego maiorem: constat de sacramento Eucharistiæ, in quo res, & sacramentum simul; est Christus sub speciebus contentus; qui tamen essentialiter constituit Eucharistiam, potest igitur interior pœnitentia esse res, & sacramentum simul, & nihilominus essentialiter constituere sacramentum pœnitentiæ. Vnde nego, illam esse effectum sacramenti adæquatè constituti; sed solùm inadæquatè, in ratione symboli sensibilis. Est autem interior pœnitẽtia sub diuersa ratione effectus, & pars essentialis sacramenti; est effectus vt significata; pars verò vt significans simul cum alijs partibus gratiam reconciliatiuam.

DISPVTATIO XI.

De forma sacramenti Pœnitentiæ.

EXPLICATIS partibus pœnitentiæ in genere, explicandę sunt partes eiusdem in specie. Incipimus autem à forma, quippe quę pauciores habet difficultates, ac proinde breuiorem poscit disputationem; dicturi deinceps de materia, cuius singulę partes longiores postulant disputationes.

SECTIO I.

Quæ sit essentialis forma sacramenti Pœnitentiæ?

1. PRIMA sententia Scoti in 4. dist. 14. q. 4. art. 2. Bassoli q. 1. art. 2. affirmantium, ad formam huius sacramenti non requiri certa verba, vti requirũtur in Baptismo, & Eucharistia, sed sufficere quodcunque verbum exprimens actum absolutionis: tametsi putent, hęc verba communiter esse apta: *Ego te absoluo.* Quorum fundamentum est: quoniam iudicium sacramentale subalternatur iudicio publico, in quo non requiruntur determinata verba, sed assumi possunt quęcunque apta ad iudicis sententiam exprimẽdam. Hanc sententiam probabilem putat Gabriel in 4. distinct. 14. q. 2. art. 1. Notab. 1. litera C. Confirmatur, quia nulla est certa forma absoluens ab excommunicatione: ergo nec certa forma absoluens à peccatis, cùm non minùs Christus potestatem dederit Ecclesiæ absoluendi ab excommunicatione, quàm à peccatis.

Scotus. Bassolus.

Gabriel.

2. Sed contrà: nam vel Scotus contendit, hęc verba non esse essentialia sumpta materialiter, & verum est, cum loco ipsorum substitui possint alia æquipollentia vel non esse essentialia, etiam sumpta formaliter: & falsum est, tum quia est contra Concilia Florentinum, & Tridentinum, quę huiusmodi verba tanquam essentialia formæ huius sacramenti assignant: tum quia forma essentialis debet exprimere principalem effectum sacramenti: tum quia debet significare, quod efficit, cùm suum effectum efficiat significando. Nec vlla est disparitas, quam Scotus assignat inter hanc, & Baptismi, atque Eucharistiæ formā: cùm eodē mōdo hæc, atque illa sit essentialis formaliter, non essentialis materialiter.

3. Ad fundamentum autem ipsius, nego, iudicium sacramentale quoad omnia subalternari iudicio publico: nam illud fieri potest verbo, aut scripto, hoc non, nisi verbo, vt infrà ostendam: in illo nequit idem simul esse testis, & reus: in hoc nisi idem met sit testis, & reus, sacramentum non est validum: illud potest esse coactum, hoc non nisi voluntariū. Et ratio à priori est, quia hoc ordinatur ad internam animi salutem, quæ liberam postulat retractationem, confessionemque peccatorum: illud ad externum bonum Reipublicæ, ad quod sufficit externa delicti emēdatio. Ergo sicut in his iudicium sacramentale non subordinatur iudicio publico, ita neque in forma ipsa proferendi sententiam.

4. Ad confirmationem, ratio discriminis est: quoniam absolutio à peccatis est sacramentalis, & per eam fit remissio peccatorum, quæ est proprius effectus Dei, vt agētis principalis: ergo fieri debuit per verba determinata ab ipso Deo, à quo instrumentariam vim haberent ad remittenda peccata. Absolutio verò ab excommunicatione, non est sacramentalis, sed fori contentiosi: nec per eam fit aliquis effectus, ad quem peculiari modo cōcurrat Deus, vt Author principalis. Vnde non requirit certa verba, quæ efficiāt, quod significant ex institutione Dei, vt instrumenta ipsius, sed possunt quæcunque verba assumi, cùm effectus ipsius totaliter pendeat ex intētione absoluentis. Legatur S. Tho. opusc. 22. c. 2. & Sotus in 4. dist. 14. q. 1. ar. 3. in fine. *S. Thomas. Sotus.*

5. SECVNDA sententia est Durandi in 4. dist. 22. q. 2. Aureoli art. 3. aientium, præter illa verba, *Ego te absoluo*, necessaria esse alia diuinum Numen exprimentia. Quorum fundamentum est, quia in sacramento, in cuius forma exprimitur actus ministri, exprimi etiam debet ipsum principale agens: atqui in forma absolutionis sacramentalis exprimitur actus ministri: ergo exprimi etiam debet principale agens: Maior probatur, tum inductione Baptismi, Confirmationis, Ordinis, & Extremæ-Vnctionis, in quibus cum actu ministri exprimitur Sanctissima Trinitas: tum ratione, quia actus non tribuitur ministro, sed principali agenti. *Durandus. Aureolus.*

6. Sed contrà, quia cùm hæc sententia nullam afferat peculiarem rationem, quę efficaciter probet, ad essentiam huius sacramenti requiri explicitam inuocationem Diuini Numinis; & ex alia parte communis sententia reliquorum Doctorum sit in contrarium, non erit temerè asserenda, cùm in theologicis veritatibus asserendis potissimum locum obtineat authoritas.

7. Vnde ad fundamētum aduersariorum, negandum est, in sacramentis exprimendum esse principale agens, cùm ordo ad agens sit extrinsecus. Nec est eadem ratio de sacramēto Baptismi, & Extremæ-Vnctionis. Nam illud est sacramentum fidei: in quo exprimi debuit principale mysterium Christianæ Religionis: hoc est essentialiter deprecatiuum: in quo fieri debuit expressa mētio Dei, à quo omne bonum deprecandum est. Quod attinet ad Confirmationem, & Ordinem, negandum est, inuocationem Sanctissimæ Trinitatis esse essentialem formæ horum sacramentorum, vt ostendi Tomo præcedenti, sed ad essentiam illius sufficere verba exprimentia principalem effectū, ad essentiam verò huius verba significantia potestatem, quæ per ordinis collationem traditur.

8. TERTIA sententia est Gabrielis loco suprà citato, Petri Soti lect. 4. de materia & forma sacramenti Pœnitentiæ, Angeli verbo *Confessio* 5. n. 1. docentium, essentialem formam sacramentalis absolutionis consistere in his verbis. *Absoluo te à peccatis tuis*. Quorum fundamentum est, quoniam hęc omnia & sola necessaria sunt ad exprimendum principalem effectum huius sacramenti, qui est remissio peccatorum per modum iuridicæ sententiæ à Sacerdote collata. *Gabriel. Petrus Sotus. Angelus.*

9. QVARTA sententia est Palud. in 4. dist. 22. q. 3. concl. 2. asserentis, omnia, & sola illa verba, *Absoluo te à peccatis*, pertinere ad essentiam formæ huius sacramenti: *Circa secūdum*, inquit, *est notandum, quod de forma essentialiter sunt tria vocabula, de necessitate scilicet, Absoluo te à peccatis.* Hęc sententia aliquando mihi arrisit, quam probabam his argumentis. Primò, quoniam illa indicant Concilia Florentinum, & Tridentinum, dum post illa verba, *Ego te absoluo*, addunt, *& cætera.* Secundò, quoniam omnia, & sola illa verba sunt essentialia formę sacramenti, quæ distinctè exprimunt principalem effectum sacramenti: sola autem, & omnia hæc, *Absoluo te à peccatis*, distinctè exprimunt principalem effectum sacramenti Pœnitentiæ: ergo. Minor clara est. Maior cōstat, tum inductione de cæteris sacramentis, in quibus semper verba essentialia formæ exprimunt principalem effectum, ad quem institutum est sacramentum: tum à priori, nam ideò sacramentis nouæ legis, addita sunt verba, vt vi propriæ significationis distinctè exprimant, quod reipsa per sacramentum geritur. Tertiò. Verba hæc, *absoluo te*, sunt ex se indifferentia ad significandam absolutionem à censura, vel absolutionem à peccatis, vt igitur determinatè significarent absolutionem à peccatis, determinanda fuerunt per particulam, *à peccatis*, *Paludanus. Concilium Florent. & Trident.*

Non

Non est autem necessarium, *tuis*, cùm hoc distinctè exprimatur pronomine, *te*, cùm non possit ab alijs peccatis pœnitens absolui, quam à proprijs, cùm nullum possit esse peccatum, nisi sit proprium, vtpotè propria voluntate commissum. Quartò, ideo in sacramento Eucharistiæ in forma sanguinis essentialia sunt illa verba, *Qui pro vobis*, vel, *pro multis effundetur*, vt præcedente tomo docuimus, quia cùm sacramentum Eucharistię principaliter sit institutum vt sacrificium, sacrificium autem in effusione sanguinis principaliter consistat, necessaria sunt verba, quæ sacrificij naturam, completè, ac distinctè exprimant. Ergo cùm sacramentum Pœnitentiæ principaliter sit institutum ad remittenda peccata, necessaria sunt verba, quæ hanc remissionem peccatorum distinctè significent. Hæc erant argumenta, quibus olim hanc sententiam probabam. Verùm re postea maturiùs considerata non arbitror à communi sententia, quam mox subiungam, esse recedendum: cùm in sententijs Theologicis, vt suprà dixi, plurimum valeat communis Doctorum authoritas, pręsertim vbi efficax ratio in contrarium non cogit.

10. Quinta igitur, & communis Theologorum sententia constanter affirmat, sola illa duo verba, *Absoluo te*, constituere essentialem formam huius sacramenti. Ita S. Thomas 3. parte q. 84. art. 3. Caietanus ibidem in summa verbo *Absolutio* Sotus in 4. dist. 14. q. 1. art. 3. in fine, Mayronus q. 1. art. 2. Angles de sacramento Pœnitentiæ q. 1. Syluester verbo *Absolutio* 6. q. num. 4. Tabiena eodem verbo num. 12. Armilla num. 4. Toletus l. 3. cap. 12. Suarez tomo 4. in 3. partem: disp. 19. sect. 1. Vasq. q. 84. art. 3. dub. 4. Syluius ibid. Henriquez lib. 4. de sacramentis cap. 11. n. 3. Emmanuel Sà verbo *Absolutio*, Coninck disp. 4. dub. 3. numer. 30. & reliqui ferè omnes, pro cuius communis sententiæ explicatione,

S. Thomas. Caietanus. Sotus. Mayronus. Angles. Syluester. Tabiena. Armilla. Toletus. Suarez. Vasquez. Syluius. Henriquez. Emmanuel Sà. Coninck.

11. Dico 1. Sola hæc duo verba *absoluo te*, constituunt essentialem formam huius sacramenti. Assertio constat: primò communi authoritate Doctorũ, qui in hanc sententiam tanquam veriorem probabilioremq; conspirant. Secundò, quoniam horum tantùm verborum Florent. & Trid. expressam mentionẽ faciũt. Nec refert, quod addant, *& cætera*, nã illa non addunt, eo quod iudicent, alia etiam verba pertinere ad essentiam formæ huius sacramenti: sed vel addunt, vt abstrahant à cõtrouersia aliquorum Theologorũ, qui putant, alia etiam verba pertinere ad essentiam huius formæ: vel certè addunt, non ad significandum, alia etiam verba esse essentialia, sed solũ esse integralia, quæ ex consuetudine, & præcepto Ecclesiæ adduntur essentialibus.

Florent. & Trid.

12. Tertiò: quoniam ea tantùm verba constituunt essentialem formam sacramenti, quæ cum adiunctis circumstantijs exprimunt principalem effectum sacramenti: talia sunt hæc verba, *absoluo te*, in forma sacramenti Pœnitentiæ: ergo hęc tantùm constituunt essentiam formæ huius sacramenti. Maior constat: nam verba quoad significationem sumenda sunt secundùm omnes circumstantias, quas habent adiunctas, & secundùm quas ex communi hominum institutione, determinantur ad significandum, vt patet in illa forma Baptismi corruptè prolata. *Ego te Baptizo in nòmine Patria, & Filia, & Spiritua sancta*, quæ ex declaratione Zachariæ Papæ valida est, eo quod prolata in talibus circumstantijs, ex communi hominum sensu significant mysterium Sanctissimæ Trinitatis, quę tamen sub alijs circumstantijs prolata, illud non significarent. Pari igitur ratione, verba hæc *absoluo te*, & si ex se indifferentia sint, ad significandam tam absolutionem à censura, quàm à peccatis, prolata tamen supra pœnitentem, qui sua peccata confessus est Sacerdoti, determinantur ad significandam absolutionem à peccatis, qui est principalis effectus huius sacramenti.

Zacharia Papa.

13. Ex his patet ad argumenta 3. & 4. sententiæ, quoniam non est necessum, vt verba distinctè exprimant naturam sacramenti independẽter ab adiunctis circumstantijs, sed sufficit, vt illam distinctè exprimant ex adiunctis circumstantijs. Nec est eadem ratio de illis verbis in forma sanguinis, *qui pro vobis*, vel *pro multis effundetur*: nam sine his pręcedentia verba. *Hic est calix sanguinis mei*, etiam cum adiunctis circumstantijs sumpta, adhuc manent indifferentia, ad significandum vel conuiuium spirituale, constans ex cibo & potu spirituali, vel sacrificium: quoniam adhuc sumpta cum circumstantijs sacramentalis separationis corporis à sanguine, non significant determinatè sacrificium, cùm significare possint solùm cibum, & potum separatum, quæ tantùm sunt de essentia Eucharistiæ, vt sacramentum est, vt igitur determinarentur ad significandam Eucharistiam in ratione sacrificij, debuerunt illis addi verba exprimentia sanguinis effusionem: quę crucis cruẽtum sacrificium, cuius hoc est realiter repræsentatiuum, exprimerent.

14. Dices: ergo neque in forma huius sacramenti erit necessariũ pronomen *te* quia illud intelligitur ex adiunctis circumstantijs, nam posito, quod hic determinatus homo, sit huic Sacerdoti confessus, per hanc circumstantiam verbum *absoluo* determinatur ad absoluendum hunc determinatum hominem, qui confessus est. Resp. negando consequentiam: quoniam actio absolutiua debet esse determinata ad subiectum, quod absoluit: non est autem determinata, nisi per pronomen *te*: Vnde si iudex audito reo, vellet illum absoluere, non sufficienter absolueret per solùm verbum *absoluo*. Pari modo non esset sufficiens forma Baptismi, si omitteretur pronomen *te*. Ratio verò est, quia actio magis pẽdet à subiecto, circa quod determinatè versatur, quam à termino, à quo absoluit: ergo maior ratio est, vt in sacramento pœnitentię exprimatur subiectum quod est absoluendum, quàm peccata, à quibus est absoluendum.

15. Sed adhuc superest difficultas, an fal-

Quæ sint verba integralia formæ sacramentalis.

rem reliqua verba formæ huius sacramenti sint integralia. Dicuntur autem integralia, dupliciter, vel quia vnà cum essentialibus concurrunt ad aliquem effectum sacramenti causandum, vel quia saltem causant effectum principalem huius sacramenti, quando in prolatione horum, & non essentialium verborum ponitur dispositio subiecti ad hoc sacramentum requisita: vt si in prolatione verborum, *absoluo te*, subiectum non sit sufficienter attritum, fiat autem sufficienter attritum in prolatione subsequentium verborum, *à peccatis tuis*, in prolatione horum pœnitens accipit gratiam sacramentalem.

16. Aliqui Thomistæ docent verba, *Ego, & à peccatis tuis*, esse integralia formæ huius sacramenti, primo modo, quia nimirum vnà cum essentialibus possunt principalem effectum huius sacramenti causare, ita vt effectus sacramenti non conferatur, nisi in fine omnium verborum; qui tamen authores diuerso mouentur fundamento. Nam aliqui id asserunt, quoniam ex intentione ministri omnia verba formę, etiam non essentialia possunt ad effectum sacramenti concurrere. Confirmat Henriquez, quia sicut in sacramento Eucharistię conuersio vini in sanguinem fit in fine omnium verborum formę sanguinis, si ea ex intentione consecrantis intendatur in fine prolationis totius formæ: ita & in hoc sacramento. Alij id asserunt, quia cùm participent eandem significationem cum verbis essentialibus (quia quod implicitè dicunt hæc verba *Absoluo te*, explicitè important illa, *Ego, & à peccatis tuis*) addita essentialibus simul cum illis gratiam causant, ita vt effectus sacramentalis, non detur, antequam sint omnia finita, esto hic collatus fuisset ante, si hæc verba addita non fuissent. Ita Vasquez loco præcitato: pro cuius difficultatis decisione,

Vasquez.

17. Dico secundò. Potest effectus huius sacramenti ex intentione ministri differri, non solùm in finem horum verborum, *à peccatis tuis*, sed etiam in finem reliquorum subsequentium verborum: tametsi in tali casu subsequentia verba non causarent effectum sacramenti, sed tantùm priora essentialia. Prior pars assertionis probatur: quoniam effectus sacramenti non solùm pendet ex debita materia & forma, sed etiam ex intentione ministri, vt Florentinum docet, in decreto de instructione Armenorum: igitur poterit minister habere intentionem absoluendi à peccatis post totam formam, quoad omnia verba, etiam non essentialia absolutam, nam quamdiu non ponitur intentio ministri, non ponuntur omnia requisita ad sacramenti constitutionem, & consequenter ad eius effectum causandum, cùm sacramentum non causet nisi sit essentialiter completum.

Florentin.

18. Confirmatur primò, potest confessarius habere intentionem absoluendi ab vno peccato veniali, & non ab alio, & tunc absolueret ab vno, & non ab alio, & si hoc de mortalibus dici non possit, cùm nequeat vnum mortale absolui sine alijs: potest celebrans habere intentionem consecrandi vnam tantùm formulam ex decem sibi præsentibus, imò & vnam medietatem hostiæ, non consecrata altera eiusdem hostiæ, vt cum communiori sententia docuimus præcedente tomo disp. 16. sect. 8. quia potest suam intentionem dirigere ad consecrandam vnam partem hostiæ, & non aliam. Potest baptizans vnam partem aquæ, qua baptizandum abluit, eleuare vt partem sacramenti, & non aliam, vt quando baptismus dabatur in trina mersione, poterat minister vnam tantùm mersionem eleuare vt partem sacramenti, & non alias. Pari igitur ratione poterit confessarius suam intentionem dirigere ad effectum sacramenti causandum in fine prolationis totius formæ in quo casu verba essentialia formæ non habebunt vim causandi effectum sacramenti, nisi in fine prolationis omnium verborum, etiam accidentalium, cùm non habeant vim, causandi effectum sacramenti, nisi vt informata intentione ministri, qui pro suo libitu potest intentionem suspendere vsque in finem omnium verborum. Et licet minister grauiter peccaret sic sacramentum conficiendo, illud tamen non perficeret nisi in fine prolationis omnium verborum, cùm in fine prolationis omnium verborum, & non ante eius intentio ad sacramentum necessaria, caderet supra verba essentialia. Nec refert quod verba essentialia formæ non existant, quando causare debent, quia cùm illa in mea sententia non debeant causare physicè, sed moraliter effectum sacramenti; non est necesse, vt realiter existant, quando causant, sed sufficit, vt aliquando extiterint.

19. Confirmatur secundò: quoniam, vt præcedente tomo disp. 2. sect. vlt. diximus, si verbis essentialibus formæ addantur accidentalia ea intentione, vt quæ adduntur, integrent vnam propositionem cum essentialibus, essentialia adhuc prolata ante accidentalia, non causabunt effectum sacramenti defectu intentionis ministri, suam intentionem referentis in prolationem verborum accidentalium. Et ratio à priori est, quoniam actus humani non operantur vltra intentionem agentis: Cùm igitur Christus sacramenta instituerit in actibus humanis, illa non operantur vltra intentionem ministri.

20. Posterior pars assertionis constat: quoniam ad effectum sacramenti causandum non concurrunt, nisi verba à Christo assumpta, vt instrumenta suæ passionis: hæc autem sunt sola verba essentialia formæ: nam propterea dicuntur essentialia, quia sunt à Christo instituta, vt instrumenta passionis suæ ad causandos effectus sacramentales. Neque minister habet authoritatem, per suam intentionem efficiendi verba essentialia, quæ essentialia non sunt, sicut nec efficiendi materiam essentialem, quæ essentialis non est, sed tantùm applicare suam intentionem supra verba, vel materiam à Christo institutam. Ergo etiamsi suam intentionem suspendat

vsque

vsque ad finem prolationis totius formæ, non omnia verba, sed tantùm essentialia à Christo instituta causabunt effectum sacramenti. Nam licet verba essentialia non habeant vim causandi nisi ex intentione ministri, haud tamen possunt, quæ non sunt essentialia ex sola intentione ministri effectum sacramenti causare. Atque in hoc sensu veram existimo opinionem Thomistarum, posse scilicet effectum huius sacramenti ex intentione ministri differri in finem omnium verborum.

21. Verùm contra hoc obijci potest, quod præcedente tomo disp. 24. num. 18. de sacramento Eucharistiæ docuimus, nempe verba essentialia formæ consecrationis non pendere in effectu causando ab intentione ministri, sed illa statim prolata suum effectum causare, etiamsi minister intentionem habeat, vt illa effectum conuersionis non sortiantur, nisi in fine prolationis omnium verborum etiam accidentalium.

Duplex intentio ministri in sacramento conficiendo.

22. Resp. sicut duplicem minister habere potest intentionem in sacramento conficiendo, vnam implicitam & vniuersalem faciendi, quod Christus instituit: Alteram explicitam & particularem, hic & nunc sacramentum conficiendi: ita suspendere potest explicitam & particularem, non suspensa implicita & vniuersali, si nimirum explicitam intentionem habeat, non conficiendi sacramentum, nisi post omnia verba etiam accidentalia formę, interim non reuocata intentione implicita & vniuersali, faciendi quod Christus instituit, remittendo se ad Christi institutionem, vel Ecclesiæ intentionem. Quam vniuersalem, & implicitam intentionem stare posse cum suspensione particularis intentionis præcit. disp. 2. sect. vltima docuimus. Ergo quando diximus, verba essentialia formę consecrationis non pendere in suo effectu causando ab intentione ministri, intelligendum est, de intentione explicita & particulari, non autem de implicita, & vniuersali, quę ad minimum necessaria est ad validitatem sacramentorum, cùm sacramenta ex institutione Christi confici debeant per actus humanos.

23. Dico 3. Si pœnitens non sit dispositus, nisi in fine prolationis illorum verborum *à peccatis tuis*, in prolatione horum verborum accipit gratiam sacramentalem: non tamen illam accipit in subsequentibus verbis exprimentibus inuocationem sanctissimæ Trinitatis, si in prolatione ipsorum, & non ante fiat dispositus. Atque in hoc tantùm sensu veram censeo sententiam Vasquez, quod hæc verba addita essentialibus causent effectum sacramenti, non autem in casu, quo pœnitens reperiatur dispositus in prolatione pręcedentium verborum: *Ego te absoluo:* nam tunc effectus sacramenti causatur in prolatione tantùm præcedentium verborum: tum quia sacramenta suum effectum causant ad instar causarum naturalium, quæ statim ac sunt, si impedimentum non habeant, suum effectum causant: tum quia alioqui sequeretur, posse pœnitentem suscepto integro, ac valido sacramento pœnitentiæ damnari, si nimirum statim post illa verba, *Absoluo te*, nondum prolatis, *à peccatis tuis*, in quibus secundùm Vasquez confertur effectus huius sacramenti, pœnitens moreretur: cùm in termino mortis homo non sit capax effectus sacramenti: & consequenter, si pœnitens sit in termino mortis ante prolationem illorum verborum *à peccatis tuis*, non suscipiet effectum huius sacramenti, cùm tamen supponatur per verba pręcedentia validè suscepisse totam atque integram essentiam huius sacramenti. Prior pars assertionis probatur: quoniam hęc verba, *à peccatis tuis*, participant eandem significationem, quam habent verba essentialia, *absoluo te*, quia quod essentialia dicunt implicitè, hæc dicunt explicitè, ac proinde participant eandem virtutem causandi, nam verba sacramentalia ex institutione Christi efficiunt, quod significant.

Vasquez.

Quæ verba eleuari possunt ad sacramentum conficiendum.

24. Posterior verò pars constat: quoniam verba exprimentia inuocationem Sanctissimæ Trinitatis nullam significationem participant verborum essentialium, quę à Christo ad hoc sacramentum perficiendum instituta sunt: igitur nec virtutem causandi participare possunt, cùm hæc fundetur in ipsa significatione principalis effectus sacramenti. Cùm igitur principalis effectus huius sacramenti, sit remissio peccatorum, non possunt verba inuocationem Sanctissimæ Trinitatis exprimentia, participare virtutem causandi remissionem peccatorum, cùm illa tantùm verba sint à Christo instituta ad hoc sacramentum conficiendum, quæ principalem effectum huius sacramenti significant. Confirmatur, quia si posset effectus huius sacramenti conferri in prolatione verborum accidentalium, posset etiam conferri in prolatione subsequentium, *Passio Domini nostri Iesu Christi* &c. imò & in prolatione aliorum, & aliorum verborum, quæ pro vniuscuiusque ministri deuotione essentialibus addi possent, si nimirum in prolatione horum verborum accidentalium, & non ante pœnitens fieret sufficienter dispositus: cùm æquè hæc sint accidentalia, quàm quæcunque alia pro libitu vniuscuiusque addenda.

Obiectio 1.

25. *Obijcies* 1. Si aqua posita in calice non sit conuersa in vinum ante prolationem totius formæ, sed conuertatur post vnum, vel alterum verbum essentiale prolatum, non transsubstantiatur in sanguinem Christi, vt docuimus tomo præcedente disp. 16. num. 92. ergo nec si post prolatum verbum essentiale *absoluo*, pœnitens atteratur, fiet sacramentum. Respondeo negando consequentiam. Ratio discriminis est, quoniam vinum debet tamquam materia consecranda transmutari virtute formæ, nequit autem virtute formæ transmutari, nisi sit illi loco, ac tèpore præsens: non est autem loco, ac tempore præsens vinum, quod nondum est, cùm nequeat agens agere, nisi in subiectū loco, ac

Soluitur.

tempore

tempore præsens. Nec sufficit, vt fiat præsens in aliqua parte formæ, quia sicuti debet à tota forma transmutari in sanguinem, ita toti formæ debet esse præsens. Attritio verò pœnitentis solùm ad hoc sacramentum concurrit vt moralis dispositio, & materia, non transmutationis, sed compositionis: atqui sub neutra ratione attritio necessariò debet totam absolutionem præcedere, sed sufficit, si simul sit cùm illa, vel in fine prolationis illius. Legantur quæ præcitato loco diximus.

Obiectio 2. 26. *Obijcies* 2. Attritio est materia sacramenti pœnitentiæ, absolutio verò forma: sed inter materiam & formam, sufficit moralis coniunctio, vt præcedente tomo disp. 2. docuimus: at etiamsi attritio ponatur in fine verborum accidentalium, erit moraliter coniuncta cum ipsa forma essentiali: ergo etiamsi tunc ponatur, fiet sacramentum, gratiamque causabit. *Solvitur.* Resp. attritionem non solùm esse materiam, ex qua sacramentum componitur, quo pacto sufficeret inter illam, & absolutionem moralis coniunctio; sed etiam causam, ex cuius cognitione procedere debet sacramentalis absolutio. Vnde sicut confessio peccatorum debet præcedere absolutionem, tanquam materia remota, ita attritio debet prçcedere eandem, tanquam materia proxima, cùm non minùs sacramentalis sententia procedere debeat ex cognitione sufficientis doloris, quàm peccatorum, cùm non sint peccata apta materia absolutionis, nisi vt attrita. *Instantia.* Dices: hac ratione deberet attritio tempore præcedere absolutionem, vt debet peccatorum confessio. *Solvitur.* Resp. negando antecedens, sufficit enim, vt sit simul cum absolutione, nam etsi in absoluente tempore prçcedere debeat notitia præsumptç attritionis, sine qua non potest minister absolutionem impendere, necesse tamen non est, vt reipsâ tempore præcedat, sed sufficit si sit simul cum illa, & natura tantùm præcedat absolutionem.

Obiectio 3. 27. *Obijcies* 3. Etiam in sacramento Baptismi attritio in adulto requiritur, & tanquam dispositio, & tanquam proxima causa, ex cuius notitia debet minister adultum baptizare: atqui sufficit in Baptismo, vt multo tempore post prolatam formam sequatur attritio: ergo etiam in sacramento Pœnitentiæ. *Solvitur.* Resp. negando consequentiam: nam Baptismus habet hoc peculiare, quod non habent reliqua sacramenta, vt prçcedente tomo docuimus, quòd suum effectum causet etiam recedente fictione. Vnde non solùm, si attritio ponatur post absolutam formam, sed etiam multo tempore post, Baptizatus recipit gratiam, vi præcedentis Baptismi. Nam ex vna parte baptismus non requirit ad sui validitatem attritionem, cùm illam non requirat, vt materiam componentem, sed vt puram dispositionem subiecti: ex alia verò parte, cùm nequeat integer effectus Baptismi per alia sacramenta suppleri, rationi consonum fuit, vt si hoc sacramentum suum effectum non causauit ipso tempore prolationis formæ, illum causet quocunque tempore post prolationem formç, quando subiecto validè Baptizato accedet sufficiens dispositio. Sacramentum verò pœnitentiæ, cùm attritionem requirat, vt partem essentialiter componentem, cumque pars essentialiter componens sit attritio reipsa existens, & non tantùm vt cognita, vel prçsumpta, non erit validum sacramentum, si reipsa non ponatur: & quia simul illam requirit vt proximam causam, ex cuius notitia procedere debet sacramentalis sententia, non causabit suum effectum, nisi eadem attritio ponatur intra tempus prolationis debitæ formæ. Sacramentum autem Baptismi, cùm attritionem baptizandi non requirat, vt proximam materiam, in quam cadere debeat forma baptismi per modum formæ absolutoriæ, non necessariò præcedere debet prolationem formç.

An verba, Passio Domini &c. faciant aliquem effectum? 28. Vltimò dubitari posset, de illis verbis, *Passio Domini nostri Iesu Christi*, &c. an aliquem effectum operentur in hoc sacramento. Ratio dubitandi pro negante parte est, quoniam illa, vt testatur Tridentinum sess. 14. c. 3. de more Ecclesiæ adiunguntur: Ecclesia autem nullam habet authoritatem instituendi verba operatiuà effectus sacramentalis. Ratio verò dubitandi pro affirmante parte est, quoniam multi graues Doctores, inter quos *S. Thomas.* S. Thomas quodlib. 3. q. 13. art. 28. *S. Antoninus.* S. Antoninus 3. p. summç tit. 17. cap. 21. *Angelus.* Angelus verbo *confessio* 5. *Paludanus.* Palat. in 4. dist. 20. disp. 1. *Tabiena.* summa Tabiena verbo *Absolutio* 1. num. 4. affirmant, per hæc verba eleuari omnia opera bona, quæ facturus est pœnitens ad remittendam pœnam relictam ex peccatis confessis, & remissis ex opere operato. Pro cuius difficultatis solutione.

29. Dico 4. Hæc verba per se nullum effectum sacramentalem operantur, sed solùm ex intentione absoluentis in partem pœnitentię iniungũt omnia opera bona, quę facturus est, & mala quæ patienter toleraturus est pœnitens. Vnde non ipsa verba, sed opera iniuncta per hęc verba operantur effectum, quem operatur pœnitẽtia ipsa, quæ à confessore iniungitur. Primum efficaciter probat ratio ipsa dubitandi pro negante parte adducta. Secundum probatur quia cùm confessarius virtute clauium potestatem habeat eleuandi omnia opera bona pœnitentis, vt illa ex meritis Christi operentur vltra propriũ valorem, his verbis, hac intentione prolatis, omnia opera bona pœnitentis eleuat ad operandum effectum vltra valorem proprium, ex opere operato meritorum Christi. Confirmatur, quia potest confessarius in pœnitentiam iniungere confesso omnia bona opera, quæ facturus est: ergo etiamsi hoc explicitè illi non dicat, modò intentionem habeat ea in pœnitentiam iniungendi, manebunt omnia in pœnitentiam iniuncta, non secus ac si explicitè illa in pœnitentiam iniunxisset, cùm non sit necessaria notitia, & expressa acceptatio pœnitentis, sed sufficiat sola intentio ministri, vt illa

operentur

operentur tanquam pars sacramenti virtute meritorum Christi, vt constat in casu, quo quis post sacramentalem confessionem suorum peccatorum amitteret sensum. Is enim posset, & deberet absolui, præsertim si instaret periculum mortis, vt docent Leo Papa. Canone *his qui* 26. q. 6. Et Paulus V. in suo Rituali: nam in eo casu absoluens eleuaret præteritum dolorem pœnitentis, vt partem sacramenti, ad operandum ex meritis Christi, absque notitia ipsius pœnitentis.

Leo Papa. Rituale Pauli V.

30. Ex his infertur, omnia opera bona in pœnitentiam confesso iniuncta, etiam quæ facturus est in statu peccati, operari ex opere operato meritorum Christi remissionem pœnæ temporalis relictæ ex peccatis confessis & remissis, quia cùm hanc vim habeat pœnitentia pœnitenti explicitè imposita, vt infrà de satisfactione ostendam, eandem vim habebunt omnia opera bona ex intentione ministri, pro pœnitentia iniuncta, cùm non minùs hæc, quàm illa suam virtutem operandi habeant ex meritis Christi, quæ sunt per peccatum pœnitentis suum valorem non amittunt, ita illam ijs operibus communicant, quæ iniuncta sunt pœnitenti, vt pars integralis sacramenti, quia cùm homo etiam in peccato existens sit capax remissionis pœnæ ex confessis & remissis peccatis relictæ, cumque per peccatum pœnitentis merita Christi non extinguantur, non est, cur hunc effectum pœnitentiæ sacramentali, etiam in statu peccati solutæ denegemus.

Quæ mutatio in forma sit essentialis.

31. Cæterùm, quæ mutatio in formæ huius sacramenti censenda sit essentialis, quæ verò accidentalis, dignoscenda erit ex regulis vniuersalibus, de sacramentis in communi, quas tradidimus præcedente tomo disp. 2. sect. 5. Notat autem Caiet. in summa, absolutionem datam in plurali, honoris causa, validam esse: peccare tamen Sacerdotem, qui illa vtitur, recedendo à communi forma Ecclesiæ. Haud tamen puto peccatum esse mortale. Aduertit etiam Henriquez lib. 4. de sacramentis cap. 11. num. 4. posse, & interdum expedire, vnica absolutione absoluere multos, quando vrget periculum mortis: sicut vna ablutione baptizari possunt multi. Est contra summam Tabienam verbo *absolutio* 1. num. 8. docentem, non posse plures simul absolui ab vno.

Caietanus. Henriquez. Tabiena.

32. Ex dictis infertur primò, malè dixisse Abulēsem in prima parte sui defensorij cap. 6. impropriè in hac forma vsurpari hoc verbum *absoluo*, eo quòd, inquit, peccata non sunt propriè vincula, quæ soluantur, sed iniuriæ, & offensæ, quæ remittantur: vnde non dixit Christus. *Quorum solueritis*, sed, *quorum remiseritis peccata*. Sed contrà, tum quia idem Christus, vsus est verbo, *Absoluo* Math. 16. vbi claues promisit Petro: *quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cælis:* tum quia hoc verbum est aptum ad soluendum vtrumque vinculum, censuræ, & peccati simul: est adæquatè expressiuum vtriusque clauis, quod non est verbum *remitto*, quod tantùm est expressiuum clauis remissiuæ peccatorum, non autem clauis remissiuę censurę, propter quod Christus clauium virtutem expressit per verbum *absoluo:* quod sapienter aduertit S. Thomas suprà citatus in 3. parte art. 3. ad 3. Vnde semel prolatum supra pœnitentem, vtroque vinculo censura, & peccati innodatum, ab vtroque absoluit, etiam nulla expressa mentione facta de censura, quod notauit Henriquez lib. 4. de sacramentis cap. 11. num. 3. tum quia verbum *absoluo*, est magis accommodatum ad significandum actum iudicialem, quem Sacerdos exercet in pœnitente.

Abulensis. Matt. 16. S. Thomas. Henriquez.

33. Infertur 2. Superfluè in forma absolutionis addi distributiuum *omnibus*. Vnde in forma præscripta in Rituali Romano Pauli V. hoc distributiuum non est positum. Ratio est, quia cùm non possit vnum peccatum mortale absolui sine cæteris, hoc ipso quod impenditur absolutio supra peccata, necessariò cadit super omnia. Dices saltem hoc distributiuum addi posset in absolutione à venialibus, quorum vnum remitti potest sine alio. Sed contrà, quia absolutio non cadit, nisi super peccata, vt informata debita dispositione pœnitentis: ergo siue hoc distributiuum addatur, siue non, absolutio non cadit, nisi super ea tantùm peccata venialia, quæ reperit debita dispositione pœnitentis informata.

Rituale Pauli V.

34. Hinc sequitur, superfluè etiam addi, *à peccatis confessis* & multò magis *à peccatis contritis:* tum quia absolutio sacramentalis necessariò supponit peccata confessa, & super ea necessariò cadit, hoc ipso quod illa confitenti impenditur: tum quia, cùm ad hoc sacramentum non necessaria sit contritio, sed sufficiat attritio, vt infrà ex Tridentino ostendemus, malè absolutio limitatur ad peccata contrita.

SECTIO II.

An forma sacramenti pœnitentiæ deprecatoriè prolata sit valida?

35. PRIMA sententia Alens. 4. p. qu. 21. mem. 1. Bonauent. in 4. dist. 18. p. 1. art. 2. q. 1. May. dist. 14. q. 1. §. 2. & cuiusdam Doctoris relati à Sancto Thoma opusc. 22. affirmantium. Fundamentum quia potestas Sacerdotis, non se extendit ad delenda peccata per modum remittentis, cùm hoc sit proprium Dei, sed per modum deprecantis, & impetrantis: *propter quod* inquit Alens. *in forma absolutionis præmittitur oratio per modum deprecatiuum, & subiungitur absolutio per modum indicatiuum: quia deprecatio gratiam impetrat, absolutio gratiam supponit.* Probatur 2. ex forma baptizandi Græcorum, quæ deprecatiua est; & tamen valida, vt definit Concilium Florentinum in decreto de vnione Armenorum §. *primum omnium*. Tertiò

Alensis. Bonauent. Mayronus. Concilium Florentin.

ex forma

ex forma extremæ-Vnctionis, quæ etiam deprecatiua est. Quartò ex Canone *Multiplex* de pœnitentia dist. 1. affirmante indulgentiam Dei, nisi supplicationibus Sacerdotum obtineri non posse, quod desumptum est ex Epist. 91. Leonis Papę ad Episc. Thoedos. Foroiuliensem 36. Quinto Christus non minùs dedit Apostolis potestatem sanandi infirmos, & Dæmonia eijciendi Matth. 10. Luc. 9. quàm potestatem à peccatis absoluendi, sed Apostoli ad sanandos infirmos non vtebantur forma indicatiua: *Ego te sano*; sed deprecatiua: *Sanet te Christus* Actor. 3. ergo neque ad absoluendos peccatores. Cæterùm etsi Mayron. putet, formam sacramentalem deprecatiuè datam valere, tamen docet non esse à communi modo recedendum.

Leo Papa. Matth. 10. Luc. 9. Mayronus.

37. SECVNDA sententia Sancti Thomæ 3. p. q. 84. art. 3. & opusc. 22 Palud. in 4. dist. 22. q. 3. Aureol. art. 3. Soti dist. 14. q. 1. art. 3. Suar. disp. 19. sect. 1. Vasquez q. 84. art. 3. dub. 3. Sylu j ibidem & aliorum negantium. *Quæ vera est, & sequenda* eamque colligo ex Concil. Tridentino sess. 14. cap. 3. vbi formam huius sacramenti constituit in illis verbis: *Ego te absoluo* &c. reliqua, quæ de more Ecclesiæ adiunguntur, docet non spectare ad essentiam formæ: at si forma deprecatiua esset valida, verba illa *absoluat te Christus*, quæ pręcedunt verba indicatiua: *Ego te absoluo*: aut certè illa alia verba, *Indulgentiam absolutionem, & remissionem omnium peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens, & misericors Dominus*, in quibus fit expressa mentio remissionis peccatorum, esset sufficiens forma huius sacramenti, & consequenter in prolatione illorum verborum perficeretur sacramentum, vt Alens. & Bonauent concedunt. Nam hoc sacramentum perficitur cùm primùm sufficiens forma profertur super peccata confessa. Minorem probo: nam verba illa *Indulgentiam* &c. continent essentialia verba formæ, quæ sunt, *absoluo te*, & solùm differunt in modo deprecatiuo; ergo si modus deprecatiuus non irritaret formam absolutionis, talis forma esset sufficiens: quia quoad verba essentialia ęquiualet indicatiuę, proinde in sola prolatione illius perficeretur sacramentum, contra Tridentinum definiens essentiam formę huius sacramenti positam esse in illis verbis; *Ego te absoluo*, reliqua verò ad essentiam formę non pertinere. Et ratio à priori est, quia modus deprecatiuus pugnat cum absolutione, est enim absolutio formaliter actus authoritatem exercentis, deprecatio verò est actus supplicantis: qui autem supplicat, ostendit se potestatem absoluendi non habere, sed ab alio gratiam absolutionis expectare; igitur forma deprecatiua pugnat cum absolutiua.

S. Thomas. Paludanus. Aureolus. Sotus. Suarez. Vasquez. Syluius. Concilium Trident. Alensis. Bonauent. Absolutio est actus authoritatem exercentis. Deprecatio est actus supplicantis.

38. Ad fundamentum oppositæ sententiæ, (quam S. Thomas pręcit. opusc. appellat *temerariam, & præsumptuosam, ne dicam*, inquit, *erroneam*, quam ego cum Vasquez loco prænotato non dubito *erroneam* appellare: quoniam euidenti discursu colligitur esse contra Trident.) nego antecedens, de quo infrà: est enim proprium Dei, peccata remittere vt agentis principalis.

Censura oppositæ sent.

39. Ad secundum nego, formam Græcorum proferri modo deprecatiuo; sed imperatiuo, quo modo valida esset absolutionis forma dicendo: *Absoluatur Petrus, vel absoluare à peccatis tuis*.

40. Ad tertium, ratio discriminis est: quia forma Extremæ-Vnctionis, vt colligitur ex verbis Iacobi 5. debet esse per modum orationis: *& oratio*, inquit, *fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus, & si in peccatis sit, remittentur ei*. Cuius rationem assignat pręcitato opusc. cap. 1. S. Thomas, quia in hoc sacramento, præter salutem animæ, petitur salus corporis: & quia hæc non semper expedit, vt conferatur, petitur à Deo pręstanda per modum deprecationis. In hoc verò, & alijs sacramentis, confertur aliquid spirituale, quod semper expedit conferri; vnde non debuit peti modo deprecatiuo.

Iacobi 5.

41. Ad quartum, dicendum vel cum Sancto Tho. cit. loco ad secundum illud intelligi de supplicatione præcedente absolutionem vel cum Vasquez de ipsa absolutione, quæ à Chrysostomo, Hieronymo, & Leone dicitur supplicatio, & oratio, non quoad modum proferendi sed quoad infallibilem effectum remissionis peccatorum.

S. Thomas. Vasquez. Chrysost. Hieron. Leo.

42. Ad quintum, disparitas est: quia salus corporis non semper expedit; at semper expedit salus animę; & quia solus Deus nouit, quando salus corporis expediat, etiamsi Apostoli habuerint potestatem curandi infirmitates, non minùs, quàm peccata remittendi, potiùs debuerunt vti forma deprecatiua in sanandis corporibus, quàm in sanandis animis per sacramentum. Adde, quod interdum etiam ad sananda corpora, vtebantur forma imperatiua Act. 3. *In nomine Iesu Christi Nazareni surge, & ambula*.

Act. 3.

SECTIO III.

An de essentia absolutionis sacramentalis sit, vt proferatur voce humana?

43. PRIMA sententia Palud. in 4. dist. 17. q. 2. art. 1. Adriani in 4. q. 1. de confessione §. *Sed oritur*, Medinæ Codice de confessione q. 15. de modo secretè confitendi, Petri Soti sect. 11. de ratione secreti necessarij in confessione, Nauarri, in sum. cap. 21. num. 36. negantium. Fundamentum: quia absolutio sacramentalis, est quædam sententia in foro conscientię data; de ratione autem sententiæ non est, vt proferatur voce, cùm possit scripto, nutu, vel alio signo externo exprimi, vt patet de absolutione ab excommunicatione. Nec refert, quòd hoc forum sit secretum: quia secreta, vel publica expressio sententiæ

Paludanus. Adrianus. Medina. Sotus. Nauarrus.

sententiæ non variat essentialiter sententiam. Confirmatur. Confessio facta nutu, vel scripto est valida; ergo etiam absolutio.

44. SECVNDA sententia Caiet. 3. p. q. 64. art. 7. & in sum. verbo *confessio*, conditione 11. Suarez disp. 19. sect. 1. Henriquez lib. 4. de sacramentis cap. 11. num. 5. Coninck disp. 4. dubio 9. affirmantium. Colligitur ex Sancto Thoma q. 60. art. 6. & reliquis Theologis asserentibus, sacramenta nouę legis essentialiter constare verbis humanis, defectu quorum negant, Angelos ministrare posse sacramenta, etiam per corpora assumpta: quia nequeunt in illis humana verba exercere. Lege Caiet. pręcit. q. 64. vbi Scotum impugnat, qui in 4. dist. 6. q. 1. affirmat quodlibet suppositum intellectuale posse sacramentum Baptismi ministrare. Fundamentum sumitur ex Christi instit. quæ nobis vsu, & traditione Ecclesiæ constat; præcipuè ex Florent. in decreto Eugenij: vbi primò de omnibus sacramentis vniuersaliter affirmat, ea verbis perfici. Secundò, formam huius sacramenti assignans, ait esse verba absolutionis, quæ Sacerdos profert, cùm dicit: *Ego te absoluo* &c. sumi autem eo loco verba à Concil. secundùm proprietatem, confirmat exceptio, quam infrà addit de sacramento Matrimonij, cuius *causa*, inquit, *efficiens regulariter est mutuus consensus, per verba de præsenti expressus*; vbi addens, *regulariter*, ostendit in reliquis necessaria esse verba propriè sumpta: nam exceptio, vt Iuristæ aiunt, regulam firmat.

Caietanus. *Suarez.* *Henriquez.* *Coninck.* *S. Thomas.* *Caietanus.* *Scotus.* *Concilium Florentin.* *Exceptio firmat regulam.*

45. Confirmatur: nam pari modo possent reliqua etiam sacramenta sine verbis à ministro prolatis, sed tantùm scriptis, confici. Nemo autem dixerit, Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Ordinem, Extremam-Vnctionem, perfici tantùm scripto. Maiorem ostendo: quia non minùs forma huius sacramenti, quàm reliquorum colligitur ex verbis Scripturæ: constat autem, formam reliquorum sacramentorum proprijs verbis humanis esse proferendam; ergo & hanc.

46. Ad fundamentum oppositæ sententiæ nego, hoc sacramentum quoad omnia conuenire cum iudicio publico: ergo etiamsi de ratione sententiæ iudicis publici non sit, eam verbis iudicis proferri; est tamen de ratione iudicis sacramentalis. Nec est eadem ratio de absolutione ab excommunicatione: Nam hæc sicut non requirit certam formam verborum; ita nec verba propriè dicta. Cuius ratio est, quia non operatur vt instrumentum Christi ad effectum supernaturalem; sed vt instrumentum absoluentis, qui in absoluendo ab excommunicatione, tanquam principalis auctor, ipse sibi instrumentum determinat, neque ex eo præcisè, quod hæc sententia est secreta, dicimus proferendam esse verbis, sed ex eo, quòd ita Christus instituit: instituisse autem ita Christum, constat ex vsu, & traditione Ecclesiæ.

47. Ad confirmationem, nego consequentiam. Ratio discriminis, quia in sacramento forma debet esse expressior materia; absolutio autem est forma, confessio materiâ: tum quia plures causæ poterant moraliter pœnitentem impedire à confessione vocali; quàm Sacerdotem à vocali absolutione: vnde extra casum necessitatis non licet confiteri per Scripturam, vt inter alios, docet Richar. in 4. dist. 17. art. 2. q. 4. ad quartum.

In sacramento forma debet esse expressior materia. *Richardus.*

SECTIO IV.

An sacramentalis absolutio impendi possit absenti?

48. HÆc controuersia non est eadem cum præcedente: Nam tam præsenti impendi posset absolutio scripto; quàm absenti verbo. Triplicem autem habet hæc controuersia sensum: Primum, an possit pœnitens confessus per litteras Sacerdoti absenti, ab eodem etiam absente absolui: Secundum, an confessus Sacerdoti præsenti, ab eodem absente possit per litteras absolui: Tertium, an per litteras vel nuntium confessus Sacerdoti absenti, ab eodem deinde præsente absolui possit.

49. PRIMA sententia Scoti in 4. dist. 17. ad argumenta, Mayroni q. 4. Caiet. in sum. verbo *confessio*, condit. 11. Soti in 4. dist. 18. quæst. 2. art. 4. Cani relectione de pœnit. p. 6. §. *mihi autem*, Victoriæ in sum. num. 121. Nugnez in additione 3. p. quæst. 9. art. 3. difficultate 2. Petri Dufai in quęstionem, primam supplem. art. 2. disp. 3. negantium, tam absolutionem, quàm confessionem fieri posse absenti: Colligitur ex S. Tho. in 4. dist. 17. quęst. 3. art. 4.

Scotus. *Mayronus.* *Caietanus.* *Sotus.* *Canus.* *Victoria.* *Nugnez.* *Petrus Dufai.* *S. Thomas.*

50. Fundamentũ Soti: Confessio & absolutio sunt actus personales; ergo sicut absolutio impendi nequit, nisi præsenti, vt forma ipsa significat, *Absoluo te*, ita confessio fieri nequit, nisi præsenti. Confirmatur: quoniam Sacerdos, vt absolutionem impendat, debet fieri certus, quod pœnitens talia peccata commiserit, & quod de illis doleat: sed per litteras, vel nuntium hoc certò scire non potest, cùm possint litteræ fingi, & pœnitens mutari. Confirmat Scotus: quia omnis Scriptura est contra essentiam confessionis: nam omnis Scriptura nata est esse publica: at confessio debet esse secreta. Confirmat Canus: quia nec absens confitetur internuncio; nec internuncius Sacerdoti: ergo confessio est nulla.

Fundam. Sotus. *Scotus.* *Canus.*

51. SECVNDA sententia Palud. in 4. dist. 17. quæst. 2. art. 1. Richar. art. 2. q. 5. Palatij disp. vlt. circa fin. Adriani in 4. de confessione q. 1. §. *Sed oritur*, Medinę Cod. de confess. q. 15. §. *quartum dictum*, Petri Soti de confess. lect. 11. §. *tertium illud est*, Nauar. in sum. cap. 21. n. 36. affirmantium, posse pœnitentem per litteras Sacerdoti absenti confiteri,

Paludanus. *Richardus.* *Palatius.* *Adrianus.* *Medina.* *Petrus Sotus.* *Nauarrus.*

confiteri, ab eodemque etiam absente absolui. Fundamentum: quia hoc sacramentum est exercendum in forma iudicij, ex Trident. sess. 14. can. 9. sed natura iudicij non postulat præsentiam iudicandi: quippe cùm possit iudicari & absolui etiam absens, vt constat de excommunicato. Secundò, si quid obstaret, esset: quia non posset de absente absolutionis forma verificari, quæ per pronomen, *te*, designat personam præsentem, at hoc non obstat: quia absoluendus fit præsens Sacerdoti per scriptum; ergo in eum scripto præsentem potest Sacerdos absolutionem dirigere.

Concilium Trident.

52. Confirmatur, quia potest pœnitens absolui per hanc formam æquiualentem, *absoluo Petrum, vel absoluatur Petrus*, quæ non necessariò designat præsentiam absoluendi: notat autem Palatius, in tali casu statim ac Sacerdos lecta confessione proferret absolutionem, pœnitentem consequi effectum sacramenti, vt constat de Matrimonio contracto per procuratorem, quod statim ac coniunx absens præbet consensum, perficitur, causatque effectum in vtroque coniuge. Cuius ratio est: quia sacramentum causat suum effectum ad instar causæ naturalis, quę statim ac completur, producit suum effectum: vnde non oportet ad consequendum effectum, vt absolutio innotescat pœnitenti.

Palatius.

53. Probant 3. Exemplo Sancti Thomæ Cantuariensis, qui absens absolutionem petijt à sede Apostolica, vt testatur Scotus in 4. dist. 17. ad argumenta. Quartò in cap. *qualis* 30. q. 5. dicitur pœnitentia per Scripturam esse admittenda. Quintò ex Cypriano lib. 3. Epist. 17. habetur, quod lapsi per epistolam reconciliationem ab ipso petierint.

Scotus. *Cyprianus.*

54. Tertia sententia Sancti Antonini 3. p. tit. 17. cap. 12. & 21. §. *Sed quid*, Syluestri verbo *confessor*, q. 4. num. 6. Emmanuel Sà verbo *absoluo* n. 8. in impressione facta anno 1601. asserentium posse Sacerdotem absoluere pœnitentem absentem, quem confitentem audiuit præsens: in cuius rei cõfirmationem affert Antoninus Patres Concilij Basileensis, qui consulti, quid faciendum, si Sacerdos absoluisset, quem defectu potestatis non poterat, responderunt: debere Sacerdotem obtenta potestate, illum etiam absentem per litteras absoluere. Fundamentum: quia in hoc casu pœnitens fit personaliter præsens Sacerdoti per confessionem, per quam potest Sacerdos certior reddi de statu, & dispositione pœnitentis. Confirmatur: quia potest Sacerdos præsens absoluere pœnitentem, quem absens audiuit; ergo & absentem, quem audiuit pręsens.

S. Antoninus. Syluester. Emmanuel Sà. *Concilium Basileense.*

55. Qvarta Valentiæ disp. 7. qu. 11. puncto 1. §. *quomodo debeat esse confessio secreta*, Henriquez lib. 2. de sacramento pœnit. cap. 3. n. 8. Suarez disp. 19. sect. 3. & disp. 21. sect. 4. affirmantium, posse pœnitentem Sacerdoti absenti per litteras, vel nuncium confessum, ab eodem postea pręsente absolui. Pro cuius explicatione,

Valentia. Henriquez. Suarez.

56. Dico 1. Semper inualidum est sacramentum pœnit. collatum absenti, siue pœnitens confessus fuerit pręsens, siue absens. Hanc propositionem colligo ex Bulla Clementis VIII. edita anno Domini 1602. die 19. Iulij: in qua, vt falsa, temeraria, & scandalosa damnatur hæc propositio, *licere per litteras, seu internuncium confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere*; prohibeturque sub pœna excommunicationis statim incurrendæ, soli Papæ reseruatæ, *ne illa publicè aut priuatim doceatur, neve vnquam tanquam aliquo casu probabilis defendatur, aut ad praxim quouis modo deducatur:* In qua prohibetur secunda & tertia sententia. Nam vtraque affirmat, impendi posse absolutionem absenti, quod hic directè Pontifex prohibet. quòd autem non solùm hic vetet, ne factum liceat, sed etiam ne factum teneat, colligo ex illis verbis: *neve vnquam tanquam aliquo casu probabilis defendatur, aut in praxim quouis modo deducatur*. Nam cùm hoc sacramentum sit ad salutem necessarium, si posset validè, posset in aliquo casu licitè fieri: vrgente nimirum extrema necessitate salutis, quando omnia media valida sunt licita, id exigente supremo periculo æternæ damnationis, vt si aliter moribundus salutem consequi non valeat: quia videlicet nec Sacerdotem præsentem habere potest, nec probabiliter sperat se contritionem habiturum.

Clemens VIII. *Quod potest validè fieri, potest in aliquo casu licitè fieri.*

57. Fundamentum autem est: quia in absentem non verificatur forma, *Ego te absoluo*, quæ præsentem personam demonstrat. Ob eandem enim rationem reliqua sacramenta, vno excepto Matrimonio, collata absenti, non tenent: quia eorum formæ non verificarentur.

58. Dices, ideò reliqua absenti collata non tenere, quia inuoluunt physicam actionem ministri, quæ ipsius præsentiam poscit, vt Baptismus actionem abluendi, Confirmatio signandi, Extrema-Vnctio vngendi, sacramentum verò pœnitentiæ non requirit nisi materiam ex parte pœnitentis, & absolutionem ex parte ministri: neutra autem ex natura sua postulat physicam pręsentiam ministri; sed sufficit moralis per litteras, vel nuncium.

59. Sed contrà: tum quia saltem Eucharistia, & Ordo perfici possent in absentia materię, & personę consecrandæ: quia neutrum pro materia postulat physicam actionem ministri: tum quia cùm non necessariò debeat actio & forma ministri tempore simul concurrere; sed possit vna alteri per aliquod tempus succedere, posset minister priùs actionem circa subiectum exercere, & postea in illud iam absens formam proferre; vel contra priùs in subiectum absens formam proferre, & postea physicam actionem exercere.

60. Dico 2. Validum est sacramentum pœnitentię per absolutionem datam præsenti, etiamsi confessio facta sit absenti per scriptum, vel nuntium. Est omnium qui putant, dari posse absolutionem infirmo, qui per

alios

alios signa contritionis ostendit. est etiam Syluestri verbo *confessor* 3. quæst. 13. Angeli *confessor* 4. numero 8. qui docent, sufficere vnum testem: Cordub. lib. de indulgentijs quæst. 29. dub. 3. Tolet. in sum. lib. 3. c. 8. Vasquez quæst. 91. art. 2. dubio primo: & testatus est ipse Clemens VIII. qui interrogatus, an moribundus, qui ante aduentum Sacerdotis signa contritionis ostendit, si deinde obmutuit, debeat à Sacerdote præsente sacramentaliter absolui; respondit, debere, quin & se illum absoluturum, & parochum, qui aliter fecisset, puniturum; nec talem casum suo decreto comprehendisse, vt Cardinalis Bellar. & Archiepiscopus Armacanus ab ipso Pontifice se audisse testati sunt anno 1608. die 16. Aprilis. hoc ipsum docet Rituale Romanum, editum iussu Pauli V. pagin. 47. vbi non solùm affirmat, posse; sed etiam debere absolui, qui per alios desiderium confitendi ostendit.

Syluester. Angelus. Corduba. Toletus. Vasquez. Clemens VIII. Bellarm. Archiepiscopus Armacanus. Rituale Romanum. Pauli V.

61. Accedunt Concilia Arausicanum can. 3. & Carthaginense 4. can. 76. & referuntur can. *qui recedunt*, & can. 15. *qui* 26. q. 6. quæ statuunt: absolui posse infirmum, *qui obmutescens, vel in phrenesim versus, nequit dare signa confessionis, modo testimonium dent, qui eum audierunt:* Sunt verba Concilij Carthaginensis. Quod autem loquantur de absolutione sacramentali à peccatis, constat ex eodem Concilio Carthaginensi; Nam statim subdit; *& si continuò creditur moriturus infundatur ori eius Eucharistia:* hæc autem dari solet præuia absolutione sacramentali. Sed in his casibus confessio infirmi est absens formaliter; nam perinde est ac si infirmus sua peccata confessus esset per scriptum, vel nuncium: Nam siue nuncius desiderium infirmi referat in præsentia, siue in absentia ipsius iam in phrenesim versi, nil refert: semper enim confessio ipsius est formaliter absens Sacerdoti, cùm immediatè non fiat à pœnitente Sacerdoti præsenti.

Concilium Arausican. & Carthaginense.

62. Fundamentum huius assertionis est: quia confessio ex sua institutione non limitatur ad certa verba, vt absolutio, quæ confitentis, & audientis præsentiam requirant; vnde fieri potest nutu, scripto, interprete, cùm subest causa: at absolutio nõ nisi proprio Sacerdotis verbo validè impendi potest. huius autem institutionis congruentia est: quia multò plures causæ poterant pœnitentem impedire à vocali confessione in præsentia Sacerdotis; quàm Sacerdotem à vocali absolutione in præsentia pœnitentis: ergo ne passim hoc sacramento ad salutem pernecessariò priuarentur fideles, ad suauem prouidentiam institutoris pertinuit, huic malo obuiare. Ex his sequitur prędictam propositionem Pontificis intelligendam esse coniunctiuè: vt nimirum non liceat per litteras simul confiteri, & absolui; non autem disiunctiuè, quoad confessionem dumtaxat. atque hoc tantùm voluit Pater Suarez, cùm Bullam Clementis explicauit: neque ob aliam causam Pontifex integram sectionem ex ipsius tomo delendam præcepit, nisi quia nolebat, vt ipso viuente, eius Bulla declararetur: quæ tamen postea declarata est, tum ab ipso viuæ vocis oraculo; tum à Rituali Romano iussu Pauli quinti edito.

Quomodo intelligenda sit Bulla Clementis VIII. Suarez. Paulus V.

63. *Obijcies* 1. non minùs Florent. docet confessionem esse proprio ore pœnitentis faciendam; quàm absolutionem proprijs verbis ministri proferendam ergo non minùs vna; quàm alia requirit præsentiam personæ, in quam dirigitur.

64. *Resp.* nego antecedens: nam de prima intelligitur connaturaliter, & regulariter; de secunda essentialiter, vt perpetuus vsus & traditio Ecclesiæ declarat.

65. *Obijcies* Canonem, *quem pœnitet*, de pœnit. dist. 1. prohibentem, peccata confitenda esse per nuntium, vel scriptum; sed ore proprio corporaliter præsente. Non inficior, confessionem per nuncium, vel scriptum non modò absenti, verùm etiam præsenti Sacerdoti factam, sine vrgente causa illicitam esse: quia dum possumus, tenemur proprio ore præsenti Sacerdoti confiteri: vnde talis confessio sine vrgente causa esset inualida, ratione obicis, quem pœnitens apponeret, nisi illum bona fides excusaret. Est autem notandum discrimen inter absolutionem absenti datam, & confessionem sine causa factam absenti. Nam prima non solùm est illicita, sed etiam inualida. secunda est tantùm illicita, fit autem inualida per accidens, defectu dispositionis, essentialiter ad hoc sacramentum requisitę: quoniam qui sine causa confitetur absenti; vel per scriptum, non potest habere sufficientem dispositionem, dum peccat, non seruando præceptum Ecclesiæ de facienda confessione vocali in pręsentia Sacerdotis. lege Sotum suprà citatum.

Sotus.

66. Ad fundamentum primæ sententiæ concedo, confessionem esse actum personalem, quatenus inchoari debet ab ipso pœnitente; quia cùm hoc sacramentum sit iudicium voluntarium, inchoandum est ab ipso reo: nego tamen essentialiter requirere præsentiam ministri, nisi quatenus ab ipso perfici debet per absolutionem. Ad confirmationem, nego minorem, quoad certitudinem moralem, quę ad impendendam absolutionem sufficit.

67. Ad confirmationem Scoti, nego antecedens: falsum quippe est, confessionem essentialiter esse secretam, nam potest pœnitens huic Iuri cedere.

68. Ad confirmationem Cani concedo, pœnitentem non confiteri internuntio, neque internuntium confiteri Sacerdoti; sed illi referre peccata pœnitentis: sicut cùm pœnitens confitetur per interpretem; nec ipse confitetur interpreti, nec interpres Sacerdoti; sed pœnitens Sacerdoti per interpretem; & interpres non cõfitetur: sed refert peccata pœnitentis; alioqui cõfessio per interpretem nõ esset valida, contra torrentem Doctorum, & communem sensum Ecclesiæ.

69. Ad fundamentum secundæ neganda est minor de iudicio sacramentali: quod limitatur ad certam formam verborum, ad quam non sunt limitata cætera iudicia: hoc autem traditione nobis constat.

Pœnitens Sacerdoti per scriptū fit præsens intentionaliter.

70. Ad secundum nego minorem: ad cuius probationem nego, pœnitentem per scriptum fieri præsentem Sacerdoti personaliter; sed solùm intentionaliter: forma autem absolutionis ex vi pronominis, *Te*, postulat præsentiam realem: Patet in reliquis sacramentis. Cuius ratio est, quia hæc pronomina ex vi suæ significationis demonstrant rem ad sensum; non enim his vtimur ad demonstrandas res intentionaliter tantùm præsentes, falsò enim diceres, hæc est Roma, si imaginariè tantùm esset præsens.

71. Ad confirmationem, eatenus possumus per hanc formam, *Absoluo Petrum*, vel *Petrus absoluatur*, validè absoluere; quatenus ex circumstantijs intelligitur de Petro personaliter præsente; alioqui non esset æquiualens formæ essentiali, *Te absoluo*; Nec est par ratio de Matrimonio: quia non perficitur certa forma verborum, quæ requirat realem præsentiam contrahentium. Ad exemplum de S. Thoma Cantuariens. intelligitur de absolutione ab aliqua censura ad maiorem securitatem.

72. Ad quartum Respondeo Canonem manifestè loqui de publica pœnitentia adulteræ, *quæ per Scripturam*, inquit, *recipienda est*; vel cum Gloss. de Pœnitentia sacramento per Scripturam, præsente Sacerdote.

73. Ad quintum ex loco Cypriani potiùs colligi oppositum: sic enim scribit: *Si qui infirmitatis periculo occupati fuerint non expectent præsentiam nostram, quin apud presbyterum quemcunque præsentem vel si presbyter repertus non fuerit, & vrgere exitus cœperit apud Diaconum quoque exomologesim facere delicti sui possit:* vbi ministri præsentiam apertè requirit. Cæterùm eo loco Cyprianus non agit de absolutione sacramentali: alioqui non scriberet, eam in defectum Presbyteri, committi posse Diacono.

74. Ad fundamentum 3. nego consequentiam: quoniam ad validitatem sacramenti non sufficit, vt minister certior fit de dispositione pœnitentis; sed etiam requiritur vt sit præsens ad verificandam formam.

75. Ad confirmationem disparitas est: quia confessio non limitatur ad certam formam verborum, vt absolutio.

SECTIO V.

An Sacerdos per hæc verba, Ego te absoluo, *verè pœnitentem absoluat à peccatis?*

76. PRIMA sententia Hugonis de S. Victore lib. 2. de sacramentis p. 14. cap. 8. Magister in 4. dist. 18. cap. 4. Altisidiorens. lib. 4. tract. 6. cap. 8. q. 2. Alens. 4. p. quæst. 21. memb. 1. & 2. Bonau. in 4. dist. 18. p. 1. art. 2. q. 1. & 2. Argent. art. 3. Gabr. dist. 14. q. 2. art. 1. notab. 2. & dist. 17. q. 1. art. 3. dub. 3. Maior. quæst. 2. concl. 3. Ocham. q. 9. art. 4 Mars. q. 12. art. 2. in secunda parte, Med. Cod. de confess. tract. 2. q. 38. §. *videtur*, negantium: & sequitur ex sententia eorum, qui docent, hoc sacramentum requirere contritionem vt materiam.

Hugo Victorinus. Magister. Altisidior. Alensis. Bonauent. Argentinas. Gabriel. Maior. Ocham. Marsilius. Medina.

77. Fundamentum: quia vel pœnitens accedit ad hoc sacramentum contritus; & sic ante absolutionem consequitur remissionem peccatorum: vel non accedit contritus; & sic non accedit cum debita dispositione: vnde nec per absolutionem consequi potest remissionem peccatorum: quia absolutio non confert effectum, nisi disposito.

78. Secundò: quia solius Dei est, peccata remittere, Isaiæ 43. Tertiò probant exemplo Lazari, qui priùs fuit à Christo resuscitatus, & postea à discipulis vinculis solutus. Ex quo facto colligit Augustinus, peccatorem priùs à Deo intus per gratiam viuificari; quàm à Sacerdote à vinculis absolui.

Isai. 43. *August.*

79. Quartò: exemplo eorum, qui fuerunt à lepra mundati, à qua priùs fuere à Christo mundati, & postea iussi sunt, vt se Sacerdotibus ostenderent: vnde colligit hæc sententia, Sacerdotem à peccatis non absoluere; sed tantùm pœnitentem à peccatis absolutum ostendere: quia verò debet forma absolutionis in aliquo sensu verificari, docet Magister, illam verificari, quia ostendit Sacerdos pœnitentem esse absolutum in facie Ecclesiæ. Alens. & Bonau. affirmant, Sacerdotem absoluere tantùm deprecatoriè, & impetratiuè, Altisidiorensis, Maior & Gabriel ab aliqua pœna temporali; Hugo de Sancto Victore ab æterna; Medina à pœna exulationis à regno; Marsil. à præcepto confitendi. Argent. verò docet, Sacerdotem absoluere à peccatis, quatenus Deus in voto futuræ absolutionis illa remittit, & auget gratiam datam per contritionem: Vnde dist. 17. Colligit Gabriel, sacramentum hoc non esse institutum, vt per se necessarium ad remissionem peccatorum, quam supponit; sed vt peccator innotescat Ecclesiæ: secundò vt certa satisfactio, per quam pœna peccati tollitur, à confessore imponatur: tertiò vt aliqua pœnæ pars virtute sacramentalis absolutionis remittatur.

Magister. Alensis. Bonauent. Altisidior. Maior. Gabriel. Hugo de S. Victore. Medina. Marsilius. Gabriel.

80. SECVNDA

S. Thomas. Scotus. Durandus. Richardus. Aureolus. Mayronus. Bassolus. Sotus.

80. Secunda sententia Sancti Tho. 3. p. q. 84. art. 3. Scoti in 4. dist. 19. §. *ad quæstionem*, & dist. 14. q. 4. art. 3. Duran. dist. 18. quęst. 2. Richar. art. 2. q. 1. Aureol. dist. 16. art. 1. & dist. 18. art. 1. Mayro. dist. 14. q. 2. Bass. dist. 18. art. 3. Soti dist. 14. q. 1. art. 3. & dist. 20. q. 2. art. 1. & omnium recentiorum affirmantium: Sacerdotem verè pœnitentem absoluere à culpa, & pœna ęterna: & sequitur ex eorum opinione, qui docent: ad sacramentum pœnitentię sufficere attritionem. Hæc sententia est adeò hoc tempore certa, vt oppositam erroneam putent Suar. dist. 19. sect. 2. num. 4. & Vasquez quæst. 84. art. 3. dub. 2. num. 10. & meritò. Nam ea censetur damnata à Trident. sess. 14. canone 9. illis verbis, *Si quis dixerit, absolutionem sacramentalem Sacerdotis non esse actum iudicialem; sed nudum ministerium pronunciandi, & declarandi remissa esse peccata* &c. *anathema sit.*

Censura oppositæ sent. Suarez. Vasquez. Concilium Trident.

81. Probatur primò ex Florent. & Trident. sess. 14. cap. 3. vbi effectum huius sacramenti definiunt, esse absolutionem à peccatis, & reconciliationem cum Deo, nec dici potest id verificari ratione contritionis, quæ est pars constituens hoc sacramentum: tum quia (vt ex eodem Trident. infrà constabit) sola attritio sufficit ad constituendum hoc sacramentum, quę de se sufficiens non est, absque absolutione peccata remittere: tum quia idem Trident. testatur, pręcipuam vim huius sacramenti sitam esse in forma absolutionis, quæ in illis verbis, *Ego te absoluo* &c. posita est: tum à priori: quia nullum sacramentum effectum confert, antequam sit in se constitutum, cùm nulla causa causet, antequam sit in seipsa completa: atqui sacramentum pœnitentiæ ante absolutionem non est in seipso constitutum: quia deest illi præcipuum complementum, quod est forma. Igitur si peccata supponerentur remissa ante absolutionem, ea non remitterentur virtute sacramenti; sed virtute contritionis, quæ ante absolutionem non habet rationem sacramenti: nam tunc incipit habere rationem sacramenti, quando coniungitur cum absolutione, à qua eleuatur ad esse sacramenti.

Concilia Florent. & Trident.

82. Secundò ex ijsdem Concilijs, sacramenta nouæ legis efficiunt, quod significant: Nam hæc est pręcipua differentia, quam Florent. assignat inter hęc, & vetera, quòd illa gratiam non causabant; sed eam solùm per Passionem Christi dandam figurabant; hæc verò & continent, & dignè suscipientibus conferunt: sed sacramentum pœnitentiæ per se importat remissionem peccatorum: importat autem illam præcipuè ratione formę; ergo eam dignè suscipientibus confert. Vnde non cohęrenter Magister, qui dist. 1. cap. 1. vniuersaliter definit, sacramentum esse signum, & causam gratię, hanc vim causatiuam gratię negat sacramento pœnitentiæ. Confirmatur: quia non minùs pœnitentia est signum remissiuum; quàm Baptismus ablutiuum peccatorum: sed hic, auctore Magistro, causat gratiam ablutiuam peccatorum; ergo & illud gratiam remissiuam eorundem.

Sacramenta nouæ legis efficiunt quod significant.

Requiritur definitio sacramenti, quam Magister assignat.

83 Tertiò. Si Sacerdos Euangelicus non absolueret à peccatis; sed solùm pœnitentem absolutum declararet, non differret à Sacerdote legali: quod quamuis concedat Magister; certè non concedit Chrysost. lib. 2. de Sacerdotio, & cæteri Patres: est enim eadem ratio, ac de sacramentis ipsis: etenim qua ratione nostra sacramenta differunt à veteribus, eâdem & ministri Euangelici differunt à legalibus. Cuius ratio est, quia sacramentum essentialiter constat actione ministri; ergo ea ratione ad effectum causandum concurrit effectiuè, qua ratione ad illum sua actione concurrit minister. igitur si sacramenta nouæ legis differunt à veteribus, per causalitatem effectiuam, per eandem differunt ministri Euangelici à legalibus. Legatur S. Thomas in 4. dist. 18. quæst. 1. art. 3. quæstiuncula 1. ad primum.

Chrysost.

Per quid ministri nouæ legis differant à veteribus ministris.

S. Thomas.

84. Quartò. Sequeretur, non verificari formam absolutionis: Nam hæc verba, *Te absoluo*, per se important actum exercitum absoluendi circa subiectum, in quod diriguntur, sicut hæc, *Te Baptizo, te confirmo, Hoc est corpus meum,* non declarant materiam absolutam, confirmatam, conuersam; sed exercitè abluunt, confirmant, conuertunt: ergo & hæc non declarant subiectum absolutum; sed exercitè absoluunt: alioqui non efficerent, quod significant.

84. Quintò. à Trident. sess. 14. can. 2. definitum est, hoc sacramentum rectè secundam tabulam appellari: non posset autem rectè secunda tabula appellari, si peccatorem à naufragio peccati non liberaret: dicitur enim secunda tabula respectu nauis Baptismalis innocentiæ: ergo debet posse, sicut & illa, naufragum ad portum salutis perducere: non posset autem hominem ad portum salutis perducere, nisi per se efficax esset à peccatis liberare.

Concilium Trident.

86. Ex his impugnantur omnes modi, quibus authores oppositæ sententiæ docent, Sacerdotem absoluere à peccatis. Nam præter vltimum, omnes fundantur in absolutione alicuius pœnæ æternæ, vel temporalis, sensus, vel damni, aut in deobligatione à præcepto confitendi; quæ omnia impropriè dicuntur de absolutione à peccatis.

87. Confirmatur: nam ea proprietate dicitur Sacerdos absoluere à peccatis, qua Ioan. 20. à Christo dictum est: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis,* cùm eadem auctoritas sit, quæ ibi datur Apostolis, & per quam Sacerdotes Euangelici pœnitentes absoluunt à peccatis: nam eadem in persona Apostolorum collata fuit omnibus Sacerdotibus: sed ibi propriè intelligitur de potestate remissiua peccatorum; ergo & hic. Adde, quod qui absoluit à culpa, necessariò etiam absoluat à pœna æterna sensus, & damni: quia hæc cum gratia, qua formaliter fit remissio

Ioannis 20.

fit remissio culpæ, connaturaliter saltem pugnat.

Marsil. reijcitur.

88. Falsus etiam est sensus Marsilij, vt patet, quando absolutio cadit super peccata venialia, vel semel confessa: nam tunc non potest Sacerdos absoluere pœnitentem à præcepto confitendi, quia nullum est. Demum postremus modus, quem Alensis appellat phantasticum, improbabilis est. Nam, vt rectè Alens. plus potest sacramentum in re, quàm in voto: nam ideò agit in voto: quia in re haberi non potest: votum enim succedit loco rei; ergo à fortiori plus agit in re; quàm in voto, vt constat de Baptismo: ergo si sacramentum pœnitentiæ in voto remittit peccata, à fortiori ea remittit reipsa susceptum.

Alensis Plus potest sacramentum in re, quàm in voto.

89. Ex his deducitur, quis sit sensus huius formæ; *Ego te absoluo à peccatis:* sensus enim est ex Sancto Tho. quæst. 84. art. 3. ad quintum impendo tibi sacramentum absolutionis, siue remissiuum peccatorum: significat autem hoc exercitè non signatè: quia verò remissio peccatorum non fit absque gratia sanctificante, per se primò significat illam, in ordine ad hunc effectum remittendi peccata, subintellecta semper conditione, nisi subiectum ponat obicem, quæ conditio sub intelligitur in omni sacramento, quo fit, vt semper forma sit vera, etiam quando subiectum accedit cum obice, vel cum peccatis iam remissis. Nam in primo casu verificatur, quantum est de se, in secundo ratione gratiæ per se remissiuæ peccatorum, etiam si actu non remittat, quia actu illa in subiecto non reperit.

Verus sensus formæ absolutionis.

90. Ad fundamentum oppositæ sententiæ Resp. pœnitentem cum sola attritione accedere ritè dispositum ad hoc sacramentum: nam est sufficiens dispositio ad gratiam huius sacramenti recipiendam, vt sequenti disputatione probabitur.

91. Ad secundum solùm Deum peccata remittere auctoritatiuè, & principaliter; Sacerdos autem peccata remittit dispositiuè, & instrumentaliter, vt instrumentum passionis Christi.

Deus remittit peccata auctoritatiuè, Sacerdos dispositiuè.

92. Ad tertium & quartum dico, nullum firmum argumentum ex eis deduci; est enim comparatio moralis, non literalis, vt S. Tho. testatur opusc. 22. cap. 2. Aug. verò Greg. & alij Patres explicantur non de perfecta viuificatione per gratiam sanctificantem; sed de imperfecta per gratiam excitantem, quæ inchoat vitam animę, per motum præuenientis gratiæ. nam cęterùm lib. 2. de adulterinis coniugijs cap. 9. apertè docet, per claues fieri remissionem peccatorum. Absoluta forma, agendum superest de materia, quæ triplex est: contritio, confessio, & satisfactio.

S. Thomas. August. Gregor.

DISPVTATIO XII.

De Contritione.

SECTIO PRIMA.

Quis dolor requiratur ad effectum huius Sacramenti consequendum?

1. DVPLICITER requiri potest dolor ad sacramẽtum pœnitentiæ; vno modo, ad cõstituendam essentiam; alio ad percipiendum fructum ipsius. Nunc solùm inquirimus secundum: incipimus autem ab hoc, quia notior est.

2. Vnde certum est primò, requiri aliquem dolorem formalem, & expressum, non solùm ad effectum; sed etiam ad essentiam huius sacramenti, vt definiunt Florent. & Trident. sess. 14. cap. 3. & can. 4. nec possunt explicari de virtuali; nam hic saluari tantùm potest, cùm peccata actu menti non occurrunt: at verò ad hoc sacramentum necessaria est actualis memoria peccatorũ, quæ confitenda sunt. Igitur si requiritur dolor, necessariò erit formalis. Vnde oppositam sententiam Vasquez q. 92. art. 1. dub. 1. n. 2. appellat erroneam, & contra omnes Doctores.

Requiritur dolor aliquis formalis, & expressus. Concilia Florent. & Trid.

Censura à Vasquez.

3. Fundamentum: quia cùm sit sacramentum reconciliatiuum peccatoris cum Deo, necessariò poscit in ipso reconciliando retractationem offensę contra Deum illatæ, sine qua nequit fieri reconciliatio. Vnde sequitur, non satis esse ad hoc sacramentum accedere cum sola voluntate illud recipiendi, contra Bernardum de Gannaco apud Victoriam in sum. de confess. n. 157. & videtur cõtra Scotum in 4. dist. 14. q. 4. ar. 3. vbi obscurè loquitur, apertè tamen nobiscũ sentit dist. 17. §. *de art.* versu, *continet etiam qualiter:* & dist. 19. §. *ad quæst. motam,* versu, *concedo ista.*

Bernardus de Gannaco reiicitur.

4. Secundò certum est, simul cum dolore requiri propositum de cętero non peccandi: quod præcit. Concil. definiũt, & omnes ferè Theologi docent: nam hoc includitur in ipso dolore efficaci peccatorũ, qualis ad hoc sacramentum

Requiritur propositum non peccandi.

mentum requiritur. Sola controuersia est, an semper hoc debeat esse explicitũ, & actuale, an interdum sufficiat implicitum, & virtuale; hoc posterius sequitur ex dictis de pœnit. virtute disp. 4. sect. 4. nam saltem quando pœnitens inuincibili ignorantia talis propositi laborat, aut nulla subest memoria futuræ vitæ; sed solius præteritæ detestandæ, sufficit propositum virtuale essentialiter inclusum in ipso dolore efficaci peccatorum, quę dum efficaciter pœnitens detestatur, virtualiter & exercitè proponit, eadem ampliùs non committere. Secus si subsit memoria futurę vitæ, & formalis propositi de cætero non peccandi: Nam tunc tenetur explicitè tale propositum elicere: tum quia Concilia illud requirunt: tum quia alioqui non contineretur virtualiter in efficaci detestatione peccatorum. vnde sequeretur, neque ipsum dolorem esse sufficientem, quippe qui non excluderet voluntatem peccandi. Sequela probatur: quia quod virtualiter continetur in aliquo, positis omnibus requisitis, statim exit in actuale: quia continetur in aliquo actu, tanquam effectus in causa necessaria, quæ positis omnibus ad agendum requisitis, necessariò agit. vnde non approbo quod Sotus dixit, validam esse confessionem, saltem quoad essentiam, quæ nullum habet firmum propositum de cætero non peccandi, si talem defectum confiteatur: quia defectus talis propositi irritat essentialiter confessionem. neque ex eò, quòd subijciatur clauibus, sufficit ad validandum sacramentum, nisi propositum ipsum formaliter concipiatur: sicut ad validandum sacramentum, non sufficit clauibus subijcere defectum doloris, nisi dolor ipse formaliter concipiatur.

Virtuale vel formale. *Sotus.*

5. Ex his sequitur, attritioni sacramentali esse magis intrinsecam detestationem præteritę vitæ; quàm propositum emendationis futurę: quia sine illa nullus potest esse dolor, sine hac verò potest esse aliquod propositum, saltem virtuale; semper tamen est pœnitens ad formale propositum excitandus. Legatur Suar. disp. 20. sect. 4. num. 33. Henriquez lib. 4. de sacramentis cap. 24. Nugnez in additione ad tertiam partem q. 1. art. 3. Mayro. in 4. dist. 14. q. 1. §. 2. *inquirendum* ad 4. vbi docet satis esse propositum negatiuum, non peccandi. His adnotatis: fit

Attritioni sacram. magis intrinseca est detestatio, quàm propositum. *Suarez. Henriquez. Nugnez. Mayronus.*

6. PRIMA sententia Magist. in 4. dist. 18. Altisidior. lib. 4. tract. 6. cap. 8. q. 2. Alens. 4. p. q. 14. memb. 2. art. 1. & q. 16. memb. 2. Bonau. in 4. dist. 18. p. 1. art. 2. q. 1. Argent. dist. 16. qu. 1. art. 1. Capreol. dist. 16. q. 2. art. 3. ad finem, Marsil. q. 12. dub. incidenti art. 2. Gabr. dist. 14. q. 2. art. 2. Medina Cod. de confess. quęst. 38. §. *est alia* 4. *opinio*, affirmantium, requiri contritionem perfectam: quam opinionem Gabr. testatur fuisse communem apud antiquos: & sequitur ex sententia docentium, Sacerdotem non absoluere à culpa. Fundamentum: quia attritio non est sufficiens dispositio ad reconciliationem: tum quia non retractat culpam, quatenus Dei offensa est, sub quo motiuo, naturę iure tenemur illam retractare: quia naturæ iure tenemur Deo pro illata offensa satisfacere: tum quia non tollit peccatum, quod est obex ad sacramentum.

Magister. Altisidior. Alensis. Bonauent. Argent. Capreolus. Marsilius. Gabriel. Medina.

7. Confirmatur: quia Trid. sess. 14. c. 4. docet, contritionem, quę quouis tēpore necessaria fuit ad impetrandam veniam peccatorum, in homine post Baptismum lapso, pręparare ad remissionem peccatorum: atqui cōtritio, quæ quouis tempore necessaria fuit ad impetrandam veniam peccatorum, est contritio perfecta, vt supra de pœnitētia virtute docuimus, igitur illa est etiam necessaria ad impetrandam gratiam in hoc sacramento.

Concilium Trident.

8. SECVNDA Henrici quodlib. 1. q. 32. Caiet. 3. p. q. 84. ar. 1. §. *Etsi modum quæris:* Ferrar. 4. contr. gent. c. 72. §. *ad huius euidentiam considerandum*, Petri Soti de confess. informi lect. 8. aientium, sufficere attritionem, vt dignè quis ad hoc sacramentum suscipiendum accedat; iustificationē verò fieri per contritionem, quam pœnitens consequitur vi clauium, si impedimentum non apponat; & sic dicitur virtute sacramenti fieri de attrito cōtritus: quia sacramentum impetrat contritionem, quæ est proxima dispositio ad gratiam.

Henricus. Caietanus. Ferrariens. Petrus Sotus.

9. TERTIA Victoriæ relect. 1. de potestate Ecclesiæ sect. 3. Cordub. lib. 1. Theologicarum quæst. q. 2. §. 4. *& vltima opinio*, Soti in 4. dist. 6. q. 1. art. 7. post quintam conclusionem, & dist. 12. q. 1. art. 4. columna 4. & dist. 17. q. 2. art. 5. *ad quæstionem*, & dist. 18. q. 3. art. vlt. casu 2. Vegę 13. in Trident. cap. 33. §. *vbi igitur*, & cap. 34. obiect. 3. Nauar. in sum. cap. 1. num. 38. asserentium, ad obtinendum effectum huius sacramenti requiri contritionem, saltem putatam. Fundamentum: nam ea dispositio est necessaria, & sufficit ad effectum huius sacramenti, quæ tollit obicem peccati, saltem in conscientia peccatoris: sola autem attritio, probabiliter putata contritio, tollit in conscientia peccatoris obicem peccati: quia qui eam habet, videtur fecisse quantum in se fuit: ergo necessaria est, & sufficit.

Victoria. Corduba. Sotus. Vega. Nauarrus.

10. QVARTA sententia Syluestri verbo *confess.* primò 9. 21. Vegæ 13. in Trident. cap. 34 obiect. 3. opinantium sufficere displicentiam virtualem, seu putatam: vt si quis ad sacramentum accedat desiderio tantùm habendi displicentiam: vel cùm pœnitens inuincibiliter putat, se accedere sufficienter dispositum, etiam si reipsa non accedat dispositus, vt ait Vega, eum consequuturũ effectum sacramenti. Fundamentum: quia is non ponit obicem, & sacramentum semper suum effectum habet in non ponente obicem: ergo.

Syluester. Vega.

11. QVINTA S. Thomę 3. p. q. 80. art. 4. ad 2. & 84. art. 3. ad quintum & clariùs quodlib. 4. q. 7. ar. 10. Scoti supra cit. Richar. in 4. dist. 18. art. 2. q. 1. Duran. dist. 18. q. 2. n. 6. Palud. dist. 17. q. 8. conclus. 3. & dist. 19. q. 1. ar. 2. Palatij dist. 17. disp. 1. Angeli verbo *confess.* 1. n. 30. Cani relect. de pœn. p. 5. ad 3.

S. Thomas. Scotus. Richardus. Durandus. Paludanus. Palatius. Angelus. Canus.

Toletus. Suarez. Valentia. Henriquez. Coninck. Sà.

Tolet. in sum. lib. 3. cap. 10. Suar. disp. 20. sect. 1. Valent. disp 7. quæst. 8. puncto 1. 2. & 3. Vasq. quęst. 92. art. 1. dub. 2. n. 13. Henriquez lib. 4. de Sacramentis cap. 17. Coninck disp. 4. dub. 2. & 5. Emmanuel Sà, verb. *contr.* n. 4. affirmantium, sufficere attritionem, etiam cognitam vt attritionem: & apertè sequitur ex doctrina Scoti, & omnium, qui docent, potestatem Sacerdotis extendi ad remissionem culpæ: declarat eam Syluius in suppl. 3. p. q. 1. art. 1.

Syluius.

12. DICO 1. Ad consequendum effectum huius sacramenti non est necessaria cōtritio, sed sufficit attritio. hoc post Trid. non puto posse in dubium reuocari: quippe sess. 14. c. 3. pro materia huius sacramenti assignat contritionem, quam postea c. 4. diuidens in perfectam, & imperfectam, illam docet hominem Deo reconciliare, priùs quam hoc sacramentum actu suscipiatur: hanc verò, quæ attritio dicitur, etsi peccatorem nequeat sine sacramento pœnitentiæ per se ad iustificationem perducere; tamen ait, eum ad Dei gratiam in sacramento pœnitentiæ impetrandam disponere: sentit igitur Concilium, materiam huius sacramenti esse attritionem; quam docet peccatorem ad Dei gratiam in hoc sacramento impetrandam disponere, videlicet proximè, non remotè: tum quia etiam extra sacramentum disponit remotè: at Concilium maiorem aliquam causalitatem tribuit attritioni in hoc sacramento, quàm non tribuat extra: quæ alia esse nō potest; quàm proxima dispositio ad gratiam: tum quia si remotè tantùm disponeret, per eam Concilium non explicasset sufficientem dispositionem pœnitentis ad hoc sacramentū requisitam, nam sufficiens dispositio ex parte pœnitentis est vltima: quia hęc tantùm proximè pœnitentem disponit ad effectum huius sacramenti percipiendum: ergo illam explicare debuisset, alioqui defecisset in essentialibus: tum quia si qua dispositio proximior ex parte pœnitentis ad hoc sacramentum requireretur, ea esset contritio; sed hanc Concilium excludit vt necessariam: quia dum assignat attritionem, virtute excludit contritionem vt necessariam. Et ratio à priori est: quoniam hoc sacramentum est per se primò institutum ad restituendam vitam gratiæ, amissam per peccata post Baptismum commissa, quod propterea mortuorum dicitur: ergo non debet illam per se supponere: per se autem illam supponeret, si ad suum effectum pręstandum prærequireret contritionem: quia per se supponeret subiectum viuificatum per gratiam collatam virtute contritionis. Consequentia patet: quia si per se supponeret primam gratiam per contritionem collatam, non posset per se conferre vitam; sed ad summum accrementum vitæ; quia non posset alium effectum per se conferre; quàm quem inducere posset, posita dispositione subiecti; sed reparata vita per contritionem, non posset nisi accrementum vitæ conferre: ergo. Antecedens constat, tum ex Concilijs, & Patribus, à quibus duo mortuorum sacramenta assignantur; alterum regeneratiuum; reparatiuum alterum, quod & secunda tabula dicitur: tum ex forma huius sacramenti, quæ gratiam peccatorum remissiuam significat: cum ergo sacramenta nouæ legis efficiant, quod significant, debet ipsam peccatorum remissionem, quam significat, efficere; non efficeret autem, si illam vi contritionis factam, suppóneret; vnde nec posset forma ipsa verificari, cùm iam supponeret factum, quod ipsa deberet efficere: tum ex illo communi axiomate Theologorum: quòd hoc sacramentum facit de attrito contritum, non per attritionem impetrando contritionem, vt secunda sententia fingit; sed conferendo gratiam, quæ præstat, quod præstaret contritio ipsa: tum demum, quia alioqui arctior esset via ad salutem nunc, quàm in lege naturæ, in qua sufficiebat contritio, cum obseruantia solius Iuris naturalis; cùm tamen nunc præter hæc, necessaria sit obseruantia Iuris positiui sacramentorum, vnde potius sacramenta nobis ad salutem obessent; quàm prodessent. Confirmatur ex Sancto Thoma quæst. 80. art. 4. ad secundum, quia hoc sacramentum est institutum, vt medicina, ad tollendum peccatum; medicina autem non supponit morbum sublatum, sed tollit.

Concilium Trident.

Attritio disponit ad Dei gratiā remotè.

Finis sacramenti pœnit.

Sacramentum pœni. tentia facit ex attrito contritum.

S. Thomas.

13. DICES: Eandem gratiam, quæ per contritionem datur, Concilium tribuit huic sacramento, in cuius voto illa datur. Sed contrà: nam hoc non est aliud; quàm hoc sacramentum ad contritionem concurrere, vt præceptum suo tempore seruandum, vti concurrunt alia præcepta; ex eo enim, quòd contritio est efficax detestatio peccati, dicit voluntatem ampliùs non peccandi, proinde propositum de cætero omnia præcepta seruandi.

14. Ex his constat contra secundam sententiam, nullo pacto contritionem esse necessariam ad effectum huius sacramenti: tum quia aliàs attritio non esset vltima, ac proinde sufficiens dispositio ad gratiam in hoc sacramento impetrandam, sed potiùs esset dispositio ad impetrandam contritionem, per quam proximè impetraretur gratia, contra Concilium: tum quia ex hac sententia sequeretur, posse Sacerdotem absque peccato negare absolutionem, ei, qui post confessionem ritè factam incidit in phrenesim, contra Leonem, & Iulium Papam, qui huiusmodi Presbyteros reos animarum appellant 26. q. 6. can. 10. & 12. sequela probatur: quia cū huiusmodi pœnitentes non sint capaces interioris contritionis, non possunt ad illam media absolutione sacramentali excitari; vnde cū nil eos possit sacramentalis absolutio iuuare, non tenebitur Sacerdos sub peccato illam impendere: quia vel supponitur contritio excitata, antequam in phrenesim inciderent, & sic non egent sacramentali absolutione, vt ad eam excitentur, vel non supponitur excitata, & ad eam excitandam absolutio nil proderit.

Contritio non est necessaria ad effectum sacram. pœnit.

Leo Papa. Iulius Papa.

15. Dico 2. Ad consequendum effectum huius sacramenti, non est necessaria attritio putata contritio; sed sufficit attritio, etiam cognita, & putata attritio. Fundamentum: quia suscepturus sacramentum non tenetur accedere cum maiore dispositione putata; quàm reipsa requiratur; sed reipsa sufficit attritio: ergo non requiritur, vt pœnitens ad hoc sacramentum accedat cum contritione putata. Consequentia euidenter deducitur ex pręmissis. Minor constat ex præcedente conclusione. Maior, in qua est difficultas, probatur primò inductione: Nam Baptizandus non tenetur accedere cum maiore dispositione putata; quàm requirit Baptismus ipse in re: idem constat de cæteris sacramentis. Secundò probatur ratione: quoniam regula, & mensura rectæ cognitionis operatiuæ, est res ipsa operanda secundùm se, vnde eo rectior est cognitio operatiua, quò conformior est rei operandæ, eoque obliquior, quò illi difformior; & hoc ideò, quia finis practicæ operationis, est operatio ipsa secundùm se: ergo illa est recta cognitio, quæ maximè conformatur rei operandæ: sed res, quæ operanda est vt dispositio pœnitentis in hoc sacramento, est attritio, nòn contritio; ergo regula, cum qua pœnitens ad hoc sacramentum inchoandũ accedere debet, non est notitia contritionis; sed attritionis, alioqui regula operatiua non corresponderet rei operandæ.

16. Nec dici potest, ad hanc probabilem notitiam obligari pœnitentem, non ex natura ipsa rei operandæ; sed vel ex reuerentia sacramenti; vel ex voluntate, & institutione Christi: tum quia nulla fit irreuerentia sacramento, accedendo cũ dispositione, quam exigit natura & finis talis sacramenti: tum quia Christus non obligat supra exigentiam sacramenti ab ipso instituti: cùm igitur hoc sacramentum sit à Christo institutum ad conferendam primam gratiam attrito, verisimile non est, voluisse nos obligare, vt ad illud accederemus cum contritione putata: tum quia si Cristus pœnitentem obligaret ad contritionem putatam, obligaret ad falsum: quia obligaret ad notitiam non correspondentem rei operandæ in hoc sacramento.

17. Dico 3. Ad consequendum effectum huius sacramenti necessaria est attritio in re, & non sufficit tantùm putata. Fundamentum: quia hæc requiritur vt pars essentialis sacramenti, sacramentum autem effectum non confert, nisi sit essentialiter perfectum: ergo ad effectum sacramenti non sufficit attritio tantùm putata. Consequentia clara est: quia sola notitia non mutat naturam obiecti; ergo attritio tantùm putata non sufficit ad effectum sacramenti. minor patet: quia nulla causa effectum producit, nisi essentialiter sit in suo esse constituta. Maior probatur, quoniam cùm ex Concilijs habeamus, dolorem requiri ad hoc sacramentum, non possunt intelligi de dolore putato: alioqui cùm dicunt, ad Baptismum requiri aquam, ad Eucharistiam panem, & vinum, intelligi possent de aqua, pane, & vino putatis: quia non minùs ad hoc sacramentum requiritur attritio; quàm ad Baptismum aqua, ad Eucharistiam panis, & vinum. Esto igitur inuincibiliter putes, te accedere dispositum, si reuera non accedis, effectum non consequeris, quamuis à peccato excuseris. vnde si virtualis displicentia attingit gradum veræ attritionis, sufficit; secus, si non attingit.

Nulla causa producit effectum suum, nisi essentialiter constituta in suo esse.

18. Pro cuius explicatione: nota interdum virtualem displicentiam non opponi cuicunque displicentiæ formali; sed alicui determinatæ: vt cùm doles, te non sufficienter dolere, displicentia hæc virtualis opponitur tantùm displicentię formali, illius maioris doloris, quem actu non habes, respectu cuius est formalis displicentia, quando igitur displicentia est virtualis absolutè, & respectu omnis doloris, vt est formalis dilectio Dei, non sufficit ad effectum huius sacramenti: quia nullo modo attingit naturam doloris, qui in hoc sacramento est essentialis; quando verò est virtualis respectu vnius; formalis verò respectu alterius, tunc, si ex parte, qua formalis est, attingit naturam veræ attritionis, sufficit; secus, si non attingit.

19. Ad fundamentum primæ sententiæ, nego antecedens, loquendo de reconciliatione, quæ fit in hoc sacramento, ad quam sufficit attritio; nam eius imperfectionem supplet satisfactio Christi. Ad priorem probationem, dico, per attritionem retractari offensam Dei, licet non ex formali motiuo offensæ, & hoc satis est ad reconciliationem, quæ fit virtute sacramenti; nec semper nos naturali Iure teneri ad retractandam offensam sub formali motiuo offensæ, nisi quando reconciliamur extra sacramentum, aut currit pręceptum de diligendo Deo. Ad posteriorem, licet attritio non tollat peccatum, tollit tamen affectum peccati, qui solus est obex ad effectum huius sacramenti, vt colligitur ex Trident. sess. 14. cap. 4. vbi docet, attritionem conceptam vel ex gehennæ metu, vel ex turpitudine peccati, si voluntatem peccandi excludat, peccatorem disponere ad gratiam impetrandam in hoc sacramento: alioqui nũquam hoc sacramentum conferre posset effectum, ad quem est institutum.

Trident.

20. Ad confirmationem, Concilium non loqui de præparatione ad remissionem peccatorum in sacramento, sed extra; cum voto tamen ad illud suo tempore accedendi: nam subdit, *Si cum fiducia diuina misericordiæ, & voto præstandi reliqua coniunctus sit, quæ ad ritè suscipiendum hoc sacramentum requiruntur.*

21. Ad fundamentum secundę sententiæ, constat ex dictis, quibus ostendimus, attritionem non modo sufficere ad dignam susceptionem huius sacramenti; sed etiam ad effectum iustificationis cõsequendum, ad quem est hoc sacramentum institutum.

22. Ad fundamentum tertiæ nego minorem: nam etiam attritio non putata contritio tollit

tollit obicem peccati in conscientia peccatoris, in ordine ad hoc sacramentum: quam dum habet, videtur fecisse, etsi non quantum potuit, certè quantum debuit ad affectum huius sacramenti consequendum.

23. Ad fundamentum quartæ, esto, hoc ob probabilem ignorantiam, non ponat nouum obicem; quia tamen non sufficienter tollit antiquum, non recipit effectum sacramenti: ad quem consequendum non satis est, vt non ponatur nouus obex; sed etiam requiritur, vt tollatur antiquus.

SECTIO II.

An attritio ad effectum huius sacramenti requisita debeat esse supernaturalis?

Sotus. 24. PRIMA sententia Soti in 4. dist. 14. q. 1. art. 1. §. *hoc autem discrimen*, & quęst. 2. art. 5. §. *& confirmatur*, & dist. 17. quæst. 2. art. 5. Nugnez. Nugnez in additione ad tertiam partem, quæst. 9. art. 1. dub. 3. negantium: & sequitur ex sententia Cani, & Canus. Vega. Vegæ opinantium, ad consequendum effectum huius sacramenti, satis esse, accedere cum probabili tantùm conscientia veræ dispositionis. Rubio. Consentit huic sententię Rubio in 4 dist. 15. quęst. 3. art. 2. nisi quod hic dicat, talem dolorem à Deo non acceptari, nisi vt cõiunctum cum merito Christi. Sotus. Fundamentum Soti est: quoniam attritio ad hoc sacramentum requiritur vt sola obicis remotio; sed obex sufficienter remouetur per solam attritionem naturalem, putatam tantùm contritionem.

Suarez. Henriquez. Vasquez. Syluius. 25. SECVNDA sententia Suarez disp. 20. sect. 2. n. 7. Henriquez lib. 4. de Sacramentis cap. 26. n. 2. & 5. Vasq. q. 92. art. 1. dub. 3. Syluij q. 1. concl. 3. & reliquorum affirmantium, attritionem, ad effectum huius sacramenti consequendum requisitam, debere esse supernaturalem. *Quæ sententia vera est & amplectenda.* Potissimum fundamentum sumitur ex Concilijs.

Concilium Mileuitan. 26. Primum est Mileuitanum II. contra Pelagium, & Cœlestium celebratum sub Innocentio I. anno 416. Hoc enim can. 4. & 5. sub anathemate vniuersaliter definit, ad diuina mandata seruanda necessariam esse gratiam per Christum, citans illud testimonium Ioannis 15. Christi Ioan. 15. *Sine me nihil potestis facere.* Igitur ad seruandum hoc pręceptum confessionis, quod inter omnia Euangelicæ legis pręcepta difficillimum est, vt testatur Nauarrus. Nauarrus, necessaria est gratia per Christum.

Concilium Arausican. 27. Secundum est Arausicanum II. sub Felice IV. anno 529. in cuius 4. can. ita legitur: *Si quis, vt à peccato purgemur, voluntatem nostram Deum exspectare contendit; non autem vt purgari velimus, per Sancti Spiritus infusionem, & operationem in nos fieri confitetur, resistit Spiritui sancto per Salomonem dicenti:* Pręparatur voluntas à Domino: *& Apostolo salubriter prædicanti:* Deus est, qui operatur in nobis & velle, & perficere pro bona voluntate. Porrò expectaret Deus voluntatem nostram; non autem auxilio suæ gratiæ eam pręueniret, si attritio, solius naturæ viribus elicita, sufficeret ad effectum huius sacramenti; cùm ad actum naturalem non requiratur peculiare auxilium gratiæ, quo voluntas præparetur ad gratiam recipiendam. Et in Can. 7. eiusdem Concilij vniuersaliter definitur, nullum bonum opus, quod ad salutem æternæ vitæ pertinet, absque illuminatione, & inspiratione Spiritus sancti nos facere posse. Atqui dignè se disponere ad gratiam iustificationis, in hoc sacramento suscipiendam, est opus maximè ad vitam æternam pertinens: igitur nequit sine speciali illuminatione, & inspiratione Dei fieri. Et in Can. 20. *Multa*, inquit, *in homine bona fiunt, quæ non facit homo: nulla autem facit homo bona, quæ non Deus præstat, vt faciat homo.* Atqui hoc est opus bonum: ergo vt illud faciat homo, suo peculiari auxilio præstat Deus.

Conc. Trid. 28. Tertium est Concilium Trident. in cuius sess. 6. cap. 5. & 6. vniuersaliter decernitur, omnis nostræ iustificationis exordium desumendum esse à pręueniente gratia per Christum: qua adiuti, liberè disponimur ad iustitiam, per peccatorum detestationem, & odium, consequendam. Vbi Concilium non loquitur tantùm de iustificatione, quæ fit extra sacramentum; sed etiam, & pręcipuè quæ fit per sacramentum, vt patet ex cit. capite 6. & 7. Idem Concilium 3. Canone eiusdem sessionis sub anathemate damnat: *Qui dixerit, sine præueniente Spiritus sancti inspiratione, atque adiutorio hominem pœnitere posse, sicut oportet, vt ei iustificationis gratia conferatur.* Et sess. 14. cap. 4. expresse docet, attritionem, quæ peccatorem disponit ad gratiam in hoc sacramento impetrandam, esse donum Dei, & Spiritus sancti impulsum.

Probatur ratione. 29. Vltimò probatur hæc sententia ratione. Nam siue hæc attritio consideretur vt remotio peccati, siue vt dispositio ad gratiam, semper debet esse supernaturalis: tum quia sicut peccatum in hoc statu commissum non solùm est auersio à fine naturali; sed etiam à supernaturali: ita illius retractatio debet esse aliquo modo conuersio, non solùm ad finem naturalem; sed etiam supernaturalem: nam vt retractatio peccati sit sufficiens dispositio ex parte peccatoris ad consequendam gratiam in hoc sacramento, debet retractare omnem auersionem, quam per peccatum peccator contraxit. Cùm igitur peccator per peccatum in hoc statu commissum non solùm contraxerit auersionem à Deo fine naturali; sed etiam supernaturali, debet vtramque auersionem, per actum conuersionis tollere: cumque nequeat viribus

naturæ

naturæ tollere auersionem supernaturalem: quippe quę non tollitur, nisi ex aliquo motiuo opposito supernaturali, ad quod nequit natura se extendere, necessariò indigebit aliquo auxilio supernaturali. Tum quia dispositio debet esse eiusdem ordinis cum forma, ad quam disponit.

Dispositio debet esse eiusdem ordinis cum forma:

30. Ex dictis deducitur primò, motiuum attritionis debere esse supernaturale; nec sat esse ad effectum sacramenti consequendum motiuum naturale: tum quia tale motiuum assignat Trident. cit. loco sessionis 14. cap. 4. vt scilicet concipiatur vel ex turpitudinis peccati consideratione (intelligit autem ex turpitudine opposita alicui honestati supernaturali) vel ex gehennæ, & pœnarum metu: nempe quatenus infliguntur à Deo authore supernaturali. Tum quia tale motiuum est necessarium ad sufficienter retractandum peccatum in hoc statu commissum.

Motiuum attritionis supernaturale. Ex Trid.

31. Obijcit autem Nugnez, dici attritionem supernaturalem ex coniunctione ad actus fidei, & spei, cum quibus ex Trident. attritio sacramentalis coniungi debet, vt sit sufficiens dispositio ad impetrandam gratiam in hoc sacramento. Sed contrà, quia Trident. non solùm definit, credere, & sperare; sed ipsum etiam pœnitere, sicut oportet, esse ex Spiritus sancti inspiratione, & adiutorio: ergo non minùs ipsum pœnitere sicut oportet; quàm credere, & sperare eget speciali auxilio gratiæ, vt sufficiat ad gratiam impetrandam in hoc sacramento.

Contrà Nugnez.

32. Deducitur 2. Attritionem sacramentalem debere esse vniuersalem; vel ex motiuo per se cadente super omnia peccata; vel certè ex singulis peccatis mortalibus debere singulas elici attritiones particulares: quæ singulæ expresè cadunt super singula peccata, implicitè autem & virtute super omnia. Fundamentum est: quia nullum peccatum mortale in hoc sacramento remitti potest sine attritione: cumque nullum mortale remitti possit sine cæteris, necessariò sequitur, attritionem ad hoc sacramentum requisitam, debere esse vniuersalem de omnibus peccatis mortalibus. Ex quo infertur; quod hæc vniuersalis attritio sit etiam necessaria, quando licitè in ipsa confessione tacetur aliquod mortale, alioqui illud non posset cum reliquis confessis indirectè remitti. Non est autem hæc vniuersalis attritio necessaria in confessione peccatorum venialium, cùm possit vnum veniale remitti sine alio. Vnde in confessione venialium sat erit, atteri de vno tantùm, ne frustretur sacramentum, quod pro materia essentialiter requirit dolorem. Cæterùm non desunt, qui affirment, accedere ad hoc sacramentum sine attritione omnium venialium, saltem quæ clauibus subijciuntur esse mortale: sed hoc nimis rigidum est, adeoque improbabile: Legantur Suarez disp. 20. sect. 6. num. 7. Henriquez lib. 4. de sacramentis cap. 26. num. 7.

Attritio sacram. vniuersalis in confessione mortalium: Non sic in confess. venialium. Suarez. Henriquez.

33. Deducitur 3. Ad effectum huius sacramenti consequendum non sufficere dolorem inefficacem: nam hic non excludit affectum peccati, quem ex Trident. sess. 14. cap. 4. excludere debet, vt sit sufficiens dispositio ad impetrandam gratiam in hoc sacramento. Talis igitur debet esse dolor ad effectum huius sacramenti requisitus, vt vi illius debeant vitari peccata, si occasio peccandi occurrat.

Non sufficit dolor inefficax. Trident.

34. Ad fundamentum primę sententiæ, neganda est tam maior: eò quòd attritio in hoc sacramento non est sola obicis remotio, qualis est in Baptismo: sed pars essentialis: tum minor: nam sicut obex non solùm est auersio à fine naturali; sed etiam supernaturali: ita eius remotio non solùm debet esse conuersio ad finem naturalem; sed etiam aliquo modo ad finem supernaturalem.

SECTIO III.

An ad effectum huius sacramenti sufficiat dolor supernaturalis tantùm quoad modum?

35. DVplex est supernaturalitas, vt ex disputatis de pœnitentia virtute disp. 2. sect. 3. constat; Altera quoad substantiam; quoad modum altera. Hactenus probatum est, attritionem, ad effectum huius sacramenti consequendum, debere esse supernaturalem: nondum tamen probatum est, an sufficiat supernaturalis tantùm quoad modum: an verò requiratur supernaturalis quoad substantiam.

36. PRIMA sententia affirmat, sufficere supernaturalem quoad modum. Hanc sententiam apud nullum authorem sub his expressis terminis assertam legi. Nam licet Vasquez prima secundæ disp. 217. putet, iustum non solùm operibus supernaturalibus virtutis infusæ; sed etiam moralibus virtutis acquisitæ, mereri vitam æternam, eò quòd non solùm bona opera, facta auxilio ordinis supernaturalis virtutis infusæ; sed etiam bona opera, facta auxilio ordinis naturalis virtutis acquisitæ, sint condigna præmio vitæ æternæ; & consequenter videri posset in eius sententia attritio elicita ex solo auxilio ordinis naturalis, esse sufficiens ad effectum huius sacramenti: tamen 3. parte quęst. 92. art. 1. dub. 3. expresè docet, attritionem, sufficientem ad hoc sacramentum, debere esse, ex aliquo motiuo æterno, atque ex altiori ratione procedere debere; quàm sit motiuum, ex quo procedit honestas ciuilis, ac moralis; & consequenter ex auxilio altioris ordinis; quàm sit auxilium ordinis naturalis: nam auxilium proportionatur motiuo, ex quo eliciendus est actus.

37. Fundamentum huius sententiæ esse potest: quia talis attritio habet omnia requisita, vt sit sufficiens dispositio cum sacramento ad gratiam iustificationis obtinendam. Nam primò illa procedit ex auxilio gratiæ per Christum, qui non solùm sua passione nobis promeruit gratiam ordinis supernaturalis; sed etiam naturalis: nam totum illud nobis promeruit, quod nobis abstulit primus parens: ille autem non solùm nobis abstulit bona supernaturalia; sed etiam naturalia gratuita, & indebita naturę, cuiusmodi sunt quędam auxilia vberiora, & illustriora intra ordinem naturę, quæ non exigit ipsa natura. Secundò: huiusmodi attritio procederet ex sufficienti motiuo: quia vel procederet ex turpitudine peccati; vel ex pœnarum, & gehennæ metu, quę motiua tanquam sufficientia assignantur à Concilio prænotata sess. 14. cap. 4. Igitur habet omnia requisita, vt sit sufficiens dispositio ad effectum huius sacramenti obtinēdum, cùm habeat omnes conditiones à Concilio requisitas.

38. Probatur 2. Ea dispositio sufficit ad effectum huius sacramenti, quæ sufficit ad legitimam accusationem sacramentalem: sed ad legitimam accusationem sacramentalem sufficit voluntaria confessio, procedens ex dolore ordinis naturalis: ergo. Maior patet: quia cùm hoc sacramentum peragatur more iudicij absolutorij, per sententiam decretoriam, essentialiter prærequirit legitimam accusationem Rei: sine qua decretoria sententia dari non potest. Minor probatur: quoniam ad legitimam accusationem sacramentalem sufficit, vt reus sua peccata subijciat legitimo iudici, cum aliquo dolore, & spe veniæ impetrandæ.

39. Tertiò. Opera bona, facta ex speciali auxilio ordinis naturalis per Christum, sunt condigna, vt à Deo acceptentur ad præmium vitæ æternę: ergo etiam erunt condigna, vt acceptentur, vt dispositio, ad effectum huius sacramenti obtinendum.

40. Quartò. Per opera bona moralia, cum solo auxilio ordinis naturalis facta, adimplemus præcepta diuina: ergo etiam per attritionem auxilio ordinis naturalis elicitam adimplebimus præceptum diuinum de confessione facienda. Antecedens probatur: nam per opera bona moralia seruamus pręcepta diuina de colendo Deo; de sanctificandis festis; de pœnitentia suo tempore agenda.

41. Quintò. Opus bonum morale, ex solo auxilio ordinis naturalis per Christum, est remota saltem dispositio ad gratiam extra sacramentum: ergo cum sacramento erit proxima dispositio ad eandem. Antecedens supponitur à nobis probatum in 3. tomo disp. vlt. de merito. Consequentia verò probatur: quia sacramentum supplet, quod deest operi: minor quippe dispositio requiritur cum sacramento; quàm sine sacramento ad gratiam iustificationis impetrandam.

42. SECVNDA sententia communis Theologorum affirmat, attritionem sufficientem ad effectum huius sacramenti debere esse supernaturalem quoad substantiam, nec sufficere supernaturalem tantùm quoad modum. Potissimum huius sententiæ fundamentum desumitur ex præcitatis Concilijs: tum quia Concilia idem auxilium requirunt ad pœnitentiam, vt dispositionem cum sacramento ad gratiam obtinendam; quam ad actum fidei, ad eandem gratiam consequendam, requisitæ: atqui in omnium sententia ad actum fidei, ad gratiam iustificationis consequendam, sufficientis, requiritur auxilium ordinis supernaturalis; ergo etiam ad pœnitentiam, vt sufficientem dispositionem cum hoc sacramento ad gratiam impetrandam. Tum quia quantum attinet ad principium, ex quo procedere debet dispositio ad iustificationem consequendam, idem assignant respectu dispositionis, ad iustificationem extra sacramentum consequendam, atque cum sacramento: vt constat in cit. locis sessionis 6. pręsertim can. 3. In quo æquè ad pœnitendum sicut oportet cum sacramento, atque extra sacramentum, requirit Concilium Spiritus sancti inspirationem, atque adiutorium. Sed principium, ex quo procedere debet dispositio sufficiens ad iustificationem extra sacramentum, est ordinis supernaturalis quoad substantiam; ergo etiam principium, ex quo procedere debet dispositio cum sacramento.

43. Secundum fundamentum sumitur ex motiuo, ex quo procedere debet dispositio ad gratiam cum sacramento requisita, quod semper est supernaturale quoad substantiam, nec sufficit naturale: igitur etiam principium influens in actum, ex tali motiuo procedentem, erit supernaturale quoad substantiam. Minor patet: nam motiuum ex quo elici debet dispositio, cum sacramento ad gratiam obtinendam, debet esse diuina fide propositum, cùm debeat esse motiuum aliquod supernaturaliter reuelatum. Consequentia verò probatur: quia, vt suppono, nequit actus elici ex motiuo supernaturali quoad substantiam, non influente principio etiam supernaturali quoad substantiam. Nam licet possit actus naturalis versari circa motiuum supernaturale materialiter, & terminatiuè; nequit tamen circa illud versari, tanquam circa motiuum formaliter, vt probo in tomo 4. de fide.

44. Tertium fundamentum est. Dispositio ad formam debet esse eiusdem ordinis cum forma, ad quam disponit: sed forma iustificationis, ad quam disponit attritio cum sacramento consequendam, est ordinis supernaturalis quoad substantiam; ergo etiam attritio debet esse ordinis supernaturalis quoad substantiam. Minor supponitur vt certa. Maior constat inductione in omni dispositione naturali, in qua semper dispositio est eiusdem ordinis cum forma, ad quam disponit. Huius ratio à priori est, quia semper dispositio solet esse proprietas formæ, cuius est dispositio: proprietas autem est eiusdem ordinis cum forma, cuius est proprietas.

Dispositio semper solet esse proprietas formæ ad quam disponit.

45. Quartum

45. Quartum fundamentum est. Ea dispositio est sufficiens ad iustificationis gratiam, cum sacramento pœnitentiæ consequendam, quæ sufficienter retractat peccatum in hoc statu commissum: atqui dispositio, quæ sufficienter retractat peccatum in hoc statu commissum, est ordinis supernaturalis quoad substantiam; ergo. Maior constat: nam, vt dispositio sit sufficiens ad effectum huius sacramenti obtinendum, debet tollere obicem: tollitur autem obex per sufficientem retractationem peccati. Minor verò probatur: nam peccatum in hoc statu commissum non solùm dicit auersionem à Deo fine naturali; sed etiam fine, & authore supernaturali: ergo nisi hæc auersio tollatur per oppositam conuersionem, non sufficienter tollitur obex, qui sacramenti effectum impedit: nunquam enim sufficienter tollitur obex, quamdiu non retractatur omnis voluntaria auersio à fine, in peccato inclusa: atqui hæc retractari non potest per actum ordinis naturalis, cùm hic non se extendat ad obiectum, & finem supernaturalem.

Obex gratiæ tollitur per sufficientem retractationem peccati.

46. Ad fundamentum primæ sententiæ, negatur antecedens, vt constat ex dictis. Nam nec auxilium ordinis naturalis est sufficiens principium tollendi adæquatè auersionem, quam peccatum includit; nec producendi dispositionem eiusdem ordinis cum forma, ad quam disponit. Cęterùm motiua, quæ Trident. pro attritione sufficiente ad hoc sacramentum assignat, non sunt ordinis naturalis, sed supernaturalis.

47. Ad secundum neganda est minor. Ad cuius probationem, negandum est, quemlibet dolorem sufficere ad sacramantalem accusationem, quæ præcedere debet absolutionem in hoc sacramento; sed illum necessariò debere esse adæquatè retractatiuum offensæ contra Deum. Etenim cùm hoc sacramentum essentialiter sit reconciliatiuum peccatoris cum Deo; cumque ad reconciliationem requiratur, vt offendens non solùm recognoscat, & fateatur suam offensam; sed etiam illam sufficienter retractet, necessariò cum accusatione, & confessione delicti præcedere debet sufficiens offensæ retractatio, ac detestatio.

48. Ad tertium negatur consequentia: tum quia opera bona, ex speciali auxilio ordinis naturalis à iusto facta, accipere possunt condignitatem ad præmium ab ipsa persona iusti, qui per gratiam habitualem supponitur amicus, & filius adoptiuus Dei: quam condignitatem accipere non possunt opera bona ordinis naturalis facta à peccatore. Tum quia esto huiusmodi opera, vt coniuncta cum meritis Christi medio speciali auxilio ordinis naturalis, ex quo procedunt, acceptentur à Deo ad aliquod præmium: negandum tamen est, eadem esse condignam dispositionem ad gratiam iustificationis cum sacramento. Ratio discriminis est; quia præmium magis pendet à voluntate præmiantis; quàm ex natura actus meritorij; cùm præmium principaliter fundetur in liberalitate præmiantis. Contrà verò dispositio magis pendet ex intrinseca natura actus; quàm ex extrinseca voluntate instituentis. Esto igitur attritio ex speciali auxilio ordinis naturalis elicita possit esse meritum, saltem remotum ad præmium aliquod supernaturale; nego tamen, posse esse dispositionem ad gratiam iustificationis: quia dispositio connaturaliter requirit vnitatem ordinis cum forma, ad quam disponit. Cùm igitur ex Tridentino attritio pœnitentis debeat esse dispositio ad gratiam iustificationis cum hoc sacramento impetrandam, non poterit esse sufficiens, nisi sit ordinis supernaturalis quoad substantiam.

49. Ad quartum negandum est, per opera bona moralia, ex speciali auxilio ordinis naturalis tantùm facta, nos posse omnia mandata Diuina adimplere. Nam pręcepta supernaturalia de actibus Fidei, Spei, Charitatis, & contritionis, adimplere non possumus per actus, ex speciali tantùm auxilio ordinis naturalis elicitos. Cùm igitur præceptum confessionis essentialiter includat præceptum pœnitentiæ supernaturalis quoad substantiam, vt iam probatum est, non possumus hoc præceptum, saltem vt diuinum, sola pœnitentia naturali quoad substantiam adimplere. Dixi *saltem vt Diuinum*: nam vtrum saltem vt Ecclesiasticum adimplere possimus pœnitentia naturali, dicemus infrà.

Per opera bona moralia ex speciali auxilio ordinis naturalis tantùm facta, non possumus omnia mandata diuina implere.

50. Ad quintum: esto opus morale, auxilio ordinis naturalis factum, sit aliqua dispositio remota ad gratiam extra sacramentum: nego tamen illud sufficere ad dispositionem proximam cum sacramento, ob rationes assignatas. Nec sacramentum supplere potest, quod ex parte actus vel essentialiter, vel saltem connaturaliter requiritur.

51. Ex dictis infertur primò, neque dolorem de peccatis propter Deum Authorem naturæ elicitum, esse sufficientem cum hoc sacramento, ad gratiam iustificationis obtinendam: tum quia talis dolor non est sufficiens ad detestandam auersionem contra Deum Authorem supernaturalem: tum quia, cùm sit quoad substantiam naturalis, vt suppono ex 3. tomo disp. 26. sect. 6. non poterit esse proportionatus, & eiusdem ordinis cum gratia, ad quam deberet disponere.

52. Infertur secundò, iuxta sententiam affirmantem ad iustificationem, peccatoris necessariam esse retractationem peccatoris, etiam de potentia absoluta, non posse peccatorem, neque per diuinam potentiam cum sola attritione ordinis naturalis in hoc sacramento iustificari, vt constat ex ijs, quæ docuimus tertio tomo disp. 32. sect. 2. Quocirca miror Sotum contrarium docuisse; cùm tamen expressè sentiat, retractationem peccatoris necessariam esse etiam de potentia absoluta ad peccatorum iustificatio-

nem. Vt nos etiam ibidem cum ipso & S. Thoma docuimus.

S. Thomas.

SECTIO IV.

An dolor, ad validitatem huius sacramenti requisitus, debeat necessariò confessionem præcedere?

Alensis. Coninck.

53. PRIMA sententia Alens. quarta parte quęst. 18. memb. 5. Coninck disp. 4. dub. 6 & aliquorum apud Palud. in quarto distinctione 17. quæstione vltima ad argumenta, ad primum, affirmantium: quod non solùm de prioritate naturæ; sed etiam temporis docet Coninck. Fundamentum: quia dolor sacramentalis est causa confessionis: non potest autem esse causa confessionis, nisi sit causa ipsius voluntatis confitendi: sed voluntas confitendi tempore pręcedit confessionem; ergo & dolor tempore præcedere debet confessionem. Consequentia clara est: quia quod est priùs causa, est etiam priùs causato. Minor assumpta patet, nam omnis actus humanus exterior immediatè pendet ab interiore voluntate. Igitur non potest dolor esse causa externę confessionis, nisi sit causa internæ voluntatis confitendi. Minor subsumpta constat: nam voluntas confitendi præcedit vt causa confessionem: sed voluntas confitendi, cùm fiat tota simul, necessariò fit in instanti; confessio verò, cùm fiat per motum, necessariò fit in tempore; ergo non solùm natura; sed etiam tempore voluntas confitendi, & consequenter dolor, à quo voluntas confitendi pendet, confessionem præcedit. Maior probatur, quia externa confessio debet esse signum interioris doloris: non potest autem esse signum interioris doloris nisi ab illo procedat, vt effectus à causa: quia actus externi non sunt vera signa voluntatis internæ, nisi ab ea procedant.

54. Confirmatur: quia si confessio peccatorum non deberet esse signum interioris doloris, posset quis narrare sua peccata, & postea conteri, nullo dato signo contritionis, & sic absolui; nam si non debet exterius significari per confessionem, nil refert ad rationem sacramenti, quod per alia signa talis dolor ostendatur: quia sicut hæc signa non sunt pars sacramenti; ita non possunt interno dolori dare esse sacramentale, & cum eo constituere vnum signum sensibile.

Paludanus. Bernardus de Gannaco. Capreolus.

55. SECVNDA sententia Palud. in 4. dist. 17. quæst. vlt. §. *ad secundum dicendum*, Bernard. de Gannaco, quodlibeto 5. quæst. 14. apud Capreolum in 4. distinct. 17. quęst. 2. artic. 3. *Ad argumenta Godofredi:* Capreol. ibidem putantium, dolorem tempore subsequi posse, non solùm confessionem; sed etiam absolutionem: quia licet attritio naturaliter præcedat confessionem; non tamen essentialiter. Fundamentum est: quia non minùs de essentia huius sacramenti est confessio; quàm attritio: sed valida est confessio præsens, in virtute attritionis præteritæ; ergo & attritio præsens, in virtute confessionis præteritę. Idem argumentum fit de satisfactione; quæ non minùs, quàm confessio, & dolor integrat sacramentum pœnitentiæ; & tamen subsequi potest confessionem.

Canus. Suarez. Vasquez.

56. TERTIA sententia Cani relect. de sacramento pœnitentiæ parte 6. §. *præterea vt etiam paulo ante argumentabamur*, Suarez disp. 20. sect. 4. num. 31. Vasquez, quæst. 92. art. 2. dubio vnico, num. 17. asserentium, dolorem non necessariò præcedere, vel comitari confessionem; sed posse illam subsequi ante, vel in ipsa absolutione: nam hoc sufficit, vt confessio formata subsequente dolore pœnitentem subijciat Sacerdotali sententiæ.

Durandus.

57. DICO 1. Attritio per se debet necessariò absolutionem præcedere, est Durandi in 4. distinct. 18. quæst. 2. num. 6. Fundamentum huius sententiæ est: quia absolutio sacramentalis est per modum sententiæ iudicialis, quæ necessariò supponit accusationem rei: accusatio autem rei in hoc iudicio integratur ex confessione, & dolore pœnitentis: quia cùm sit iudicium voluntarium, & reconciliatiuum peccatoris cum Deo, de necessitate supponit vtrumque: quia nec sine notitia peccatorum, potest Sacerdos pœnitentem absoluere; nec sine cognitione doloris, eundem cum Deo reconciliare. ex quo patet discrimen inter hoc, & reliqua sacramenta, quorum materia non debet necessariò præcedere formam, vt Baptismi, Confirmationis, Ordinis, Matrimonij, Extremæ-Vnctionis, quæ valida sunt, siue materia præcedat, siue subsequatur formam; Nam hæc non sunt per formam Iudicij. Dixi *per se:* quia fieri potest, vt quis ante absolutionem doleat, sed insufficienter ex ignorantia inculpabili: & tunc si sufficientem dolorem eliciat initio absolutionis, vel etiam in termino prolationis formæ essentialis vel integralis, recipit gratiam sacramentalem, vt constat ex disp. præcedente sect. 1.

58. DICO 2. Non necessariò debet attritio tempore, vel natura præcedere confessionem; licet illa tutior sit, & practicè sequenda. Posterior pars patet. priorem probo, tum ex vsu prudentum confessorum, qui, post audita peccata, pœnitentes excitant ad dolorem, & propositum imposterum non peccandi; quod frustra fieret, si contritio deberet confessionem præcedere: tum quia non videtur Christus rigorosiùs peccatores ad reconciliationem per hoc sacramentum impetrandam obligare; quàm homines ipsi obligant alios homines ad remissionem offensæ obtinendam: sed homines communi-

ter

ter solent ad iniuriam remittendam esse contenti, vt offendentes, post agnitam ab ipsis offensam, aliqua signa displicentiæ, & retractationis ostendant. Ergo pariter Deus nostris peccatis offensus, contentus erit ea remittere, si illa agnoscamus, & confiteamur coram legitimo ministro, & postea signum aliquod interni doloris ostendamus. Tum quia potest interdum pœnitens necessitari priùs sua peccata confiteri, quàm conteri: vt si dubitet, voce destitui, vel prohiberi, ne loquatur: in quo casu posset priùs confiteri; deinde atteri. Tum maximè, quia nihil fit contra essentiam, & finem huius sacramenti: est enim hoc per se institutum ad reconciliandum peccatorem cum Deo per voluntariam accusationem sui coram legitimo iudice: quod æquè fieri potest, siue contritio præcedat, siue subsequatur confessionem. Eadem enim confessio non solùm informari potest contritione antecedente, vt causa; sed etiam subsequente, vt effectu voluntariæ recompensationis de illata offensa contra Deum.

59. Ad fundamentum primæ sententiæ, neganda est maior; essentialiter loquendo: nam possunt tam confessio, quàm dolor, imperari à voluntate recompensatiua peccatoris, penes quam hæc erunt connexa, vt effectus mediatus, & immediatus in ordine ad perfectam recompensationem peccatorum. Ad probationem primùm dico: non opus esse, vt dolor internus significetur per ipsam confessionem; sed potest significari per alia signa post confessionem, vt per pectoris tunsionem, aut petitionem absolutionis, vel per aliud simile: vt constat de ijs, qui absoluuntur per signa. Quare falsum est, in hoc sacramento solam confessionem dare sensibilitatem interno dolori: cùm omnia ex intentione pœnitentis ordinari possint ad manifestandum internum dolorem. Secundò, nego, non posse confessionem esse signum interioris doloris, nisi ab eodem immediatè procedat: nam potest esse signum, vt effectus immediatus cum mediato ex intentione pœnitentis.

60. Ad confirmationem, potest concedi, & negari sequela. Concedi quidem potest, quoniam ipsa confessio peccatorum, facta cum intentione de dolore mox eliciendo, est sufficiens signum interioris doloris. Negari verò potest: quia posset pœnitens post confessionem peccatorum atteri, & aliquod huius attritionis signum dare: quod vt manifestatiuum interni doloris, faceret vnum cum illo: vnde non tantùm confessio; sed alia etiam signa externa ex intentione pœnitentis possunt esse manifestatiua interioris doloris: sicut non tantùm confessio propria voce pœnitentis prolata, est signum peccatorum; sed etiam nutus, scriptum, interpres.

Non solùm confessio est manifestatiua interioris doloris.

61. Est autem notandum, dupliciter posse peccatorem sine antecedente; vel comitante dolore sua peccata confiteri: Vno modo non solùm sine antecedente dolore; sed etiam sine proposito dolendi, saltem post confessionem peccatorum: Alio modo cum proposito saltem dolendi post peccatorum confessionem ante absolutionem. Hoc posteriori modo, citra omne dubium, puto valere confessionem, si statim post confessionem ante finitam absolutionem integralem sequatur dolor: quia tunc confessio procedit à voluntate sufficiente ad sacramentum: quia procedit à voluntate, si non actu eliciente, saltem elicitura dolorem intra terminos, intra quos validè elici potest; & ex intentione confitentis est signum doloris moraliter præsentis, & connexi cum confessione.

Duplex modus confitendi sine dolore antecedente.

62. Maior difficultas est de priori modo, an etiam tunc sufficiat elicere dolorem de peccatis confessis sine proposito dolendi, saltem post confessionem; an potiùs debeat iterari confessio, tanquam substantialiter inualida. Quòd sit iteranda confessio, hæc ratio videtur suadere: quoniam prior voluntas fuit in sufficiens ad essentiam sacramenti: nam hoc saltem requirit voluntatem cum proposito dolendi intra terminos, intra quos dolor sacramentalis elici potest: ergo necessariò erit repetenda. Consequentia patet: quia quod essentialiter in sacramento requiritur, nequit sine illo sacramentum confici. Nec sufficit, vt solùm virtualiter hæc voluntas confitendi peccata repetatur seu suppleatur per subsequentem dolorem. Tum quia, quod fuit inualidum, non potest per subsequentem actum validari. Tùm quia, si Sacerdos absque intentione protulit formam absolutionis, aut verba consecrationis, aut quamcunque aliam formam sacramentalem, non sufficit, vt postea virtualiter tantùm illam repetat per internum actum, quo prolatam formam ratificet: sed necessarium est, vt iterum expressè, & formaliter proferantur verba formæ cum attentione, & intentione debita. Ergo nec pariter sufficiet, vt prior voluntas confitendi peccata, quæ fuit inualida defectu propositi dolendi, saltem post confessionem, per subsequentem dolorem virtualiter tantùm repetatur; sed necessarium est, vt iterum formaliter, & expressè repetatur per iteratam confessionem eorundem peccatorum.

Potissima difficultas.

63. Opposita tamen sententia, quæ docet, sufficere virtualem repetitionem per subsequentem dolorem, quo prior confessio peccatorum validetur, probabilior est. Fundamentum est: quoniam ad essentiam huius sacramenti non requiritur, vt voluntas confitendi peccata præcedat ipsam confessionem peccatorum, sed sufficit, si subsequatur in ipso actuali dolore: ergo etiamsi prior voluntas non fuit sufficiens, modò sit sufficiens posterior, quæ additur post confessionem, validum erit sacramentum. Prior consequentia sequitur à fortiori, cùm nullus actus pœnitentis possit esse sufficiens ad sacramentum, nisi procedat ex libera voluntate ipsius. Posterior euidenter sequitur ex priori. Antecedens, in quo est difficultas,

Sententia probabilior.

64. Probatur 1. Si pœnitens accedat cum

expressa voluntate non confitendi sua peccata, nisi cum tali Sacerdote determinato; si post confessa peccata, aduertat illum non fuisse, cui tantùm sua peccata confiteri volebat, non est necessaria formalis, & expressa repetitio peccatorum huic Sacerdoti, vt validè ab illo absolui possit; sed sufficiet, si tantùm eliciat nouum actum, quo velit confessa iam peccata huic Sacerdoti esse subiecta. Pari igitur ratione, si pœnitens accedat cum expresso proposito non dolendi de peccatis post confessionem, non erit necessariò repetenda confessio peccatorum; sed sufficiet, si addatur dolor de peccatis iam confessis, & nouum peccatum, quod fuit commissum de non dolendo, neque post confessionem de peccatis confessis, subijciatur clauibus. Antecedens cum Adriano admittit Suarez disp. 20. sect. 3. n. 3. Consequentia verò probatur: quia non minùs ad essentiam huius sacramenti requiritur in pœnitente voluntas confitendi, & subijciendi sua peccata legitimo ministro, cùm hoc sacramentum sit per modum voluntarij iudicij, in quo necessariò præcedere debet voluntaria subiectio delicti facta à reo huic legitimo iudici; quàm necessaria sit in eodem pœnitente voluntas dolendi de peccatis: igitur si potest illa virtualiter tantùm suppleri per voluntatem subsequentem confessionem peccatorum, poterit & hæc.

Adrianus. Suarez.

65. Secundò. Si pœnitens ebrius, vel phreneticus in ipsa ebrietate, vel phrenesi narret omnia sua peccata coram legitimo ministro, & post illorum confessionem fiat sui compos, aduertatque se omnia peccata dixisse, sufficiet in hoc casu, solùm addere voluntatem, qua narrata peccata liberè subijciantur clauibus, & dolorem, quo illa informentur, vt proxima materia sacramentalis absolutionis. Ergo pariter sufficiet, post confessa peccata cum proposito non dolendi de illis, addere dolorem, & confessionem noui peccati in ipsa confessione admissi.

66. Tertiò. Non minùs ad essentiam huius sacramenti requiritur expressus, & formalis dolor de peccatis, quàm propositum ipsum dolendi: igitur si potest formalis dolor suppleri post confessionem, poterit & ipsum dolendi propositum post eandem confessionem suppleri. Suppletur autem per ipsummet actualem dolorem, quo pœnitens simul de confessis peccatis dolet, & præcedentem voluntatem de non dolendo retractat.

67. Quartò probatur ratione à priori, quæ simul erit disparitas, cur absolutio, consecratio, aut cuiusuis alterius sacramenti forma sine intentione prolata non sufficiat, vt virtualiter tantùm repetatur; sed debeat formaliter, & expressè eadem cum debita intentione iterari. Ratio autem est: quoniam voluntas in confessione sacramentali est tantùm ratio applicans, & subijciens peccata Sacerdoti, vt in ea decretoriam sententiam ferre valeat. Intentio verò in quauis forma sacramentali, est ratio formaliter integrans, & principium proximum eliciens ipsam formæ enunciationem. Non enim forma sacramenti sunt verba, materialiter tantùm accepta, secundùm externum sonum, & formalem significationem, quam penes audientes habent ex voluntate instituentis; sed vt humano modo prolata, cum debita attentione, & intentione faciendi, quod verba ipsa significant. Quo pacto inuoluunt actum ipsum ministri, non vt conditionem applicantem verba ipsa significatiua formæ sacramentalis; sed vt principium proximè, & moraliter eliciens ipsam sacramentalis formæ prolationem. Quod enim à Christo assumitur vt instrumentum suæ passionis, ad gratiam sacramentalem causandam, non sunt verba materialiter sumpta: alioqui à quocunque & quandocunque prolata semper validè sacramentum efficerent: sed est actio ipsa libera ministri, humano modo expressiua, & enunciatiua formæ: vnde necessariò includit voluntatem ministri tanquam principium moraliter eliciens ipsum actum enunciatiuum formæ. Contrà verò, quod in confessione principaliter attenditur, sunt peccata, tanquam materia, in quam cadere debet iuridica absolutio Ministri, & consequenter siue ea applicentur, & subijciantur legitimæ potestati iudicis per actum antecedentem, siue per concomitantem, siue per subsequentem confessionem peccatorum, semper valida erit confessio: quia per quemcunque actū sufficienter peccata pœnitentis applicantur, & subijciuntur legitimo ministro, vt in ea possit sacramentalem sententiam ferre. At verò nisi verba formæ, cum debita attentione, & intentione, sint à legitimo ministro prolata, fieri non potest, vt per subsequentem actum fiant debitè prolata: cùm subsequens actus nequeat esse principium humano modo eliciens præcedentem actum enunciatiuum formæ.

Disparitas inter absolutionem, consecrationem, & cõfessionem.

68. Confirmatur. Si quis ante ebrietatem sufficientem habuit voluntatem confitendi, & postea in ipsa ebrietate confessus est, validè absolui potest: ergo è contrario, si quis, confitendo sua peccata coram legitimo iudice, non habuit sufficientem voluntatem ad sacramentalem confessionem requisitam, si illam addat post confessa peccata, poterit validè absolui. Antecedens non negatur. Consequentia verò probatur: Nam ita se habet præsens voluntas respectu præteritæ confessionis, sicut voluntas præterita respectu confessionis præsentis; vtraque enim est ratio tantùm applicans, & subijciens peccata legitimo ministro: igitur si potest præsens confessio esse valida in virtute præteritæ voluntatis: poterit & præterita confessio fieri valida vi præsentis voluntatis.

69. Contrà verò si Sacerdos, vel ante ebrietatem habuit voluntatem absoluendi, & postea in ipsa ebrietate absoluit pœnitentem, antea sibi legitimè confessum: vel in ebrietate absoluit, & post ebrietatem elicit actum, quo ratam habuit absolutionem in ebrietate impensam, inualida est absolutio. Et eadem ratio est

Ad formæ prolationem requiritur voluntas proferentis, vt principiũ moraliter influens.

tio est de quacunque alia forma sacramentali in ebrietate, vel in phrenesi prolata. Cuius euidens signum est, ad formæ prolationem requiri voluntatem proferentis, vt principium proximè influens, & humano modo eliciens actum ipsum enunciatiuum formæ. Contrà verò ad confessionem peccatorum voluntatem confitentis solùm requiri vt conditionem applicantem & subijcientem peccata Ministro.

70. *Obijcies.* Hinc sequeretur, validum esse Baptismum, & confirmationem, etiamsi Baptizans, & confirmans, quando materiam applicant, habeant intentionem non conficiendi sacramentum, modò intentionem habeant, quando formam enunciant. Resp. duplicem esse materiæ applicationem in sacramentis; Alteram, quæ à Ministro supponitur, & in forma sacramenti non exprimitur; qualis est applicatio materiæ in sacramento Eucharistiæ, Ordinis, & Pœnitentiæ: Alteram, quæ applicatur ab ipso Ministro, & in forma à Ministro proferenda exprimitur: vt in sacramentis Baptismi, Confirmationis & Extremæ-Vnctionis. In quorum formis exprimitur applicatio ipsa materiæ. Posterior materia debet cum eadem antecedente intentione à Ministro applicari, atque applicatur, & profertur forma ipsa: tum quia talis applicatio exprimitur in forma, proinde debet ex eadem antecedente intentione elici, atque informari: tum quia ad sacramentum integrandum non assumitur materia secundùm se, exempli causa, aqua, oleum; sed actio ipsa abluendi, & vngendi; quæ necessariò requirit liberam voluntatem Ministri, vt principium influens, & eliciens, ac moraliter informans talem actionem: quippe quæ ad sacramentum non assumitur, nisi vt humana. Prior verò materia, cùm non necessariò applicari debeat à Ministro: quippe quæ applicari potest ab alio, vt panis, & vinum in Eucharistia, calix cum vino & patena cum hostia in Presbyteratu, applicari potest ab alio, quàm à consecrante, & ordinante, non requirit voluntatem Ministri; sed sufficit voluntas proferendi formam supra materiam ab alio applicatam. Imò neque talis materiæ applicatio requirit voluntatem applicantis: nam etiamsi qui illam applicat, non habeat voluntatem, vt per illam sacramentum conficiatur, modò sufficientem voluntatem habeat ipse minister, qui sacramentum conficit, validum erit sacramentum. Confessio autem peccatorum, cùm non sit materia applicanda à Ministro, nec talis applicatio in forma absolutionis exprimatur, sed supponatur, non requirit voluntatem absoluentis; requirit tamen voluntatem confitentis, qui suo actu ad sacramentum integrandum concurrit; non requirit tamen illam vt principium eliciens; sed vt conditionem applicantem.

71. Infertur 1. Si quis in prolatione primi, vel secundi verbi formæ sacramentalis non habuit intentionem, etiamsi habuerit in reliquis subsequentibus verbis, sacramentum forè nullum, & totam formam esse repetendam. Nam singula verba formæ debent exprimi cum debita intentione. Vnde si vel vnum proferatur cum positiua intentione per illud non conficiendi sacramentum, non sufficit ad validitatem sacramenti, vt subsequentia verba proferantur cum debita attentione: nisi tota forma cum eadem intentione proferatur. Nec sufficit sola virtualis repetitio prolationis verbi præcedentis per formalem intentionem verborum subsequentium. Nam sicut non sufficit virtualis repetitio totius formæ præcedentis per formalem intentionem, qua præcedens forma absque intentione prolata ratificetur: ita nec sufficiet virtualis repetitio verbi præcedentis sine intentione prolati per formalem intentionem verborum subsequentium, qua præcedens verbum absque intentione prolatum ratificetur: cùm non possit subsequens intentio esse principium eliciens prolationem verbi præcedentis: quod ad prolationem formæ sacramentalis, & singulorum verborum requiritur, vt supra probatum est. Dices: ergo neque erit valida forma essentialis sacramenti prolata sub conditione, vt non in ea, sed in subsequentibus verbis accidentaliter adiunctis fiat sacramentum, contra ea, quæ diximus disp. præcedente sect. 1. Respondeo negando consequentiam. Etenim dupliciter potest forma sacramenti sub conditione proferri; vno modo, vt non per verba essentialia, sed per accidentalia conficiatur sacramentum: alio modo, vt per ipsa verba essentialia sacramentum conficiatur, non tamen eo tempore, quo ipsa proferuntur, sed tempore subsequenti, quo proferuntur verba accidentalia. Primo modo prolata forma, inualida est, quia sine debita intentione prolata est. Secundo, valida est, quia per eam intenditur confici sacramentum: quod sufficit, vt intentio ministri in illam influat, etiam quando eam profert: nam etiam quando eam profert, profert cum intentione per eam sacramentum conficiendi, licet non in prolatione verborum essentialium, sed accidentalium. Quare dispar est ratio, quando minister, vel nullam, vel oppositam habuit intentionem, quando verba essentialia formæ pronuntiauit, quia tunc defuit principium humano modo influens in ipsa verba essentialia: proinde non potuerunt esse idonea ad sacramentum conficiendum, quia hoc non conficitur, nisi ex verbis humano modo prolatis.

72. Infertur 2. Si quis totam formam protulit, cum debita intentione, & postea ante ipsam applicationem materiæ, priorem intentionem reuocet, non esse necessum, iterum præcedentem formam repetere; sed sat esse, per subsequentem actum illam virtualiter tantùm repetere: Quia cùm iam supponatur debitè elicita & informata præcedente intentione, poterit per subsequentem actum ratificari, ac virtualiter tantùm repeti: quia tunc non acciperet à subsequenti actu, nisi solam

applicationem: cùm per præcedentem actum supponatur habere formalem intentionem.

Obiectio. 73. Dices: ergo similiter si pœnitens sufficientem elicuit dolorem, & postea illum ante confessionem retractet, sufficiet, vt illum ante absolutionem virtualiter tantùm renouet, absque alio nouo dolore. Respondeo negando sequelam. *Soluitur.* Ratio discriminis: quoniam dolor est pars sacramenti, quatenus est actus proprius ipsius pœnitentis: nam assumitur ad sacramentum, vt est dispositio pœnitentis: vnde semel à pœnitente retractatus, non manet ampliùs vt pars sacramenti, cùm non possit manere vt pars sacramenti, nisi maneat, vt actus, & dispositio pœnitentis; cùm autem retractatur à pœnitente, non potest manere ampliùs vt actus & dispositio pœnitentis. Actus verò proferendi formam sacramentalem concurrit ad sacramentum, non vt actus personalis ministri proferentis; sed vt instrumentum Christi, per illum tanquam per instrumentum suæ passionis principaliter operantis. Quod inde constat: quia si dolor pœnitentis inficiatur aliqua malitia, non erit amplius sufficiens ad sacramentum integrandum: erit autem sufficiens ad sacramentum integrandum actus proferentis formam sacramentalem, etiamsi ille propria malitia priuatæ personæ proferentis inficiatur, eò, quòd non vt actus proferentis; sed vt actus Christi per suum Ministrum operantis, ad sacramentum assumitur. Ex hoc sequitur, talem actum, etiamsi à Ministro retractetur, adhuc manere vt instrumentum Christi, per illud operantis: ac proinde, vt validè possit ad sacramentum concurrere, non egere vt formaliter iteretur per nouam formę prolationem: cùm iam supponatur tota forma per præcedentem intentionem debitè prolata, quæ intentio, vt instrumentum Christi, non est per actum ministri retractata; sed solùm eget, vt per nouam voluntatem eiusdem ministri præcedens prolatio formę liberè applicetur.

Ad fund. opp. sent. 74. Ex his patet ad fundamentum oppositę sententiæ, & ad omnes eius probationes. Neque nos dicimus, per subsequentem voluntatem, validari priorem, qua pœnitens inualidè confessus est sua peccata, sed addi nouam voluntatem, quæ validè & sufficienter applicet, & subijciat eadem peccata, quæ priori voluntate non fuerunt validè, & sufficienter applicata, & subiecta: cùm illa non necessariò poscant applicari, & subijci à voluntate antecedente; sed possint etiam à voluntate subsequente, vt ostensum est.

75. Diluto fundamento primæ sententiæ: ad cuius plenam conuulsionem hæc omnia disputauimus; diluitur fundamentum secundæ, cuius distinguenda est minor: valida est confessio pręsens, vi attritionis pręteritæ existentis intra terminos, intra quos validè elici potest, concedo; non existentis intra terminos, intra quos validè elici potest, nego: eadem ratione valida est attritio præsens, vi confessionis existentis intra terminos, intra quos validè exerceri potest, concedo. Attritio autem elicita extra totam absolutionem, non existit intra termimos sphæræ sacramenti, ob rationem assignatam: quia nimirum debet sacramentalis absolutio per se supponere dolorosam accusationem Rei. Nec est eadem ratio de satisfactione, quę non est pars essentialis; sed tantùm integralis huius sacramenti.

76. Ex dictis definitur, quanto tempore possit pœnitens ante confessionem elicere attritionem, tanto scilicet, quanto arbitrio prudentis censeatur facere vnum compositum morale cum ipsa confessione, & absolutione. Cùm enim omnes isti actus essentialiter concurrant ad constituendum sacramentum Pœnitentię; cumque de ratione partium componentium sit aliqua coniunctio inter ipsas, vt omnes isti actus censeatur constituere vnum compositum morale sacramentale, debent aliquam inter se coniunctionem habere, quæ non potest aliter definiri; quàm arbitrio prudentis viri.

77. Dices 1. Sufficit, vt confessio peccatorum vno, vel altero mense præcesserit, *Instantia.* vt possit cum præsente dolore, & absolutione componere vnum sacramentum: ergo etiam sufficiet, vt dolor vno, vel altero mense pręcesserit, vt possit cum præsente confessione, & absolutione componere vnum sacramentum: cùm non minùs ad compositionem huius sacramenti requiratur confessio peccatorum; quàm dolor de eisdem.

78. Secundò. Si pœnitens post elicitum dolorem de peccatis incidat in phrenesim vnius anni, vel in somnum vnius mensis; posset post phrenesim vnius anni, vel somnum vnius mensis absolui à peccatis, in virtute præteriti doloris: cùm tamen talis dolor non censeretur moraliter pręsens cum confessione peccatorum, & absolutione Ministri, quæ post annum, vel mensem fierent. Ergo non necessariò debet dolor, ad hoc sacramentum requisitus, esse moraliter coniunctus cum reliquis partibus pœnitentiæ.

79. Respondeo ad primum, distinguendo *Soluitur.* in confessione duo; & peccata, quæ tanquam materia absoluenda legitimo Ministro proponuntur; & actus ipse confitentis, quo sua peccata subijcit clauibus, ab eisque absolutionem petit. Quoad primum confessio præcedere potest multo tempore ante: modò absoluens, quando absoluit, sit illorum memor. Quoad secundum verò debet esse moraliter pręsens cum reliquis partibus essentialibus sacramenti. Ratio discriminis est: *Peccata non sunt pars constituens sacramentum, sed materia remouenda.* quoniam peccata ad hoc sacramentum non concurrunt vt pars constituens; sed vt materia remouenda, & abolenda. Vnde sufficit, vt illa tantùm sint in memoria absoluentis, vt ea per sacramentalem absolutionem abolere, ac remittere possit. Contrà verò actus confitentis, quo sua peccata subijcit clauibus, ab eisque absolutionem petit essentialiter integrat hoc sacramentum, & consequenter, nisi sit moraliter præsens cum

reliquis

reliquis partibus, non poterit sacramentum componere. Quare etsi necessarium non sit, vt pœnitens peccata, quæ ante mensem confessus est, iterum confiteatur, vt ab illis valeat absolutionem obtinere; necessarium tamen est, vt saltem illa de nouo subijciat clauibus, per aliquod externum signum, quo ab illis sacramentalem absolutionem petat.

80. Ad secundum neganda est consequentia: nam in tali casu dolor paulò ante phrenesim, vel somnum elicitus, non supponitur in ipsa phrenesi, vel somno interruptus per contrarios disparatosque actus humanos, cùm nullus actus humanus phreneticus, vel dormiens exercere possit: & consequenter etiam immediatè post phrenesim, vel somnum talis dolor esset moraliter præsens confessioni, & absolutioni: nam tam diu ille censetur esse moraliter præsens cum reliquis partibus sacramenti; quamdiu ab illis non manet per alios actus humanos intermedios disiunctus, ac separatus. Vnde si ante, vel post somnum, aut phrenesim dolor fuit per alios actus humanos moraliter interruptus, debet iterum renouari per alium dolorem à priori distinctum. Nec sufficeret in eo casu ratum habere priorem dolorem iam interruptum: quia cùm ille non sit moraliter coniunctus præsenti confessioni, & absolutioni, neque per talem ratificationem fiat moraliter præsens, non poterit sola ratificatio esse sufficiens ad huius sacramenti validitatem, quod essentialiter requirit dolorem moraliter præsentē, & coniunctū cū reliquis sacramenti partibus.

SECTIO V.

An si pœnitens post dolorem, nouum peccatum committat, nouum debeat dolorem elicere cadentem super omnia, an sufficiat de nouo tantùm peccato commisso dolere?

81. HAnc difficultatem sub his terminis expressam apud nullum authorem legi: propterea nullum pro ea citabo. Cæterùm per se digna est, quæ Scholastico examine disceptetur.

1. Sentent.

82. PRIMA sententia esse potest, nullum requiri dolorem; sed sufficere priorem, ante nouum commissum peccatū elicitum. Fundamentum: quia ille idem virtute extendebatur ad omnia peccata, & cōsequenter etiam ad nouum commissum: sed per nouum commissum non est ille abolitus: igitur prior dolor sufficiet, nō solùm pro præteritis, sed etiā pro præsenti peccato de nouo commisso.

2. Sentent.

83. SECVNDA sententia affirmat, saltem nullum requiri nouum dolorem, si prior, quo pœnitens sua peccata detestatus est, fuit cōtritio. Fundamentum esse potest: quia contritio per sequens peccatum nō extinguitur; sed adhuc manet in diuina acceptatione: ergo adhuc poterit esse dispositio pro nouo peccato ad gratiam in sacramento pœnitentię impetrandam. Cōsequentia constat: quia contritio vi sui motiui formalis se extendit ad omnia peccata, & consequenter etiam ad nouum cōmissum: ergo si adhuc post nouum cōmissum illa perseuerat, poterit pro illa esse dispositio ad gratiam obtinendam cum hoc sacramēto. Antecedens verò probatur: nam contritio vi gratiæ iustificantis, quam secū ex diuina promissione affert, fit opus viuum, & meritū condignū coram Deo: nullum autem opus viuū, & de se condignum coram Deo extinguitur per subsequens peccatum: alioqui non posset illud redire, remisso peccato, sicut non possunt redire opera mortua, facta in peccato.

84. TERTIA sententia docet, requiri nouum dolorem cadētem super omnia peccata, etiam super ea, quæ priori dolore fuit quis detestatus. Fundamentū est: quia subsequens peccatū retractat priorem dolorem, illumque penitus extinguit: igitur opus est nouo, cadēte super omnia peccata: cùm nullum peccatum possit esse materia sacramentalis absolutionis, nisi sufficienti dolore detestatum. Pro explicatione huius controuersiæ,

84. Notandū, hanc quęstionem esse posse tam de dolore peccatorum mortalium, quàm venialiū; nec non tā de nouo peccato mortali cōmisso post dolorē de mortalibus, & venialibus pręteritis; quàm de nouo tantùm veniali cōmisso post dolorē de venialibus pręteritis. In vtroque enim casu proposita controuersia aliquid habet difficultatis. Quibus adnotatis,

86. DICO I. Si prior dolor fuit vniuersalis cadens super omnia peccata, siue fuerit attritio, siue contritio; siue de mortalibus, siue de venialibus tantùm, repetendus est nouus dolor, qui non solùm cadat super peccatum præsens mortale de nouo commissum; sed etiam super omnia mortalia præterita, non autem super omnia venialia; sed sufficit, si cadat super vnum tantùm veniale, si nullum sit mortale. Fundamentum est: quia talis dolor per quodlibet peccatum subsequens retractatur: atqui sine dolore nequit hoc sacramentum confici: igitur necessarius est nouus dolor, qui non solùm cadat super præsens peccatum mortale de nouo commissum; sed etiam super omnia præterita mortalia; non autem super omnia venialia: quia sicut hæc non tenemur confiteri; ita ea possumus sine debito dolore Sacerdoti manifestare, non ad eorum absolutionem petendam; sed ad maiorem nostri confusionem, & erubescentiam, modò ad validitatem sacramenti de aliquo sufficientem dolorem afferamus. Minor constat ex disputatis. Maior probatur: nam dolor, qui ex suo motiuo cadit super omnia peccata, suaptè natura opponitur omnibus, & singulis peccatis: ergo à quolibet virtualiter retractatur. Consequentia patet: nam tunc vnus actus virtualiter retractatur, quando ponitur alter actus priori incompossibilis. Ideò enim

Quando actus virtualiter retractatur.

enim per contritionem vel dilectionem Dei super omnia retractamus, saltē virtute omnia peccata mortalia: quia cōtritio, & dilectio Dei super omnia suaptè natura est incōpossibilis cum quolibet peccato mortali. Antecedens probatur: nam dolor, qui ex proprio motiuo formali cadit super omnia peccata, detestatur omnia secundùm eandem rationem formalem indiuisibilem; quia detestatur illa per suam rationem specificam, desumptam ex eodem motiuo formali, quod reperitur in quolibet peccato. Igitur non potest hæc ratio detestatiua peccati retractari, & deleri respectu vnius peccati, quin retractetur, & deleatur respectu omnium, cùm eadem ratio sit detestatiua vnius, atque omnium. Confirmatur: quia sicut nequit contritio ex suo motiuo formali detestari vnum peccatum mortale, quin ex eodem detestetur omnia: ita è conuerso nequit secūdùm eandem rationem formalem desumptam ex eodem motiuo existente in omnibus peccatis retractari, & deleri respectu vnius peccati, quin retractetur, & deleatur respectu omnium.

87. Dico 2. Etiamsi prior dolor de peccatis non fuerit vniuersalis de omnibus; sed proprius, & particularis de singulis, adhuc ad validitatem sacramenti, post nouum peccatum, requiritur nouus dolor, cadens super omnia. Fundamentum huius assertionis est duplex. Primum: quia per peccatum subsequens saltem moraliter interrumpitur prior dolor de peccatis præteritis; & consequenter non potest ampliùs componere vnum sacramentum cum præsenti confessione, & absolutione: quoniam ad hoc requiritur moralis coniunctio inter partes componentes. Antecedens probatur: nam peccatum subsequens non modò est actus disparatus, interrumpens moralem connexionem inter præcedentem dolorē de peccatis cōfitendis, & subsequētem absolutionem sacramētalem; verùm è diametro oppositus naturę huius sacramēti, quę postulat remotionē obicis, & affectus peccandi.

88. Secundum: quia dolor ad hoc sacramentum requisitus non solùm includit detestationem de peccatis commissis; sed etiā propositum non peccandi de cætero: vt à Trid. sess. 14. c. 4. expressè definitur. Igitur quodlibet peccatum est tali dolori incompossibile. Consequentia patet: quoniā implicat, aliquem habere efficax propositum de cætero nō peccandi, quale ad hoc sacramentum requiritur: (nam vt ibidem Concilium docet dolor ad hoc sacramentum requisitus, debet excludere voluntatem peccandi:) & simul actu peccare. Igitur quodlibet peccatum est incōpossibile cum dolore ad hoc sacramentum requisito. Ergo per quodlibet peccatum talis dolor retractatur: nam per omnem illum actum retractatur, cum quo ille est incompossibilis.

Concilium Trident.

89. Confirmatur. Dolor ad hoc sacramētum requisitus, est dolor reconciliatiuus peccatoris cum Deo: cùm enim finis huius sacramenti, sit, reconciliare peccatorem cum Deo, vt eadem sess. 14. cap. 3. Trid. testatur, etiam dolor, qui ex parte pœnitentis requiritur, debet esse reconciliatiuus, vt sit proportionatus huius sacramenti fini. Dolor autem reconciliatiuus offendentis cum offenso non solùm debet includere detestationē de illatis offensis; sed etiam propositum de cętero non offendendi; & consequenter excludere debet omnem voluntatem, & affectum ampliùs reconciliandum offendendi.

Concilium Trident.

90. Vnde quando diximus, ad hoc sacramentum nō solùm sufficere dolorem vniuersalem cadentem super omnia peccata; sed etiā proprium, ac particularem multiplicatum super singula peccata, id non intelleximus de dolore particulari, qui virtute saltem non se extendat ad omnia peccata mortalia; nam hoc ipso, quo dolor ad hoc sacramentum requisitus excludit voluntatem peccandi, virtute se extendit ad omnia peccata: sed solùm intelleximus de dolore proprio, & particulari, qui tantùm immediatè, & expressè cadit super vnum peccatum; virtute tamen, & implicitè se extendit ad omnia. Quia nimirum talis est, vt ipsius omnia, & singula peccata mortalia, si menti occurrerent, detestarentur. Bifariam enim possumus vno actu omnia peccata detestari: Vno modo immediatè, & expressè detestando omnia, motiuo vniuersali cadente super omnia: vt quia sunt offensiua Dei, quia sunt priuatiua gloriæ; quia sunt demeritoria pœnæ æternæ: & tunc sufficit vnus tantùm dolor, immediatè cadens super omnia. Alio modo mediatè, & virtute, motiuo expressè quidem, & immediatè cadente tantùm super vnum; virtute tamen, & mediatè extendente se super omnia, vt cùm detestamur peccatum blasphemiæ propter malitiam, & enormitatem ipsius blasphemiæ, interim virtute non excludendo alia peccata, quamuis ea formaliter, & expressè non detestemur: quoniam etsi in ea expressè non tendamus, tendimus tamen virtute, eò, quòd vi talis actus, si reliqua menti occurrerent; etiam formaliter detestaremur. Tametsi neque hoc ipsum explicitè, & signatè tali actu intendamus; sed solùm virtute, & exercitè; quia nimirum talis naturæ est actus, quo malitiam vnius peccati propriā detestamur, vt vi ipsius prorupturi essemus in formalem detestationem reliquorū, eaque vitaturi, si se offerrent cōmittenda. Quando igitur peccata detestamur hoc posteriori modo, debemus per multiplicatos actus, singulos cadentes super singula, ea detestari. Ratio est: quia ad hoc sacramentum non sufficit dolor tantùm virtualis de peccatis memorię pręsentibus, alioqui sufficeret sola dilectio Dei super omnia, quod suprà improbatum est: sed necessarius est dolor expressus, & formalis, vel vnus immediatè cadens super omnia, vel multiplex cadens super singula mortalia.

Bifariam possumus vno actu peccata detestari.

91. Hæc eadem doctrina proportionaliter applicanda est dolori de peccatis venialibus. Nam etiam confessio venialium requirit formalem & expressum dolorem, cū proposito de cętero non committendi illud veniale,

supra quod immediatè cadit dolor. Nam etsi non teneamur de omnibus peccatis venialibus, quæ clauibus subijcimus, dolere; saltem tenemur de aliquo expresse, & formaliter dolere: & de illo procedunt, quæ hactenus de confessione mortalium diximus: nisi quod dolor de vno tantùm veniali non necessariò debeat virtute se extendere ad cætera venialia, cùm circa cætera venialia retinere possimus complacentiam, & voluntatem ea non vitandi: tamen circa illud, cuius dolorem vt partem sacramenti afferimus, debemus habere efficax propositum illud de cætero non committendi. Nam etiam dolor de venialibus debet habere conditiones à Concilio Trident. assignatas, nempe efficax propositum illud non committendi de cætero, & consequenter non solùm exclusionem complacentiæ; sed etiam voluntatem ampliùs talia venialia in specie non committendi. Cuius ratio est: quia talis dolor requiritur vt pars essentialis sacramenti: Siue igitur ille sit de mortali, siue de veniali, semper habere debet naturam doloris, qui ad hoc sacramentum essentialiter requiritur.

Instantia.

92. Dices: ergo eodem modo dolor de venialibus debet saltem virtute se extendere ad omnia, sicut dolor de mortalibus. Resp. negando sequelam: nam hoc est ex speciali ratione mortalium, quorum, quia non potest vnum absque cæteris remitti, necessariò dolor vnius debet, virtute saltem, includere dolorem omnium. Contrà verò, cùm possit vnum veniale, etiam in sacramento, remitti sine alijs, non necessariò dolor vnius debet virtute includere dolorem omnium.

Soluitur.

Vrgetur instantia.

93. Instabis. Iniuriam irrogat sacramento, qui ad illud accedit, sine dispositione, sufficiente ad effectum ipsius: ergo pariter iniuriam irrogat huic sacramento, qui ad illud accedit absque sufficiente dispositione ad remissionem omnium peccatorum, quæ ipsius clauibus subijcit. Ergo etiam dolor de veniabus debet virtute se extendere ad omnia. Resp. negando consequentiam. Etenim qui sine vlla dispositione ad sacramentum accedit, omninò irritat principalem finem, & effectum ipsius; ac proinde magnam iniuriam illi infert, dum illud priuat principali fine, & primario effectu. Contrà verò, qui ad hoc sacramentum accedit cum dispositione sufficiente ad remissionem aliquorum tantùm, & non omnium peccatorum venialium, non irritat illud quoad ipsius primarium finem, & effectum, qui est, gratiam peccatorum remissiuam conferre: proinde nullam iniuriam illi infert. Sicut nullam iniuriam infert alijs sacramentis, qui ad illa non accedit cum maiori dispositione, iuxta quam illa maiorem cōferrent gratiā: cùm non teneamur ad huiusmodi maiorem fructum à sacramētis recipiendum nos disponere: sed solùm, ne sacramenta priuemus suo primario fine, & effectu.

Respondetur.

94. Ex dictis infertur, etiam, qui sola venialia confitetur, si post ipsorum sufficientem dolorem, incidat in aliquod veniale talem dolorem per subsequens peccatum interrumpi; ac proinde renouari debere. Præterea si præcedens dolor, vel fuit vniuersalis cadens super omnia, vel particularis tantùm de vno, cuius simile in specie post dolorem committatur, omninò illum retractari, tanquam incompossibilem cum nouo peccato veniali commisso: Si verò prior dolor de venialibus non fuit vniuersalis cadens super omnia; sed particularis cadens super aliqua tantùm, si post talem dolorem committatur aliquod veniale, supra quod prior dolor non se extendebat, tale peccatum priorem dolorem non retractat: quia cum illo subsequens peccatum non est incompossibile; interrumpit tamen moralem connexionem ipsius cum sacramentali confessione, & absolutione. Hoc autem intelligendum est de peccato veniali aduertenter, & pleno vsu rationis commisso; non autem de veniali ex surreptione tantùm. Hoc enim, probabile est, moralem connexionem cum sacramentali confessione, & absolutione non impedire, cùm hæc non videatur impediri, nisi per interruptionem humano modo factam plena rationis aduertentia. Nec non de veniali, notabili temporis mora intercidente inter præteritum dolorem, & præsentem confessionem, quanquam posset præcedens dolor, si tantùm fuit per subsequens veniale interruptus, & non retractatus; nouo tantùm actu volūtatis applicari, & fieri moraliter præsens confessioni, & absolutioni.

95. Ad fundamentum primæ sententiæ, neganda est minor; cuius negationis ratio constat ex dictis primæ & secundæ assertionis.

96. Ad fundamentum secundæ distinguendum est antecedens: manet talis dolor in diuina acceptatione, vt meritum ad præmium retribuendum, concedo; manet vt dispositio sufficiens ad gratiam sacramentalem impetrandam, nego. Ratio, quia cùm opera viua, in gratia facta, non ex natura sua, vt suprà tum disp. 7. de reditu peccatorum; tum disp. 7. de virtutum reparatione per pœnitentiam vidimus: sed ex diuina misericordia, remisso peccato per pœnitentiam, ad pristinum præmium, ad quod fuerunt ordinata, redeant; cumque authoritate Scripturæ Conciliorum, & Patrum hoc tantùm certum habeamus de operibus viuis in ordine ad præmium; non autem de dolore in ordine ad sacramentum; non rectè ex vno argumentamur ad aliud, cùm hoc nō pendeat ex natura operis; sed ex voluntate Dei, quæ de vno, & non de alio nobis manifestata est. Cęterùm, cur Deus hanc legem seruare voluerit cum operibus viuis in ordine ad præmium, nō autem cum contritione gratia viuificata, in ordine ad sacramentum, hæc ratio assignari potest: quia præmium pendet à voluntate præmiantis; sicut pœna à voluntate punientis. Vnde, vt quis remunerationem pręmij accipiat suo opere condignam necesse non est, vt sciat, tale præmium tali operi esse promissum: sicut neque vt quis pœnam incurrat sua

Cur contritio reuiuiscat & meritum ad præmium, non verò vt dispositio ad sacramentum.

culpa

culpa condignam, requiritur, vt sciat, talem pœnam esse tali culpæ impositam; sed sufficit, vt tam pœna sit tantùm voluntaria radicaliter in culpa; quàm præmium in actu virtuoso. Dolor verò de peccatis cùm ad hoc sacramentum requiratur tanquam actus proprius ipsius pœnitentis, quo commissa peccata detestatur, eoque recompensationem aliquam exhibeat Deo offenso, quę connaturaliter exigit fieri per proprium actum offendentis; cumque hic semel per nouum peccatum retractatus non maneat ampliùs, neque vt proprius actus peccatoris, neque vt obsequium, & recompensatio pro offensa digna Deo (nam hæc debet esse maximè volũtaria, & libera) maior ratio fuit, cur dolor semel peccato retractatus non redeat vt dispositio ad gratiam impetrandam cum sacramento pœnitentiæ, quàm opera viua in gratia facta, & per peccatum mortificata, per condignam pœnitentiam redeant ad pristinum præmium.

SECTIO VI.

An defectus doloris dari possit confessio valida, sed informis?

Quid sit confessionem validam esse & informem.

97. Dicitur confessio valida, sed informis, quæ habet omnia ad substantiam; non tamen ad effectum sacramenti requisita: vt Baptismus validus, & informis est, qui habet omnia requisita ad essentiam Baptismi, non tamen ad effectum. Porrò confessio ex duplici cap. potest esse informis; vel ex parte absoluentis, si absque iurisdictione, aut intentione impendatur absolutio, tunc non solùm erit informis; sed inualida, cùm careat legitima forma, quę est absolutio à legitimo Ministro, cum debita intentione, collata; vel ex parte pœnitentis, & hoc aut ex defectu integritatis, de quo infrà, aut defectu doloris, de quo nunc: Certum autem est, confessionem absque vllo dolore, etiam inuincibiliter ignorato, inualidam esse, & nullam: quia deficit in parte essentiali; nec ignorantia supplere potest materiam essentialem sacramenti. Sola ergo controuersia superest, an quando dolor non est sufficiens ad effectum; possit saltem esse sufficiens ad essentiam sacramenti.

S. Thomas. Durandus. Richardus. Paludanus. Capreolus. Caietanus. Canus. Sotus. Palatius. Syluester. Nauarrus. Petrus Sotus. Henriquez. Valentia. Toletus. Suarez. Nugnez.

98. Prima sententia S. Thomę in 4. dist. 17. q. 3. art. 4. quęstiuncula prima, Durandi q. 13. Richar. art. 2. q. 8. ad 5. Palud. q. vlt. Capreol. q. 2. Caiet. tomo 1. opusc. tract. 5. q. 5. Cani relect. de sacram. Pœnit. p. 6. §. *In quarto argumento principali*, Soti in 4. dist. 18. q. 3. ar. 2. & 3. Palatij dist. 17. disp. 8. Syluestri verbo *confessio* 1. q. 22. Nauarri in sum. cap. 9. n. 10. Petri Soti lect. 8. de confess. informi. Henriquez lib. 5. de Sacramentis cap. 11. Valen. disp. 7. q. 11. punct. 2. Toleti in sum. lib. 3. cap. 10. Suarez disp. 20. sect. 5. Nugnez qu. 9. in additione ad 3. partem art. 1. dub. 1. affirmantium.

99. Fundamentum est duplex, alterum à paritate aliorum sacramentorum, quæ possunt esse valida quoad essentiam; & tamen informia quoad effectum: alterũ ab absurdo, nam alioqui semper essemus ànxij de repetendis confessionibus: qui enim negat, dari confessionem informem, & validam, consequenter docet, omnem confessionem informem esse repetendam: quia omnis confessio est repetenda, quæ saltem non est valida quoad essentiam; si autem dicamus, dari confessionem informem validam, eximimus nos ab hoc scrupulo repetendi confessiones informes. Nam etiamsi illæ fuerint informes, potuerunt nihilominus esse validæ, ac proinde non tenebimur illas repetere: Ex quo vlterius inferunt, huiusmodi sacramentum informe gratiam conferre, recedente fictione, vt de Baptismo docuimus pręcedente tomo, de sacramentis in genere.

De dolore sufficiente ad validitatem, non ad effectum sacram. varia opiniones.

100. Cæterùm non conuenit inter eos, qualis debeat esse hic dolor, qui sufficiat ad essentiam, & non ad effectum sacramenti. Vnde alij docent, sufficere naturalem: Alij inefficacem, vel quoad propositum non peccandi, vel quoad detestationem ipsam peccatorum. Alij sufficere putant dolorem imperfectum intensiuè: Alij dolorem imperfectum extensiuè: quem Valentia, & Suarez sic explicant. Si quis ad hoc sacramentum accederet cum dolore cadente super peccata, quæ facta diligenti discussione memoriæ occurrunt; non autem super peccata inuincibiliter oblita, talis, inquiunt, dolor non esset sufficiens ad effectum huius sacramenti: quia ex vna parte repugnat, remitti peccata, etiam inuincibiliter oblita, sine detestatione virtualiter saltem se extendente ad illa: Ex alia parte nequit vnum peccatum mortale remitti sine alio. Hinc fit, vt sacramentum validum quidem sit quoad essentiam: cùm nihil ad ipsius validitatem desit; informe tamen quoad effectum: cùm illi desit sufficiens dolor in ordine ad peccata inuincibiliter oblita, sine quorum remissione repugnat, remitti etiam illa, quæ attrita validè confitemur.

Richardus.

101. Nonnulli ex prędictis authoribus affirmant, hunc dolorem imperfectum sufficere ad validitatem sacramenti, etiamsi à pœnitente ipso aduertatur, vt Richar. Alij contrà negant sufficere, si aduertatur, vel aduerti debebat, vt si culpabiliter ignoretur: quia tunc pœnitens non accederet debitè dispositus: ita Henriquez, Petrus Soto, & Suarez. Alij demũ aiunt sufficere, etiamsi aduertatur, modò pœnitens talem defectum confiteatur.

Henriquez. Petrus Sotus. Suarez. Gabriel. Adrianus. Medina. Vasquez. Sà. Coninck. Syluius.

102. Secunda sententia est Gabrielis in 4. dist. 17. q. 1. art. 3. dub. 2. Adriani q. 5. de confessione dub. 5. §. *Aliter respondeo:* Medinæ cod. de confessione q. 20. §. *Qui autem:* Vasquez q. 92. art. 2. dub. vnico, Emmanuelis Sà, verbo *confessio*, n. 6. Coninck disp. 4. dub. 11. Syluij in suppl. q. 9. art. 1. negantium: *Quæ sententia probabilior est, & amplectenda.*

103. Primum

Concilium Trident. 103. Primum huius sententiæ fundamentum desumitur ex Concil. Trident. sess. 14. cap. 3. & 4. vbi eũdem dolorem, quem cap. 3. definit esse materiam huius sacraméti, cap. 4. docet peccatorem disponere ad impetrandam gratiam in hoc sacramento. Aut igitur ille idem imperfectus dolor, qui sufficit ad validitatem; sufficit etiam ad effectum huius sacramenti: quod aduersarij non concedunt, aut certè idem dolor, qui requiritur ad validitatem; est etiam sufficiens ad effectum huius sacramenti. Non igitur est diuersus dolor, qui requiritur vt pars ad essentiam huius sacramenti, & qui necessarius est ad effectum eiusdem: sed idem prorsus dolor, qui sufficit ad essentiam; & validitatem, sufficiet etiam ad effectum huius sacramenti. Implicat igitur, dari sacramentum pœnitentiæ informe, & simul validum: Nam hoc ipso, quod est informe, non habet dolorem sufficientem ad sui essentiam, cùm hic sit ille idem, qui requiritur ad ipsius effectum.

Conc. Trid. 104. Secundum fundamentum deducitur ex eodem Trident. sess. citata cap. 3. Nam hoc sacramentum est essentialiter reconciliatiuum peccatoris cum Deo: igitur ad sui essentiam, & consequenter ad validitatem necessariò postulat ex parte pœnitentis dolorem reconciliatiuum cum Deo. Atqui dolor reconciliatiuus non modò sufficit ad essentiam; sed etiam ad effectum huius sacramenti. Non igitur dolor, qui necessarius est ad essentiam huius sacramenti, est diuersus ab illo, qui requiritur ad effectum eiusdem. Antecedens expressè docet prænotato loco Trident. vbi ait, effectum huius sacramenti esse reconciliationem cum Deo. Consequentia verò probatur: quia dolor ad hoc sacramentum non requiritur vt conditio, vel principium dumtaxat extrinsecum; sed vt pars intrinsecè constituens essentiam sacramenti: Ergo non affert dolorem sufficientem ad essentiam huius sacramenti, qui non affert dolorem reconciliatiuum suì cum Deo; cùm nequeat sacramentum reconciliatiuum componi ex partibus non reconciliatiuis; sicut nequit compositum substantiale componi ex partibus non substantialibus. *Praeluditur euasio.* Nec dici potest, hoc sacramentum esse reconciliatiuum ex parte Dei, quatenus media absolutione iuridica Sacerdotis, tanquam Ministri Dei, est reconciliatiuum Dei cum peccatore per gratiam remissiuam peccatorum, quam hoc sacramentum aptum est conferre. *Quid sit reconciliatio.* Non inquam hoc dici potest, quoniam reconciliatio debet esse mutua ex parte vtriusque reconciliandi. Cùm enim reconciliatio sit mutua animorum in pristinam amicitiam redintegratio, non sufficit voluntas reconciliatiua vnius tantùm, nisi etiam accedat voluntas reconciliatiua alterius. Quin maximè necessaria est voluntas reconciliatiua ex parte peccatoris, à quo data fuit causa dissoluendæ amicitiæ cum Deo. Si igitur hoc sacramentum essentialiter est reconciliatiuum, vt Trident. testatur, maximè, ac præcipuè hoc esse debet ex parte pœnitentis.

105. Minor verò, nempe quod dolor reconciliatiuus non modò sufficiat ad essentiam: sed etiam ad effectum huius sacramenti, probatur. Nam dolor reconciliatiuus includit efficacem detestationem de offensis commissis, & firmum propositum non offendendi de cætero amicum: nisi enim offendens efficaciter detestetur offensam illatam amico, firmumque concipiat propositum illum ampliùs non offendendi, non poterit habere verum animum reconciliandi se cum amico; sed tantùm fictum, & simulatum; qui apud Deum, intuentem cor, nullam habet efficaciam: cùm nequeat esse grata & accepta illa voluntas, quę non seriò, & efficaciter doleat de offensa illata, & in futurum proponat, nunquam ampliùs amicum offendere. Porrò dolor, qui talem detestationem, & propositum includit, virtute se extendit ad omnem grauem offensam factam amico. Nam virtute talis actus pœnitens manet dispositus, tam ad prorumpendũ in formalem detestationem cuiuscunque grauis offensæ contra Deum, si illa menti occurreret, quàm ad vitandum quodcunque graue peccatum, si illud committendi offerretur occasio. Igitur implicat esse dolorem reconciliatiuum, & illum virtute non se extendere ad omnem grauem offensam factam contra amicum.

106. Confirmatur. Implicat peccatorem ad hoc sacramentum accedere cum efficaci voluntate reconciliandi se cum Deo, & non accedere animo saltem virtuali tollendi omnem obicem, & impedimentum, quod posset recõciliationem ipsam impedire: quia in ipsa efficaci volũtate reconciliandi se cum Deo implicitè, & virtualiter includitur auersio ab omni peccato mortali, cum quo repugnat ipsa reconciliatio; omnis quippe efficax voluntas alicuius boni implicitè, & virtualiter includit auersionem oppositi mali, cum quo stare non potest bonum efficaciter intentum. Igitur dolor essentialiter ad hoc sacramentum requisitus, virtualiter saltem se extendit ad omnia peccata, etiam oblita pœnitentis. Quòd autem debeat pœnitens cum efficaci voluntate reconciliatiua ad hoc sacramentum accedere, præter rationem supra assignatam, euidenter colligitur ex Tridentino præcit. sess. 14. cap. 4. vbi docet, hunc dolorem ad hoc sacramentum pœnitentiæ requisitum, debere includere spem veniæ, quæ est ipsa voluntas efficax obtinendi reconciliationem medio hoc sacramento à Deo. *Conc. Trid.*

107. Tertiò specialiter arguo contra singulos assignatos modos: cõtra primum; quoniam ex Trident. sess. 14. cap. 4. dolor ad essentiam huius sacramenti requisitus, debet esse supernaturalis: vtpotè Dei donum, & Spiritus sancti impulsus: quod autem fit ex speciali dono Dei, & Spiritus sancti impulsu, fit ex merito Christi, ac proinde est supernaturale: quia Christus non meruit nobis, nisi supernaturalia. *Refelluntur modi assignati. Conc. Trid.*

108. Contra

Concilium Florentin.

108. Contra secũdum: quia dolorẽ, quem Florent. in decreto Eugenij Papæ, & Trident. præcit. aiunt esse materiam sacramenti pœnitentiæ, simul docent, continere & detestationem peccati commissi, & propositum de cætero non peccandi. Sed propositum, quòd sacramentalis dolor includit ex eodem Trident. prænotato loco, excludere debet omnem voluntatem peccandi: igitur debet esse efficax, & absolutum, alioqui non excluderet omnem voluntatem peccandi: ergo etiam detestatio peccati commissi erit efficax, & absoluta. Vlti. consequentia patet: quia propositum de cætero non peccandi originatur ex detestatione peccati præteriti; est enim hæc prior, & causa illius: repugnat autem effectum esse perfectiorem sua causa. Ergo dolor, qui deficit, vel in proposito de cætero non peccandi, vel in ipsa detestatione peccati commissi, non sufficit ad essentiam huius sacramenti.

109. Contra tertium modum: etenim sicut nulla certa intensio requiritur ad dolorem sacramentalem; ita nullus defectus intensionis reddit dolorem insufficientem ad effectum sacramenti.

Valent. & Suarez.

110. Contra quartum verò modum Valentiæ, & Suarez satis abundè patet ex secũdo nostro fundamento: quia cùm dolor ad hoc sacramentum requisitus debeat esse reconciliatiuus pœnitentis cum Deo; cumque dolor reconciliatiuus, præsertim efficax, & absolutus, qualis ex Concilijs ad essentiam huius sacramenti requiritur, virtualiter saltem se extendat ad omnia peccata, etiam oblita pœnitentis, repugnat pœnitentem accedere cum dolore sufficiente ad essentiam, & non ad effectum huius sacramenti.

111. Tandem nullo modo potest esse cõfessio valida defectu doloris, quandò talis defectus aduertitur, vel aduerti debet à pœnitente: quia tunc committitur nouum peccatum in confessione: nam accedere cum obice noto vel culpabiliter ignorato ad effectum sacramenti, est graue peccatum. Nec sufficit illud confiteri, sed teneris etiam illud tollere. Neque etiam erit valida confessio, quando doloris defectus inuincibiliter ignoratur: quia licet tunc non pecces; non tamen ponis sufficientem materiam à Christo institutam.

112. DICES. Potest pœnitens ad hoc sacramentum accedere, cum attritione vnius tantùm peccati mortalis, quod solùm, post diligens examen, sibi menti occurrit: sed tunc validum efficeret sacramentum: quia sufficientem afferret dolorem pro peccato, quod post diligens examen menti occurreret: cùm ad amplius pœnitens non teneatur: cùm tamen in eo euentu effectum gratiæ non consequeretur: quia, vt supponitur, talis dolor virtute non se extenderet super peccata inculpabiliter oblita: quia non esset elicitus ex motiuo vniuersali, virtualiter saltem cadente super omnia; sed ex particulari limitato tantùm ad peccatum menti præsens. Dolor autẽ nequit virtualiter se extendere super omnia peccata; nisi sit ex motiuo vniuersali virtualiter cadente super omnia.

113. Resp. dupliciter posse pœnitentem cum tali dolore ad hoc sacramentũ accedere, vel cum eodem dolore simul elicito ex affectu & motiuo reconciliandi se cum Deo: & tunc vi talis doloris ex tali motiuo eliciti virtualiter se extendit ad detestanda omnia peccata, etiam inculpabiliter oblita, cùm vi talis motiui includat efficacem voluntatem, saltem virtualem detestatiuam omnium, quæ menti occurrerent: quia vi talis doloris includit efficacem voluntatem tollendi omnia impedimenta, quæ possent reconciliationem impedire. Vel cum tali dolore nullum pœnitens affectum haberet reconciliandi se cum Deo: & tunc non solùm non acciperet gratiam; sed nec validum efficeret sacramentum: quia, vt probatum est, dolor ad essentiam huius sacramenti requisitus, debet esse coniunctus cum affectu reconciliandi se cùm Deo, sine quo dolore hoc sacramentum non esset reconciliatiuum, proinde inualidum in ratione sacramenti, cùm ipsius essentia formaliter consistat in esse reconciliatiui. Cæterùm, quod valde notandum est, vt dolor dicatur virtualiter se extendere ad omnia peccata, etiam oblita, necesse non est, vt procedat ex motiuo formaliter, & expressè vniuersali cadente super omnia, sed sufficit, vt procedat ex motiuo virtute tantùm, & implicitè cadente super omnia. Si nimirum talis sit dolor, etiam terminatus ad particularem malitiam peccati, vt vi illius pœnitens dispositus sit, omnia peccata detestari, si actu menti occurrerent. Quam conditionem necessariò habet quicunque dolor elicitus ex affectu reconciliationis cum Deo.

Disparitas inter alia sacramenta, & sacramentum pœnit.

114. Ad fundamentum primæ sententiæ, respondeo, disparitatem esse: Nam alia sacramenta non includunt vt partem essentialem ipsam dispositionem suscipientis, vnde possunt esse valida quoad essentiam, informia quoad effectum: quia possunt includere omnia essentialia, etiamsi non includant debitam dispositionem suscipientis in ordine ad effectum: at sacramentum pœnitentiæ includit vt partem essentialem ipsam dispositionem pœnitentis: quam si includit, non solùm erit validum; sed etiam efficax; si non includit, non solùm erit inefficax; sed etiam inualidum.

115. Ad secundum nego sequelam: quoniam hæc anxietas tollitur per bonam fidem pœnitentis: nam quamdiu tibi non constat, non teneris inualidas confessiones repetere, & peccata, quæ inualidè confessus es, remittuntur tanquam oblita per alias confessiones validas.

S. Thomas.

116. Ad auctoritatem Sancti Thomæ respondet Vasquez, illum retractasse sententiam in 4. dist. 23. qu. 1. art. 4. vbi docet contritionem esse de essentia huius sacramenti.

117. Vltimò

An possit sacramentũ pœnit. dari validum, & informe respectu venialium.

117. Vltimò quæri potest, an saltem dari possit sacramentum Pœnitentiæ validum, & informe respectu peccatorum venialium. Pro cuius difficultatis claritate, Notandum; dupliciter posse de venialibus esse confessionem: vno modo, vt pœnitens non habeat nisi tantùm venialia, proinde ad hoc sacramentum accedat cum gratia: Alio modo, vt cum venialibus habeat aliquod mortale, inuincibiliter tamen oblitum. Primo modo certum est, non posse hoc sacramentum esse validum, & informe, ipsismet Aduersarijs fatentibus. Ratio est: quia vel pœnitens accedit cum dolore sufficiente ad essentiam sacramenti; vel non. Si non: sacramentum non modò erit informe; sed etiam inualidum. Si verò accedit cum dolore sufficiente: non poterit sacramentum non simul esse formatum, cùm omne sacramentum nouæ legis statim gratiam conferat obicem non ponenti. Sed qui non habet nisi tantum venialia, accedens cum dolore sufficiente ad essentiam sacramenti, nullum ponit obicem, etiamsi non accedat cum dolore sufficiente ad remissionem omnium venialium: ergo recipit gratiam sacramentalem: ac proinde sacramentum erit simul validum & formatum. Dixi, *sufficiente ad remissionem omnium venialium:* quia saltem debet accedere cum dolore sufficiente ad remissionem vnius peccati venialis: alioqui sacramentum non solùm esset informe; sed etiam inualidum, defectu doloris ad sacramentum essentialiter requisiti.

118. Secundo modo contendunt Aduersarij, dari posse sacramentum de venialibus confessis validum, & informe, defectu doloris non se extendentis supra mortale inuincibiliter ignoratum. Verùm oppositum euidenter sequitur ex iactis nostris fundamentis. Quia cùm ad essentiam huius sacramenti requiratur dolor reconciliatiuus peccatoris cum Deo; cumque hic virtualiter se extendat ad omne mortale, quippe cùm se extendat contra omne impedimẽtum, quod posset hanc reconciliationem impedire, non poterit esse validum, & simul informe defectu doloris: cùm omnis dolor ad essentiam huius sacramenti requisitus, sit etiam sufficiens ad ipsius effectum.

DISPVTATIO XIII.

De Confessione.

1. Hactenvs de dolore, sequitur disputatio de Cõfessione, quæ est altera huius sacramenti pars, quæ ex parte pœnitentis essentialiter requiritur. Cuius necessaria materia, sunt omnia peccata mortalia post Baptismum commissa: sufficiens verò etiam venialia sacramentali Iudici manifestatá. Vnde hæc traditur à Theologis cõfessionis descriptio, quã etiam recipit, & explicat Catechismus Pij V. De sacramento Pœnitentiæ §. *sed iam confessionis vtilitate exposita. Confessio est legitima, & sacramentalis accusatio, de proprijs peccatis, ad eorum veniam, virtute clauium, obtinendam, coram Sacerdote facta.* Etenim, vt rectè S. Doctor in 4. dist. 17. q. 3. a. 2. q. 1. plura possunt in confessione sacramentali considerari. Primum substantia actus: & hęc est legitima, & sacramentalis accusatio: quæ, vt citato loco notat Catechismus, ideo dicitur accusatio, vt distinguatur à simplici, & historica narratione: cùm debeat pœnitens ad hoc sacramentum accedere animo accusatorio, & vindicatiuo suorum criminum. Secundum materia, de qua affertur accusatio: atque hæc sunt propria peccata post Baptismum commissa. Ex quo sequitur, non aliena; sed propria peccata esse in hoc Sacramento explicanda. Tertium, finis, propter quem hęc accusatio à pœnitente fit: quæ est venia peccatorum virtute clauium obtinenda, cùm hic sit finis cuius sacramenti, quẽ intẽdere debet pœnitens actu spei, cùm ad illud accedit. Quartum est persona, coram qua facienda est hæc peccatorum accusatio: & hic est Sacerdos, qui virtute clauium potestatem habet absoluendi peccata, quæ sibi iuridicè à pœnitente subijciuntur. Porrò multas conditiones Doctores addunt sacramentali confessioni: quę tamen omnes ad has quatuor reducuntur, vt sit voluntaria, integra, fidelis, secreta. Voluntaria: quia cùm hoc sacramentum sit adultorum, non potest validè conferri absque propria voluntate suscipientis. Integra, vt sit omnium mortalium, quæ post diligens conscientiæ examen memoriæ occurrunt. Fidelis, vt pœnitens neque augeat, neque minuat numerum, vel speciem peccatorũ, aut circumstantiarum, quę sunt in hoc sacramento confitendæ. Secreta, ne absque vrgente causa fiat coram alijs; sed ad aures ipsius Sacerdotis, quæ propterea *auricularis* appellatur. Nam quamuis hic modus publicè confitendi, antea fuerit in vsu in Ecclesia Dei; iustas tamen ob causas fuit postea sublatus à tempore Nectarij Episcopi Constantinopolitani, Chrysostomi prædecessoris: quem etiam improbat Leo Papa Epist. 80 ad vniuersos Campaniæ, Samnij, & Piceni Episcopos.

Catechism. Romanus. — *Quid sit Confessio.* — *S. Thomas.* — *Conditiones ad sacramentalem confessionẽ requisita.* — *Leo Papa.*

SECTIO I.

Qualis voluntas ad sacramentalem confessionem sit necessaria?

1. CERTVM est, voluntatem ex motiuo peccati mortalis elicitam, non esse sufficientem ad hoc sacramentum: quia talis voluntas non modò non tollit; sed positiuè ponit obicem essentiæ huius sacramenti, quale est peccatum mortale: quia cum tali voluntate implicat, pœnitentem habere dolorem reconciliatiuum cum Deo, ad essentiam huius sacramenti requisitum. Nec sufficit, huiusmodi peccatum tantùm confiteri, nisi etiam tollatur, & per contrarium dolorem retractetur. Nec est par ratio de absolutione Ministri, quæ etiam ex prauo fine peccati mortalis impensa, sacramentum non irritat, neque illud reddit informe: quoniam absolutio adhoc sacramentum non concurrit vt actus personalis absoluentis; sed vt actus Christi per Sacerdotem, tanquam per suum Ministrum operantis. Vnde sufficit, vt illa eliciatur ex motiuo faciendi, quod Christus ipse intendit. Voluntas autem confitēdi concurrit ad hoc sacramentum vt actus proprius pœnitentis: proinde si illa deprauatur malo fine, non poterit esse sufficiens ad hoc sacramentum, cùm aliunde non habeat sufficientum bonitatem. Sola igitur difficultas est, an sit sufficiens voluntas ex prauo dumtaxat motiuo peccati venialis.

Absolutio ministri, ex intentione mortaliter mala, non irritat sacramentum.

3. Affirmant Sotus in 4. dist. 18. quæst. 3. art. 3. ad 3. argumentum Syluestri, Nauarrus in sum. cap. 21. num. 40. quos sequitur Suarez disp. 20. sect. 3. quorum fundamentum est: quia peccatum veniale neque est obex ad essentiam, neque ad effectum huius sacramenti: ergo talis voluntas neque essentiam, neque effectum huius sacramenti impediet, si cætera requisita afferantur.

1. Sentent. Sotus Nauarrus Suarez.

4. Negant vero Syluester verbo *confessio* primo quæst. 7. Angelus §. 5. & alij. Quorum fundamentum est: quia confiteri ob alium finem, quàm ad veniam peccatorum obtinendam, est mortale: quia est peruerrere, & operari contra principalem finem huius sacramenti, quod per se institutum est ad remissionem peccatorum. Vnde inferunt, confessionem ob vanam gloriam factam, esse nullam, & reperendam.

Syluester Angelus.

5. Verùm mihi cum Armilla verbo *confessio* num. 4. distinguendum est: Nam vel pœnitens nullam aliam habet voluntatem, cùm adhoc sacramentum accedit, quàm ex motiuo peccati venialis elicitam: & tunc dico, nullum in tali casu effici sacramentum, cùm pœnitens non afferat voluntatem ad hoc sacramentum essentialiter requisitam: quæ ex Concilio Trident. sess. 14. cap. 4. & omnibus fere Patribus, debet esse ex supernaturali motiuo veniæ peccatorum obtinendæ. Est enim hæc voluntas huic sacramento essentialis, & inter actus pœnitentis à citato Concil. numeratur. Nam hoc ipso, quod pœnitens ad hoc sacramētum accedit animo reconciliandi se cum Deo, accedere debet cum spe consequendi remissionem suorum peccatorum.

Armilla.

Concilium Trident.

6. Vel præter voluntatem ex motiuo peccati venialis elicitam, habet aliam, qua sperat remissionem suorum peccatorum, per hoc sacramentum à Deo obtinendam. Et tunc verum est, quod Authores primæ sententiæ docent, talem voluntatem neque essentiæ, neque effectui huius sacramenti obesse. Ratio est: quia talis voluntas est tantùm conditio applicans materiam, non autem actus sacramentum integrans ex parte pœnitentis: nam actus integrans ex parte pœnitentis, sunt dolor reconciliatiuus, & actus spei simul cum actu fidei, quibus pœnitens credit, & sperat, per hoc sacramentum se obtenturum veniam peccatorum: qui actus per huiusmodi voluntatem venialiter culpabilem non tolluntur: cùm non repugnet, actum virtutis simul stare posse, cum peccato veniali, in eodem subiecto, cùm nullam inter se habeant contradictoriam oppositionem. Atque ex his conciliantur vtriusque sententiæ authores.

Actus virtutis simul stare potest cum peccato veniali.

7. Ex dictis infertur primò, non esse necessum tale peccatum in confessione manifestare: quia cùm sit tantùm veniale; cumque nullum veniale confiteri teneamur, si ex aliâ parte neque sacramentum, neque effectum sacramenti impedit, non erit necessariò confitendum, neque ad validitatem, neque ad effectum sacramenti.

8. Infertur secundò, non posse pœnitentem eodem actu simul velle sua peccata confiteri ex prauo motiuo peccati venialis, & sperare veniam suorum peccatorum: quia cùm prior actus sit prauus, naturalis, & ex inhonesto fine elicitus, posterior verò honestus, supernaturalis, & ex recto fine elicitus, non poterunt conuenire in vnum eundemque actum: cùm nequeat vnus idemque actus simul esse malus & bonus, naturalis & supernaturalis, ex prauo naturalique fine, & ex honesto, supernaturalique motiuo elicitus.

9. Infertur tertiò, voluntatem, quâ pœnitens sua peccata subijcit clauibus, non integrare intrinsecè hoc sacramentum; sed esse tantùm conditionem applicantem materiam: contrà verò intrinsecè hoc sacramentum integrare voluntatem, quâ pœnitens sperat per hoc sacramentum veniam suorum peccatorum.

Voluntas, qua pœnitens subijcit clauibus peccata, nō integrat intrinsecè sacramentum.

10. DICES. Tam Florent. in decreto de vnione armen. quàm Trident. sessione 14. capite 3. & can. 4. docent, materiam huius sacramenti esse confessionem: ergo non volūtas, qua pœnitens sperat

Concilium Florent. & Tridentin.

veniam

veniam peccatorum; sed qua sua peccata per confessionem subijcit clauibus, est actus ex parte pœnitentis intrinsecè integrans hoc sacramentum.

Materia sacram. pœnit. non sunt soli actus intrinsecè componentes

11. Respondeo. Negando consequentiam: tum quia pro materia sacramenti Concilia non intelligunt solos actus intrinsecè componentes; sed quomodocunque necessariò ad validitatem sacramenti requisitos. Tum quia Confessio pœnitentis dicitur à Concilijs materia huius Sacramenti ratione peccatorum, quæ sunt necessaria materia, circa quam versatur potissima pars huius sacramenti, quæ est absolutio sacramentalis, quæ exerceri non potest, nisi in peccata per actum confessionis manifestata.

SECTIO II.

An sit essentiale Confessioni sacramentali, vt propria pœnitentis voce fiat?

Concil. Florentinum.

12. PRIMA dubitandi ratio sumitur ex Florentin. in decreto de vnione Armen. §. *quartum sacramentum*: vbi sacramentalem Confessionem appellat oris Confessionem. Secunda à paritate absolutionis, & reliquorum sacramentorum formarum, quæ ad validitatem sacramenti postulant, vt propria Ministri voce proferantur.

13. Opposita tamen sententia communis, & constans est omnium Theologorum, nempè ad essentiam sacramenti necessarium non esse, vt confessio peccatorum fiat propria voce pœnitentis; sed posse, quouis signo sufficiente ad manifestanda peccata Sacerdoti, fieri. Hanc expressè docet Sanctus Thomas in 4. distinct. 17. quæst. 3. art. 4. quæstiuncula 3. ad 2. & cum eo reliqui Theologi. Nam quamuis Scotus in 4. distinct. 17. quæst. vnica §. *ad argumenta* circa medium, videatur negare, sacramentalem confessionem fieri posse scripto; id tamen non negat fieri posse validè; sed tantum licitè: nam infrà expressè docet, fieri posse scripto Sacerdoti præsenti.

S. Thomas, Scotus.

14. Potissimum fundamentum huius sententiæ desumitur ex praxi, & vsu Ecclesiæ; quæ non modo hortatur, sed etiam præcipit, vt infra videbimus, dandam esse absolutionem ijs, qui in extremo periculo positi, propria loquela destituuntur: modo signum aliquod dederint interioris confessionis: non posset autem Ecclesia hoc præcipere, si ad essentiam huius Sacramenti, necessaria foret confessio, propria pœnitentis voce facta: quia non potest Ecclesia præcipere, vt Sacramentum absque essentiali materia aut forma administretur. Nam hoc esset præcipere graue sacrilegium contra reuerentiam Sacramenti, quod ob sui sanctitatem postulat, vt nunquã in irritum attentetur. Vnde in nulla necessitate Ecclesia præcipere potest vt Baptismus conferatur in vino, vel in alio liquore, ab aqua elementari diuerso. Igitur si præcipit, dandam esse absolutionem ijs, qui absque propria voce, sed solo nutu, vel alio signo interiorem voluntatem confitendi manifestarunt; apertè sentit, de essentia sacramentalis confessionis non esse, vt propria pœnitentis voce fiat.

15. Probatur secundò. Nam si hoc esset sacramentali confessioni essentiale; colligi deberet ex ipsa confessionis institutione: ex confessionis autem institutione hoc colligi nequit: ergo asserendum non est. Consequentia patet: quoniam in ijs, quæ pendent ex institutione Diuina, nihil est asserendum, nisi quod ex ipsa institutione colligi potest: quidquid enim asseritur, quod ex ipsa institutione non colligitur, temerè, & absque fundamento asseritur. Maior etiam constat: quia cùm sacramenta pendeant ex sola voluntate Christi, eorum essentia, & natura aliunde colligi non potest; quàm ex ipsa institutione, à Christo facta. Minor verò probatur; nam ex institutione sacramentalis confessionis solùm colligitur, quòd per eam debeant peccata pœnitentis manifestari Sacerdoti, vt ea cognita per potestatem sibi à Christo communicatam absoluere possit, iuxta illud Ioan. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Atqui hæc peccatorum manifestatio alio modo; quàm propria pœnitentis voce, fieri potest: ergo limitanda non est ad solam pœnitentis vocem.

Ioan. 20.

16. DICES, eodem modo dici posse, non esse necessariam aquam elementarem ad essentiam Baptismi: quia ex institutione ipsius tantùm colligitur, quod per externam ablutionem debeat interna animi emundatio significari: hæc autem æquè significari posset per quemlibet alium liquorem; non esse in sacramento Eucharistiæ necessarium panem ex tritico, & vinum de vite; sed sat fore quemcunque panem, & potum vsualem: cùm ex institutione solùm colligatur, quod per hoc sacramentum Christus sacramentaliter se nobis communicet per modum cibi, & potus, quod æquè bene fieri posset per quemcumque panem, & potum vsualem. Idem dici posset de reliquis sacramentorum materijs.

17. Respondeo, negando sequelam: tum quia materiæ aliorum Sacramentorum, vel sunt expressè determinatæ à Christo, vt aqua in Baptismo Ioann. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua* &c. oleum in

Ioan. 3.

Extrema vnctione Iacobi 5. *Ungentes eum oleo in nomine Domini.* Idem colligitur de materia Eucharistiæ Matth. 26. Marci 14. Lucæ 22. vel habentur ex perpetua Ecclesiæ traditione, vt oleum balsamo mixtum in Confirmatione, & materiæ in sacramento ordinis. In Confessione verò sacramentali, neque ex scripturis, neque ex praxi, & traditione Ecclesiæ colligitur, quod debeat propriâ pœnitentis voce fieri; sed potiùs oppositum perpetuus Ecclesiæ vsus ostendit. Tum quia materiæ aliorum sacramentorum sunt partes intrinsecè componentes sacramentum: Confessio autem sacramentalis est tantùm conditio applicans materiam, in quam cadere debet sacramentalis absolutio. Vnde maior fuit ratio, vt materiæ, quæ intrinsecè sacramentum componunt, quàm quæ est tantùm conditio, sint à Christo determinatę.

Iacob. 5. Matth. 26. Mar. 14. Luc. 22.

Materia sacramentorum aliorum differt à materia sacram. pœnit.

18. Tertiò eadem sententia probatur: quoniam, vt ex dicendis constabit, potest pœnitens validè per interpretem confiteri: ergo non est essentiale sacramentali confessioni, vt ipse pœnitens, propria voce, sua peccata Sacerdoti manifestet. Consequentia probatur: nam confessio per interpretē non fit Sacerdoti propria voce pœnitentis; sed interpretis. Ergo qua ratione pœnitens voce peccata manifestat interpreti, vt per illum manifestet Sacerdoti; eadem ratione posset scripto interpreti manifestare, vt per illud manifestaret Sacerdoti.

19. Quartò confirmatur ex absurdis. Etenim si sacramentalis confessio essentialiter posceret, fieri propria voce pœnitentis, excluderentur ab hoc sacramento muti, propria loquela destituti, & omnes, qui morbo oppressi non possent propria voce sua peccata explicare. Atqui verosimile non est, Christum Dominum voluisse ab hoc sacramento, quod tantopere ad salutem necessarium est, tot homines excludere: præsertim cùm tales casus inter homines facilè contingere soleant.

20. Vltimò probatur ratione à priori suprà tacta. Quia cùm confessio sacramentalis sit pura dumtaxat conditio, applicans tantū peccata Sacerdoti, non autem pars intrinsecè constituens sacramentum Pœnitentiæ; quod tantū intrinsecè constituitur dolore, & reliquis pœnitentis actibus, tanquam materia; & absolutione iuridica Sacerdotis, tāquam forma, non debuit limitari ad propriā pœnitētis vocem; sed ad quodlibet signum, per se sufficienter manifestatiuum internorum peccatorum. Cùm enim ex huiusmodi signorum variatione, non varientur partes sacramentum intrinsecè componentes, quæ solæ semper debent esse firmæ, ac stabiles; nil refert, ad sacramenti substantiam, quod pœnitentis peccata vno, vel altero modo Sacerdoti manifestentur.

21. Ad priorem rationē dubitandi. Resp. Concilium appellasse, *oris confessionem*, non quòd talis confessio necessaria sit ad sacramenti essentiam; sed quòd ita ordinariè ex vsu, & praxi Ecclesiæ, nisi grauis aliqua necessitas vrgeat, fieri debeat. Vnde Trident. sess. 14. c. 5. & Can. 4. vbi materiam huius sacramenti, ex parte pœnitentis assignat, non dixit, materiam esse, oris confessionem; sed confessionem, omissa particula *Oris*. An autem sit saltem præceptum Ecclesiasticum, peccata confiteri, propria voce, quando nulla vrget grauis necessitas, dicemus infrà.

Concil. Tridentinum.

22. Ad posteriorē verò, potissima disparitas sumitur ex traditione Ecclesiæ, quæ continuo vsu, & praxi nobis declarauit, ad essentiam sacramentorum pertinere, vt ipsorum formæ propria Ministri voce proferantur. Ratio verò reddi potest ex ipsa sacramenti institutione: nam formæ additæ sunt sacramentis, vt expressiùs, & distinctiùs significent sacramētorum effectus: expressiùs autem, & distinctiùs sacramentorum effectus significant voces; quàm scripturę. Contrà verò, materiæ non sunt additæ sacramentis, vt expressè, & distinctè ipsæ significent; sed potiùs vt significentur per formas.

SECTIO III.

An peccata validè confessa, & remissa possint esse materia sacramentalis confessionis.

23. DVPLEX esse potest quæstionis sensus; Alter, an huiusmodi peccata possint esse materia confessionis sufficientis non tantùm ad validitatem; sed etiam ad effectum sacramenti: Alter, an saltem possint esse materia sufficiens ad essentiam ac proinde ad validitatem sacramenti, esto non sint materia sufficiens ad effectum. Hactenus apud nullum legi, qui expressè neget, huiusmodi confessionem esse sufficientem ad essentiam sacramenti; sed omnes supponunt, illam fore quidem sufficientem ad essentiam, & validitatem; haud tamen ad effectum vllum sacramenti. Solus ad illam inclinare videtur Rubio infrà citandus.

Duplex quæstionis sensus.

Rubio.

24. PRIMA igitur sententia sit negans, peccata semel validè confessa & remissa posse esse materiam Confessionis sufficientis ad essentiam sacramenti. Fundamentum: quoniam ad essentiam sacramenti pœnitentiæ requiritur materia absoluenda: ergo ad essentiam noui sacramenti requiritur noua materia absoluenda. Sed peccata semel validè confessa, & remissa non sunt ampliùs materia absoluenda: igitur non sunt sufficiens materia ad nouum sacramentum conficiendum. Antecedens patet: nam hoc sacramentum essentialiter est absolutiuum, vt ex

1. Sententia.

ipsius forma, & Christi verbis Ioan. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* apertè constat. Et confirmatur: alioqui hoc Sacramentum impendi posset innocenti, qui nunquam peccauit. Prior consequentia videtur clara: cùm nequeat Sacramentum multiplicari numero, nisi multiplicatâ numero essentiâ: nequit autem multiplicari noua numero essentia Sacramenti; nisi multiplicatâ nouâ numero materiâ absoluendâ. Sicut nequit multiplicari nouum numero compositum naturale, nisi multiplicata noua numero materia naturali. Nec sufficit, si dicas, multiplicari nouum numero Sacramentum per multiplicationem nouæ dumtaxat numero absolutionis: sicut multiplicaretur nouum numero compositum naturale, multiplicatâ tantùm nouâ numero formâ naturali: quia cùm verba absolutionis sint forma Sacramenti, quatenus vera; cumque nequeant absolutionis verba esse vera, nisi supposita materia absoluenda, non poterunt in tali casu verba absolutionis esse forma Sacramenti; ac proinde per illius multiplicationem multiplicari Sacramentum: quia hoc ipso quod verba absolutionis non possunt proferri vt vera, non possunt proferri vt forma Sacramenti. Minor verò primi Syllogismi elucet: quia peccata validè confessa, & remissa non sunt ampliùs materia absoluenda, neque quoad culpam, quæ tam supponitur remissa per priorem confessionem; neque quoad pœnam, nam etiam hæc supponi posset tota remissa tam vt æterna, quàm vt temporalis in præcedente confessione.

25. Secunda sententia affirmat, fore quidem huiusmodi peccata sufficientem materiam ad nouum Sacramentum conficiendum, non tamen ad vllum nouum effectum conferendum. Ita Scotus in 4. dist. 19. quæst. vnica in solutione argumentorum, quæ in fine quæstionis ponuntur, Rubio dist. 15. quæst. 2. Mayronus dist. 17. quæst. 1. §. *quarta particula*, Gabriel dist. 17. quæst. 1. art. 3. dub. 2. vbi ait, frustra hoc Sacramentum iterari supra peccata validè confessa. Hanc ipsam opinionem problematicè defendit Richar. dist. 18. art. 2. qu. 4. Cæterùm Scotus etsi cit. loco putet, tale Sacramentum fore inutile, absque fructu: non tamen negat, fore *illicitum*, *vel impossibile iterari*, vt ipse loquitur. At vero Rubio non modo illud censet fore inutile, & sine fructu, verùm etiam illicitum, & nullo modo tentandum, nisi pœnitens addat aliquod peccatum, alias non confessum: Vel certè si Sacerdos vult Sacramentalem absolutionem impendere, non impendat, nisi sub explicita, vel implicita conditione, si pœnitens aliàs non fuerit validè absolutus: Vel omissa absolutione Sacramentali, impendat aliquam deprecatoriam, vt *absoluat te Deus*: vel, *misereatur tui Deus*.

26. Probant autem hanc sententiam primò. Frustra illud Sacramentum iteratur, quod nullum potest in suscipiente affectum habere. Atqui absolutio Sacramentalis supra eadem peccata validè confessa iterata, nullum potest in pœnitente effectum habere: ergo frustra iteratur. Maior patet: quia omne Sacramentum est propter aliquem effectum, quem in suscipiente causat: ergo iterare Sacramentum, quod nullum potest effectum in sucipiente causare, est iniuriam facere Sacramento, irritum illud reddendo quoad suum finem, propter quem est institutum: non minùs quàm iniuriam faceret eidem Sacramento, irritum illud reddendo quoad essentiam. Minorem probant, nam si quem effectum hoc Sacramentum in tali pœnitente causaret, vel ille esset, remissio culpæ, vel infusio gratiæ; vel remissio pœnæ temporalis, in quam commutata fuit æterna per præcedentem confessionem. Non primum: quia culpa semel remissa non est amplius capax nouæ remissionis. Non secundum: nam gratia in hoc Sacramento infunditur propter culpæ remissionem: ergo si hæc supponeretur remissa per priorem gratiam Sacramentalem, frustra in funderetur noua. Non tertium: alioqui sequeretur, quod qui multa, grauissimaque scelera commisit, per iteratam confessionem eorundem peccatorum tandem consequi posset totius pœnæ relaxationem: ac proinde posset huiusmodi homo ab omni pœnali satisfactione liberari, impositâ tantùm illi frequenti iteratione Sacramentalis confessionis eorundem peccatorum.

27. Secundò ex opposita sententia sequeretur, frustra institutum esse Sacramentum Extremę Vnctionis: nam hoc institutum est ad remittendam pœnam temporalem peccatis venialibus debitam: sed hæc remitti posset per Sacramentum pœnitentię supra eadem peccata aliàs confessa iteratum: igitur frustra foret Sacramentum extremæ Vnctionis.

28. Tertiò probant à paritate aliorum Sacramentorum: quæ super eandem materiam, vel personam iterata non habent effectũ, nisi semel. Baptismus enim, Confirmatio & Ordo, non nisi semel effectũ habet in Baptizandum, confirmandum, & ordinandum. Eadem ratio est de reliquis tribus: nam nec forma Eucharistię supra eandem materiam prolata, nisi semel, efficaciam habet: neque Sacramentum Matrimonij supra eosdem coniuges iteratum plus habet effectus; quàm semel tantùm celebratum. Tandem Sacramentum Extremæ Vnctionis non maiorem gratiam confert infirmo, pluries eodem tempore simul, quàm semel collatum.

29. Confirmatur: nam si propter solum augmentum gratię licitè posset pœnitentiæ Sacramentum supra eadem peccata iterari, licitè etiam posset quodlibet aliud Sacramentum propter idem incrementum gratiæ supra eandem personam eodem tempore simul iterari. Vnde & Baptismus, & Confirmatio, & Matrimonium, & Extrema

Ioann. 20. Scotus Rubio Mayronus Gabriel Richardus Scotus.

ma vnctio pluries possent super eandem personam, ad maiorem gratiam conferendam, eodem tempore iterari.

Scotus.

30. Vltimò probat Scotus à paritate Iudicij forensis, in quo qui semel est iuridicè absolutus, non eget ampliùs nouâ absolutione. Et quamuis eadem sententia repeteretur; nihil tamen per illam fieret: quia non per illam; sed per priorem reus supponeretur iuridicè absolutus: cùm nullus possit solui, nisi ligatus. Confirmat: nam semel sine errore Sacramentale iudicium in terris latum, Deus ratificat in cœlis: quod autem est sic ratificatum, rationabile est, vt sit initerabile.

31. Tertia sententia docet, non solùm confessionem iteratam eorundem peccatorum esse sufficientem ad essentiam noui Sacramenti; sed etiam ad nouum effectum eiusdem Sacramenti. Hanc expressè docent Henricus de Gandauo quodlib. 7. quæst. 21. S. Thomas in 4. dist. 18. quæst. 1. art. 3 qu. 2. ad 4. Duran. quæst. 2. num. 7. in fine; Palud. dist. 19. quæst. 1. art. 3. Sotus dist. 18. quæst. 4. art. 3. in fine, qui addit: non esse hanc Sacramentalis confessionis repetitionem absque causâ faciendam, alioqui *tantus*, inquit, *esse posset abusus, vt Sacramentum nullum esset, & nullam conferret gratiam.* Causas autem huius repetitæ confessionis assignat has: Primam, si se offerat doctus confessarius, cui pœnitens velit suam vitam detegere, ab eoque dirigi: Secundam in mortis articulo: Tertiam in aliquo magno festo, & Iubilæo: idque ait, *non quotannis, sed rarissimè.* Eandem sententiam sequuntur Syluester verbo *confessio* primo quæst. 3. Medina cod. de confess. Tract. 2. quæst. 25. Suarez disp. 18. sect. n. & reliqui recentiores. *Quæ sententia vera est, & sequenda.* Pro cuius explicatione.

Henricus de Gandauo. S. Thomas. Durandus Paludanus Sotus.

Syluester Medina Suarez.

32. Dico. 1. Illicitum est, Sacramentalem absolutionem iterare super eadem peccata, nouâ confessione non informata: nisi fortè Sacerdos dubitet, inualidam fuisse priorem, defectu attentionis, vel debitæ pronunciationis. Fundamentum: quia semper illicitum est, nouum attentare Sacramentum absque noua materia: atqui in hoc casu, esset attentare nouum Sacramentum, absque noua materia: ergo Maior patet: quoniam nouum attentare Sacramentum, absque noua materia, est inualidum, & irritum attentare Sacramentum: cùm materia sit pars constitutiua Sacramenti: igitur vbi non est noua materia, non potest nouum esse Sacramentum. Minor probatur: nam noua absolutio Sacramentalis nouam postulat materiam, vt cum ea nouum possit constituere sacramentum, nouæ gratiæ collatiuum, quæ hic deest: nam peccata validè confessa, & absoluta, non possunt esse noua materia respectu nouæ absolutionis, ad nouum sacramentum constituendum; nisi noua saltem confessione informentur: sicut nec materia validè consecrata potest esse noua materia, respectu nouæ formæ sacramentalis, ad nouum Eucharistiæ sacramentum constituendum. Ratio est: quia nequit eadem materia proxima, cuiusmodi sunt eadem peccata, vna eademque confessione informata, duo constituere sacramenta; cùm vnumquodque debeat habere suam distinctam materiam, & formam: ergo saltem debent noua confessione informari, vt nouam præbeant materiam proximam, ad nouum sacramentum cum noua absolutione constituendum.

33. Addidi, *nisi Sacerdos dubitet, inualidam fuisse priorem absolutionem*: nam tunc iuxta dubij qualitatem, vel absolutè, vel sub conditione saltem implicita, poterit sacramentalem absolutionem super eadem peccata confessa iterare; non secus, ac in dubio iterari potest consecrationis forma super eandem materiam dubiè consecratam. Nam tunc materia manet sub dubio informis; ac proinde capax legitimæ formæ, cum qua cõstituere possit vnum sacramentum. Quemadmodum eadem peccata sub dubio inualidè confessa, absque iterata confessione possunt noua absolutione sacramentali informari, ad sacramentum constituendum. Ad tollendos autem scrupulos in casu dubij debet Sacerdos, si commodè potest, monere pœnitentem, vt vel nouum addat peccatum præteritæ vitæ; vel certè nouo actu eadem peccata semel confessa, iterum subijciat clauibus: neque enim necessarium est, eadem iterum distinctè repetere.

Quid faciendum à Ministro dubio, an fuerit absolutio valida, & quomodo non liceat iterare.

34. *Obijcies.* Potest vna sacramentalis absolutio, cadens supra peccata multorum, plura numero constituere sacramenta: ergo è conuerso, poterit vnum peccatum vna cõfessione, & dolore informatum, pluribus sacramentalibus absolutionibus remissum, plura sacramenta constituere. Antecedens patet, cùm Sacerdos, vrgente necessitate, vnica absolutione sacramentali absoluit multos. Consequentia verò probatur: quia sacramentum pœnitentiæ non minùs essentialiter constituitur absolutione, tanquam forma, quã confessione & dolore, tanquam materia: ergo si multiplicata sola materia, multiplicatur numero sacramentum, multiplicata sola forma, multiplicabitur idem numero sacramentum.

35. Respond. Negando consequentiam: quoniam etsi sacramentum quoad efficaciã principaliùs consistat in forma, vt Tridentinum testat. sess. 14. capite 3. tamen quoad multiplicationem principaliùs consistit in materia. Cùm enim sacramento ordinetur ad bonum suscipientis potiùs multiplicatur ex multiplicatione passionis, quæ se tenet ex parte suscipientis; quàm ex multiplicatione actionis, quæ se tenet ex parte Ministrantis: per hoc enim sacramentum discriminatur à sacrificio, vt præcedente tomo notauimus, quod sacrificio in actione, sacramentum autem in passione principaliùs consistat; vt constat in reliquis omnibus sacramentis:

Concil. Tridentinum.

Sacramentum in quo differat à sacrificio.

vna

vna quippe ablutione baptizandorum plures fiunt baptismi: vna prolatione formæ sacramentalis plura causantur sacramenta Eucharistica.

36. Dico 2. Non sufficit ad nouum sacramentum conficiendum nouam tantùm addere confessionem eorundem peccatorum iam confessorum: sed requiritur prçterea nouus dolor de ijsdem peccatis, quæ iterata confessione subijciuntur clauibus. Fundamentum; quoniam ad nouum Sacramentum conficiendum requiritur noua saltem materia proxima: sed eadem peccata nouâ tantùm confessione subiecta clauibus, non est noua materia proxima à priori distincta: ergo non est sufficiens materia ad nouum Sacramẽtum constituendum. Maior constat ex præcedente assertione. Minor probatur: nam confessio non est pars integrans sacramentum; sed conditio tantùm applicans materiam: contrà verò dolor est pars essentialiter integrans sacramentum pœnitentię. Ad nouum autem compositum sacramentale constituendum, non sufficit noua tantùm conditio; sed necessaria est noua materia, vt patet in quouis alio composito, siue naturali, siue artificiali.

Confessio est conditio applicans materiam.

37. Nec sufficit, vt nouo tantùm actu voluntatis prior dolor applicetur super eadem peccata de nouo confessa: sed requiritur, vt nouus eliciatur, à priori distinctus. Ratio: quia hic nouus actus non præbet nouam materiam proximam: nam hæc non consurgit; nisi ex nouo actu intrinsecè constituente sacramentum. Atqui nouus hic actus, cùm sit tantùm conditio applicans priorem dolorem, non est intrinsecè constituens sacramentum: igitur non potest nouam præbere materiam proximam, constitutiuam noui sacramenti cum nouâ absolutione sacramentali. Hinc patet, non licere, nouam petere absolutionem de ijsdem peccatis semel validè confessis; nisi nouâ confessione, & dolore informatis. Contrariam sententiam, nempè ad nouum sacramentum sufficere, vt eadem peccata noua tantùm confessione, absque nouo dolore informata, docent aliqui apud Dianam tract. 4. de sacramentis. Resol. 116.

38. Dico 3. Licitum est, de ijsdem peccatis validè confessis, & absolutis, nouam petere absolutionem sacramentalem, modò noua confessione saltem virtuali, & nouo dolore formali à priori distincto subijciantur clauibus: & consequenter possunt eadem peccata validè confessa, & remissa, esse materia, saltem remota sacramentalis confessionis. Assertio hæc non solùm colligitur ex communi praxi, & vsu piorum hominum, qui sæpè generales confessiones de suis peccatis aliàs confessis facere solent, etiamsi nullum dubium habeant, quòd priores confessiones fuerint inualidæ; sed etiam ex multis regulis, & constitutionibus sacrorum Ordinum, qui piè, ac sanctè alumnos suos ad generales confessiones faciendas obligant, inter quos Societas nostra non solùm Nouitios, statim atque ad Religionem admittuntur, ad generalem confessionem totius anteactæ vitæ; sed eosdem etiam, postquam sunt per simplicia vota in Religionem cooptati, bis in anno ad semestrem confessionem generalem faciẽdam obligat; sicut & reliquos omnes, qui sunt in gradu constituti ad annuam saltem confessionem generalem quotannis faciendam.

39. Eadem assertio colligitur ex can. *Quem pœnitet* de pœnitentia dist. 1. vbi sic legitur: *Vnde patet, quod quantò pluribus confitebitur in spe veniæ turpitudinem criminis; tantò facilius consequetur misericordiam remissionis.* Quibus verbis non solùm approbatur modus sacramentaliter confitendi eadem peccata pluribus Sacerdotibus, sed etiam additur causa impulsiua ad id factitandum, quæ est facilior remissionis peccatorum consecutio. Nec dici potest, citatum can. loqui de confessione publicâ, quæ antiquitus fiebat, coram multis: nam expressè ibi loquitur de confessione secretâ faciendâ Sacerdotibus: nam paulò post subdit, quærendum esse Sacerdotem doctum, qui sciat ligare, & soluere. Neque tandem dicas, huiusmodi regulas, & canones intelligendos esse, vt semper cum peccatis aliàs validè confessis admisceantur aliqua nunquam confessa; nam cùm id canones, & regulæ non exprimant, non est cur eas absque vllo fundamento debeamus nos ipsi limitare.

40. Fundamentum verò assertionis est: quoniam peccata, etiam validè confessa, & remissa, nouâ confessione, & dolore informata, nouam præbent materiam proximam, vt cum nouâ absolutione sacramentali efficere valeant nouum sacramentum, non modò validum quoad essentiam; sed etiam efficax, & fructuosum quoad effectum: ergo licitum est. Consequentia patet: nam ob hanc tantùm rationem negatur ab Aduersarijs, licitum esse, hoc sacramentum super eadem peccata validè confessa iterare. Antecedens probatur: nam materia, quæ ex parte pœnitentis proximè hoc sacramentum constituit, non sunt peccata, quæ delentur; sed confessio, & dolor de peccatis: ergo his tantùm multiplicatis, etiamsi non multiplicentur peccata, multiplicatur proxima materia sacramenti. Quod autem sit etiam fructuosum, patet: quia, vt suppono, nullus est in subiecto obex, nec nouus affertur sic accedendo, cùm id illicitum non sit, vt Scotus etiam fatetur, quamuis oppositum sentiant reliqui. Atqui omnia sacramenta nouæ legis gratiam conferunt obicem non ponenti: ergo.

Scotus.

41. Probatur 2. Potest peccatum contritione remissum, cum sacramenti absolutione vnum constituere sacramentum, non modò validum quoad essentiam; sed etiam efficax, & fructuosum quoad effectum: ergo poterit peccatum priori cõfessione, & absolutione

lutione sacramentali remissum, cum iterata confessione & absolutione sacramentali nouum constituere sacramentum, non modò validum quoad essentiam, sed etiam efficax & fructuosum quoad effectum. Antecedens est certum: siquidem contritus accedens ad hoc sacramentum non solùm absoluitur à debito, quo tenebatur, manifestandi sua peccata post Baptismum commissa proprio Sacerdoti: sed etiam nouam accipit gratiam, peccatorum remissiuam, vt Aduersarij etiam concedunt. Consequentia vero probatur: tum quia non minus contritus; quàm secundò confitens ad sacramentum accedit cum peccatis iam remissis, & deletis, ac proinde sine materia absoluenda. Tum quia non minùs in vno; quàm in alio debent verificari verba formæ: igitur si hoc non obstat in vno, neque obstabit in alio. Ideo autem in contrito nō obstat: quia licet materia remota sit destructa; sufficit tamen vt eadem proxima effecta sacramentali confessione, & dolore clauibus applicetur, supra quam verificantur verba formę per collationem gratiæ peccatorum remissiuæ, quam per se significant, & causant. Ergo pari modo, non obstabit in secundò confitente: quia licet materia remota sit priori confessione destructa; sufficit tamen, vt eadem nouo dolore, & confessione clauibus applicetur, supra quam verificantur verba formę, per collationem nouæ gratiæ peccatorum remissiuæ.

42. Responderi potest ad hoc argumentum primò, vt respondet Rubio: ideo in contrito hoc Sacramentum esse fructuosum, esto nullum remittat peccatum: quia in illo nunquam habuit effectum; ne igitur sit otiosum, confert per illud Deus aliquem gradum gratiæ, quem conferret, si in eo culpam inueniret. Sed contrà, tum quia hæc responsio supponit in contrito validum fieri sacramentum, non obstante, quòd in eo forma absolutionis non inueniat materiam absoluendam; cùm tamen hoc sit potissimum fundamentum, cur non licitè, & fructuosè possit sacramentalis absolutio iterari super eadem peccata validè confessa, & remissa. Tum quia, si ideo in contrito hoc sacramentum, etiamsi nullum reperiat peccatum, quod actu remittat, fructuosum est: quia in illo nunquam habuit effectum, & ne sit otiosum: pari modo secundum sacramentum, etiamsi nullum reperiat peccatum, quod actu remittat, erit fructuosum: quia nunquam hoc numero sacramentum habuit in tali pœnitente effectum; & ne sit otiosum.

Rubio.

Refutatur.

43. Responderi potest 2. ideo contritū validum, & fructuosum suscipere sacramentum: quia per contritionem fuerunt illi peccata remissa dependēter à clauibus, quibus ex pręcepto Diuino tenemur omnia peccata mortalia; etiam contritione remissa, subijcere, vt docet Trident. sess. 14. cap. 4. Peccata verò, quæ per vnam confessionem sacramentalem remittuntur, non remittuntur dependenter ab alia confessione, sed absolutè. Sed contrà: tum quia hoc saltem verificari non potest de venialibus, quæ nullo præcepto tenemur subijcere clauibus, vt idem Trident. citata sess. cap. 5. tradit. cùm tamen non modo licitè, sed etiam fructuosè possimus ad hoc sacramantum accedere cum solis venialibus contritis. Tum quia per hoc non soluitur potissima difficultas, qua moti Aduersarij negant, peccata semel validè confessa esse materiam nouæ absolutionis sacramentalis, eò quòd verba formæ non verificarentur, cùm non reperiant in huiusmodi confitente materiam capacem absolutionis sacramentalis. Nisi forte Aduersarij dicant sensum formæ esse: *Ego te absoluo à debito hæc peccata amplius confitendi*: quod dici non potest, cùm essentia huius sacramenti consistat in signo absolutiuo à peccatis, non à debito confitendi, vt colligitur ex illis verbis Christi, quibus institutum fuit hoc sacramentum: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.*

Concilium Tridentin.

44. Probatur tertiò. Non solùm licitè; sed etiam cum fructu repetimus, super eadem peccata semel contrita, nouam, & nouā contritionem extra sacracramentum: ergo etiam licitè, & cum fructu possumus, super eadē peccata semel confessa, nouam & nouā sacramentalem iterare confessionem. Consequentia probatur: quia sacramentum confessionis succedit contritionis præcepto, illudque facilitat, & adiuuat, vt quod non potest imperfecta contritio extra sacramentum assequi, assequatur cum sacramento. Ergo sicut, nondum instituto sacramento confessionis, poterant peccatores super eadem peccata cum fructu iterare actus contritionis: ita instituto sacramento confessionis, cum fructu possumus super eadem peccata illud iterare, modo supra explicato: alioqui minùs efficax, & fructuosum in Euangelica lege nobis esset hoc Sacramentum, quàm in veteri fuerit contritionis præceptum.

46. *Obijcies* primò, ex hac sententia sequeretur, etiam peccata ante Baptismum commissa esse materiam, saltem sufficientem sacramentalis confessionis: consequens est contra communem Theologorum sententiam; ergo. Sequela probatur: quoniam si ad licitam, & fructuosam confessionem non requiritur materia absolutionis capax; sed sufficiunt peccata remissa, nouo tantùm dolore informata, poterunt peccata per Baptismum remissa, nouo tantùm dolore informata esse sufficiens materia sacramentalis confessionis. Confirmatur: quia ad nouum sacramentum pœnitentiæ conficiendum, sufficit, nouum tantùm dolorem, tanquam partem essentialem sacramenti afferre; etiamsi non afferatur noua materia absoluenda: igitur poterunt peccata, in Baptismo remissa, nouo dolore informata, esse

esse sufficiens materia sacramenti pœnitentiæ.

46. Resp. primò non deesse, qui putent, etiam peccata ante Baptismum commissa esse materiam non modò sufficientem; sed etiam necessariam sacramenti pœnitentiæ: vt expresè docent Richar. in 4. dist. 17. art. 9. quæst. 4. Angelus verbo *confessio* secundo, num. 2. Syluester *confessio* quæst. 5. & videtur sentire Scotus eadem distinct. 17. quæst. vnica §. *in ista quæstione*, versu, *Item non videretur*: arguens enim contra eos, qui asserebant præceptum confessionis sacramentalis non esse diuinum; sed humanum: *Si hæc, inquit, opinio vera esset, non videretur, quod infideles tenerentur ad præceptum de confessione.* Mouentur autem prædicti Authores adhoc asserendum: quia præceptum de confitendis peccatis non est humanum; sed Diuinum; ergo non solùm ad illud tenentur fideles, qui sunt intra Ecclesiam; sed etiam infideles, extra Ecclesiam existentes; quia præceptum Diuinum obligat omnes: vnde inferunt, infideles vi huius præcepti Diuini teneri sua peccata confiteri alicui Sacerdoti Christiano, licet non teneantur vi præcepti Ecclesiastici singulis annis. Confirmatur: nam Act. 19. legitur, quòd *multi credentium veniebant, confitentes actus suos*: inter quos erant aliqui Gentiles.

Richardus Angelus Syluester Scotus.

Actor. 19.

47. Oppositum tamen, quòd peccata ante Baptismum non sint materia necessaria sacramentalis confessionis, non modò est verum; sed non obscurè etiam videtur à Concilio Florent. in defin. Synodi, & Trident. sess. 6. cap. 14. & sess. 14. cap. 1. & 2. definitum. Definit enim in præcitato Concil. Florent. Pontifex *illorum animas, qui post Baptisma susceptum, nullam omnino maculam incurrerunt, in cœlum mox recipi, & intueri clarè ipsum Deum trinum, & vnum.* Si autem peccata ante Baptismum commissa, essent materia necessaria sacramenti pœnitentiæ; deberent etiam per Baptismum remissa, subijci clauibus: quia in Baptismo non remitterentur, nisi per ordinem ad claues; sicut remittuntur peccata extra sacramentum per contritionem: ergo non possent animæ Baptizatorum, iuxta Concilij decretum in cœlum recipi; etiam si post susceptum Baptisma nullam incurrissent peccati maculam; sed post susceptum Baptismum deberent sua peccata ante Baptismum commissa subijcere clauibus. Tridentinum autem primo loco citato docet, sacramentum pœnitentiæ esse à Christo institutum *pro ijs, qui post Baptismum in peccata labuntur.* In priori verò loco prænotatæ sess. 14. ait: Si iustitiam in Baptismo susceptam constanter tueremur, non opus fuisse aliud ab ipso Baptismo sacramentum, ad peccatorum remissionem institui. Quibus verbis manifestè ostendit, peccata ante Baptismum non esse necessariam materiam huius sacramenti: alioqui præter Baptismum, necessarium etiam fuisset pœnitentiæ sacramentum adhuc constanter conseruatâ Iustitiâ Baptismali. In posteriori verò loco affirmat, sacramentum pœnitentiæ esse lapsis post Baptismum ad salutem necessarium; sicut nondum regeneratis est ipse Baptismus. Vbi etiam causam ex Apostolo assignat: *quia, inquit, Ecclesia in neminem iudicium exercet, qui non prius ipsam per Baptismi ianuam fuerit ingressus.*

Peccata ante baptismū non sūt materia necessaria cōfessionis sacramentalis. Concil. Florent. & Tridentinum.

48. Vnde ad fundamentum oppositi erroris, neganda est consequentia: nam licet præceptum de confitendis peccatis sit Diuinum; non tamen obligat, nisi solos fideles Baptizatos, vt vsus, & praxis Ecclesiæ declarat, & præcitata Concilia indicant: alioqui Baptismus non esset ianua ad reliqua sacramenta. Citatus autem locus Actor. 19. à multis intelligitur non de confessione secretâ, & sacramentali; sed de publica aliquorum peccatorum, vt Idololatriæ: quæ publicè debebant ab ijs, qui in nostram fidem conuertebantur, abiurari. Sed magis ad litteram citatus locus intelligitur de solis fidelibus Baptizatis: nam hi tantùm veniunt nomine *credentium.* Cæterùm Scotus clarè stat pro communi sententiâ catholicâ: nam in 4. dist. 4. quæst. 5. ad 3. argumentum docet, peccata ante Baptismum commissa deleri per Baptismum; non autem peccatum, quod committitur in ipsâ susceptione Baptismi.

Actor. 19.

Scotus.

49. Sed adhuc superest difficultas, an saltem peccata ante Baptismum commissa sint materia sufficiens sacramentalis confessionis: nam etiam contrà hoc vrget argumentum factum. Vnde Resp. 2. huiusmodi peccata neque esse materiam sufficientem sacramentalis confessionis, vti sunt peccata venialia: quæ licet non teneamur; fructuosè tamen possumus sacramentaliter confiteri. Quo fit, vt ex tali peccatorum confessione, & Sacerdotis absolutione nullum fiat sacramentum, cùm Sacerdos nullam habeat supra talia peccata à Christo iurisdictionem, quæ ad huius sacramenti validitatem essentialiter requiritur.

50. Hanc sententiam expressè docent Henriquez lib. 4. de sacra. cap. 9. num. 2. Suarez disp. 18. sess. 1. num. 3. Vasquez 3. parte quæst. 84. art. 5. dub. vnic. in fine: & colligitur ex Vega 13. in Trident. cap. 27. vbi docet, omnia peccata, tam mortalia, quam venialia post Baptismum commissa, esse materiam huius sacramenti: cùm tamen venialia non sint, nisi materia sufficiens: ergo dum peccata ante Baptismum commissa simpliciter excludit à materia sacramentalis confessionis, illa excludit etiam vt materiam sufficientem, alioqui illa inclusisset cum peccatis venialibus. Fundamentum huius sententiæ est paulò ante tactum: quia nec Sacerdos habet iurisdictionem in talia peccata, nec illam habere potest ab ipso pœnitente: sine iurisdictione autem nequit hoc sacramentum validè confici: quia cùm

Henriquez Suarez Vasquez Vega.

hoc

Concil. Tridentinum.

hoc exerceatur per modum actus iudicialis, vt Tridentinum definit sess. 14. can. 9. Iurisdictionem in Ministro essentialiter requirit. Maior quoad primam partem probatur: quia cùm Christus hoc sacramentum instituerit tantùm pro lapsis post Baptismum, vt ex præcitatis Concilijs constat, nullam contulit Euangelicis Sacerdotibus in huiusmodi peccata iurisdictionem. Quoad posteriorem verò constat: quia cùm hæc iurisdictio pendeat à Christo, non potest à pœnitente conferri. Nam licet necessaria sit pœnitentis subiectio, vt Sacerdos per potestatem à Christo acceptam validè possit sacramentale iudicium in illum exercere; haud tamen potest à pœnitente iurisdictionem ad hoc iudicium exercendum accipere. Nec sufficit, quòd pœnitens per susceptum Baptismum fiat Ecclesiæ subiectus, vt saltem post Baptismum possit sua peccata ante Baptismum commissa subijcere clauibus: nam etiamsi pœnitens fiat subiectus Ecclesiæ; non tamen fiunt subiecta clauibus peccata ante Baptismum commissa: cùm non sint commissa tempore, quo pœnitens erat subiectus Ecclesiæ.

51. Ex dictis patet responsio tam ad obiectionem, quàm ad eius confirmationem. Etenim sicut peccata ante Baptismum commissa non sunt sufficiens materia remota sacramenti pœnitentiæ, defectu iurisdictionis, & potestatis in absoluente: ita nec dolor de illis erit sufficiens materia proxima eiusdem: quia materia proxima debet proportionari remotæ. Nec refert, quòd materia proxima sit ab homine subiecto Ecclesiæ: quia cùm proxima debeat facere vnum cum remota, si remota non est sufficiens, neque proxima erit sufficiens: vt si quis afferat dolorem de peccato à se non commisso, talis dolor non erit sufficiens materia proxima sacramenti: quia tale peccatum non est sufficiens materia remota eiusdem sacramenti.

52. *Obijcies* 2. sequeretur, etiam peccatum dubium fore materiam sacramentalis confessionis: nam etiam de peccato dubio potest pœnitens sufficientem habere dolorem. Consequens autem est falsum: quia in peccatum dubium non potest cadere sacramentalis absolutio, quæ certam requirit materiam.

53. Resp. Nos hic loqui posse, vel de materiâ quæ re ipsâ sufficiens sit ad sacramentum conficiendum; vel quæ tantùm sit sufficiens, vt Sacerdos prudenter possit sacramentalem absolutionem impendere. Primo modo, illud tantùm peccatum dubium erit materia sufficiens huius sacramenti, quod re ipsâ est peccatum, non autem quod solùm dubitatur esse peccatum. Nam sicut sacramentum, vt re ipsâ fiat, non pendet ex opinione ministri, vel pænitentis iudicantis, hanc esse materiam sufficientem; sed ex materia, quæ re ipsâ sit talis, qualis fuit à Christo Domino instituta: ita illud peccatum erit materia sufficiens huius sacramenti, quod re ipsâ, & non ex opinione ministri, aut pœnitentis est peccatum.

54. Secundo modo, illud peccatum dubium erit sufficiens, vt Sacerdos prudenter possit sacramentalem absolutionem impendere, quod magis ipsius intellectum inclinat ad iudicium affirmatiuum, quod sit peccatum. Cæterùm ad dubium tollendum debet Sacerdos in eo casu pœnitentem monere, vt cum dubia certam adhibeat materiam; vel absolutionem impendat sub conditione. Quod omninò faciendum puto, quando dubium in neutram partem potest Sacerdotis iudicium inclinare. Ex his constat ad obiectionem: nam si pœnitens confitetur dubium, quod re ipsâ peccatum est, validum conficitur sacramentum; secus si re ipsâ peccatum non sit. Quamquam vt dixi, semper debet pœnitens cum dubio certum aliquod peccatum confiteri.

55. An autem teneamur dubium peccatum confiteri: negant aliqui apud Dianam tract. 4. de sacramentis resol. 60 fundamentum: quoniam ex Tridentino sess. 14. c. 5. non tenemur confiteri, nisi peccata mortalia, quorum post diligentem discussionem conscientiam habemus: sed conscientia peccati dubij, non est conscientia peccati. Confirmatur non debet præsumi peccatum, nisi probetur: sed per dubium, peccatum non probatur: igitur non debet præsumi peccatum. Neque dicat: confitendum esse dubium peccatum, vt pœnitens se in tutiori statu ponat: quia si fortè peccatum dubium re ipsa sit peccatum, non remittitur, si clauibus non subijcitur: nam tale peccatum remitteretur indirectè ad instar peccati obliti. Affirmant verò alij. Fundamentum: quia peccatum dubium, etsi non sit certum; est tamen sub aliqua ratione saltem dubia peccatum, ac proindè sub ea subijcibile clauibus. Vtraque sententia probabilis est: sed posterior probabilior, saltem auctoritate Doctorum. Legatur Suarez Disp. 22. sect. 9. num. 7.

56. *Obijcies*. 3. Potest idem peccatum validè confessum, & remissum, nouâ confessione, & dolore informatum, nouum sacramentum fructuosum conficere: ergo poterit nouum peccatum pristino dolore informatum nouum, & fructuosum conficere sacramentum: vt si post omnia peccata sacramentaliter confessa, & absoluta, nouum occurrat, quod antea non occurrebat, posset pœnitens absque nouo dolore illud clauibus subijcere in virtute doloris præcedentis, cum quo constitueret nouam materiam nouę absolutionis sacramentalis, capacem.

57. Resp. distinguendo consequens: nam vel nouum peccatum post sacramentalem absolutionem occurrens, est mortale, vel veniale. Si mortale; aio, non sufficere præcedentem dolorem virtualem, ad præbendam nouam materiam, pro nouo

sacramento

Sacramento conficiendo: sed requiri nouum dolorem formalem, de tali peccato in specie. Ratio: quoniam vt disp. 4. sect. 3. & 6. ostendimus, tenemur habere formalem pœnitentiam de peccatis mortalibus; ergo maximè, quando ea subijcimus clauibus, ad eorum remissionem impetrandam. Non dico, quòd de singulis peccatis mortalibus sit necessaria pœnitentia formalis, cùm possit vna cadere in omnia memoriæ præsentia: sed dico, necessariam esse pœnitentiam formalem, & non sufficere virtualem: qualis est, quando detestatio formaliter tantùm cadit super peccata memoriæ præsentia, & virtute tantùm super ea, quæ non sunt memoriæ præsentia: tunc enim tenemur nouo dolore formali detestari ea, quæ non erant memoriæ præsentia, quando fiunt nobis cogitatione præsentia, præsertim cùm eà pœnitentiæ clauibus subijcimus. Potissimum Fundamentum est: quoniam scripturæ, Concilia, & Patres, qui ad remissionem mortalium requirunt pœnitentiam, non possunt explicari de pœnitentia tantùm virtuali. Nec sufficit, vt præcedens dolor virtualis nouo dumtaxat actu pœnitentis applicetur ad nouum peccatum confitendum: quia cùm nec præcedens dolor, nec præsens actus sit sufficiens pro præsenti peccato (nam suppono talem actum non esse dolorem) neuter erit sufficiens materia sacramenti.

58. Ex his infertur, non modò pœnitentem teneri nouo dolore detestari tale peccatum, si confitendum sit post absolutionem; sed etiam si occurrat ante absolutionem: immo etiamsi illud occurrat ante confessionem, post elicitum dolorem formaliter cadentem super ea, quæ sunt memoriæ præsentia: quia semper de illo manet obligatio formaliter dolendi, quando actu menti occurrit, & proponitur clauibus subijciendum. Adde, quòd, vt ex præcitata disp. constat, non est virtualis dolor ille, qui statim non erumpit in formalem de peccatis memoriæ recurrentibus.

59. Si verò peccatum est veniale; aut præcedens dolor non censetur moraliter perseuerare: vt si illud confitendum sit post notabilem moram temporis ab accepta absolutione de prioribus peccatis: & tunc certum est, opus esse nouo dolore formali de tali peccato ad præbendam nouam materiam, nouæ absolutionis sacramentalis capacem. Aut censetur moraliter perseuerare: vt si illud confitendum sit statim post priorem absolutionem: & tunc probabile est, sufficere præcedentem dolorem moraliter informantem præsens peccatum, etiamsi præcedens dolor virtute non se extenderit ad præsens peccatum. Quia cùm de venialibus non teneamur formalem dolorē habere, etiā quando ea subijcimus clauibus, modò formalem dolorē de aliquo ad essentiam Sacramenti requisitum habeamus; cumque in tali casu præcedens dolor moraliter perseueret, sufficiet cum nouo peccato, ad præbendam nouam materiam nouæ absolutioni sacramentali; etiamsi virtute ille non se extendat ad præsens peccatum. Fundamentum est: quia sicut idem peccatum, nouo dolore informatum, est sufficiens materia nouæ absolutionis sacramentalis: ita è conuerso idem dolor cum nouo peccato erit sufficiens materia nouæ absolutionis sacramentalis: nam idem dolor per nouum peccatum fit virtute, & æquiualenter duplex. A fortiori sequitur: non esse opus nouo dolore de illo, si occurrat, & debeat quis confiteri ante absolutionem aliorum peccatorum.

60. *Obijcies* 4. Si ad nouum sacramentum fructuosè conficiendum sufficit peccatum confessum, & remissum noua confessione, & dolore informatum; sufficiet etiam pœna propter præteritum peccatum confessum imposita, cum noua confessione, & dolore sacramentali. Sequela probatur: nam pœna propter præteritum peccatum confessum imposita perinde se habet, ac peccatum ipsum validè confessum, & remissum.

61. Resp. negando sequelam. Ratio discriminis: quia pœna nullo modo est materia confessionis sacramentalis. Nam materia confessionis sacramentalis sunt tantùm proprij actus culpabiles pœnitentis; pœna autem, cùm non sit proprius actus culpabilis pœnitentis; sed Ministri Dei correctiuus culpæ, non poterit esse sufficiens materia sacramentalis absolutionis. Peccatum verò remissum, etsi non sit ampliùs actus culpabilis pœnitentis; quia tamen fuit, potest noua confessione & dolore informatum, nouo titulo fieri capax nouæ absolutionis sacramentalis: sicut potest cōtritione remissum adhuc noua pœnitentia, nouo titulo extra Sacramentum remitti.

62. Ad fundamentum primæ sententiæ Resp. ad essentiam huius sacramenti necessariam quidem esse materiam ex se idoneam, vt aliquo titulo absolui possit; quâ de causâ non sunt sufficiens materia, vel quæ peccata non sunt, vel quæ à pœnitente non sunt commissa: nego tamen, non sufficere peccata semel validè absoluta: nam saltem ea possunt nouo titulo iteratæ confessionis, & doloris sacramentaliter absolui. Nam sicut ea, contritione remissa, possunt, iteratis contritionibus, iterum nouo titulo remitti: ita confessione absoluta possunt, iteratis absolutionibus, nouo titulo iterum absolui.

63. Ex quo patet ad omnes probationes ibi factas. Nam & ad sacramentum absolutiuum sufficit, vt quantùm est de se, gratiam conferat peccatorum absolutiuam: & verba ipsa absolutionis verificantur per collationem gratiæ peccatorum remissiuæ, quam significant, & causant: est enim illorum sensus, vt S. Thomas docet. 3. p. q. 84. art. 3. ad vltimum in fine: *Sacramentum absolutionis tibi impendo*: quod idem sonat,

S. Thomas.

quod,

quod, *sacramentaliter te absoluo* vt Caiet. ibidem docet, *siue gratiam peccatorum remissiuã tibi do*: quod cum priori explicatione recurrit. Tandem falsum est, peccata semel remissa, nõ esse ampliùs capacia nouæ absolutionis sacramentalis, saltem nouo titulo: alioqui neque peccata contritione remissa essent capacia sacramentalis absolutionis.

64. Ad primum 2. sententiæ, negatur minor. Ad cuius probationem dico, in eo casu sacramentum conferre gratiam per se remissiuam tum culpæ, esto illam non inueniat; tum pœnæ etiam temporalis, si quam in pœnitente reperiat. Ad illud autem, quod Author tanquam absurdum infert, nego esse absurdum. Nam sicut potest pœnitens per alios actus pœnitentiæ pro suis peccatis satisfacere: ita poterit per frequentatos actus sacramentalis confessionis, quæ propter difficultatem, & erubescentiam, est aptissima materia satisfactionis. Vnde sæpe confessarius pro pœnitentia iniungit frequentem vsum huius sacramenti. Quod tamen non debet absque prudenti consilio, & probabili spe, quòd pœnitens sit hoc præceptum executurus, imponere, ne illum exponat periculo incurrendi nouum peccatum.

65. Ad 2. negatur sequela. Ad cuius probationem, primò neganda est maior: nam sacramentum Extremæ Vnctionis est per se institutum ad quosdam effectus, ad quos non est per se institutum sacramentum pœnitentię, vt infrà in propria materia ostendam. Secundò, negatur consequentia: nam possunt respectu eiusdem morbi plures esse medicinę: sicut de facto respectu remissionis peccatorum venialium sunt plura media à Deo instituta. Ex eo igitur, quòd venialia remitti etiam possint per sacramentum pœnitentiæ, non sequitur, sacramentum Extremæ Vnctionis esse superfluum: sicut ex eo, quòd eadem venialia remitti possint per contritionem vel attritionem extra sacramentum, non sequitur, sacramentum pœnitentiæ respectu illorum esse superfluum.

66. Ad 3. dispar est ratio de cæteris sacramentis: nam vel per iterationem non ponerentur omnia ad eorum essentiam requisita; & consequenter licitum non erit, ea iterare: cùm nunquam liceat inualidum, & dimidiatum sacramentum attentare, cùm id redundet in apertam sacramenti iniuriam: Vel eorum iteratio prohibetur vsu, & consuetudine Ecclesiæ, contra quam in re tam graui agere, licitum non est. Baptismus igitur, Confirmatio, & Ordo complentur in ratione Sacramenti per ipsum spiritualem characterem, quem in anima suscipientis indelebiliter imprimunt. Quod inde constat: quia non sunt productiua gratiæ sacramentalis, nisi completa per characterem: solùm enim externum symbolum non est sufficiens causa gratiæ, nisi coniunctum cum interno charactere. Quare si hæc iterarentur super eandem personam, per talem iterationem non ponerentur omnia ad eorum essentiam requisita: quia non poneretur internus character, quia cùm supponerent productum per priora sacramenta, illum non producerent: proinde non fierent completa, ac proinde valida in ratione Sacramenti; & consequenter nec productiua gratiæ, quia hæc supponit sacramentum completum, in ratione sacramenti, tanquam causam sui. Sacramentum Eucharistiæ essentialiter constituitur ex speciebus panis, & vini; ex corpore, & sanguine Christi Domini. Quæ omnia cùm in materia validè consecrata, noua prolatio formæ sacramentalis reperiat producta, non poterit super illam iterata nouum efficere sacramentum. Sacramentum matrimonij, cùm essentialiter consistat in mutua traditione, & acceptatione corporum ad finem prolis gignendæ; cumque iterata traditio, & acceptatio eorundem corporum non ponat nouam materiam, non poterit nouum efficere sacramentum. At verò iteratio sacramentalis, confessionis eiusdem peccati, nouo dolore informati, affert nouam materiam proximam nouæ sacramentalis absolutionis capacem: ac proinde per talem iterationem ponuntur omnia essentialiter requisita ad nouum sacramentum pœnitentiæ.

67. Dices. Sicut per nouam confessionem sacramentalem, & dolorem eorundem peccatorum ponitur noua materia proxima, supra quam cadere potest noua absolutio sacramentalis: ita per nouos actus coniugum super eadem corpora ponitur noua materia proxima capax noui sacramenti Matrimonij. Resp. negando paritatem; quia cùm Matrimonium sit quidam contractus, qui principaliter consistit in commutatione materiæ; cumque per iteratos actus coniugum non iteretur materia commutanda, quæ sunt ipsa coniugum corpora, non poterunt huiusmodi iterati actus ponere sufficientem materiam ad nouum sacramentum Matrimonij conficiendum. Contrà verò cùm sacramentum pœnitentiæ sit sacramentum reconciliationis peccatoris cum Deo, quod principaliter consistit in dolore pœnitentis, & absolutione Ministri, vt Vicarij Dei, per solam repetitionem dolorosæ confessionis eiusdem peccati condonati, & remissi, & absolutionis sacramentalis, ponitur tota essentia sacramenti pœnitentiæ.

68. Demum etsi sacramentum Extremæ Vnctionis validè iterari possit: cùm quæuis iteratio ponere possit nouã materiã proximam nouæ formæ sacramentalis capacem, ac proinde nouum sacramentum efficere, non tamen per Ecclesiæ consuetudinem licèt, illud in eadem infirmitate physicè, ac moraliter durante repetere. Idque ex eo, quòd sacramentum hoc est principaliter institutum ad iuuandum infirmum peculia-

ribus

ribus auxilijs, ad difficultates tentationesque in articulo mortis occurrentes superandas: quæ auxilia, cùm durante eadem infirmitate vi huius sacramentis semel ritè suscepti semper sint infirmo parata, superfluum censetur idem sacramentum in eadem infirmitate repetere. Cæterùm, an interdùm liceat in eadem infirmitate illud repetere, dicemus infrà, cùm de hoc sacramento instituta erit disputatio. Quòd autem possit super eandem materiam remotam validè hoc sacramentum iterari, constat à paritate Baptismi, in quo eadem aqua, quæ est materia remota, pluribus ablutionibus super diuersas personas applicata, fit proxima materia capax plurium formarum sacramentalium, ac proinde plurium Baptismorum. Ergo idem oleum, quæ est materia remota Extremæ-Vnctionis, pluribus vnctionibus, non modò diuersis; sed eidem infirmo applicata, fiet proxima materia plurium formarum, ac proinde sacramentorum Extremæ-Vnctionis.

69. Dices. Cur eadem materia remota Eucharistiæ non potest fieri proxima materia capax nouę consecrationis? Respondeo quia proxima materia Eucharistię non est panis, & vinum noua actione Ministri applicabilis pluribus formis consecrationis, vti est materia proxima reliquorum sacramentorum; sed sunt ipsa accidentia panis, & vini, quatenus continent corpus, & sanguinem Christi Domini: quę vt sic, non sunt ampliùs idonea constituere, cum noua forma consecrationis, nouum sacramentum Eucharisticum, cùm ipsamet accidentia continentia corpus, & sanguinem Christi, sint integrum, & completum sacramentum. Cuius ratio à priori est: quia hoc sacramentum consistit in ipsa transmutatione materię in corpus, & sanguinem Christi, quæ semel per consecrationem transmutata, non est ampliùs applicabilis alteri formæ sacramentali, cùm non possit per nouam formam sacramentalem iterum transmutari in corpus, & sanguinem Christi, & fieri nouum sacramentum. Sacramentum verò Baptismi, Confirmationis, Ordinis, & Extremæ-Vnctionis, non consistit in transmutatione; sed in vsu tantùm materiæ: potest autem eadem materia diuersis operationibus successiuè applicari pluribus, ac proinde fieri proxima materia plurium formarum sacramentalium, atque adeo plurium sacramentorum.

Sacram. Eucharistia consistit in ipsa transmutatione materia.

Quæ sacram. cõsistant non in transmutatione sed vsu tantùm materia.

70. Ex his patet ad confirmationem: nam etiamsi omnia sacramenta sint collatiua gratiæ; non tamen semper licet, ea ad gratiam tantùm augendam iterare; vel quia vsus, & praxis Ecclesiæ non permittit; vel quia non semper per iterationem ponitur noua materia integra, & completa ad nouum sacramentum conficiendum sufficiens.

SECTIO IV.

An confessio debeat esse integra formaliter?

71. Dupliciter dicitur confessio integra: Primum materialiter, per quam pœnitens confitetur omnia mortalia, quæ ab vltima confessione commisit. Secundò formaliter, per quam confitetur omnia, quæ hic, & nunc, facto diligenti examine, occurrunt, etiamsi omittantur aliqua ob naturalem obliuionem, vel aliam iustam ob causam. Prior necessaria non est, cùm nec sit in nostra potestate, nec semper expediens. Quæritur ergo, an sit necessaria posterior: quæ adhuc dupliciter pôtest esse integra; Primò respectu peccatorum, quæ sunt confitenda, vt ex ijs nullum taceatur: Secundò respectu confessoris, vt eidem omnia confiteamur; quæ à prima integritate deficit, ficta: quæ à secunda, dimidiata confessio dicitur.

Confessionis integritas alia materialis, alia formalis.

Dupliciter confessio potest esse integra formaliter.

72. Primus error Wicleffi apud Waldens. to. 2. c. 135. Petri Osomensis in sum. Concil. sub Xisto 4. & recentiorum Hæreticorum apud Bellar. lib. 3. de pœnit. cap. 1. negantium. Fundamentum: quia confessio auricularis non est de iure diuino, cùm ex nullo Scripturæ loco colligatur; sed ex humano instituto ab Innocen. 3. in Concil. Lateranensi condito. Atqui humana potestas, ius non habet in peccata interna: cùm illa non subiaceant humanæ potestati, quę non iudicat nisi de externis: ergo non obligat confessio de peccatis internis. Addebat Osomensis, nec faciendam esse confessionem de peccatis manifestis, cùm illa nota sint confessori; sed tantùm de secretis. Confirmatur: quia in multis casibus licet dimidiare confessionem, vt si fias impotens, si reseruata confitearis superiori, non reseruata verò inferiori; si peccatum taceas, ne complicem reueles &c.

Error Wicleff. & Petri Osomensis.

73. Secundus Bass. in 4. dist. 17. qu. 2. art. 1. in fin. Gabr. q. 1. art. 1. in fine, Medinæ Cod. de confess. q. 2. affirmantium, id esse de iure diuino, sed negantium, id sufficienter colligi ex Euangelio; sed tantùm haberi traditione, & consuetudine Ecclesiæ.

Bassolus. Gabriel. Medina.

74. Dico 1. Confessio sacramentalis debet esse integra formaliter, vni Sacerdoti facta. est de fide ex Florent. in decreto Eugenij, & Trident. sess. 14. cap. 5. & can. 7. vbi definiunt, confitenda esse omnia, & singula peccata mortalia, quorum memoriam pœnitens habet post diligentem sui discussionem, etiamsi occultissima sint, eidem Sacerdoti. Fundamentum assignat Trident. quoniam hoc sacramentum est quoddam sacramentale iudicium, quod cognita causa Sacerdos ferre debet; æquitas autem iudicij integram confessionem delicti postulat, vt pœna, quam Iudex imponere debet, proportionetur delicto.

Concilium Florentin. & Trident.

75. Confirmatur: nam finis huius sacramenti est remissio peccatorum, & reconciliatio cum Deo: non potest autem vnum peccatum remitti sine alio; ergo nec vnum sine alio absque vrgente causa possumus confiteri. Consequentia probatur: quia Deus in hoc sacramento peccata remittit in forma Iudicij, media accusatione rei, & sententia Iudicij: atqui sententia Iudicis præsupponit integram accusationem rei; ergo. Nec obstat, quòd possit quis absolui ab vna excommunicatione, & non ab alia. Nam hæc consistit in extrinseca priuatione participationis bonorum, quæ priuatio induci potest ob plures titulos, quorum vnus tolli potest absque alio; at peccatum consistit in priuatione diuinæ amicitiæ: Repugnat autem peccatum tolli absque restitutione diuinæ amicitiæ; sed hæc cum nullo peccato mortali stare potest: repugnat igitur, remitti vnum peccatum sine alio; non autem vnam excommunicationem sine alia.

Cur vna excommunicatio tolli possit, non sublata altera.

76. Quòd autem sint omnia vni Sacerdoti confitenda. Probatur primò: quia præceptum confessionis ex Christi institutione subrogatum est præcepto contritionis; sed contritio non delet peccata, nisi detesteris omnia; ergo nec confessio, nisi subijcias omnia Sacerdoti.

Peccata omnia vni Sacerdoti sunt confitenda.

77. Secundò. Implicat pœnitentem accedere dispositum, si non accedit cum voluntate confitendi omnia: ergo ad effectum sacramenti necessaria est confessio integra formaliter. Consequentia patet: quoniam dispositio pœnitentis est necessaria ad hoc sacramentum, vt pars intrinsecè constituens. Vnde sacramentum sine debita dispositione non solùm erit informe; sed etiam inualidum.

78. Tertiò ex S. Thoma in 4. dist. 17. q. 3. art. 4. quæstiuncula 2. hoc sacramentum institutum est in medicinam animarum: sed in medicina corporis non sat est, vt medicus cognoscat vnum morbum; sed vniuersam infirmi habitudinem, cùm soleat vnus morbus aggrauari ex coniunctione alterius, & medicina, quæ prodest vni, sæpe obest alteri morbo: ergo nec in medicina animæ sat erit, vt medicus spiritualis cognoscat vnum morbū; sed vniuersam pœnitentis habitudinem, vt possit competens remedium adhibere.

S. Thomas.

79. Dices. Potest Sacerdos consecrare vnam partem hostiæ, & non aliam; ergo potest confessarius absoluere ab vno peccato, & non ab alio. Sed disparitas est: quia vna pars materiæ non habet essentialem connexionem cum alia in ordine ad consecrationem; at vnum peccatum habet essentialem connexionem cum cæteris in ordine ad remissionem, & ideò repugnat absolutionem cadere super vnum & non super omnia. Vnde eo ipso, quòd confessarius non haberet volūtatem absoluendi ab omnibus, nihil efficeret. Cuius ratio est, quia peccata absoluūtur media gratiā, cui quodlibet mortale repugnat. Etsi possit absoluere ab vno veniali & nō ab omnibus, quia hæc non repugnant cum gratia.

Cur vna particula sine altera consecrari possit, & non vnum peccatum sine alio absolui.

80. Dico 2. Quòd confessio debeat esse integra formaliter, ius est diuinum. Est de fide ex Trident. sess. 14. cap. 5. & can. 7. Fundamentum: quoniam id censetur ius diuinum, quod ab ipsis incunabulis nascentis Ecclesiæ, absque vlla interruptione semper obseruatum est, & cuius nullum extat vestigium humani præcepti; talis est confessio integra formaliter. Maior constat, alioqui neganda esset diuina traditio, cuius semper initium ignoratur. Minorem eruditissimè ostēdit Bellarminus lib. 3. de Pœnit. à cap. 5. vbi ex multis Conciliorum, & Patrum testimonijs probat, vel ab ipso exordio nascentis Ecclesiæ hunc morem, ad aures Sacerdotis confitēdi, semper à fidelibus obseruatū fuisse. Et sanè difficilè creditu est, præceptum tam arduum, qualis est confessio omnium peccatorū, humano Iure, nullo Principe reclamante, in totam Ecclesiam induci potuisse.

Concilium Trident.

Bellarm.

81. Dico 3. Hæc formalis integritas cōfessionis euidenter deducitur ex Euangelio: docet Trident. sess. 14. cap. 5. Ratio deductionis est, quia cùm Christus Ioan. 20. Sacerdotes instituerit sui Vicarios, & Iudices animarum, ad quos fideles accederent, vt suorum criminū absolutionem reportarent; cumque non possit vnum peccatum sine alio coram Deo remitti, necessariò sequitur, vt omnia sua peccata debeant eidem Sacerdoti confiteri: tum vt pœnitens omnium suorum criminum absolutionem recipiat; tum vt Sacerdos integrum formet de pœnitente iudicium, & proportionatam applicet delicto pœnam, ac morbo remediū. Vnde verba illa, *Quorum remiseritis peccata* &c. intelliguntur de omnibus, quæ memoriæ pœnitentis obuersantur: quia, cùm sit propositio indefinita, æquiualet vniuersali.

Conc. Trid. Ioan. 20.

82. Dices. Potuisset Christus ea lege confessionem instituere, vt tunc peccata remitterentur, quando peccator omnia iam esset confessus 2. vel 3. Sacerdoti. Non inficior, id potuisse, atque eo modo saluari, quo pacto non dimittatur vnum sine alio; sed rationes supra allatæ oppositum suadent.

83. Ad fundamentū primi erroris respōdet Trid. sess. 14. cap. 5. in eo Concilio, non confessionem institutam; sed tempus dumtaxat determinatum fuisse, quo omnes Christi fideles, cùm ad annos discretionis peruenerint, teneantur saltem semel in anno omnia sua peccata proprio Sacerdoti confiteri: vt habetur cap. *Omnis vtriusque sexus*, de pœnitentijs, & remissionibus.

Conc. Trid.

84. Ad id, quod addebat Osomensis respondeo: notitiam peccati ad hoc sacramentum requisitam debere procedere ex confessione ipsius pœnitentis, nec sufficere; immo nec debere confessorem moueri ad pœnitentem soluendū, vel ligandū ex alia cognitione, quàm sacramētali: quia cùm hoc sacramentū per se ordinetur ad propriā recōciliationem confitentis cum Deo, & reconciliatio de necessitate requirat accusationem proprij delicti, de necessitate fundatur in notitia peccati

habita

habita ex cõfessione pœnitentis. lege Bonau. in 4. dist. 17. q. 2. art. vlt. & Petrum Sotum de confessione lect. 10.

45. Ad confirmationem constabit infrà. Ad fundamentum verò secundæ, constat ex dictis.

SECTIO V.

An confessio debeat esse integra quoad speciem & numerum peccatorum?

Sententia Caietanus. Canus. Nauarrus.

86. PRIMA sententia Caiet. tom. 1. opusc. tract. 5. qu. 3. Vict. in sum. Cani relect. de sacramento Pœnitentiæ p. 6. ad 4. argumentum contra 3. conclusionem, Nauar. in caput, *considerat*, de pœnit. dist. 5. n. 18. negantium quoad omnes species. distinguunt enim duplices species peccatorum, alias notas mediocriter doctis, quæ diuersum pariunt iudicium; in ordine ad salutares pœnas iniungendas; alias subtiliores paucissimis notas, quę diuersum iudicium confessori non gignunt. Exemplum afferunt primò in geomantia, hydromantia, areomantia, pyromantia: quæ, vt notat Caiet. 2. 2. q. 95. art. 3. sunt peccata diuinationis specie diuersa; nemo tamen ea cēset distinctè esse in confessione explicanda. 2. in bestialitate, in qua non est explicanda species bestiæ. Fundamentum: quia iudicium sacramentale, cùm ordinetur ad salutem pœnitentis, eam culpæ notitiam postulat, quæ satis sit ad conueniens remedium pœnitenti adhibendum. Accedit communis mos tam confitentium; quàm absoluentium, qui subtiliores species peccatorum non curant. Confirmatur: quia non semper pœnitens, aut confessor scit distinguere inter vnam speciem peccati, & aliam, & tamen tunc confessio valida est: igitur.

Caietanus

2. Sententia communis.

87. SECVNDA communis tam antiquorū in 4. dist. 17. & 18. quàm recentiorum affirmantium, & quoad species, & quoad numerum peccatorum cõfessionem debere esse integrā formaliter. Pro explicatione nota, aliud esse quærere, an explicare speciem, & numerū peccatorum sit per se necessariū ad sacramentalem cõfessionem: quod hic tantùm intendimus; aliud, an facilè possit talis confessio, quæ huiusmodi subtiliores species peccatorū non explicat, excusari: quod vltro concedimus.

88. DICO 1. Confitendæ sunt omnes species atomæ morales peccatorum. Colligitur ex Trid. sess. 14. cap. 5. & can. 7. vbi definit, in confessione explicandas esse circūstantias, quæ speciem mutant. Et fundamentum ibidem assignat, alioqui peccata ipsa neque à pœnitentibus integrè exponerentur; nec Iudicibus perfectè innotescerent: vnde nec de eis rectum iudicium, nec pœnam culpæ proportionatam imponere possent.

Trident.

89. Confirmatur: nam ex Christi institutione tenemur omnia peccata in specie confiteri: at qui tacet aliquas species, non omnia in specie confitetur. Nec sufficit, ea in proximo genere subalterno, vt Caiet. ait, cõfiteri: quia possunt plures species specialissimæ sub eodem genere subalterno contineri.

Caietanus.

90. Notanter dixi, *omnes species atomæ morales:* quoniam de physicis non habetur ratio in hoc sacramentali iudicio. Vnde si plures species physicæ non variant moralem, confitendæ non sunt. Contrà verò si vna species physica continet plures morales, omnes distinctè confitendæ erunt: vt si vno actu appetas plura obiecta illicita specie diuersa, inuicem non ordinata, si vno verbo blasphemes Deum, & Sanctos; si vno ictu interimis clericum, & laicum.

Regula ad dignoscendū qua circumstantia mutent moralem speciem peccatis. S. Thomas.

91. Ad dignoscendum autem, quæ circūstantiæ mutent moralem speciem peccati, hęc sit tibi regula ex S. Tho. in 4. dist. 16. q. 3. ar. 2. quæstiuncula 3. quotiescunque circumstantia, vltrà malitiam principalem actus, specialem affert cum ratione repugnantiam, mutat speciem peccati, & nouā addit malitiam moralem diuersam. Vt adulterium, pręter malitiam fornicationis oppositam castitati, importat specialem deformitatem contra Iustitiam. Sacrilegium, pręter peccatum furti, homicidij, fornicationis, dicit specialem irreuerentiam contra res, locum, aut personas sacras: fit enim sacrilegium non solùm rei sacrę; sed etiā loco sacro, vt docent Argent. in 4. dist. 16. ar. 2. Sà verbo *Sacrilegium*, Nugnez addit. ad 3. partem q. 9. ar. 2. dub. 2. Stuprum, superaddit violationem claustri virginalis; Raptus violentiam; Incestus irreuerentiam in personas sanguine, & affinitate iunctas, quæ ex copula licita extenditur vsque ad quartum gradū, ex illicita verò vsque ad secundum. Nec solùm contrahitur inter agnatos carnales; sed etiam spirituales per Baptismum, & Confirmationem; non tamen inter confessorem, & pœnitentem. Cōcubitus cum infideli, Iudæa, Turca: nam sicut inter hos prohibita est ab Ecclesia copula licita per matrimoniū, ob Christianæ Religionis reuerentiam: ita ob eandem rationem prohibita censetur copula illicita. Vnde talis fornicatio addit specialem malitiā contra Ecclesiam prohibitionem, qua cessante, cessaret specialis malitia talis peccati, vt rectè notauit Sanchez tomo 2. de Matrim. lib. 7. disp. 5. num. 15. quę ratio militat etiam in coitu frigidi, & Eunuchi cum muliere, inter quos ob impotentiam generandi prohibitum est matrimonium. Vnde malitiam huius peccati Sanchez l. cit. reducit ad peccatum contra naturam.

Argentinas. Sà. Nugnez.

Sanchez.

92. Explicandus est in cõfessione primus & secundus gradus consanguinitatis, qui videntur notabilem deformitatem suprà reliquos afferre. Sodomia est maris cum mare, fœminæ cum fœmina, & viri cū fœmina, vase præpostero, quæque inter cognatos, affines, coniugatos, & voto castitatis astrictos, specie differt, notabilem deformitatem dicit contra naturam: contra quam, diuerso tamen modo, procedit

procedit pollutio & bestialitas, quæ nec diuersificatur à diuersitate suppositorum, nec brutorum, vt rectè Caiet. 2. 2. q. 154. ar. 11. ad 3. dubium, Estque omnium peccatorum contra temperantiam grauissimum. Ad hanc reducitur coitus cum dæmone.

Caietanus.

93. Quare explicādæ sunt primò circumstantiæ, quæ peccatum de veniali mutant in mortale, vel ob grauitatem materiæ; vt in furto, vel ob finem extrinsecum, vt lautè comedere ad excitandam venerem.

94. Secundò, quæ opponuntur diuersis virtutibus: vt frangere ieiunium præcepti, & voti simul: proferre mendacium cum iuramento, & notabili damno alterius committere peccatum, cui annexa sit excommunicatio, vel præceptum superioris: nam vltra malitiā obiecti, admiscetur malitia inobedientiæ expressæ; secus quando peccatum est tantùm reseruatum, aut prohibitum pluribus præceptis eiusdem, aut diuersorum superiorum, in ordine ad eandem virtutem, vt omittere sacrum, frangere ieiunium, duplici lege præceptum: quia diuersa præcepta, nisi inducant diuersa motiua, non fundant distinctas virtutes; nec sola voluntas pręcipientis, nisi transeat in speciale motiuum obedientiæ, diuersificat actum, cùm sit extrinseca obiecto, à quo tantùm desumitur specifica bonitas, vel malitia actus humani.

95. Tertiò, quæ eandem virtutem in ordine ad diuersos actus specie notabiliter lædunt, vt non corrigere fratrem: scandalum illi præbere: extremè indigenti non subuenire; sunt enim hęc opposita Charitati, seu Misericordiæ, quam in ordine ad diuersa bona debemus proximo. Item proximum lædere in bonis fortunæ, honoris, personæ: quia hæc sunt diuersa peccata contra eandem Virtutem Iustitiæ. Item carnem edere die ieiunij, & non comedere semel in die, specificè opponuntur temperantiæ.

96. Quartò, quæ actum à malitia mortali excusant, vt si hominem occidisti; sed in defensionem tui, vel proximi; si blasphemasti; sed non plenè aduertens: si in furto excessisti; sed in extrema necessitate constitutus: si ieiunium, vel sacrum in die festo omisisti; sed ex causa: si ad mentem interrogantis non respōdisti; sed non iuridicè interrogatus.

97. Dico 2. Confitendus est distinctè numerus omnium peccatorum, ex Florent. & Trident. sess. 14. cap. 5. & 7. quæ definiunt, omnia, & singula mortalia esse confitenda. Constat ex dictis: quia nec remitti possunt peccata, quin omnia remittantur; nec Deus omnia remittit, quin omnia confiteamur, cū confessio succedat contritioni, in qua, nisi omnia detestentur, nullum remittitur.

Concilium Florent. & Trident.

98. Aduertunt Doctores, numerū peccatorum non esse Metaphysicè; sed moraliter confitendum, plùs, minùs, vt conscientia dictat post diligens examen. Vnde notat Sotus in 4. dist. 18. q. 2. art. 4. post 2. cōclusionem: Quod si quis confessus est, se decies circiter peccasse, si deinde recordetur, se peccasse duodecies, non tenetur hunc excessum explicare: quia iam censetur explicatus in primo numero; secus si excessus sit notabilis: quia tunc non censetur in primo numero moraliter explicatus.

Numerus peccatorum non est metaphysicè confitendus. Sotus.

99. Cæterùm numerica distinctio peccatorum colligitur primò, quādo eadem specie peccata interrupta, iterum continuantur; interrumpuntur autem primò actu contrario, explicito, vel implicito. 2. interpositione alterius negotij diuersi. 3. morali cessatione prioris actus. non est autem moralis interruptio, quoties quis physicè tantùm cessat ab opere externo assumpto vt medio ad patrandū peccatum. non enim homicidium interrūpit, qui ex præcedente voluntate emit gladium, arripit iter, somnum carpit: nam licet interrumpatur actus internus, non interrumpitur tamen externus, in quo moraliter perseuerat internus, tanquam in medio ad homicidium committendum assumpto: qui enim alienum retinet inuito domino, toties peccat, quoties de nouo aduertit, se moraliter posse, nam dū noctu iacet in tecto, audit sacrum, negotia pertractat, non videtur moraliter posse, proinde non peccat distinctè, nisi eo tēpore creditor graue patiatur damnum. Non desunt tamen Doctores apud Dianam tract. 4. de Sacramentis Resol. 95. qui docent, non esse explicandas vices, quibus interruptum fuit peccatum, sed tempus dumtaxat declarandū, vt si per annum fuisti in odio, sufficit dicere, per annum fui in odio. Addunt tamen si peccatū interruptum fuit actu contrario, tunc necessariò explicandas esse vices: quia per interruptionem actus contrarij peccatum multiplicatur numero, non autem per solam interruptionem negatiuam, vel actus disparati.

Vnde numerica distinctio peccatorum colligatur.

100. Colligitur 2. numerica distinctio peccatorum, ex multiplici respectu eiusdem actus ad plures personas: vt cùm quis vno affectu odit multos, vno verbo blasphemat plures, vno ictu necat duos.

101. Dices: Ergo plura committit numero peccata, qui vna transgressione omittit sacrum, aut ieiunium in honorem plurium Sanctorum præceptum: quia plures Sanctos priuat debito cultu.

102. Resp. disparitatem esse: quia quod in sacro, vel ieiunio præcipitur, est sola auditio Missæ, & abstinentia cibi. Honor autem, & cultus Sanctorum, non nisi remotè, vt finis præcipientis, qui sub præceptum non cadit: ob eandem rationem vnum furtum illatum pluribus, non est multiplex; sed vnum peccatum: quia furtum proximè respicit rem alienam, non personas, à quibus surripitur: cōtra verò odium, blasphemia, homicidium, immediatè attingit personas ipsas vt obiectū *Quod.* Quando verò non potest pœnitens, ob temporis diuturnitatem, & delictorum multitudinem, probabilem numerum peccatorum cōiectare, nō sat est, vt Sotus aduertit dist. 18. q. 2. ar. 4. post 2. concl. tempus dumtaxat cōsuetudinis explicare: quia fieri potest, inquit, vt eodem tempore vnus centies, alius millies

Sotus.

peccaret:

peccâret: sed addendum est, toties in die, hebdomada, aut mense plùs, minúsve peccare solebam: quod si neque hæc probabilis coniectura haberi potest, tum demũ ad tempus consuetudinis recurrendum erit: in quo tamen, quoad fieri potest, explicanda est saltem in genere specifica distinctio peccatorũ, vt si prostituta mulier rem habuerit cum religiosis, cognatis, & coniugatis. Monet autem ibidem Sotus, & Vasquez q. 91. art. 1. dub. 4. n. 3. postquam quis sua peccata per tempus consuetudinis confessus est, non teneri postea peccata, quæ particulariter recordatur, confiteri: quia satis illa confessus est, confitendo tempus consuetudinis.

Sotus. Vasquez.

103. Ad oppositam sententiam dico, quãcunque speciem moralem nouum parere iudicium, in ordine ad pœnam salutarem pœnitenti iniungendam: quia sicut nouam importat cum ratione, & virtute repugnantiam; ita nouum postulat ex sua natura remedium, per ordinem ad oppositum actum virtutis, cuius peccatum est læsiuum. Neque exempla sunt ad rem: nam nec quatuor enumeratæ species diuinationis differunt moraliter; sed tantùm physicè; de qua distinctione explicãdus est S. Doctor. de bestialitate verò est cõtra ipsum Caiet. qui præcit. loco docet, eam esse speciem specialissimam; quia omnis bestia, secundùm quamcunque vasorum diuersitatem, mouet sub eodem motiuo, nempe vt extraneum à specie humana.

Respondetur ad argumẽtum oppositæ sententiæ, & illata in eam.

104. Ad fundamentũ nego, notitiam cuiuscunque malitiæ specificæ non facere ad quodcunque remedium pœnitenti adhibendum: nec vlla consuetudo est in contrarium: nam qui sciunt distinguere huiusmodi species morales, interrogant. haud tamen puto, confessionem fieri inualidam defectu integritatis specificæ malitiæ, quando non data opera; sed bona fide, & ex ignorantia, aut confitentis, aut absoluentis omittitur aliqua species peccati explicanda. Legatur Henriquez lib. 5. cap. 8. n. 2.

Henriquez.

105. Ad confirmationẽ dico, non esse necessarium, vt à pœnitente singulæ species peccatorum cognoscantur; sed sat esse, si omnia peccata, vt ab ipso commissa sunt, enarrentur.

SECTIO VI.

An circumstantiæ notabiliter tantùm aggrauantes sint necessariò confitendæ?

106. Septem numerantur circumstantiæ: *quis, quid, vbi, quibus auxilijs, cur, quomodo, quando*; quas confessarius notas habeat, vt ex ijs peccatorũ grauitatem sciat perpendere. Est autem circumstantia, conditio nõ pertinens ad substantiam actus; sed aliquo modo ipsum attingens, & circumstans, quæ dum transit in obiectum, definit esse circumstantia & constituit speciem actus: dicitur tamen circumstantia respectu alterius speciei, quam præsupponit in actu: Vt furari in loco sacro, respectu sacrilegij non est circumstantia, sed obiectum, quia illud primò constituit; est tamen circumstantia respectu furti: quia illud præsupponit in actu per surreptionem rei alienæ.

Quid sit circumstantia.

107. Ex his triplex in proposito distinguitur circũstantia. Prima mutans speciem peccati, vel de veniali in mortale, vel de vna specie in aliam: vt si fornicatio fiat cum coniugata, mutatur in adulterium. Secũda aggrauans tantùm notabiliter intra eandem speciem: vt furtum mille aureorum est notabiliter grauius furto vnius aurei. Tertia nec speciem mutans, nec notabiliter aggrauans: vt si inimicum occidisti, ferro, vel ligno. Conueniũt omnes primas necessariò esse confitendas tertias non necessariò confitendas. Controuersia sola est de intermedijs.

Triplex distinguitur.

108. PRIMA sententia Bona. in 4. dist. 17. art. vlt. q. 3. Alberti dist. 16. art. 24 S. Thomæ q. 3. art. 2. quæstiunc. 5. Dur. q. 4. Palud. q. 3. art. 3. Palatij disp. 3. concl. 2. Syluest. *confess.* 1. q. 9. Angeli *confessio* 1. n. 23. Tabien. verbo *circumst.* 8. Medinæ cod. de confess. q. 7. Nauarri in sum. c. 6. n. 7. Vasq. q. 91. ar. 1. dub. 2. Valent. disp. 7. q. 11. punct. 1. asser. 5. Tolet. in sum. lib. 3. cap. 7. negantium, primò: quia Trid. sess. 14. cap. 5. & can. 7. solùm definit, confitendas esse circumstantias speciem peccati mutantes: cùm ergo hoc sit præceptum pœnale, non est ad alias circumstantias extendendum. Secundò: nam alias vnusquisque teneretur se accusare de circumstantia durationis, intensionis actus, quantitatis illati damni, ingratitudinis in Deum ob specialia beneficia ab ipso accepta, quæ nimis arduum; & intolerabile redderent præceptum confessionis.

Bonauent. Albertus. S. Thomas. Paludanus. Palatius. Syluester. Angelus. Tabiena. Medina. Nauarrus. Vasquez. Valentia. Toletus.

109. SECVNDA Altisidior. lib. 4. tract. 6. cap. 3. q. 3. Alens. 4. parte q. 18. mem. 4. art. 3. Richar. in 4. dist. 17. art. 2. q. 8. ad tertium Mayr. q. 1. §. *quarta particula*, Aureol. art. 2. Maior q. 4. vel in alia impressione q. 1. Bachon. dist. 16. q. 1. art. 1. Caiet. prima secundæ q. 7. & in sum. ver. *confessio*, concl. 15. & verbo *ingratitudo*, Marsilij in 4. q. 12. ar. 1. in prima parte ar. circa finem, Victoriæ in sum. n. 136. Cani relect. de sacramento Pœnit. p. 6. §. *Sed enim grauissimum dubium est:* Soti in 4. dist. 18. q. 2. art. 4. conclus. 7. Petri Soti de confess. lect. 9. Barthol. Med. in prima secundæ q. 7. art. 3. Suar. disp. 22. sect. 3. Emmanuel Sà, verbo *confessio* n. 18. affirmantium. Inclinant Scotus in 4. dist. 17. quæst. vnica, art. 2. Bassol. qu. 2. art. 2. Gabr. q. 1. art. [illegible] concl. 4. Argent. dist. 16. art. 2. qui docent, tutius esse has circumstantias confiteri.

Altisidior. Alensis. Richardus. Mayronius. Aureolus. Maior. Bachonus. Caietanus. Marsilius. Victoria. Canus. Dominicus Sotus. Petrus Sotus. Barthol. Medina. Suarez. Emmanuel Sà. Scotus. Bassolus. Gabriel. Argentin.

110. *Hac sententia probabilior est, & sequenda:* cum hac tamen limitatione, vt non sint de necessitate sacramenti confitendæ, nisi circũstantiæ notabiliter aggrauantes, quæ ex natura sua certæ sunt, & nullo modo explicantur in actu principali: est Altisidior. lib. 4 tract. 6.

Altisidior.

Concilium Trident.

tract. 6. cap. 3. q. 3. eamque colligo ex Trident. sess. 14. cap. 5. vbi hanc rationem assignat, cur debeamus circumstantias mutantes speciem confiteri, vt Iudices animarum de grauitate criminum rectè censere possint, & pœnam, quam oportet, pro illis, pœnitentibus imponere: at sunt aliquæ circumstantiæ, speciem peccati non mutantes, sine quibus non possunt animarum iudices rectè de grauitate criminum iudicare, & pœnam proportionatam delicto imponere. Minorem probo, tum quia ita Concilium intelligit Catechismus Rom. de sacramento Pœnit. §. *sed quoniam multa in confessione*, dum docet, non modò peccata omnia; verùm etiam circumstantias, quę peccati grauitatem valde augent, vel minuunt, explicandas esse: tum quia diuersum fit iudicium de furto vnius, ac mille aureorum, & de odio instantaneo, atque vnius hebdomadæ: aliaque debetur vni, atque alteri pœna: quia furtum mille aureorum, æquiualet mille furtis vnius aurei, & odium hebdomadarium multis instantaneis, est enim continuatio peccati, virtualis quædam distinctio peccatorum.

Catechismus Rom.

111. Tum quia ex opposita sententia sequeretur, nullum actum externum forè explicandum; sed solùm internum affectum efficacem, aptum ad inferendum externum: quod absurdissimum est: quia sequeretur, neminem teneri ad explicandum homicidium, furtum, fornicationem, & reliqua peccata externa; sed tantùm efficax desiderium internum. Sequelam probo: nam secundùm opinionem, quæ asserit, totam malitiam peccati desumi ab affectu interno, & nullo modo ex opere externo, opus externum est sola circumstantia peccati: quia nullam nouam malitiam ei superaddit; ergo secundùm hanc opinionem, quę probabilis est, nullum foret peccatum externū in confessione exprimendum.

112. Conclusionis verò limitationem probo; tum quia circumstantiæ, quæ non sunt ex natura sua certæ, non possunt esse ex obiecto notæ omnibus; verisimile autem non est, Deum ad incertas, & implexas circumstantias obligare fideles, plerumque ignorantes, & rusticos: nam probabile non est, ad eas solùm obligari doctos, & non rusticos, & indoctos, vt putat Alens. quia Christus non aliam materiam confessionis instituit pro doctis, aliam pro indoctis; sed eandem pro omnibus: vt constat, tum ex alijs sacramentis; tum ex natura sacramentorum, vi sic, quæ, vt leges vniuersales, debent æqualiter se extendere ad omnes: tum quia circumstantiæ, quæ implicitè includuntur in actu principali, non egent distincta confessione à confessione ipsius actus principalis, in quo illæ sufficienter includuntur, & per eius explicationem rectè potest Iudex de illis iudicare. Ex his.

Reijcitur opinio Alensis.

113. Deducitur primò: non esse explicandam intensionem actus: vt cùm maiore, vel minore odio inimicum occidisti, nisi talis intensio sit læsiua distinctæ virtutis: vt si contra humanitatem, quæ in ipsamet occisione seruanda est, nimium sæuias, vtendo modo in occidendo atrociore. Ratio: quia intensio non est per se nota: vnde si esset sub præcepto confitenda, magna foret materia scrupulorum, quod vergeret in maximum detrimentum animarum.

Intentio quando explicanda.

114. Deducitur 2. Non esse explicandam circumstantiam ingratitudinis, odij virtualis, inobedientiæ contra Deum, priuationis amicitiæ, ac fœlicitatis æternæ: quoniam hæc omnia sufficienter explicantur, explicato mortali; secus quando transeunt in obiectum expressè volitum: quia tunc de circumstantia mutatur in obiectum.

115. Deducitur 3. Non esse in furto explicanda media, quę adhibuisti, si aliunde ea non continent distinctam malitiam à malitia furti. Nam tunc explicanda sunt, vt peccata distincta, vt si sociū adhibuisti. Neque esse in fornicatione explicanda oscula, & tactus praecedentes, & subsequentes eundem actum principalem: Neque in homicidio actus, & verba contumeliosa: quia hæc sufficienter explicantur, explicato actu principali.

116. Deducitur 4. Explicandas esse circumstantias incestus primi & secundi gradus, & cognitionis spiritualis; non autem filiationis spiritualis, contra Nugnez in additione ad 3. p. q. 9. art. 2. dub. 3. ad vltimum argumentum. ratio: quia per hanc non contrahitur cognatio spiritualis, sicut per illam.

Reijcitur sententia Nugnez.

117. Deducitur 5. Non esse fornicatio explicandam circumstantiam Sacerdotis; sed sat esse, si dicat se esse constitutum in sacris; neque circumstantiam religiosi, si sit tyro, & nondum votum emisit: est Palatij in 4. dist. 16. disp. 3. post primam concl. An autem explicanda sit circumstantia Religiosi Sacerdotis professi: Affirmatiua pars est verior: quia saltem circumstantia religionis notabiliter aggrauat peccatum Sacerdotis, quidquid in contrarium sentiant alij.

Palatius.

118. Deducitur 6. Solas duas circumstantias notabiliter aggrauantes esse sub praecepto explicandas: nempe quantitatem damni, siue sit in bonis externis, siue honoris, & personæ; & diuturnitatem actus, quando excedit ordinariam mensuram temporis. Fundamentum: quia hæ duæ circumstantiæ variant moraliter iudicium confessoris, quando notabiliter aggrauant actum, & ex natura sua sunt certæ, & obuię cuiliber rustico, quarum nullus potest ignorantiam, vel scrupulorum periculum prętendere. Vnde Victoria eas docet esse de necessitate explicandas, etiamsi quoad alias, non audeat oppositum facientem damnare. Et Catechismus Rom. ad has duas circumstantias videtur vniuersalem doctrinam de circumstantijs notabiliter aggrauantibus restringere, dum de his tantùm specialiter mentionem facit, furti scilicet quantitatis, & tēporis durationis. Ratio est: quia hæc tantùm & manifestè aggrauant peccatum, & absque vllo periculo quiuis ea potest cōfiteri.

Solum circumstantia notabiliter aggrauantes sunt explicanda.

Victoria.

Catechismus Rom.

119. Sed petes, quando hę circumstantiæ censentur notabiliter aggrauare peccatum, ita vt

ita vt sint necessariò exprimendæ? Resp. & sit prima regula pro quantitate damni: Quoties quantitas damni supra quantitatem sufficientem ad mortale ex se sola separata sufficeret ad peccatum mortale, notabiliter aggrauat, & est exprimenda: vt si quantitas sufficiens ad mortale sit aureus, si furatus es aureũ cum dimidio, non teneris dicere, nisi quod furatus es materiam sufficientem ad mortale: quia dimidius aureus ex se solùm non sufficeret ad mortale; secus si furatus es duos, aut tres aureos: quia tunc teneris exprimere totum numerum. Idem iudicium esto de damno, famæ, honoris, & personę.

1. Regula ad dignoscendas circumstantias notabiliter aggrauãtes.

120. SECVNDA regula pro continuatione temporis sit: quoties continuatio temporis excedit notabiliter ordinariam mensuram, in qua solent similes actiones exerceri, exprimẽda est: vt si tota nocte concubuisti cum meretrice, non satis est dicere, semel fornicatus sum, sed tempus exprimendum erit.

121. Septimò deducitur: non esse exprimendã circumstantiam diei festi, nisi transeat in obiectum: quia tunc fieret in contemptũ. Ratio, quia licet peccatum contrarietur fini; nõ tamen contrariantur pręcepto de cultu festi, qui solùm obligat ad abstinendum ab opere seruili.

122. Octauò deducitur: non esse exprimẽdam circumstãtiam loci sacri nisi in casibus 4. in violenta effusione sanguinis, seminis, in furto, & extractione Rei fruentis priuilegio immunitatis. Nam hæc tantùm ob reuerentiam prohibentur fieri in Ecclesia, non autem alia. Neque hæc ipsa machinari intra Ecclesiam, animo tamen exequendi extra Ecclesiam.

In quibus exprimenda sit circumstantia loci.

123. Nonò deducitur: non esse exprimendas circumstantias, notabiliter diminuentes: vt si in peccatũ consensisti inuitatus; si alium occidisti rogatus, & fornicatus es absque vllo tactu, & osculo pręuio; secus si diminutio tollat peccatum, vel de mortali mutet in veniale, vel de vna specie transferat in aliam. Ratio: quia potest pœnitens in hoc suo iure cedere.

124. Ex his patet ad fundamentum primæ sententiæ: nam quamuis Concilium expresse definiat circumstantias peccati speciem mutãtes esse explicandas; non tamen negat alias, quæ saltem certæ sunt, & notæ omnibus.

125. Dubitatur: an si quis in confessione generali cum peccatis aliàs confessis confiteretur vnum peccatum post vltimam confessionem commissum, teneretur hanc circumstantiam explicare? Negat Diana tract. 4. de Sacram. Resol. 62. Quia nemo tenetur, dum peccatum confitetur, dicere se illud commisisse post vltimam confessionem, nisi ob peculiarem circumstantiam peccati speciem variantem.

SECTIO VII.

An semper confessio debeat esse integra materialiter?

126. RAtio dubitandi est duplex; prima, quia integritas confessionis est de Iure diuino connaturali, cui nullum aliud ius potest prævalere. Maior constat, nam Ius diuinum connaturale est illud, quod est naturaliter annexum rei, diuino Iure præceptæ: sed confessio diuino Iure præcepta naturaliter exigit integram accusationem omnium peccatorum: tum quia est per modum iudicij: iudicium autem requirit integram notitiam causæ, ex qua procedit: tum quia est sacramentum reconciliatiuum, & recompensatiuum: reconciliatio autem, & recompensatio debet esse de omnibus offensis.

Quid sit ius diuinum connaturale.

127. Confirmatur: quia nequit coram Deo remitti vna offensa sine alia; sed in hoc sacramento non remittuntur offensæ, nisi per confessionem expositæ: nam confessio succedit contritioni: ergo sicut contritio non remittit peccata, nisi cadat super omnia; ita nec confessio, nisi sit de omnibus.

128. Secundò: quia vel peccata, quæ tacentur in confessione, sunt detestanda contritione, vel attritione. non attritione: quia nullum peccatum remitti potest attritione, nisi subijciatur clauibus: nequit autem peccatum subijci clauibus, nisi manifestetur: Non contritione, alioqui non remitterentur vi sacramenti; sed vi pœnitentiæ virtutis.

129. His non obstantibus, certa sententia est, non semper confessionem debere esse integram omnium peccatorum, quæ pœnitens commisit, vt fructum sacramenti percipiat, ac proinde integram materialiter. Fundamentum est: quia ex vna parte sacramentum hoc est ad salutem necessarium; ex alia sæpe est impossibile, omnia confiteri: vt qui impotens fit, cæptam confessionem vlteriùs continuare; vel quando ex confessione vnius peccati, oriretur scandalum animę, aut damnum corporis, vel famæ; nam ex doctrina Bernardi lib. de præcepto, & dispensatione multò post initium, quod propter charitatem introductum est, nõ debet contra charitatem exerceri: cùm igitur finis huius sacramenti sit iustificatio peccatoris, debuit eius institutio esse moraliter possibilis, & maiori pręcepto, quale est charitatis, non repugnans; alioqui eius institutio conueniens non fuisset.

Confessio non semper debet esse integra materialiter.

Bernardus.

130. Ad primam rationem dubitandi nego, integritatem materialem; sed tantùm formalem, qualem debet hîc, & nunc pœnitens coram legitimo iudice facere, naturaliter exigi ab hoc sacramento: quia nequit ius diuinũ positiuum, quale est pręceptũ confessionis, opponi naturali Iuri charitatis, alioqui destrueret seipsũ: quia opponeretur fini, propter

quem est institutum. nec obstat, quòd sit per modum iudicij, & reconciliationis: Nam ad hoc sufficit confessio integra formaliter.

131. Ad confirmationem, concedo minorem, quando confessio peccati est moraliter possibilis; aut ex ea non resultat aliquod malum: nec quæuis confessio succedit contritioni; sed confessio integra formaliter.

132. Ad secundam respondeo, peccata, quæ ex rationabili causa tacemus in confessione, sat esse, vt detestemur attritione, sicut reliqua, quæ in confessione explicantur; eadem enim attritio, quæ est sufficiens dispositio pro confessis, est etiam sufficiens dispositio pro ijs, quæ iusta ex causa tacentur. Nego autem, ea non subijci clauibus, saltem indirectè, vt oblita, quæ remittuntur simul cum confessis: Nam subijci indirectè, est, ea hîc, & nunc per signa contritionis, & confessionem aliorum peccatorum à pœnitente manifestari, quantum, saluo omni alio præcepto, manifestari possunt.

Quid sit indirectè subijci clauibus peccata.

SECTIO VIII.

Quæ causæ ab integritate confessionis excusent?

Integritatem confessionis excusat. Ex parte pœnitentis, Impotentia.

133. EX triplici capite integritas confessionis excusari potest: ex parte pœnitentis, ex parte absoluentis, ex parte tertij. Ex parte pœnitentis excusat primò impotentia: vt si pœnitens, amissa loquela, vel in phrenesim versus, nequeat confessionem perficere; tunc vel vno peccato audito, quin signo tantùm dato sacramentalis accusationis, absoluendus est. Item si tempore procellæ, incendij, belli, paroxismi timeatur mors, danda est absolutio. quo tempore possunt multi aliquod peccatum alta voce confitentes simul absolui.

Ignorantia.

134. Secundò, ignorantia, aut naturalis obliuio, etiam venialiter; non tamen mortaliter culpabilis, nisi quæ in se existens mortaliter culpabilis, hîc & nunc pœnitenti probabiliter apparet inculpabilis. Ratio, quia peccata non imputantur, nisi sint in conscientia peccatoris. Vnde Florent. & Trident. sess. 14. cap. 5. docent, ea peccata esse confitenda, quæ sunt in memoria & conscientia pœnitentis. Quare excusantur pueri, & rudes, qui multa committunt contra legem diuinam, aut naturalem, quæ tamen ignorant esse peccata, & confitenda. Lege Henriquez lib. 5. de sacramentis c. 12. n. 1. Item qui probabili ratione, aut consilio sapientis omittit aliquid, tanquam non necessariò confitendum.

Florentin. & Trident.

Henriquez.

Periculum mortis &c.

135. Tertiò, periculum mortis, infamiæ, aut grauis damni, vnde non tenetur pœnitens peccatũ confiteri, quando probabiliter dubitat, confessariũ vel vni etiam per inaduertentiam esse manifestaturũ, aut ex eo mortem vel graue damnum sibi fore illaturũ aut odium, vel inimicitiam ipsius cõfessarij contracturũ.

136. Quartò, quando nequit quis integrè confiteri, nisi sacramenti sigillum reuelet: Nam arctius est huius sacramenti sigillum, quàm ipsius integritas.

137. Quintò, si ex suo peccato probabiliter timet, sibi, aut proximo speciale damnum imminere.

138. Sextò. Si mutus, aut vir ignotæ linguæ nesciat omnia sua peccata explicare: nemo enim ad implendum præceptum Ecclesię tenetur per interpretem confiteri; bene tamen tenetur per scriptum: quia per hoc commodè possumus confiteri: est S. Thomę in 4. dist. 17. q. 3. ar. 4. quæstiuncula 3. ad 2. quidquid Scotus, Richard. Caiet. Victoria, Toletus & alij in contrarium sentiant.

S. Thomas. Scotus. Richardus. Caietanus. Victoria. Toletus.

139. Septimò. Qui non permittitur ex malitia confessoris omnia sua peccata integrè confiteri: tunc enim pœnitens excusabitur, præsertim si sit in extrema necessitate, & aliũ confessarium adire non possit. Nam tunc faciet integram confessionem formaliter.

140. Octauò. Quando quis generalem cõfessionem facit totius vitæ absque obligatione, non tenetur omnia confiteri: quin potest quotidie de ijs, quæ confitetur, absolui priùs, quàm tota confessio perficiatur, quia hęc non sunt materia necessaria; sed tantùm sufficiens confessionis.

Ex parte absoluentis integritas confessionis excusatur.

141. Ex parte absoluentis integritas confessionis excusatur. Primò, si ipsius mors, aut loquelæ defectus timeatur, antequam possit totam confessionem audire, & alius Sacerdos aduocari nequeat: Nam tunc audito aliquo peccato, impendenda est absolutio.

142. Secundò. Si tempore pestis Sacerdos timeat sibi mortem, si diu cum ægroto confitente moretur, vel aliunde mortem sibi inferendam probabiliter coniectet.

143. Tertiò. Potest, & sæpe debet confessarius ad succurrendum multis in periculo mortis constitutis, super dimidiatam confessionem absolutionem impendere. Quin etiam putat Henriquez lib. 7. de indulgentijs c. 11. n. 3. posse Sacerdotem, si intra tempus Iubilæi nõ licet omnia peccata audire, posse tantùm à reseruatis absoluere, & postea reliqua excipere. Sed melius ac, tutius in tali casu erit, confessionem incipere intra tempus Iubilæi, eáque perficere extra tempus Iubilęi, & tunc ab omnibus reseruatis absoluere: quoniam ratione inceptionis acquirit pœnitens ius ad absolutionẽ à reseruatis, vt ibidem docet Henriquez: sicut potest delegatus causas intra tempus delegationis inchoatas, extra tempus delegationis finire.

Henriquez.

144. Quartò. Potest dimidiari confessio ex parte absoluentis, si in extrema necessitate sit Sacerdos, qui sciat iudiciũ ferre de aliquibus peccatis, & non de omnibus. Etenim cùm iudicium confessoris de peccatis sit necessarium ad sententiam absolutionis ferendam; cumque ex alia parte extrema necessitas confessarium excuset, ad ferendum integrum iudicium de omnibus, poterit, & debebit tunc absolutionem impendere, etiam

si sciat

si sciat, se non posse de omnibus peccatis iudicium ferre, sicut oportet. Legatur Vasquez q. 93. art. 3. dub. 2.

Vasquez.

145 Ex parte tertij excusatur, quando ex meo peccato graue damnum animæ, corporis, famæ, vel fortunæ alteri probabiliter timetur. In his tamen casibus seruandæ sunt hæ regulæ.

Ex parte tertij excusatur.

146. PRIMA: Si potes, debes alium confessarium adire, cui possis integrè confiteri; nec nisi vrgente aliqua necessitate mortis, aut præcepto annuæ confessionis, vel sumendæ Eucharistiæ, aut magnę vtilitatis: alioqui differenda est confessio, præsertim quando breui speratur copia confessarij.

Quæ regulæ seruandæ.

147. SECVNDA: cùm non potes peccatum in specie, vel actum externum, teneris saltem in genere, vel affectum internum confiteri, ea tantùm circumstantia omissa, ex cuius confessione posset peccatum in specie cognosci.

148. TERTIA regula sit: quod interdum non solùm potes; sed etiam teneris tacere peccatum in confessione: in ijs videlicet casibus, in quibus non es Dominus boni, cuius priuatio ex tua confessione incurritur: vt in quibus timetur damnum spirituale proprium, vel quodcunque damnum proximi.

149. Et hæc quidem certò in praxi seruanda sunt: illud in dubium reuocatur: An peccatum ex causa in confessione omissum, sit statim ac confitendi opportunitas offertur, confessori aperiendum; An verò differri possit vsque ad tempus pręcepti de annua confessione sequentis anni.

Peccatum ex caussa omissum quando sit confitendū.

150. Sotus in 4. dist. 18. q. 2. art. 5. in solutione tertij argumenti, in fine; Henriquez lib. 5. de sacramentis cap. 12. num. 6. affirmat, illud statim esse confitendum, nec licitè differri posse ad tempus, in quo iterum recurrit præceptum annuæ confessionis. Fundamentum horum authorum est: quoniam, vt docet Florent. in decreto de vnione Armen. ad confessionem *pertinet, vt peccator omnia peccata, quorum memoriam habet, suo Sacerdoti confiteatur integraliter.* Quod etiam docet Trident. sess. 14. cap. 5. Sed hoc præceptum non implet, qui peccatum ex causa in confessione tacet: igitur tenetur statim atque confitendi opportunitas datur, illud confiteri, vt hoc pręceptum adimpleat. Ex quo discrimen assignant inter peccata oblita, & ex caussa omissa: quòd oblita non tenemur statim; sed possumus vsque ad tempus sequentis anni differre, quando currit nouum præceptum annuę confessionis. Ratio, quia illa non fuerunt in memoria peccatoris, quando peccator confitebatur.

Sotus. Henriquez.

Concilium Florent.

Concilium Trident.

151. Negat verò Suarez disp. 23. sect. 2. num. 8. *Quod probabilius est*: cùm sit eadem ratio ac de oblitis. Fundamentum est: quia qui ex iusta causa peccatum in confessione tacet, præceptū confessionis adimplet: quia hoc non obligat, nisi ad integritatem formalem: ergo satisfacit pręcepto de annua cōfessione: igitur nō tenebitur ampliùs illo anno cōfiteri.

Suarez. Peccatum ex causs omissum nō statim ac oblata est opportunitas confitendi, aperiri debet.

152. Confirmatur: quia per confessionem integram formaliter satisfacimus præcepto diuino: vt patet de eo, qui, in articulo, vel periculo mortis, aliquod peccatum ex causa tacet: ergo etiam satisfacimus præcepto Ecclesiastico. Consequentia tenet à fortiori. Antecedens constat: quia in eo casu ad confitendum obligat præceptum diuinum. Nec obstat, quòd qui in articulo, vel periculo mortis ex causa peccatum omisit, durante tali periculo, teneatur statim oblata occasione omissum peccatum confiteri: quia hoc non oritur ex intrinseco iure talis confessionis; sed ex extrinseco periculo, ne possit ampliùs ingruente morte illud confiteri. Vnde si periculum mortis cessaret, non teneretur illud statim confiteri; sed differre posset ad tempus annuæ confessionis.

153. Citata autem Concilia vel intelliguntur de confessione, quæ ordinariè fit; vel de peccatis, quorum pœnitens memoriam habet non merè speculatiuam; sed practicam, & in actum redigendam.

Explicantur citata Concil.

154. DICES. Esto pœnitens durante causa, per talem confessionem satisfaciat præcepto diuino, & humano; non tamen satisfacit præcepto, sublata causa: nam sublatâ causa ius diuinum de integritate confessionis vrget. Quòd cùm non sit seruatum in priori confessione propter legitimum impedimentum, eo sublato, vrget, vt seruetur, quàm primùm potest: sicut licet quis satisfaciat præcepto, de contritione peccatorum habenda, per virtualem tantùm dolorem de peccatis oblitis; haud tamen satisfacit recurrente memoria oblitorum, nisi nouo dolore formali in illa feratur.

155. Resp. nego, non satisfacere præcepto diuino & humano, qui sublato impedimento, peccatum ex causa in confessione omissum non statim confitetur. Neque ius diuinum de confessionis integritate statim vrget ad sui obseruantiam, sed suo tempore. Nec est par ratio de contritione virtuali: quoniam hæc ex natura sua includit propositum detestandi formaliter peccata, vt offensa Dei sunt, quoties menti occurrunt. Vnde si ad illa non statim se extenderet, non esset vera contritio: quia vera contritio, cùm oriatur ex motiuo Dei super omnia dilecti, implicitum propositum habet tollendi omnem grauem offensam Dei, quàm primùm potest: cùm igitur offensa Dei tollatur per formalem dolorem, & detestationem ipsius, statim ac peccata oblita menti occurrunt, vi contritionis statim formaliter detestantur. Confessio autem, iusta ex causa dimidiata, natura sua non includit propositum, omissum peccatum statim confitendi, sed suo tempore. Ratio: quia cùm hęc sint de Iure diuino positiuo, non obligant, nisi ex institutione diuina: atqui ex institutione diuina nobis non constat, quod debeat statim dimidiata confessio suppleri per sacramentalem manifestationem peccati ex causa omissi. Igitur non est hoc temerè asserendum.

156. Instabis, Confessio sacramentalis

natura

natura sua postulat integram accusationem omnium delictorum, vt possit sacramentali iudicio subseruire; ergo non ex sola institutione diuina; sed ex natura sua id postulat. Igitur quando seruatum non est in vna confessione, statim suppleri debet per aliam.

157. Resp. primò: ex hoc argumento non solùm probaretur, confitendum esse statim peccatum ex causa omissum; sed etiam oblitum: neque tantùm confitendum esse peccatum ex causa omissum; sed cum illo etiam reliqua omnia: nam etiam reliqua faciunt ad sacramentale iudicium nouę confessionis. Resp. secundò: confessionem eam integritatem natura sua postulare, quæ subseruire possit sacramentali iudicio ad iuridicam sententiam de peccatis ferendam: hæc autem est sola integritas, quę spectatis omnibus circumstantijs, peccatorem obligat ad sua peccata Euangelico iudici manifestanda.

158. Vrgebis. Confessio sacramentalis per se postulat integritatem omnium delictorum: ergo quotiescunque talis integritas per accidens impeditur, debet quamprimum suppleri. Sicut quia contritio per se postulat formalem detestationem omnium peccatorum, si quando per accidens impeditur, quò minùs omnia formaliter detestetur, debet statim ac potest, omnia formaliter detestari.

Disparitas assignatur inter contritionem, & sacramentalem manifestationem.

159. Resp. negando consequentiam. Nec est eadem ratio de contritione: nam hęc, quatenus est recompensatio diuinæ offensę, & reconciliatio peccatoris cum Deo, natura sua postulat detestationem omnium peccatorum; recompensatur enim offensa, à peccatore Deo per peccatum illata per formalem detestationem ipsius. Vnde quamdiu illam, cùm potest, peccator non detestatur, moraliter censetur perseuerare. Sacramentalis autem manifestatio peccati, vel ex causa omissi, vel inuincibiliter obliti, non ex natura sua; sed ex diuina tantùm institutione obligat: etenim ex natura sua ad summum tantùm obligat, vt nullo interueniente legitimo impedimento, confessio fiat integra: non autem quòd interueniente legitimo impedimento statim quod omissum est debeat resarciri. Porrò discrimen inter contritionem, & confessionem in eo fundatur, quòd contritio est actus recompensatiuus, & reconciliatiuus peccatoris cum Deo: recompensat autem, & reconciliatur peccator cum Deo per formalem detestationem offensæ illatæ Deo: igitur si retinet animum recompensandi offensam, & reconciliandi se cum Deo, tenetur peccata, quæ de nouo menti occurrunt, formaliter detestari, quæ antea virtualiter tantùm detestatus est. At verò sacramentalis confessio est legitima accusatio sui, ex diuina institutione ad sacramentalem absolutionem obtinendam ordinata: posterior autem confessio, cùm supponat peccatum in priori confessione legitimè omissum, iam condonatum, & recompensatum per formalem dolorem prioris confessionis, non obligat statim ad illud manifestandum, cùm iam non maneat vt virtualis offensa Dei, vti manet peccatum menti occurrens, quamdiu formaliter id peccator non detestatur. Vnde licet non teneatur pœnitens peccatum oblitum menti occurrens, statim confiteri; tenetur tamen illud statim formaliter detestari: nisi persuasus opposita opinione probabili, putet, se nec ad illud statim formaliter detestandum teneri, iuxta ea, quæ docuimus disp. 4. sect. 3.

160. His discussis, adhuc tria discutienda remanent. Primum: an liceat propter integritatem confessionis, personam complicis in confessione manifestare. Secundum: an possit dimidiari confessio in casibus reseruatis, confitendo superiori peccata reseruata, inferiori verò non reseruata. Tertium: an liceat moribundum per signa tantùm, & testes confitentem sacramentaliter absoluere. De quibus singillatim disputandum est.

SECTIO IX.

An propter integritatem confessionis sit explicanda persona complicis?

Innocentius. Marsilius. Palatius. Armilla. Nauarrus. Valentia.

161. PRIMA sententia Innocentij in cap. *Omnis:* Mars. in 4. q. 12. art. 1. p. 4. ad 7. Palatij dist. 16. disp. 3. pag. 200. Armill. verb. circumstantia num. 11. Nauar. in sum. cap. 7. num. 1. 2. & 3. & in caput *considerer* dist. 5. num. 99. Valent. disp. 7. q. 11. puncto 1. asser. 6. negantium. Fundamentum: nam vbi concurrunt duo præcepta, executio maioris præferenda est minori: at maius & vrgentius pręceptum est de seruanda fama proximi, cùm sit Iuris diuini naturalis; quàm de integritate confessionis, quę est Iuris diuini positiui: ergo illius executio huic præferenda erit.

162. Confirmant: nam ideo non tenemur confiteri per interpretem, aut circumstantiam explicare, ex qua probabiliter timemus nobis, vel alteri infamiam sequuturam, aut illam à confessario, vel vni tantùm reuelandam; quia præferenda est confessionis integritati nostra, aut proximi fama. Idem docet Canus relect. de sacramento Pœnit. p. 5. pag 76. §. *sed enim*. Excipit articulum mortis, in quo non obstante talis infamiæ iactura, quę apud confessarium fit, tenetur pœnitens circumstantiam complicis explicare: quia debet tunc socius criminis tale dispendium pati pro salute pœnitentis; secus quando iactura esset grauis, ex qua mors, aut publica infamia sequeretur.

Canus.

Alensis. Bonauent. S. Thomas. Richardus. Durandus. Gabriel.

163. SECVNDA communis Alens. 4. p. q. 18. mem. 4. art. 2. §. 4. Bonau. in 4. dist. 21. p. 2. art. 1. q. 3. Sancti Thomæ dist. 16. quæst. 3. art. 2. ad vltimum argumentum, & opusc. 12. art. 6. Richar. dist. 21. art. 5. q. 2. Durand. dist. 16. quæst. 4. num. 8. Gabriel. dist. 17.

dist. 17. q. 1. art. 2. & dist. 21. art. 3. dub. 2. Soti dist. 18. q. 2. art. 5. ad quartum, Caiet. in sum. verbo *confess.* condit. 3. Petri Soti de integritate confessionis lect. 10. Medin. Cod. de confess. q. 9. Henriquez lib. 5. de sacramentis cap. 9. Suar. disp. 34. Vasquez q. 91. art. 2. dub. 3. Toleti lib. 3. cap. 8. Nugnez in addit: ad tertiam partem q. 9. art. 2. §. *controuersia in hac parte est:* affirmantium. Fundamentum habet in Sancto Bernardo opusc. de formula honestæ vitæ in fine, vbi de *nullo prorsus,* inquit, *sinistre loquaris quantumcunque sit verum, vel manifestum nisi in confess. & hoc vbi non potes aliter manifestare peccatum tuum.* Pro cuius controuersiæ explicatione,

Sotus. Caietanus. Petrus Sotus. Medina. Henriquez. Suarez. Toletus. Nuguez. S. Bernard.

164. Notandum est primò: hanc controuersiam intelligi, quando nequit explicari peccatum in specie, quin complicis persona confessario innotescat. Nam quando potest integra species peccati sine manifestatione complicis explicari, ex charitate tenemur id facere. Vt si mulier rem habuit cum Episcopo, non debet circumstantiam Episcopatus explicare, quia hęc non variat speciem peccati, sed sufficit dicere, rem habuisse cum constituto in sacris.

165. Notandum 2. Teneri pœnitentem, in tali casu alium confessarium adire, qui complicem ignoret. Quod si hoc non potest, occultet se, quantum potest, ne ex notitia sui confessarius veniat in complicis notitiam. Quod si neque hoc poterit, tunc insurgit difficultas: an possit propter integritatem confessionis manifestare complicem.

166. Notandum 3. Controuersiam non intelligi de infamia, vel damno, quod complici timetur ex malitia, vel imprudentia confessoris, vt, quod illum sit reuelaturus, aut malum aliquod illaturus; Nam tunc militant regulæ supra positę; sed de sola infamia apud confessorem, quæ sequitur per se ex confessioné talis peccati.

167. Notandum 4. Pręsentem controuersiam dupliciter agitari, primò; an liceat, secundò an obliget in tali casu complicis personam indirectè manifestare.

168. Dico 1. Licitum est ad suum peccatum explicandum personam complicis indirectè manifestare. Fundamentum: quia quisque licitè potest vti iure suo, quærendo propriam vtilitatem corporis, aut animi; etiamsi inde sequatur incommodum proximi: ergo licitè potest pœnitens, ob propriam vtilitatem spiritualem, vti iure suo confitendi omnia peccata; etiamsi inde sequatur manifestatio complicis. Antecedens constat primò inductione. nam licitum est contrahenti cum gentili, ad validitatem contractus, iuramentũ petere; etiamsi inde sequatur proximi periurium. Licitum est ad defensionem proprię vitæ, facere aliquid, ex quo indirectè sequatur mors alterius. licitum est ob propriam vtilitatem animę audire sacrum, vel concionem; etiamsi inde sequatur scandalum proximi.

Quisque licitè vti potest iure suo.

169. Secundò ratione: quia magis teneor mihi, quàm alteri: ergo licetè possum vti Iure meo, etiam cum incommodo alterius: quia ius proprium præualet iuri alterius. Primam consequentiam probo: nam pœnitens confitendo omnia peccata, fungitur Iure suo, satisfaciendo propriæ conscientiæ, salutarem pœnitentiam, & consilium recipiendo, & seipsum deobligando à debito iterum tale peccatum, cum circumstantia complicis, alteri confitendo: ergo non tenetur cum pręiudicio tantæ vtilitatis complicem tacere.

170. Confirmatur: nam potest pœnitens, etiam per aduersarios, manifestare complicem extra confessionem propter vtilitatem ipsius complicis, cap. *hoc videtur* 22. q. 5. ergo poterit illum manifestare extra confessionem propter vtilitatem propriam: ergo & in ipsa confessione. Posterior consequentia patet, quoniam manifestatio in confessione non auget; sed minuit potiùs infamiam complicis apud confessorem: quia superaddit inuiolabile secretum. Priorem probo: quia magis tenetur pœnitens propriam; quàm complicis vtilitatem procurare: ergo si propter vtilitatem complicis potest illum alteri manifestare, poterit & propter propriam; nam in vtroque casu manifestatio complicis honestatur vtilitate spirituali.

171. Dices: non esse æquam rationem: nam in primo casu compensatur infamia complicis vtilitate, quę de ipsius emendatione speratur: in secundo verò nulla vtilitate complicis ipsius infamia compensatur.

172. Sed contrà: tum quia perfecta emendatio pœnitentis, quæ pendent ex consilio confessoris cognoscentis peccatum complicis, redundat in vtilitatem ipsius complicis: tum quia pœnitens manifestando personam complicis, iuuari potest consilio ad correptionem complicis: tum quia ad honestandam talem actionem sufficit ius, quod habet pœnitens ad procurandam propriam vtilitatem animæ.

173. Secundò probatur; nam in omni iudicio, siue publico; siue priuato, socius criminis ratione delicti subditur ei, qui auctoritatem habet in delinquentem. Vnde & testis, & accusator, qui ius habet deferendi crimen, ius quoque habet deferendi socium criminis, & Iudex, qui auctoritatem habet inquirendi delictum; auctoritatem etiam habet inquirendi socium delicti: præsertim quando crimen est tale, vt nequeat sine complice committi: vt ex Gometio refert Lessius lib. 2. de Iustitia, & Iure cap. 29. dub. 17. n. 162. Nam & hoc spectat ad officium iudicis intendentis bonum publicum: & dum complex voluntariè se delicti socium præstitit, eidem se iudicio subdit, cui delinquens ipse. ergo etiam in hoc iudicio sacramentali, pœnitens, qui vt testis & reus ius habet contra se manifestandi proprium delictum, ius quoque habet manifestandi socium delicti, sine quo proprium crimen explicare iudici non potest: & confessarius, qui ius habet inquirendi delicta pœnitentis; ius quoque habet inquirendi circumstantiam complicis,

Gometius. Lessius.

quando

quando sine illa peccatum pœnitentis explicari non potest: nam hoc etiam spectat ad munus confessoris intendentis in hoc foro bonum pœnitentis.

174. Dico 2. Non modò potest; sed etiam tenetur pœnitens, quando aliter suum peccatum explicare non potest, indirectè complicem manifestare: Ita ferè omnes huius sententiæ authores. Fundamentum: quia quando Deus obligat ad aliquem actum, censetur obligare ad omne id, quod per se cõnexum est cum tali actu: sed Deus obligat ad confitendum peccatum in specie: ergo indirectè etiam obligat ad obiectum talis peccati, quando illius species explicari non potest. Consequentia constat. Minor est de fide. Maior probatur: quoniam Deus obligat iuxta naturam actus; Vnde ad credendum obligat iuxta naturam obiecti credibilis: ergo ad operandum iuxta naturam rei operandæ. Cuius ratio est: quia Deus obligat proponendo obiectum; ergo nisi aliter exprimatur, censetur obligare ad omne id, quod per se connectitur cum tali obiecto.

Deus obligat iuxta naturam actus.

175. Dices. Hæc ratio probaret, ob nullum damnum taceri posse in confessione peccatum. Resp. nego sequelam: duplex quippe damnum sequi potest ex confessione: alterum ex natura ipsa confessionis per se, vt amissio propriæ famæ, & existimationis apud confessarium; alterum ex causa extrinseca, per accidens coniuncta cum confessione: vt ex malitia, & imprudentia confessoris: hoc posterius excusat, non prius, siue sit damnum propriæ, siue alienę existimationis, quando aliter nequit peccatum explicari. Ratio, quia præceptum non obligat, nisi ad ea, quæ sunt per se connexa cum re præcepta. Nam ea tantùm cadunt sub intentionem præcipientis. vnde nisi eximantur, semper comitantur rem pręceptam: quia ea semper censetur obligare iuxta naturam & conditionem ipsius, cùm igitur hæc diminutio famę complicis apud confessarium sit per se connexa cum manifestatione proprij criminis, quę est de intrinseca natura confessionis sacramentalis, hoc ipso, quòd in præcepto confessionis expresse non excipitur, seruanda est.

Duplex damnum sequi potest ex confessione.

Ad quænam præceptum obliget.

176. Confirmatur: nam ex opposita sententia sequeretur, non obligari coniugatos ad peccata confitenda, quæ in abusu Marrimonij committuntur, quando vterque est confessori notus: Immo nec coniugatam teneri adulterium confiteri: quia illud redundat in infamiam alterius coniugis. Vnde nec possent hęc peccata reseruari à Pręlato: quia non tenerentur coniuges ea Prælato manifestare, quando ambo essent noti: quod est nimia relaxatio tanti sacramenti.

177. Ex quo sequitur, non modò explicandam esse personam complicis; sed quamcunque aliam, quando aliter peccati species explicari non potest. Colligitur ex præcitatis authoribus vniuersaliter affirmantibus, explicandam esse personam, quando illa est necessaria circumstantia peccati, & expresse docet Sotus loco pręcit. vbi monet: multò maiorem adhibendam esse cautelam, an talis circumstantia sit necessariò confitenda, pręsertim cùm in nostra sententia non omnes circumstantiæ notabiliter aggrauantes necessariò confitendę sint.

Sotus.

178. Hęc tamen in praxi seruanda sunt. Primum: vt confessor cautus sit in complicis circumstantia exigenda; tum quia non semper ea est necessariò explicanda: tum quia potest pœnitens oppositæ sententiæ, vt probabili adhęrere & secundùm eam potest, & sæpe debet confessarius pœnitentem absoluere.

Quid in praxi seruandum sit.

179. Secundum: non posse confessarium complicem monere, nisi de licentia pœnitentis; quæ tamen sola, sine ipsius complicis consensu, sufficit, contra Vasquez quęst. 93. art. 4. dub. 5. num. 6. qui licentiam etiam complicis requirit, eo quòd sigillum est etiam in fauorem complicis. Sit tamen cautus confessarius, etiamsi Pręlatus sit, ne se promptum offerat iuuandi complicem. Quin potiùs consulat, vt ipse pœnitens per se, vel per alium officium præstet, vix ipse rogatus & non nisi vrgente necessitate id munus pręstet; & tunc curet, vt sibi à pœnitente notificetur extra confessionem, & si poterit, scripto, vt liberetur à calumnia, quòd confessionem reuelauerit.

Reijcitur opinio Vasq.

180. Ex his patet ad fundamentum primę sententiæ: Nego enim, indirectam complicis manifestationem, ad explicandum proprium crimen, esse proximi infamationem: quia nec fit animo infamandi, & sufficienter compensatur vtilitate, & integritate confessionis: sicut nec per aduersarios est infamatio, quando manifestatur persona complicis propter ipsius vtilitatem.

181. Ad confirmationem Resp. ideo nos non teneri per interpretem confiteri: quia ex Iure diuino non tenemur, nisi confessario propria peccata manifestare: at Iure diuino tenemur, integram confessionem facere. In cæteris verò casibus assignatis ideo nos non teneri ad peccatum confitendum: quia aliunde, quàm ex natura, & conditione ipsius confessionis, infamię periculum imminet. Nec limitatio Cani de articulo mortis solida est: nam si per se non licet, neque in articulo mortis licebit: vel contrà, si in articulo mortis licet; quouis alio tempore licebit: nam hæc circumstantia de articulo mortis non variat obiectum per se.

Reijcitur opinio & limitatio Cani.

SECTIO

SECTIO X.

An dimidiari possit Confessio in casibus reseruatis?

Concil. Tridentinum.

182. SVPPONO primò ex Trident. sess. 14. cap. 7. posse superiores potestate, quam habent in subditos, pro muneris sui recta gubernatione, grauiora crimina in vtroque foro sibi reseruare, licet de facto Pontifices nullum peccatum sibi reseruent pro foro conscientiæ, nisi ratione excommunicationis, à qua qui per ignorantiam excusantur, casum reseruatum non incurrunt.

183. Secundò suppono ex eodem Concilio: in casibus reseruatis nihil posse directè inferiores Sacerdotes, nisi in articulo mortis. Quod etiam extenditur in probabili periculo mortis, in quo omnis Sacerdos excommunicatus, degradatus, hæreticus absoluere potest quemlibet pœnitentem, à quibusuis peccatis, & censuris. Quod intelligitur, quando non adest superior, nec ad illum absque periculo recursus fieri potest; in quo tamen seruandus est ordo, vt semper dignior præferatur minùs digno. Sin autem simplex Sacerdos ante aduentum Episcopi vel parochi cœpit audire confessionem, cœptam perficiat, & absoluat. Neque enim tūc tenebitur infirmus suam confessionem iterare superiori aduenienti: quia tunc omnes à reseruatis absoluere possunt.

184. Tertiò suppono, non solùm peccata externa, sed etiam interna, & purè mentalia (non tamen venialia) à Prælatis, & superioribus reseruari posse. Ratio: quia hæc reseruatio non fit, iurisdictionem immediatè exercendo in actus internos, in quos iuxta probabilem opinionem Ecclesia non habet auctoritatem; sed iurisdictionem inferioribus Sacerdotibus negando: cùm enim omnis Iurisdictio saltem quoad exercitium absoluendi à Christi Vicario deriuetur in inferiores Sacerdotes, ea negata, vel restricta, nequeunt inferiores Sacerdotes à peccatis absoluere, nisi à quibus absoluendi potestatem acceperunt. Quæ etsi ita sint, de facto tamen non nisi externa, eaque grauiora crimina reseruari solent, ne multiplex casuum reseruatio in destructionē vergat, & non in ædificationem animarum: vt ibidem testatur Trident. Legatur Sotus in 4 dist. 18. q. 2. ar. 5. §. *vtrum vero*.

Concilium Tridentin. Sotus.

185. Ratio secūdi est, tū quia à venialibus quiuis Sacerdos absoluere potest, ratione potestatis à Christo acceptæ; vt communis fert opinio tùm quia reseruare peccatum, non solùm est, negare inferiori facultatem absoluendi; sed sibi iudicium, & absolutionem reseruare, quod cadere non potest, nisi in ea peccata, quæ tenetur pœnitens clauibus subijcere. Nam superior reseruando sibi peccata, non imponit nouam obligationem pœnitenti, præter eam, quam pœnitens habet ex vi sacramenti, alioqui posset superior materiam confessionis mutare, reddendo illam ex sufficiente necessariam. Cùm igitur venialia ex vi institutionis sacramenti, non sint materia necessaria confessionis, non possunt à superiore reseruari: alioqui faceret illam materiam necessariam.

186. His positis, triplex est hic controuersia. Prima: an possit superior absoluere tantùm à reseruatis, & quoad reliqua pœnitentem remittere ad inferiorem: Secunda: an quando superior absoluit tantùm à reseruatis, teneatur pœnitens simul cum non reseruatis inferiori reconfiteri etiam reseruata, vt absoluatur à non reseruatis: Tertia: an interdum possit inferior, saltem indirectè absoluere à reseruatis.

An possit superior absoluere tantùm à reseruatis?

187. PRIMA sententia Alens. 4. p. quæst. 18. mem. 4. artic. 5. §. 2. *ad vltim.* Bonauent. in 4. distinct. 21. parte 2. ar. 1. quæst. 1. ad 4. Richard. distinct. 17. art. 2. quæst. 8. ad 2. Paludan. quæst. 5. art. 1. Gabriel quæst. 1. art. 3. dub. 2. Nauarr. cap. *consideret §. cantus* num. 12. Tolet. lib. 3. cap. 8. Valent. disput. 7. quæst. 11. pun. 1. assertione 6. affirmantium. Fundamentum: quoniam hic est ritus Romanæ curiæ, vt pœnitens absolutus tantùm à reseruatis, quoad reliqua absoluendus mittatur ad inferiorem Sacerdotem.

Alensis. Bonauent. Richardus Paludanus Gabriel Nauarrus Toletus

188. Confirmatur: quia quando subditus habet plures causas spectantes ad diuersum forum, potest quoad vnam absolui ab vno Iudice, quoad aliam verò ab alio: ergo & pœnitens habens peccata spectantia ad diuersos foros conscientiæ, potest quoad vnum absolui ab vno, quoad aliud verò ab alio Iudice pœnitentiario: quin etiam Henriquez probabile putat, posse superiorem, auditis omnibus peccatis, pœnitentem absoluere à solis reseruatis quoad reliqua verò, quia maiorem requirunt discussionem, ob difficiles contractus, ad inferiorem remittere.

Henriquez.

189. SECVNDA sententia Adriani de Confess. quæst. 4. §. 2. *videtur*, Syluestri verbo *confessio* primo quæstione 19. Vict. in summ. num. 162. Sotiin 4 distinctione 18. quæst. 2. art. 5. Cani relect. de pœniten. parte 6. §. *His iactis fundamentis*, Suarez disputatione 31. sectione 1. Vasquez quæst. 91. art. 3. dub. 10. Coninck disputatione 7. dub. 9. negantium, id posse sine vrgente causa,

Adrianus Syluester Victoria Sotus Canus Suarez Vasquez Coninck.

causa, quæ sententia verior est & sequenda; licet Durand. in 4. dist. 17. q. 15. sit dubius & neutram audeat definire. Fundamentum est: quia integritas confessionis est de Iure Diuino: ergo non est absque vrgente causa dimidianda.

Durandus.

190. Quòd autem, vrgente causa, superior possit, auditis reseruatis, ab illis tantùm absoluere, Probatur: quia non minùs ex parte absoluentis; quàm ex parte pœnitẽtis, possunt iustę causę intercedere ad confessionem dimidiandam; hæc autem non est quælibet superiorum occupatio, vt multi putãt; sed quæ deobligaret ab integritate cõfessionis; sicut nec quælibet iusta causa pœnitentem excusat ab integritate confessionis; sed quæ illum deobligaret à præcepto eiusdem integritatis: alioqui etiam Parochus, & quilibet inferior Sacerdos, auditis quibusdam peccatis, quoad reliqua pœnitentem posset ad alium Sacerdotem mittere. Hinc sequitur, excusari pœnitentem, si nulla vrgente causa ex parte superioris, solùm absoluatur à reseruatis, cùm per ipsum non stet, vt bene notat Medina Cod. de confess. q. 12. in fine.

Medina.

192. Ad fundamentum oppositæ sententiæ respondent Durand. & Syluest. qui fuerunt Magistri sacri Palatij, vel superiorem tunc absoluere à debito sibi confitendi, conferendo inferiori potestatem absoluendi à reseruatis quoad culpam; vel solùm tollere à reseruatis censuram, ratione cuius summi Pontifices peccata sibi reseruant. Prior responsio solùm verificatur de principali reseruante, qui potest authoritatẽ absoluendi à reseruatis delegare; non autẽ de delegato, qui suam auctoritatem non potest subdelegare.

Durandus & Syluest.

193. Ad confirmationem, nego consequentiam: nam peccatum habet essentialem connexionem, vt non possit vnum absque alio remitti; nec possunt omnia sine vrgente causa sacramentaliter absolui, nisi omnia manifestentur: quia debent absolui per modum Iudicij.

194. Ex his constat, malè dixisse Medinam præcitatum, & Petrum Sotum, lect. 10. de integritate confessionis, posse absolutionem dimidiari; non autem confessionem, eò, quod hæc sub præcepto Diuino imposita est peccatori: potestas verò absoluendi data est Ecclesiæ dependenter ab ipsius auctoritate. Nam repugnat, peccatorem absolui ab vno peccato, quin ab omnibus; vnde integritas confessionis est propter integritatem absolutionis. Neque Ecclesia habet hãc potestatem diuidendi peccatorum remissionẽ. Nec eius fundamentum verum est, nempè Sacerdotem non absoluere à culpa, à qua absolutum supponit per contritionem; sed tãtum à debito confitendi, vt constat ex ijs quæ docuimus disp. 12. sect. 5.

Petri Soti & Medinæ opinio refellitur.

An quando pœnitens absolutus tantùm à reseruatis mittitur absoluendus à non reseruatis debeat inferiori reconfiteri etiam reseruata?

195. AVTHORES primæ sententiæ communiter affirmant. Fundamentum: quia ex cap. *omnis*, saltem vni Sacerdoti sunt omnia peccata integrè confitenda; at non sunt omnia integrè confessa superiori; ergo confitenda sunt omnia integrè inferiori.

196. Negant, & quidem *probabiliùs* Authores 2. sententiæ. Fundamentum: quia quoties pœnitens ex causa omittit, vel obliuiscitur aliquod peccatum in Confessione, nõ tenetur, cum opportunitas datur, illud simul cum alijs confessis reconfiteri; ergo nec tenetur simul cùm peccatis non reseruatis reconfiteri etiam reseruata, quando illa ritè est confessus superiori.

197. Confirmatur: quia vel illa peccans fuit ritè confessus, vel non; si primum; ergo non tenetur ea iterum confiteri, quia non tenetur peccata ritè semel cõfessa recõfiteri. Secundũ ab aduersarijs non dicitur, alioqui nec absolutio fuisset ritè impensa: quia legitima absolutio supponit legitimam confessionem. Nec potest sacramentalis absolutio cadere super illegitimam confessionem. Authoritas allata intelligenda est de integritate formali peccatorum: alioqui semper cum oblitis, & ex causa non confessis reconfitenda essent ritè confessa; Quod est contra consuetudinem.

An possit interdum inferior Sacerdos absoluere à reseruatis.

198. PRIMA sententia negat, præterquam in articulo mortis: est Richard. in 4. distinct. 17. art. 2. quæst. 8. ad 2. Adrian. quæst. 4. de Confess. *§. sed dub.* Vasquez quæst. 91. art. 3. dub. 9. Primò: quia id docet Trident. sess. 14. capite 7. *Extra quem*, inquit, *articulum*, scilicet mortis, *Sacerdotes cùm nihil possint in casibus reseruatis, id vnum pœnitentebus persuadere nitantur, vt ad superiores, & legitimos Iudices, pro beneficio absolutionis accedant*: ergo extra articulum mortis non possunt inferiores Sacerdotes pœnitentes habentes casus reseruatos, etiam cum onere comparendi coram proprio superiore, absoluere, aliàs in illis multum possent. Secundò: hæc sententia exercetur per modum iudicij: nulla autem

Richardus. Adrianus. Vasquez. Trident.

tem sententia est valida, nisi à suo Iudice lata: ergo cùm inferior Sacerdos nullam habeat iurisdictionem, præterquam in articulo mortis, in casus reseruatos, non poterit ab illis validè absoluere, quo fit vt nec absoluere posśit à non reseruatis: quia, cùm vnum absolui non posśit sine alio, si non potest à reseruatis, nec poterit à non reseruatis.

199. Neque dicas directè absoluere à non reseruatis; indirectè verò, & consecutiuè à reseruatis: tum quia, dum absolueret illa in confessione explicata, directè absolueret: quia absolueret illa vt in Iudicium adducta, quod est absoluere directè; secus est de oblitis, quæ quia non adducuntur in iudicium per confessionem pœnitentis, non possunt directè absolui; sed tantùm indirectè: tum quia pari ratione posset simplex Sacerdos directè absoluendo à venialibus, indirectè etiam absoluere à mortalibus. Vnde deducit hæc sententia, repetendam esse huiusmodi confessionem: tum quoad reseruata; tum quoad non reseruata coram legitimo superiore, cū illa fuerit nulla defectu iurisdictionis. Neq; ad hoc excusat ignorantia, & bona fides absoluentis.

200. SECVNDA sententia absolutè affirmat: est Alensis 4. parte quæstione 18. mem. 4. art. 5. §. 2. S. Thomæ in 4. distinct. 17. qu. 3. art. 4. qu. 2. ad 4. Palud. q. 5. art. 1. Gabriel quæst. 1. art. 3. dub. 2. Palatij disp. vltim. Caiet. in summ. *Confess.* condit. 10. Medina Cod. de confess. q. 11. Syluest. *Confess.* primo q. 19. Angeli *Confess.* 5. n. 9. Nauar. cap. *consideret.* §. *cantus*, n. 12. Tolet. lib. 3. cap. 8.

Alensis. S. Thomas. Paludanus. Gabriel. Palatius. Caietanus. Medina. Syluester. Nauarrus. Angelus. Toletus.

201. Ex his Authoribus aliqui supponunt, reseruationem non esse quoad remissionem culpæ, quæ est primarius effectus huius sacramenti; sed vel quoad remissionem pœnæ, vel quoad reconciliationem cum Ecclesia: ita vt reseruari peccatum superiori, aliud non sit: quàm obligari ad comparendum coram superiore, vt ab eo condignam pœnitentiam accipiat arbitrio ipsius, aut per ipsum Ecclesiæ reconcilietur. Potest igitur pœnitens quoad missionem culpæ absolui ab inferiore, & quoad remissionem pœnæ, vel reconciliationem cum Ecclesia remitti ad superiorem.

202. Alij, etsi putent reseruationem esse quoad remissionem culpæ, nihilominus docent, ab inferiore directè absolui à non reseruatis; indirectè verò à reseruatis: quia sufficit potestas, & Iurisdictio in personam, & in aliqua delicta; à quibus directè absoluta, indirectè absolui posśit à reseruatis. Confirmatur: quia qui bona fide accedit ad inferiorem Sacerdotem cum aliquo reseruato, accedit ritè dispositus: ergo absolutio collata tenet.

203. TERTIA sententia negat absolutè, & in omni casu posse pœnitentem ab inferiori Sacerdote absolui à reseruatis; sed solùm vrgente graui aliqua necessitate, aut scandali, aut infamiæ, aut præcepti seruandi confessionem, & ad superiorem non sit facilis recursus; semper tamen cum onere præsentandi se superiori pro reseruatis: Est Soti in 4. dist. 18. quæst. 2. art. 5. Cani relect. de sacramento pœnitent. parte 5. §. *secunda conclusio*: Valentiæ disp. 7. qu. 11. puncto. 1. asser. 6. sub finem; Suarez disp. 31. sectione 3. Nugnez in additione ad tertiam partem qu. 9. art. 2. dub. 2. in 2. parte articuli.

Sotus. Canus. Valentia. Suarez. Nugnez.

204. Sed ad huc inter eos controuersum est, an posśit inferior Sacerdos in his casibus pœnitentem indirectè absoluere à reseruatis, quibus annexa est excommunicatio. Angel. Suarez, & Nughez affirmant: Reliqui verò etiam 2. sentent. Authores id communiter negant; sed docent, ad euitandū scandalum potiùs debere pœnitentem communicare sine confessione. Fundamentum est: quia excommunicatio, etiam minor, reddit subiectum incapax sacramentalis absolutionis: quippe quæ subiectum priuat passiua susceptione sacramentorum: ergo peccat Sacerdos talem absoluendo, & absolutio erit nulla. Legatur Richar. in 4. dist. 18. art. 9. qu. 4.

Richardus.

205. DICO primò. Vrgente necessitate tuendi vitam, famam, vitandi scandalum, aut seruandi præceptum annuæ confessionis, potest inferior Sacerdos pœnitentem directè absoluere à non reseruatis; indirectè verò à reseruatis, cum onere adeundi superiorem pro reseruatis.

206. Dupliciter potest intelligi conclusio. Primò, ex benigna interpretatione superioris, qui voluerit pro his casibus ab inferiore Iurisdictionem auferre: in quo sensu illam probabilem putant Nugnez; dubiam verò Suarez, cùm pendeat ex libera voluntate concedentis. Notant autem, in hoc sensu absolutionem à reseruatis fieri directè; non tamen sine onere adeundi superiorem.

Clarior explicatio.

Nugnez. Suarez.

207. Secundò: quando in inferiore non deest iurisdictio in aliqua peccata, quæ pœnitens exponit simul cum reseruatis in confessione & ex alia parte pœnitens, vrgente necesśitate, & occluso aditu ad superiorem, excusatur ab integra confesśione directa: ergo validum, & licitum efficitur sacramentum. Validum, quia nec in Ministro deest sufficiens Iurisdictio; nec in pœnitente materia. Licitum, quia in tali casu tam pœnitens excusatur ab integra confesśione, quàm Sacerdos ab integra absolutione directa. Et in hoc sensu explicata opinio non modò probabilis est: sed in praxi tuta, & secura. Nam & bono pœnitentis prouidetur, & ordo rectæ gubernationis non perturbatur: quia sic absolutus semper manet obligatus adeundi superiorem pro reseruatis; vel cui superior suas vices commiserit: à quo, &

condignam pœnitentiam, & instructionem poterit accipere.

Explicatur Tridentinum.

208. Nec repugnat Tridentino affirmanti, in casibus reseruatis extra articulum mortis nihil posse inferiores Sacerdotes: Nam per hoc non negat directam potestatem in alia peccata, & consequenter indirectam in ipsa reseruata; tum quia eam potestatem negat in reseruata extra articulum mortis, quam ibidem concedit in articulo mortis; sed in articulo mortis non concedit potestatem indirectam, quam vnusquisque habet ex se, sed directam: ergo hanc solam negat extra articulum mortis: tum quia nihil per hanc indirectam potestatem derogatur reseruationi; sed solùm consulitur bono pœnitentis, vt in necessitate, in qua ei non patet aditus ad superiorem, non careat remedio absolutionis. Nam semper pœnitens indirectè absolutus, manet obligatus ad petendam directam absolutionem pro reseruatis: sicut non derogatur præcepto confessionis, quod quis iustificetur contritione: quia adhuc iustificatus, & absolutus per contritionem, manet cum obligatione ad confessionem.

Præcipua difficultas in quo consistat.

209. Tota difficultas huius explicationis est: quia non videtur, quòd sola iurisdictio in non reseruata sit sufficiens ad remittenda validè reseruata. Confirmatur: quia non potest Iudex per iurisdictionem, quam habet in vno delicto, absoluere reum ab omnibus, in quæ iurisdictionem non habet: ergo nec Sacerdos per iurisdictionem, quam habet in non reseruata, pœnitentem absoluere à reseruatis; quia nulla potestas potest se extendere extra suam sphæram.

210. Conandum igitur nobis est ostendere, talem iurisdictionem sufficere: Quod sic probo. Primò: quia talis iurisdictio sufficit ad remittendum peccatum reseruatum oblitum, & reseruatum putatum non reseruatum, nec non reseruatum omissum ex causa: si quis enim hîc, & nunc non teneatur confiteri reseruatum, confitens solùm non reseruatum, sacramentaliter absoluitur etiam à reseruato, à Sacerdote non habente potestatem in reseruata: ergo ab eodem absoluitur, etiamsi illud cum non reseruatis confiteatur: quia confessio reseruati non minuit potestatem in absoluente: ergo si illud ex causa omissum, vel ignoratum, vt reseruatum absolui potest, poterit etiam vt confessum: quia non debet esse peioris conditionis qui peccatum confitetur, quàm qui illud ex causa omittit, vel ignorat esse reseruatum.

Alensis Gerson Maior Petrus Sotus.

211. Confirmatur: nam probabilis est opinio, quam docent Alensis, Gerson, Maior, Petrus Sotus, & alij, in casu, quo pœnitens accedit cum reseruato ad inferiorem, non teneri confiteri reseruatum: ergo posset pœnitens sequens hanc opinionem probabilem, accedere dispositus: ergo Sacerdos absoluens à peccatis non reseruatis sibi confessis, validum efficit sacramentum; & quia reperit subiectum dispositum, confert gratiam, cum qua quia repugnat omnis peccato consequenter & indirectè remittitur etiam reseruatum non confessum.

212. Secundò à priori: quoniam ad validitatem huius sacramenti tria requiruntur, materia, forma, & potestas ministri. Ponitur materia ex parte pœnitentis, peccata scilicet non reseruata, contrita, & confessa: forma absolutionis, & potestas in non reseruata, contrita, & confessa: forma absolutionis, & potestas in non reseruata ex parte Ministri: ergo validum efficitur sacramentum. Quòd etiam licitè, constat tum quia quoties sacramentum hoc validè fit ex parte pœnitentis; licitè etiam fit ex parte eiusdem: alioqui non posset pœnitens accedere ad illud cũ dispositione debita, proinde nec validè: quia dispositio pœnitentis est pars essentialis huius sacramenti: tum quia vrgente necessitate, & non patente aditu ad superiorem, legitimè excusatur à directa confessione omnium peccatorum. Quòd autem licitè possit absolutio conferri à Ministro, patet, tum authoritate Doctorum id asserentium; tum ex causa partim excusante pœnitentem à recursu ad superiorem; partim obligante illum ad Eucharistiam suscipiendam, aut missam celebrandam, aut præceptum confessionis seruandum. Vnde tale sacramentum, sic collatum, confert primam gratiam, per se remissiuam peccatorum non reseruatorum: Quia verò cum gratia pugnat quodlibet peccatũ mortale, indirectè etiam, & consecutiuè talis gratia esset remissiua omnium peccatorum; etiamsi iurisdictio non cadat in omnia peccata: sed potest, vrgente causa, pœnitens absolui ab omnibus, etiamsi iurisdictio non cadat in omnia. Minor constat. Maior probatur: quia Sacerdos non habet potestatem absoluendi, nisi à peccatis in foro pœnitentiæ deductis & explicatis. Sicut nullus Iudex habet auctoritatem absoluendi reum, nisi à crimine in suo foro deducto & probato.

Disparitas inter Iudicem forensem, & pœnitentiarium.

213. Ex his patet, quo pacto hæc Iurisdictio sit sufficiens ad validè, & licitè remittenda peccata reseruata. Neque est par ratio de potestate Iudicis forensis, & Pœnitentiarij: Nam hic ratione modi, quo reum à delictis sibi subiectis absoluit; nempè per gratiam iustificantem, indirectam potestatem etiam habet in reliqua delicta, sibi non subiecta; vnde talia delicta non sunt omnino extra sphæram talis potestatis, licet sint extra sphæram directam.

Angelus Caietanus Medina.

214. Dico 2. Etiamsi peccato reseruato sit annexa excommunicatio, adhuc potest in casu vrgentis necessitatis inferior Sacerdos indirectè absoluere à tali peccato, cum onere petendi à superiore absolutionem ab vtroque: Est Angeli verbo *Confessio*, Caiet. *Confess.* cap. penult. Medinæ Cod. de

de Confess. quæst. 18. Armill. verbo *Confess.* nu. 11. Emmanuelis Sà verbo *absolutio* n. 1. Suar. Nugnez vti suprà.

Armilla Sa Suarez Nugnez.

Clarior explicatio.

215. Conclusio dupliciter potest intelligi. Primò: quod in tali casu cesset omnis excommunicatio ex benigna interpretatione superioris. Sed hoc dubium est, cùm pendeat ex voluntate excommunicantis. Secundò: quod adhuc vigente excommunicatione pœnitens possit à peccatis sacramentaliter absolui, licet non absoluatur ab excommunicatione, & hoc probabilius est. Cuius

216. Fundamentum est: quoniam excommunicatio non potest facere, quin si omnia substantialia ad sacramentum concurrant, sacramentum validè fiat, & cum effectu: sed possunt in pœnitente excommunicato omnia substantialia ad sacramentum pœnitentiæ concurrere: ergo potest in eo validè, & cum effectu hoc sacramentum fieri. Maior probatur: Nam vt sacramentum constet ex his, vel illis partibus, non pendet ab Ecclesia; sed ab institutione Christi; ergo quin sacramentum validè, & cum effectu fiat, concurrentibus omnibus, non pendet ab Ecclesia. Nam sicut independenter ab ipsa habet esse; ita independenter ab ipsa potest validè fieri, quoniam eius cõfectio adæquatè pendet à partibus ipsum constituentibus. Minorem ostendo: quia potest excommunicatus bona fide accedere ad sacerdotem non habentem auctoritatem absoluendi ab excommunicatione pro absolutione à peccatis: ergo potest excommunicatus absolui à peccatis, esto non absoluatur ab excommunicatione. Consequentia elucet: quia si quid obstaret, quin possit excommunicatus validè, & cum effectu hoc sacramentum recipere, esset, quia habens excommunicationem, non posset ad illud bona fide accedere, quia per excommunicationem prohibetur comunicare in sacris: Vnde accedendo cum illa, accederet cum obice peccati, & consequenter defectu doloris, & dispositionis non fieret sacramentum: ergo si posset bona fide, & cum debita dispositione ad illud accedere, posset non obstante excommunicatione illud validè, & cum effectu recipere. Antecedēs probo: Nam posset ad illud accedere cum inculpabili obliuione talis censuræ, vel cum probabili ignorantia, quòd talis Sacerdos posset ab ea absoluere: sed tunc possent cum bona fide pœnitentis reliqua ad sacramentum concurrere: ergo posset, non obstante excommunicatione, illud validè, & cum effectu suscipi. Sed non minùs ad bonam fidem pœnitentis facere potest necessitas vitandi scandalum, vel infamiam, quàm ignorantia: ergo, non obstante excommunicatione, potest pœnitens, vrgente necessitate, ab inferiori Sacerdote sacramentaliter absolui. Minor probatur: nam sicut scandalum, vel periculum mortis, aut infamiæ permittit excommunicato vsum Eucharistiæ; ita eidem permittet vsum sacramentalis cōfessionis, cùm non minùs illi per excommunicationem prohibeatur vnum, quàm aliud.

217. Eadem ratio probat, quoties vrgēte necessitate excommunicatus suscipere potest Eucharistiam, suscipere posse sacramentū pœnitentiæ: Nam hoc Iure Diuino præcedere debet illud, in homine, habente conscientiam peccati mortalis: quem ordinem Ecclesia mutare non potest. Vnde si vrgente necessitate censetur illi permittere vsum Eucharistiæ, à fortiori illi permittere censebitur vsum pœnitentiæ, vt præuiam dispositionem ad Eucharistiam. Nec est par ratio, quando excommunicatus est minister: quia tunc deest iurisdictio in absoluente, quæ ad hoc sacramentum essentialiter requiritur.

218. *Obijcies* primò: excommunicatus recipit quidem sacramentum; non tamen eius effectum: quia illum recipere prohibetur ab Ecclesia. Sed contrà: quia sicut ne validè fiat sacramentum, non pendet ab Ecclesia; ita ne effectum conferat, si sunt omnia requisita; quia hoc pendet à Christo independenter ab Ecclesia: quæ tantùm prohibere potest, ne excommunicatus sacramentum recipiat; non autem si debitè, & bona cum fide recipiat, illud cum effectu nō recipiat, vti recipere potest, qui vrgente necessitate potest ad illud accedere.

Refellitur obiectio.

219. *Obijcies* secundò: excommunicatio suspendit omnem iurisdictionem ab absoluente respectu excommunicati: ergo talis absolutio erit nulla defectu Iurisdictionis. Sed contrà, tum quia alioqui etiam absolutio, data excommunicato, cum inculpabili obliuione excommunicationis esset nulla: ac proinde cum confessione ipsa iteranda. Quod falsum est: tum quia sicut excommunicato non potest prohiberi, ne celebret, aut communicet propter vitandum scandalum: ita neque vt absolutionis sacramentum non recipiat.

Repellitur altera obiectio.

220. Ex his patet ad fundamentum oppositæ sententiæ: Nam excommunicatio non reddit subiectum incapax absolutionis sacramentalis, suspendendo omnem iurisdictionem in absoluente, vel irritando materiam sacramenti; sed solùm prohibet, ne excommunicatus licitè possit ad sacramentum accedere, nisi ab excommunicatione absolutus. Quod si detur casus, in quo nondum absolutus, licitè possit ad sacramentum accedere (vt certum est de accessu ad Eucharistiam) tunc validè, & licitè poterit hoc Sacramentum suscipere; semper tamen cum onere adeundi superiorem, à fortiori poterit irregularis absolui: quia hic non est incapax sacramentalis absolutionis.

Respondetur oppositæ sententiæ.

221. Dico 3. extra casum necessitatis, non potest inferior Sacerdos absoluere pœnitentem habētem casum reseruatum, etiam cum onere comparendi coram superiore: valida tamen erit absolutio, si intercedat bona fides pœnitentis.

222. Primùm probo: nam sacramentum

Probatur prima pars conclusionis.

tum hoc diuino Iure requirit integritatem confessionis, & absolutionis directæ: ergo extra casum necessitatis, non potest absque iniuria sacramenti ea omitti; vbi autem interuenit absolutio indirecta, non potest esse integra confessio, & absolutio directa; ergo. Antecedens ostendo; Nam Iure Diuino hoc sacramentum institutum est per modum Iudicij: Iudicium autem debet esse integrum de omnibus, à quibus potest Iudex absoluere: alioqui non erit legitimum: non potest autem esse integrum, nisi Iurisdictionem supponat in omnia; Nam quæ non sunt Iurisdictioni subiecta, non possunt cadere sub sententiam Iudicis: quia Iudex non potest Iudicare, nisi in quibus Iurisdictionem habet. Minor prioris argumentationis constat: quoniam absolutio integra directa, est quæ fit coram Iudice, habente potestatem super omnia peccata confessa: sed absolutio indirecta non est ex plena & completa potestate super omnia; ergo.

Probatur altera pars Conclusionis.

223. Secundum probatur: quia cùm non desit sufficiens Iurisdictio in absoluente, si alioqui accedat bona fides, & dispositio ex parte pœnitentis, validum efficitur sacramentum, accedit autem bona fides pœnitentis; vel quia ignorat esse casum reseruatum; vel quia inculpabiliter putat, illud posse absolui à quolibet. Vnde etiam si Sacerdos culpabiliter absoluat, tenet absolutio: quia concurrunt omnia ad validitatem Sacramenti: solùm manet pœnitens cum onere explicandi reseruatum superiori, quoties illud nouerit esse reseruatum.

Paulus V. Naldus.

224. Non est hic prætereunda quædam Decisio Pauli V. in qua declarauit, vt apud Dianam tract. 2. de dubijs regu. resol. 125. refert Naldus, vt si confessarij regulatium petant alicuius casus reseruati facultatem, & superiores noluerint illam dare, possint illa vice pœnitentes absoluere, etiam non obtenta à superiore facultate. Vbi idem Author notat: quod si confessarius à superiore licentiam petat absoluendi à reseruatis aliquam personam particularem, potest illam absoluere à reseruatis commissis post licentiam obtentam & ante absolutionem impensam; secus si talis licentia fuerit obtenta ab ipso pœnitente.

225. Ad fundamentum primæ sententiæ, constat ex dictis: etenim Tridentinũ solùm negat potestatem directam, non autem indirectam in casus reseruatos.

226. Ad secundum distinguo minorem, de Iudice habente, vel non habente aliquam Iurisdictionem: vt autem sententia in hoc foro lata, sit valida coram Deo, sufficit, vt sit à Iudice habente aliquam Iurisdictionem directam in personam, & delicta pœnitẽtis, ob essentialem connexionẽ remissionis vnius delicti cum reliquis. Ad instantiam autem ibi factam bene responsum est.

227. Ad primam replicam dico, ad absolutionem directam non satis esse, vt peccata per confessionem pœnitentis sint in iudicium deducta in hoc foro, sed præterea requiri directam potestatem in illa. Vnde quãuis illud primum requiratur, non tamen sufficit sine secundo.

Suarez.

228. Ad secundam replicam, concedit Suarez sequelam. quando interuenit bona fides pœnitentis: quia tamen hoc non est in vsu, ex quo introductum est, vt fideles de venialibus simplici Sacerdoti confiteri possint; vix datur casus, quo pœnitens bona fide possit ad simplicẽ Sacerdotẽ pro mortalibus recurrere: secus est de recursu ad Sacerdotem ordinariũ pro reseruatis: quia hic habet potestatem perfectam intensiuè, cùm habeat potestatem supra mortalia simpliciter.

229. SECVNDA sententia explicanda est iuxta primam conclusionem, in casu dumtaxat vrgentis necessitatis, quamquam primum fundamentum falsum est, vt ex supra disputatis constat.

230. His omnibus annectitur hoc dubium: an absente superiore per vnum diem naturalem à domo possit minister, aut eius Vicarius concedere facultatem absoluendi à reseruatis, absque onere obligandi pœnitentem ad comparendum coram superiore, cùm domum redierit. Affirmant multi apud Dianam tract. 2. de Dubijs regula. resolu. 24. Quod tamen ipse limitat, nisi superior eodem die sit reuersurus, & nisi pœnitens de industria in illum diem confessionem distulerit, vel aliter in ea Religione dispositum sit.

An in casu necessitatis teneatur pœnitens simul cum non reseruatis, confiteri etiam reseruata inferiori Sacerdoti?

Alensis. Gerson. Maior. Petrus Sotus.

231. PRIMA sententia negat. est Alens. 4. p. qu. 18. m. 4. art. 5. §. 2. ad vlt. Gersonis, Maioris apud Palatium, Petri Soti de integritate confess. lect. 10. Fundamentum: quoniam ea peccata sunt confitenda, quæ possunt directè absolui, nam ea tantùm sunt subiecta potestati absoluentis, alioqui pœnitens cogeretur eadem peccata bis confiteri. Confirmatur: quia sicut potest pœnitens confiteri sola reseruata superiori, cum onere confitendi non reseruata inferiori, ita sola non reseruata inferiori, cum onere confitendi reseruata superiori

S. Thomas. Sotus. Canus.

232. SECVNDA sententia affirmat, *quæ probabilior est, & sequenda* est S. Tho. in 4. di. 17. q. 3. a. 4. q. 2. ad 4. Soti dist. 18. q. 2. a. 5. §. *vnde ad argumentum*, Cani relect. de pœnit. p. 6. §. *sed quoniam Theologis non licet*, & aliorum communis. Fundamentum est: quia, vt possit inferior Sacerdos directè absoluere à non reseruatis; debet etiam cognoscere reseruata, vt ex ijs perpendat dispositionem pœnitentis, quæ ad ea ipsa indirectè absoluenda, necessaria est.

233. Dices: ergo pari ratione tenetur pœnitens omnia confessi inferiori repetere superiori, vt ab eo absoluatur à reseruatis. Resp. nego consequentiam: nam qui ex causa aliqua omittit, non tenetur, nisi omissa, & indirectè absoluta repetere; sed pœnitens ex causa omisit superiori confiteri: ergo non tenetur illi; nisi tantùm indirectè absoluta repetere, quæ sunt sola reseruata. Nam quæ validè fuerut semel directè absoluta, repetenda non sunt: vt in mortis articulo omnia reseruata directè à quouis validè absoluta, non sunt superiori repetenda: quia in eo articulo omnis Sacerdos habet directam potestatam in reseruata, præterquam in excommunicationem; ratione cuius debet se præsentare superiori.

234. Ad fundamentum primę sententiæ, nego antecedens: falsum quippe est, solùm esse confitenda, quę sunt directè tantū subiecta potestati absoluentis ob rationam adductam. Neque absurdum est, in eo casu pœnitentem teneri eadem peccata bis confiteri: Nam hoc est per accidens, defectu proprij confessarij, nec tale onus debet præualere integritati confessionis: præsertim cùm illud compensetur vtilitate pœnitentis.

235. Ad confirmationem, disparitas est; quia in primo casu interuenit iusta causa ex parte superioris, quæ pœnitentē excusat ab integritate cōfessionis: In secundo verò casu nulla interuenit causa, neque ex parte pœnitentis; neque ex parte absoluentis, vt supponitur. Quod si quæ causa interueniret; vel ex parte pœnitētis; vel ex parte absoluentis, esset eadem ratio.

236. Ex dictis colligitur, vel quando ex causa pœnitens absoluitur à solis reseruatis per superiorem, & deinde à solis non reseruatis per inferiorem; vel è contrà, à solis non reseruatis directè per inferiorem, deinde à solis reseruatis per superiorem, duplex fieri sacramentum; Alterum à superiore directè cadens in reseruata confessa; indirectè verò in non reseruata omissa: Alterum ab inferiore conferens gratiam directè remissiuam non reseruatorum, indirectè vero reseruatorum.

Opinio Paludani reijcitur.

237. Hoc est contra Paludanum affirmantem, vnum ex vtraque absolutione fieri sacramentum, quod gratiam confert in vltima absolutione, & non antea quia tunc completur, sicut Extrema Vnctio gratiam confert in vltima Vnctione: quia per eam sacramentum completur: at dispar est ratio: quoniam Extrema Vnctio vel per se requirit Vnctiones omnium sensum, eo quod sit per se instituta ad reliquias peccatorum abstergendas: vel si eius essentia saluatur in Vnctione vnius, tunc gratiam confert, vt infrà cùm de hoc sacremento. At pœnitentia per se requirit absolutionem ab vno Sacerdote, cùm sit instituta per modum Iudicij Sacramentalis.

Disparitas inter extremā vnctionem, & sacram. pœnit.

An generaliter absolutus à superiore poßit deinde quoad reseruata oblita à quocunque absolui?

238. PRIMA sententia Gabr. in 4. dist. 17. quæst. 1. art. 3. dub 2. in fine, Adriani in 4. quæst. 4. de confess. §. *si quæras*, Syluest. verbo *confess.* primo quæst. 4. Angeli *confess.* primo num 12. Tabien. *confess.* 2. num. 17. Armill. 13. Cani relect. de sacramento pœnit. parte 6. §. *id vero*, Nauar. in sum. cap. 26. num. 13. & cap. *consideret* §. *cautus* num. 32. Emmanuelis Sà verbo *casus*, Henriquez li. 6. de sacramentis cap. 16. num. 5. affirmantium, etiamsi confessio fuerit ficta & inualida. Addit Henriquez, etiamsi oblita sint alterius speciei ab illis, à quibus fuit à superiore, vel à delegato absolutus Fundamentum: quia qui absoluitur, censetur ab omnibus absolui; absolutio autem semper præsumenda est in fauorem pœnitentis.

Gabriel Adrianus Syluester Angelus Tabiena Armilla Canus Nauarrus Sà Henriquez.

239. Confirmatur primò: quia qui absoluitur ab omnibus excommunicationibus, manet absolutus ab excommunicationibus, etiam oblitis, ergo generaliter absolutus ab omnibus peccatis, manet absolutus etiam ab oblitis reseruatis.

240. Confirmatur secundo quia potest quis absolutus à reseruatis virtute alicuius Bullæ, aut Iubilæi, de oblitis absolui, etiam transacto tempore Iubilœi.

241. SECVNDA sententia Suar. disp. 31. sess. 4. Vasquez quæst. 91. art. 3. dub. 5. negantium, id præcisè colligi ex generali absolutione ab omnibus peccatis, nisi aliunde constet. *Quæ sententia tutior est ac probabilior.* Ducor. quia sola generalis voluntas absoluendi à peccatis, non includit voluntatem absoluendi à reseruatis. Cæterùm Vasquez expressam requirit voluntatem superioris volentis absoluere ab omnibus reseruatis etiam oblitis. Eius fundamentum est: quia peccatum reseruatur superiori præcipuè quoad Iudicium illud cognoscendi, & applicandi ei medelam, & non quoad remissionem culpę: Nam hoc præstare potest quiuis Sacerdos; quiuis enim Sacerdos directè absoluendo à confessis sibi subiectis, indirectè absoluit etiam ab oblitis non confessis reseruatis.

Suarez. Vasquez.

Vasquez.

242. Suarez verò solùm requirit implicitam voluntatem: vt si subditus ad superiorem accedat intentione exonerandi suam conscientiam ab omni peccato, & onere contracto, & hoc superiori constet. Si deinde pœnitens obliuiscitur aliquod reseruatum, censetur ab eius reseruatione liber. quia in eo casu facit subditus, quantùm moraliter potest, vt consequatur perfectam liberationem ab omni onere contracto.

Suarez.

contracto. Igitur superior sciens hac subditi voluntatem, debet rationabiliter esse contentus, vt per hanc moralem dispositionem subditus liber maneat ab omni reseruatione.

243. Atque hic posterior modus explicandi sententiam securus est, & *probabilior*, & iuxta hūc modum explicantur Authoritates primæ sententiæ. Solùm addo: quando pœnitens obliuiscitur aliquod reseruatum numero tantùm distinctum, liberari ab onere illius, hoc ipso; quod confessus est speciem peccati: quia peccatum numero distinctum non facit diuersum iudicium apud superiorem.

244. Ad fundamentum primæ sententiæ; maior intelligitur de absolutione à culpa; non autem à debito manifestandi superiori: nec absolutio ab hoc debito præsumenda est in fauorem pœnitentis, cùm cedat in damnum publicum, vel ipsius pœnitentis, in cuius bonum & cautelam reseruantur peccata, vt ex peccati reseruati manifestatione efficax remedium, & proportionatam medicinam à superiore recipere possit.

245. Ad primam Confirmationem, disparitas est: quia absolutio à censura non requirit expressam notitiam ipsius; sicut absolutio à peccatis reseruatis, quæ quoad hoc iudicium præcipuè reseruantur; & ideo possunt illæ absolui per generalem absolutionem, non autem hæc.

246. Ad secundum disparitas est: quia per Bullam, vel Iubilæum pœnitens acquirit Ius, vt eo semel vsus possit virtute illius de oblitis confiteri; etiam transacto tempore; modò validum sumpserit sacramentum: quia sub ea conditione conceditur indulgentia à reseruatis: secus quando ea confitetur superiori: nam etiamsi fictè confiteatur, manet solutus ab illis quoad debitum iterum manifestandi ea superiori; quia satisfactum est fini, propter quem peccata reseruantur, qui est, vt ea superioris iudicio subdantur: at non satisfit principali fini Iubilæi, nisi per confessionem validam, quæ in Iubilæo intenditur. An verò maneat absolutus à reseruatis; etiam si postea non seruet conditiones à Iubilæo præscriptas, affirmant communiter Doctores, præsertim quando id non fit in fraudem. Ratio: quia absolutio sacramentalis dari non potest dependenter à conditione futura extra totam formam sacramentalem: sed peccata semel directè absoluta non manent iterum subijcienda clauibus: peccat tamen propter implicitum pactum pœnitens, (vt sentit Vasquez) nec manet absolutus à votis: quia hæc possunt dispensari, vel communicari dependenter à conditione futura. Henriquez verò lib. 6. de sacramentis cap. 16. num. 6. nec existimat peccare, qui postea, mutata voluntate, non seruat reliquas conditiones: quia solum propositum eas seruandi non induxit pactum; nec reincidit in vota semel dispensata: quia non fuit data potestas absoluendi, aut dispensandi ad reincidentiam. Consentit Emmanuel Sà verbo *absolutio* num. 18. Idem Henriquez censet posse pœnitentem tempore Iubilæi absolui à reseruatis, & cum causa differri confessionem aliorum post Iubilæum, lib. 7. de indulgentijs cap. 11.

Vasquez. Henriquez. Emmanuel Sà. Henriquez.

SECTIO XI.

An possit sacramentaliter absolui, qui signa tantùm ostendit contritionis?

247. PRIMA sententia Soti in 4. dist. 18. quæst. 2. art. 5. Victoriæ in sum. num. 171. & 172. Abulens.: apud Sotum loco cit. Cani relect. de pœnit. parte 6. §. *at inhærendo Ecclesiastico vsui*; Ledesmæ 2. parte 4. quæst. 9. art. 5. dub. 2. Nauarri in sum. cap. 26. num. 28. negantium, cum quibus aliquando sensit Emmanuel Sà verbo *absolutio*. num. 11. docent tamen huic ministrandum esse sacramentum Eucharistiæ, & Extremæ Vnctionis, quæ si fortè inueniant attritum, faciunt contritum. Fundamentum: quia confessio est pars essentialis huius sacramenti: sed qui tantùm signa doloris ostendit, non confitetur. Maior est Florentini definientis, oris confessionem esse partem huius sacramenti. Confirmatur: quia hoc sacramentum est essentialiter Iudicium quod cadere non potest, nisi in rem indiuidualiter notam: ergo non sufficit confessio generalis, qua pœnitens fatetur se peccasse.

Sotus. Victoria. Abulens. Canus. Ledesma. Nauarrus. Emmanuel Sà. Concil. Florentinum.

248. SECVNDA sententia S. Antonini 3. p. tit. 10. cap. 2. Angeli *confess.* 4. num. 8. Medinæ cod. de confess. quæst. 39. de peccatis oblitis, Cordub. lib. 5. de indulgent. quæst. 29. §. 3. Toleti in sum. lib. 3. cap. 8. Henriquez lib. 6. de sacramentis cap. 10. Suarez disp. 23. sect. 1. Vasquez quæst. 91. art. 2. dub. 1. Emmanuel. Sà supra citati, Coninck disp. 7. dub. 10. affirmantium. *Quæ sententia vera est, & sequenda.*

Antoninus. Angelus. Medina. Corduba. Toletus. Henriquez. Suarez. Vasquez. Emmanuel Sà. Coninck.

249. Pro qua notandum: quando infirmus nullum dedit signum confessionis, neque per se, neque per alium, absolui non posse: quia tunc deest accusatio sui, quæ est essentialis pars huius sacramenti, quidquid in contrarium sentiant recentiores aliqui apud Malderum de sigillo confess. cap. 15. Secundò conandum esse tunc Sacerdoti, vt infirmus aliquod peccatum particulare exprimat. Quod si hoc fieri nequit, habeat saltem vnum testem, quod signa doloris dederit, & intrepidè absoluat. Docent Concilia Arausic. can. 11. & Carthag. 4. can. 76. & referuntur can. qui recedunt, & can. *is qui* 16. quæstione 6. quæ falsò Sotus negat, intelligenda esse de

Malderus. Concilia Arausica. & Carthag. Sotus reijcitur.

de absolutione sacramentali à peccatis. Docet etiam Rituale Romanum iussu Pauli Quinti editum pag. 43. vbi non modò affirmat, posse, sed etiam debere absolui vnde grauiter peccaret Sacerdos, qui in eo casu moribundo absolutionem negaret. Fundamentum: quia in hoc casu talis confessio esset integra formaliter. Nam pœnitens facit quantùm potest hîc, & nunc per talia signa sua peccata confessori subijciendo, & confessor per ea signa aliquod Iudicium formando de peccatis, & dispositione pœnitentis: ergo potest, & debet absolutionem impendere.

Rituale Romanum.

250. Confirmatur: nam vel talis confessio esset insufficiens: quia non esset expressiua peccatorum particularium; vel quia fieret testimonio aliorum. Non primù: nam sufficit expressio peccati in genere, vt docet S. Thomas in 4. dist. 21. quæst. 2. art. 2. de eo, qui recordatur, se peccasse, & oblitus est peccati in specie, nam tunc potest, & debet confiteri peccatum in genere; & constat de eo, qui non tenetur confiteri speciem peccati. Nam tunc debet confiteri peccatum in genere, tacitâ specie: sed confessio per signa æquiualet confessioni peccatorum in genere; Nam per eam pœnitens testatur, se peccasse, & confessor nouum format Iudicium, quod antea non habebat: ergo potest, & debet à tali peccato in genere cognito moribundum absoluere. Non secundum: alioqui non possemus per interpretem confiteri; confessio autem moribundi facta Sacerdoti per testem æquiualet confessioni per interpretem. Nam sicut interpres refert peccata confitentis confessori; ita testis peccata moribundi Sacerdoti.

S. Thomas.

251. Notat Henriquez lib. 6. de sacramentis cap. 9. num. 3. contra Sotum in 4. dist. 18. quæst. 4. art. 4. posse moribundum, absente Sacerdote, absolui ab excommunicatione, etiam publica, & reseruata, à Clerico tantùm tonsurato: Nam cùm soleat Ecclesia potestatem absoluendi ab excommunicatione concedere tonsurato, putandum est, in eo articulo eam potestatem, absente Sacerdote, concedere cuilibet tonsurato: quod prodest, vt possit postea absolui à quouis Sacerdote, sine recursu ad eum, cui erat excommunicatio reseruata. Quin putat Diana cum multis tract. 4. de sacramentis resol. 133. hanc absolutionem ab excommunicatione dari posse moribundo à laico.

Henriquez.

Diana.

252. Ad fundamentum primæ sententiæ, nego minorem: nam confessio facta per signa, est vera confessio, licet imperfecta. Ad cuius probationem dico, Concilium sumere oris confessionem generaliter: alioqui nunquam liceret per scriptum confiteri, quod falsum est. Ad confirmationem respondeo, ad iudicium sacramentale sufficere qualemcunque peccati notitiam, qualis à reo hîc, & nunc haberi potest.

SECTIO XII.

Quando iteranda sit confessio?

253. Ex duplici capite venit iteranda confessio. Primo ex voto, aut lege extrinsecâ supponente pœnitentis acceptationem; sine qua nulla lex humana obligare potest ad eadam peccata validè confessa, iterum confitenda. Nam semel validè confessi, Iure diuino, liberamur à debito reconfitendi, vt colligitur ex extrauagante, *inter cunctas*, de priuilegijs. 2. ex nullitate confessionis: nam confessio ex aliquo defectu nulla, confessio non est, qualis ad sacramentum pœnitentiæ requiritur; & consequenter per eam non satisfacimus diuino præcepto de confitendo, vnde est necessariò iteranda. De iterabilitate igitur ex hoc 2. capite prouenienre disputamus. Porro hæc iterabilitas prouenire potest aut ex parte pœnitentis, aut ex parte absoluentis.

254. Ex parte pœnitentis prouenit, primò, ex defectu doloris, vnde quando quis aduertit, se in priore confessione non habuisse debitum dolorem, non solùm tenetur in posteriori confessione de huiusmodi indispositione se accusare; sed priorem etiam confessionem repetere, aut explicitè, si fiat distincto confessario, aut implicitè, si fiat eidem: hoc autem intelligendum est, quando confessio est de mortalibus, nam de venialibus sufficit confiteri solam fictionem: Nam etiam cum venialibus fictè accedere ad hoc sacramentum, est mortale: fit enim grauis iniuria sacramento, dum acceditur sine dispositione, essentialiter requisita ad hoc sacramentum. Non est autem necesse, vt dolor cadat supra omnia venialia; sed sufficit, si tantùm cadat in vnum ex his, quæ confiteris. Nam per illud præbes sufficientem materiam sacramenti.

255. Prouenit secundò, defectu integritatis, quando sine iusta causa omittis aliquod peccatum, vel aduertenter; vel quia sine probabili ratione putabas esse veniale; quod tamen erat mortale, & omisisti confiteri: aut quia tibi erat dubium; quippè etiam mortale dubium confitendum est, vt tale; vel ex culpabili defectu examinis, ad quod sufficit, si probabiliter putes, te facere quantum debes, etiamsi re ipsa id non præstes: quia sicut nulla lex obligat, nisi vt cognita, ita defectus probabiliter ignoratus excusat. In his igitur casibus non solùm teneris confiteri peccatum dimidiationis; sed simul etiam omnia confessa repetere, quoniam defectu integritatis confessio fit nulla.

256. Oppositum docent Sotus in 4. dist. 18 quæst.

Sotus.

quæst. 3. art. 3. Nugnez. 3. p. tom 2. quæst. 9. art. 1. dub. 1. & alij opinantes, qui culpabili negligentia mortali, modò crassa & supina non sit, omittit aliqua mortalia confiteri, non teneri ad confessionem iterandam; sad solùm ad confitenda ea, quæ negligenter omisit: quia licet hic non fecerit confessionem formatam, fecit tamen validam. Verùm hæc sententia supponit falsam doctrinam suprà impugnatam de confessione valida & informi. Confirmatur: Nam hic committit nouum peccatum mortale propter culpabilem negligentiam examinis: ergo non potest validã facere confessionem.

257. Tertiò adducunt alij, quando pœnitens mentitur in ipsã confessione, decipiendo confessorem; vel dicendo aliquod, quod non fecit; vel tacendo, quod fecit. Sed hoc limitandum est, vt rectè Suar. disp. 22. sect. 10. quando mendacium, & deceptio est in materia graui; non autem quando est in materia leui, in qua esto Pœnitens mentiendo committat sacrilegium; non tamen committit mortale, sed veniale, quod sacramentum non irritat; ac proinde non erit repetendum. Quin putat Faber apud Dianam tract. 4. de sacramentis resol. 96. etiam quando peccatum veniale est tota materia confessionis, mendacium de eo esse tantùm veniale. Verùm hoc dupliciter accidere potest. Primo, si pœnitens confiteatur veniale, quod non commisit: & tunc nulla est confessio: quia nulla supponitur formæ materia. Secundò, si in ipso veniali, quod commisit; confitendo, mendacium committat; & tunc tale mendacium non irritat confessionem.

258. Prouenit ex parte confessoris, primò: defectu absolutionis, etiam iniustè negatæ: quia sine absolutione sacramentum est nullum, proinde necessariò repetendum. lege Gabr. in 4. dist. 17. quæst. 1. art. 3. dub. 2. Sotum dist. 18. quæst. 3. a. 3. §. *his tamen non obstantibus,* Canum releòt. de pœnit. p. 6. §. *Huic verò quæstioni.*

259. Secundò: defectu Iurisdictionis, & approbationis, iuxta Decretum Tridentini: non solùm enim defectus Iurisdictionis; sed etiam approbationis irritat sacramentum, vt rectè aduertit Suar. disp. 24. num. 14.

260. Tertiò: defectu intentionis, est enim hæc necessario requisita in quauis sacramenti administratione: vt constat ex præcedente tomo. Ratio est: quoniam sacramentum essentialiter conficitur operatione humanã, quæ ministri intentionem requirit.

261. Quartò: defectu attentionis: quia hæc essentialiter requiritur ad iudicium ferendum: cùm enim confessio sit actus iudicialis; sicut requirit reuelationem ex parte pœnitentis; ita cognitionem, & attentionem ex parte absoluentis.

262. Quintò: addunt alij defectum scientiæ: defectu cuius nequit Iudex validam ferre sententiam. Verùm hic defectus, vt bene notat Suarez disp. 28. sect. 2. per se non irritat sacramentum, nisi vel ratione obicis, quando ex industria pœnitẽs talem sibi eligit confessarium; aut aduertit illum in ipsa confessione peccati grauitatem non percipere: illumque omisit instruere; vel quando confessarius nullum scit formare iudicium de peccatis in confessione audiciis; in quo etiam casu, si pœnitens bonã fide confessus est omnia sua peccata, etiamsi postea aduertat, confessarium non sciuisse distinguere inter venialia, & mortalia; vel reseruata, putat Henriquez lib. 2. de sacramento pœnit. cap. 14. num. 5. validum, & fructuosum fuisse sacramentum, nec pœnitentem teneri confessionem iterare: cum bene dispositus fuerit & à Sacerdote quamuis ignaro absolutus.

263. Est autem notandum, non semper qui inualidam confessionem fecit, teneri omnes subsequentes repetere; Nam potuit quis ob aliquem defectum inualidam confessionem facere, & deinde inuincibiliter obliuisci defectum: vel propter instantem necessitatem excusari à repetitione præteritæ confessionis. In his enim casibus non tenemur subsequentes confessiones repetere, cùm illæ fuerint validæ, nec prior defectus inuincibiliter oblitus, vel instans necessitas excusans potest subsequentes confessiones irritare; sicut nec peccatum antecedens oblitum, aut à præsente confessione excusans, subsequentes confessiones irritat.

264. Petes. quid fiet, si quis duas fecit confessiones inualidas, duobus Sacerdotibus distinctis? sufficitne, vnicuique repetere inualidè confessa, an necessarium sit vni omnia reconfiteri?

265. Resp. necessarium esse vni omnia integrè reconfiteri, nec sufficere vnicuique ea tantùm repetere, quæ ei inualidè confessus est. Ratio: quia ex quo illæ confessiones inualidæ fuerunt, est ac si nullo modo fuerint: at si nullo modo fuissent, teneretur pœnitens vni omnia confiteri, ab eoque absolutionem petere. Quare vel ea peccata reconfitenda erunt distinctè omnia alicui tertio; vel alterutri ex duobus: reducendo illi in memoriam, quæ cum ipso confessus est, & distinctè explicando, quæ alteri confessus fuerat. Atque hæc fere certa & indubitata sunt apud omnes. Aliqua controuersia superest: An repetenda sit confessio facta ab excommunicato, antequam absolutus sit ab excommunicatione; vel excepta ab excommunicato; vel dubio in Iurisdictione.

An

An repetenda sit confessio facta ab excommunicato antequam sit ab excommunicatione absolutus?

266. PRima sententia affirmat, etiamsi talis excommunicatio sit inuincibiliter ignorata; est multorum, quos sequitur Vasquez quæst. 91. art. 3. dub. 5. Fundamentum: quia excommunicatio ita priuat subiectum passiuâ receptione Sacramentorum, vt irritet absolutionem peccatorum impensam ab eo, qui potestatem non habet absoluendi ab excõmunicatione. Est enim hoc impedimentum canonicum, inhabilitans subiectum ad sacramentalem absolutionem, extrahens illud à Iurisdictione Sacerdotis, potestatem non habentis absoluendi ab excommunicatione.

Vasquez.

267. SECVNDA Angeli *Confess.* 5. num. 10. Med. cod. de confessione quæst. 18. Suar. disp. 31. sect. 3. & aliorum negantium, *quæ probabilior est & sequenda*. Fundamentum: quia excommunicatio non reddit subiectum inhabile ad sacramentum, vt per se constat & supra probatum est; sed solùm prohibet, ne licitè possit ad illud accedere, stante extrinsecâ excommunicatione: ergo, si non obstante excommunicatione, licitè possit pœnitens ad sacramentum pœnitentiæ accedere, verum recipit sacramentum, & consequenter non tenetur illud repetere. Accedit autem licitè, primò: quando probabiliter ignorat excommunicationem, aut inuincibiliter putat, se cum ea licitè ad hoc sacramentum accedere posse. Secundò: quando est in aliqua necessitate vitandi scandalum, aut grauem infamiam: nam tunc sicut validum recipit sacramentum; ita repetendum non est. Extra hos casus vt nequit excommunicatus bona fide accedere ad hoc sacramentum, quin obicem ponat; ita defectu interioris dispositionis nullum recipit sacramentum: proinde repetendum, non tam ratione excommunicationis; quàm defectu interioris dispositionis.

Angelus
Medina
Suarez.

268. Ad fundamentum primæ sententiæ, nego antecedens, eiusque probationem: etenim falsum est, excommunicationem inhabilitare subiectum ad sacramẽta recipienda, aut illud subtrahere à Iurisdictione Sacerdotis non habentis potestatem super excommunicationem: Nam licet subtrahatur à Iurisdictione illius quoad absolutionem ab excõmunicatione, non tamen subtrahitur à Iurisdictione eiusdem quoad reliqua. Solùm igitur excommunicatio prohibet, ne licitè possit ad ea accedere. Cuius ratio est: quia non potest Ecclesia prohibere, quin, si omnia substantialia ad sacramentum concurrant, validum fiat sacramentum: sed, non obstante excommunicatione, possunt omnia substantialia ad hoc sacramentum concurrere: ergo.

269. Ex his sequitur posse Sacerdotem habentem casum reseruatum cũ excõmunicatione vrgente necessitate inferiori Sacerdoti cõfiteri; non tamẽ teneri; sed posse præmisso tantũ actu contritionis celebrare. Idẽ dicendum, si tantùm habeat casum reseruatum absque excommunicatione: quia tunc potest se gerere, ac si non haberet copiam confessarij quod cum multis notauit Diana tract. 4. de sacramentis resol. 104 Ratio: quia non tenetur cum hoc onere bis suum peccatum manifestandi, semel inferiori Sacerdoti, iterum superiori, cui tale peccatum est reseruatum, confessionem præmittere.

An repetenda sit confessio facta excommunicato?

270. PRima sententia vniuersaliter affirmat: eò quod vniuersaliter prohibemur cum excommunicatis in sacris communicare.

271. SECVNDA vniuersaliter negat: quia saltem validè possumus absolui à quolibet excommunicato inuincibiliter à nobis ignorato.

272. TERTIA distinguit de excommunicato denunciato, & publico percussore Clerici, & de quouis alio excommunicato. Confessionem factam primo docet, esse irritam defectu potestatis, proinde semper iterandam, etiamsi talis excommunicatio fuerit inuincibiliter ignorata: confessionẽ factam secundo modo per se non esse irritã defectu potestatis; posse tamen esse irritam ratione obicis, quia sæpè tenemur non dare alteri occasionem peccandi: & quia sic excommunicati peccant ministrando sacramenta; ideo si ignorantia, vel necessitas non excusat, peccamus, ab ijs sacramenta petendo; proinde obicem ponimus ad ipsum sacramentum; & consequenter in tali casu repetenda est confessio. *Quæ vltima sententia probabilior est & amplectenda.* Lege Medin. cod. de confess. quæst. 22. & 23.

Medina.

An confessio facta Sacerdoti in Iurisdictione dubio sit repetenda?

273. NOn summus hic dubium propriè pro suspensione assensus in vtrãq; partẽ; sic enim nec pœnitenti licet ad Sacerdotẽ dubium in Iurisdictione accedere; nec Sacerdoti dubio absolutionẽ impẽdere; sed sumimus dubium pro probabili coniectura, non faciente certitudinẽ moralem. Præterea non loquimur de confessione repetenda per accidens ratione obicis, quẽ ponit pœnitens,

dum relicto certo, sine causâ accedit ad dubium ministrum; sed de confessione repetenda per se. Tandem non disputamus, an in tali casu fieri posset verum sacramentum, quod directè cadat super aliquod veniale, tanquam materiam certam; & indirectè super mortalia: vt diximus de casibus reseruatis: Nam certum est, in eo casu, tale Sacramentum fieri posse, si cætera adsint: sed, non obstante vero sacramento, vlterius indagamus: an repetenda sit talis confessio, cùm non sint per eam peccata directè absoluta: sicut, non obstante vero sacramento in casibus reseruatis confessis inferiori, tenemur ea reconfiteri superiori, eò quod non fuerunt in priori confessione directè absoluta.

274. PRIMA sententia affirmat teneri, vbi primũ pœnitenti constiterit, quod Sacerdos nullam Iurisdictionem habuit: est Suarez disp. 26. sess. 6. Fundamentum: quia ad sacramentalem absolutionem non sufficit tantùm putata, aut probabilis potestas; sed requiritur realis & certa: sicut nec sat est putatus dolor; sed requiritur realis: quoniam hæc non pendent ex opinione Doctorum; sed ex institutione Christi: ergo vt primum pœnitenti constiterit, quod Sacerdos nullã habeat potestatem, tenetur priorem confessionem repetere.

Suarez.

275. SECVNDA sententia negat: *quæ probalior est*, licèt prior sit securior. Fundamentum: quia in eo casu censetur Ecclesia potestatem concedere. Nam hoc ipso, quod ministri in absolueudo sequuntur opiniones probabiles Doctorum, ducuntur regula humana ad operandum humano modo proportionata: ergo hoc ipso Ecclesia censetur eorum gesta approbare, supplendo defectum potestatis, vbi, & quantum opus fuerit, ne publicum bonum animarum lædatur. Quæ doctrina colligitur ex leg. *Barbarius ff.* de officio prætoris: in quâ ne publicum bonum lædatur, statuitur, ne res à putato tantùm prætore gestæ irritæ sint, & inualidæ. Nam hoc, *humanius*, inquit, *est*. eadem ergo ratione dicendum in supra dicto casu, Sacerdotem Ecclesiastico Iure habere potestatem absoluendi à peccatis, ne publicum bonum animarum patiatur damnum.

Diana.

276. Confirmatur: nam Parochus tantùm putatus, vtporè qui Simoniacè beneficium obtinuit, ex eadem tacitâ concessione Ecclesiæ censetur habere omnem potestatem ad suum officium ritè obeundum. Aduerte autem hoc non intelligi de priuata tantùm opinione solius Sacerdotis, aut pœnitentis; sed communi aliorum, quando communiter habetur talis. Hinc sequitur validas esse confessiones factas Sacerdoti, qui, cum falsa licentia Ordinarij, aliorum excipit confessiones vt cum aliquibus sentit Diana Tract. 4. de sacramentis Resol. 122.

1. Sententiæ adductum.

277. Ad fundamentum primæ sententiæ, nego potestatem absoluendi, qua in dicto casu Sacerdos vtitur, esse tantùm putatam, consistentem in sola opinione hominum; licèt ea prærequiratur vt necessaria conditio, qua posita, Ecclesia ipsa ex æquitate Iuris censetur concedere realem potestatem ad absoluendum: quæ potestas, cùm sit Iurisdictionis, pendet ab Ecclesia, vt ponatur, vel non ponatur. Nec est eadem ratio de dolore putato, quoniam hic non pendet ab Ecclesia; sed ab ipso pœnitente; & ideo primum suppleri potest inscio etiam eo, cui conceditur: quia conceditur ad Publicum bonum, nõ autem secundum. Ex his decidenda est quæstio.

An qui Confessus est mortale dubium, si postea aduertat fuisse mortale certum, illud teneatur reconfiteri & certum?

278. COMMVNIS sententia affirmat. Pro cuius explicatione notandum cùm Sanchez lib. 1. Summæ. cap. 10. num. 69. vel iste tantùm confuessus est, se dubium mortale commisisse: vel integrè confessus est totam actionem peccaminosam, licèt dubitauerit simul cum confessatio, an illa fuerit lethalis. Si primo modo confessus, tenebitur illud vt certum reconfiteri: quoniam ex Tridentino sess. 14. cap. 5. tenemur peccata confiteri eo modo, quo post diligentem discussionem sunt in conscientia pœnitentis: ergo si peccatum dubium post diligentem dicussionem fuit in conscientia pœnitentis certum, tenebitur illud vt certum confiteri, quia vt sic non fuit clauibus subiectum. Si secundo modo confessus est, non tenebitur illud reconfiteri: quia in tali casu nulla esset noua circumstantia subijcienda clauibûs, quæ non sit per priorem confessionem subiecta: ex alia verò parte ad validum & fructuosum sacramentum pœnitentiæ non requiritur, vt confessarius, & multò minùs pœnitens, distinctè, & determinatè sciat, quæ peccata in indiuiduo sint mortalia.

Sententia affirmans communis. Sanchez.

Concil Tridentinum.

279. Aliter iudicandum de peccatis, quæ licèt natura sua sint mortalia; dum tamen committebantur, putabantur inuincibiliter venialia, & tanquam venialia fuerunt in confessione explicata. Nam etiamsi postea aduertat pœnitens, ea fuisse natura sua mortalia, non tenebitur illa reconfiteri: quia peccatum non est confitendum, nisi prout fuit commissum: sed non fuit commissum vt mortale; sed vt veniale: ergo confessum vt veniale, non tenebitur pœnitens reconfiteri vt mortale. Hinc excusantur pueri, qui defectu pleni iudicij multa peccata committunt natura sua mortalia, quia ab ipsis non apprehenduntur, nisi vt venialia. Dixi *inuincibiliter*: nam si vincibiliter, non excusantur:

cusantur: quia tunc exponunt se periculo peccandi mortaliter, hoc ipso quòd aduertentes dubium peccatum committunt.

An aliquando reconfitenda sint peccata validè & directè confessa?

280. Dixi *validè & directè*: nam possunt peccata validè; non tamen directè absolui, vti absoluuntur inuincibiliter oblita; ex causa in confessione suppressa; reseruata, à non habente potestatem, in casu aliquo necessitatis. Excipio articulum mortis, in quo omnis Sacerdos, directam habet potestatem super omnia peccata. Etenim in omni casu, in quo peccata indirectè tantùm absoluuntur, subijcienda sunt clauibus: nam præceptum confessionis obligat, vt omnia peccata mortalia, quorum post diligentem discussionem conscientiam habemus, in confessione recenseantur, vt ex institutione huius Sacramenti colligit Tridentinum sess. 14. cap. 5. Quo fit, vt tam oblita, cùm mentem subeunt, quàm ex causa in confessione suppressa; quàm reseruata à non habente potestatem, indirectè in casu necessitatis absoluta, teneamur suo tempore in confessione explicare, clauibusque subijcere, vt ab ijs directè absoluamur. Sola ergo proposita controuersia est: an aliquando teneamur peccata validè, & directè confessa iterum reconfiteri.

Conc. Trid.

Casus quinque.

281. Primus casus esse posset, in quo teneretur homo peccata validè confessa, iterum confiteri, articulus mortis, in quo vnusquisque tenetur Pœnitentiæ, & Eucharistię Sacramentum suscipere. Atqui posset tunc in mortis articulo constitutus præter peccata validè, & directè ante confessa, nullius noui peccati conscientiam habere: ergo in eo casu tenebitur ad hoc præceptum adimplendum confiteri peccata, quæ ante validè & directè confessus est.

282. Sed contrà: nam si in eo casu pœnitenti certò constaret, omnia sua præterita peccata validè, & directè absoluta fuisse, ad nullam teneretur Sacramentalem confessionem faciendam: sed ad summum teneretur actum contritionis elicere; siue quia hic actus in eo articulo per se hominem obligat independenter à Sacramento cõfessionis, vt multi censent; siue quia, vt ego existimo, liberum foret in eo casu viatori, vel actum contritionis elicere, vel cum attritione confessionis Sacramentum suscipere, vt quantum fieri potest, in eo articulo homo in tuto se ponat.

283. Secundus casus esse posset, si pœnitens ipse voto, aut iuramento se obstrinxisset ad eadem peccata validè & directè antea confessa iterum confitenda.

284. Sed contrà: quia posset huiusmodi votum aut iuramentum in aliud opus, æquè, aut magis perfectum commutari; ac proinde posset pœnitens liberari à reconfessione eorundem peccatorum validè, & directè absolutorum.

285. Tertius esset: si confessarius per modum satisfactionis hanc pœnitentiam peccata ritè confessa reconfitendi pœnitenti imponeret. Sed contrà: quia posset pœnitens dispensationem, vel commutationem huius Pœnitentiæ ab eodem, vel ab alio confessario petere, atque adeò liberari ab onere eadem peccata reconfitendi.

286. His ergo reiectis, duo supersunt casus, in quibus controuersum est inter Doctores: an possit pœnitens obligari ad eadem peccata validè, & directè confessa reconfitenda. Primus est: Ecclesiasticum pręceptum, pœnitentem directè obligans ad id faciendum. Secundus est: cùm Superior facultatem concedit subdito confitendi sua peccata inferiori Sacerdoti sub conditione, vt eadem iterum sibi reconfiteatur.

287. Quoad primum casum affirmant Henricus, Maior, & Adrianus, quos sequitur Vasquez 3. p. quęst. 91. art. 3. dub. 7. Fundamentum est: quia non repugnat, ferri legem, quæ pœnitentem obliget ad sua peccata, semel ritè confessa iterum confitenda. Quin de facto huiusmodi legem habent Monachi Cistercienses confirmatam authoritate duorum Pontificum: vt omnes huius Ordinis Fratres, per annum Ordinarijs Confessoribus confessi, in fine anni teneantur eadem peccata proprijs Superioribus reconfiteri. Id ipsum Authores huius sententiæ confirmant ex quadam Bulla Martini V. in qua præcipiebat Pontifex, vt sæculares mendicantibus priuilegiatis confessi, reconfiteri tenerentur semel saltem in anno proprijs Parochis.

Henricus. Maior. Adrianus. Vasquez.

Bulla Martini V.

288. Negant verò Sanctus Thomas quodlibeto 1. art. 12. ad primum, Durandus in 4. dist. 17. quæst. 15. num. 1. Medina cod. de confess. quæst. 29. § 2. *propositio.* Nauarrus in summa initio capitis 9. Vasquez tertia parte quæst. 93. art. 1. dub. 6. qui Sententiam, quam supra quæst. 91. docuerat, mutauit. Quam sententiam sequitur etiam Suarez disp. 22. sect. 7. Colligiturque ex extrauagante Benedicti XI. *Inter cunctas* de priuilegijs: in qua tanquam absurdum infert Pontifex, semel legitimè confessum, iterum debere confiteri. Difficultas non parua est in assignanda efficaci ratione, cur hoc præcipere non possit Ecclesia, quas omnes examinare oportet, vt appareat, quid vnaquæque probabilitatis habeat.

S. Thomas. Durandus. Medina. Nauarrus. Vasquez. Suarez.

Benedictus vndecimus.

289. Prima igitur ratio sit, quia non potest Ecclesia facere, vt materia, quæ non est necessaria, fiat necessaria Sacramenti. Si autem statueret, vt peccata ritè confessa iterum confitenda essent, faceret materiam non necessariam, necessariam Sacramenti. Maior constat: quia sicut materia Sacramentorum non pendet ab Ecclesia, sed à Christo; ita vt hęc, vel illa materia sit necessaria, non

pendet à voluntate Ecclesiæ præcipientis;sed Christi instituentis. Minor probatur: quia peccata semel ritè confessa non sunt amplius materia necessaria confessionis Sacramentalis. At posito præcepto de illis reconfitendis, statim fierent materia necessaria confessionis:quia nisi ea pœnitens reconfiteretur, non posset salutem assequi:ergo transirent de materia non necessaria in necessariam confessionis. Confirmatur:Non potest Ecclesia cogere Baptizatum, vt peccata ante Baptismum commissa,vel vt venialia confiteatur; ergo neque vt semel ritè confessa reconfiteatur.

290. Sed contrà:quia nullum est absurdum, vt ratione præcepti adiuncti materia sufficiens fiat necessaria Sacramenti. Nam sicut eadem peccata ritè confessa ratione voti, iuramenti, vel Pœnitentiæ à confessario iniunctæ,durante voto, iuramento, & Pœnitentia iniuncta sunt materia necessaria Sacramenti:ita nullum erit absurdum, vt eadem ratione prçcepti Ecclesiastici fiat materia necessaria Sacramentalis confessionis. Etenim sicut materia consilij potest ratione præcepti superadditi fieri materia necessaria ad salutem,vt materia castitatis, quæ est tantùm materia consilij,accedente prçcepto Ecclesiastico,Sacris ordinibus annexo,fit materia necessaria ad salutem: ita eadem peccata ritè confessa,quæ tantùm est materia consilij, & sufficiens Sacramenti confessionis, accedente præcepto Superioris, voto, aut iuramento pœnitentis,fieri materia necessaria Sacramenti. Neque hoc esset mutare materiam sacramenti à Christo Domino institutam: nàm Christus non solùm instituere potuit,vt peccata fidelium ante legitimam confessionem essent materia simpliciter necessaria sacramenti;sed vt eadem legitimè confessa, accedente præcepto Superioris, aut voto, iuramentóue pœnitentis,fierent materia necessaria confessionis. Sicut de facto instituit, vt eadem peccata post legitimam confessionem adhuc manerent materia saltem sufficiens Sacramenti: cur non est materia necessaria, accedente præcepto superioris? aut vnde constat, Christum hanc potestatem suæ Ecclesiæ non reliquisse?

291. Ad confirmationem: quod attinet ad peccata ante Baptismum commissa, ratio disparitatis est: quia Ecclesia non habet potestatem in illa, & consequenter præcipere non potest, vt illa subijciantur clauibus, cùm non possit præcipere materiam sibi non subiectam. Nec refert, quòd Baptizatus ratione Baptismi fiat ipsi subiectus: quia per hoc non sequitur, vt etiam peccata ante Baptismum commissa fiant subiecta Ecclesiæ: sed solùm quæ committuntur post Baptismum: nam in ea tantùm habet potestatem, quæ committuntur tempore subiectionis. Quod verò attinet ad peccata venialia, Authores contrariæ sententiç eandem putant esse rationem, ac de mortalibus confessis.

Ecclesia nõ habet potestatem in peccata ante baptismũ commissa.

292. Secunda ratio sit: quoniam lex debet esse tolerabilis, & accommodata humano modo operandi. Talis autem lex esset intolerabilis, & supra modum agendi hominum: ergo obligare non posset: quoniam vt lex humana obliget, non debet humanas vires,hominumque modum operandi excedere: quia cùm lex humana non præbeat vires ad operandum, vti lex diuina, quæ ad superandas difficultates præbet auxilium, non poterit supra vires humanas homines obligare. Confirmatur: nam propterea non obligaret lex humana, quæ præciperet seipsum interficere,vel in publico Concilio seipsum accusare de occulto crimine: quia tales leges sunt intolerabiles, & supra modum operandi hominum.

293. Sed contrà: nam hæc ratio ad summum probat, non posse talem legem ferri indiscriminatim, non autem quòd saltem ferri non possit pro Religiosis hominibus, qui ratione status ad difficiliora præcepta seruanda obligantur, vti est præceptum obedientiæ:sicut enim hoc non censetur intolerabile Religiosis; ita nec præceptum de peccatis reconfitendis. Confirmatur; nam de facto hæc lex seruatur in nostra Religione, quæ etsi sub præcepto ad mortale obligante non astringat; astringit tamen per modum Regulç, & Spiritualis directionis ad maiorem perfectionem Religiosos viros obligantis. Eaque sine magna difficultate seruatur tam à nostris Scholasticis bis in anno, quàm à Professis,& reliquis in gradu constitutis quotannis.

294. Cæterùm etsi lex humana vires non præbeat ad superandas difficultates, quæ in ea seruanda occurrunt, ratione immediati legislatoris; vires tamen præbet, ratione legislatoris mediati, qui Deus est, à quo omnis Ordinata potestas descendit: nam sicut per ipsum *Reges regnant, & legum conditores iusta decernunt* Prouerb. 8. ita ab ipso sufficientes vires subministrantur ad leges humanas seruandas.

Prouerb. 8.

295. Ad confirmationem, negatur paritas: nam lex de seipso interficiendo, & de suo occulto crimine publicando, est apertè contra Ius naturæ, quod prohibet seipsum interficere, & publicè infamare: non autem lex de sacramentali peccatorum confessione facienda, quæ ratione inuiolabilis sigilli diuini, quo confessa peccata obsignantur, nullam parit confitenti infamiam, & si quam apud solum confessarium parit, ea optimè recompensatur vberi gratia, & Spirituali emolumento, quod in ea confertur.

Disparitas inter legem de non interficiendis se, et legem de confitendis iterum peccatis.

299. Tertia ratio sit: quia cùm Ecclesia potestatem non habeat in peccata interna, non poterit præcipere, vt si ea pœnitens aliunde vi præcepti diuini non teneatur confiteri, reconfiteatur. Dixi, *si aliunde vi præcepti diuini ad ea confitenda pœnitens non teneatur:* quia quando vi prçcepti diuini tenetur ad illa confitenda, potest Ecclesia in virtute prçcepti diuini fideles

les obligare, etiam ad interna peccata confitenda, vti de facto eos obligat ad annuam confessionem.

297. Sed contrà: nam hæc ratio solùm probat de peccatis merè internis, non autem de externis, quæ saltem Ecclesia præcipere posset, vt ea pœnitens reconfiteretur. Nec esset tunc necessarium, vt simul cum externis, reconfiteretur interna aliàs ritè confessa: nam posito quod illa fuissent semel subiecta clauibus, non teneretur pœnitens ampliùs illa confiteri; sed tantùm ea, supra quæ Ecclesia potestatem habet. Nec propterea talis confessio non esset integra formaliter: quia peccata semel ritè absoluta in vna confessione, non pertinent ad integritatem alterius confessionis: Vnde qui Generaliter confitetur peccata ritè ante confessa non tenetur omnia confiteri.

298. Qvarta ratio aliorum est: quoniam si admittatur, quòd possit Ecclesia præcipere, vt peccata ritè confessa semel pœnitens reconfiteatur, præcipere posset, vt eadem non tantùm semel; sed plures reconfiteretur: quod esset lex intolerabilis & supra vires humanas.

299. Sed contrà: nam ex vnica reconfessione eorundem peccatorum non sequitur, quod natum est sequi ex multiplici: quia ex multiplici reconfessione eorundem peccatorum sequitur moralis impossibilitas, quæ non sequitur ex vnica tantùm reconfessione; igitur ex eo, quod præcipere posset, vt semel quis sua peccata confessa reconfiteretur, non sequitur, quod præcipere posset, vt pluries eadem reconfiteretur: quoniam ex pluribus reconfessionibus sequitur absurdum, quod non sequitur ex vna.

300. Qvinta demum ratio sit: quoniam per vnam confessionem legitimam vltimò terminatur causa pœnitentis in hoc sacramentali iudicio: ergo nequit eadem causa in alio iudicio iterum cognosci, & iudicari: sicut in Iudicio forensi, causa semel à supremo Iudice vltimò terminata, non potest vlteriùs in iudicium adduci. Confirmatur: quoniam Sacerdos in hoc Tribunali est supremus Iudex: quia iudicat authoritate accepta à Christo, & vt Minister ipsius: igitur causa semel ab ipso cognita, & terminata non potest vlteriùs, ab alio, vel ab eodem cognosci, ac terminari: nam quamuis possit pœnitens spontanea sua voluntate iterum se eidem iudicio subijcere, non tamen ad id cogi potest.

301. Sed contrà: nam hæc ratio tantùm probat, nisi aliunde accedat obligatio, non teneri pœnitentem semel iuridicè in hoc foro iudicatum, & absolutum, iterum iudicari, & absolui. Cæterùm, sicut non obstante, quòd causa pœnitentis sit semel in hoc foro iuridicè cognita, & iudicata, accedente voto, vel iuramento ipsius, aut obligatione à confessario iniuncta iterum cognoscatur & iudicetur; ita accedente præcepto superioris Ecclesiastici. Nam cùm hanc potestatem Christus Ecclesiæ conferre potuerit, si aliunde, non afferatur sufficiens fundamentum, non possumus illam de facto negare.

302. Quòd autem dicitur Sacerdos in hoc Tribunali esse Supremus Iudex, quia iudicat potestate sibi à Christo communicata vt Minister ipsius, intelligendum est, nisi talis potestas quoad vsum ab Ecclesia limitetur. Etenim, vt infrà docebimus, licet totam potestatem iudicandi in hoc foro Sacerdos habeat à Christo; eam tamen, ob bonum Regimen Ecclesiasticum, quoad vsum dependentem habet ab Ecclesia, quæ sicut prohibere potest, ne Sacerdos talem personam, vel à talibus peccatis absoluat; ita vt tantùm absoluat sub conditione, & onere eadem peccata confessa reconfitendi.

303. Antequam meam proferam sententiam, notandum est: bifariam posse Ecclesiam præcipere, vt pœnitentes peccata semel confessa reconfiteantur: vno modo directè, & immediatè illos obligando ad confessionem sacramentalem: alio modo immediatè, & per se eos tantùm obligando ad confessionem faciendam cum Sacerdote habente à Deo potestatem conficiendi simul cum confessione ipsius pœnitentis verum sacramentum. Quo adnotato,

304. Dicendum est: non posse Ecclesiam directè, & immediatè obligare fideles ad peccata semel confessa sacramentaliter reconfitenda; posse tamen directè & immediatè obligare ad secretam confessionem de peccatis saltem externis reconfitendis. In quo casu pœnitens, etsi non vi præcepti Ecclesiastici; teneretur tamen vi præcepti diuini, & reuerentiæ sacramento debitæ ad talem confessionem debito cum dolore accedere; non tamen teneretur cum peccatis externis interna etiam alias ritè confessa reconfiteri.

305. Primum probatur: quoniam, vt infrà disp. 16. sect. 2. ostendam, Ecclesia non habet potestatem in actus merè internos. Atqui sacramentalis confessio essentialiter includit dolorem merè internum: ergo nequit directè, & immediatè obligare ad confessionem sacramentalem de peccatis semel confessis: cùm hoc sit extra sphæram potestatis ipsius, quæ tantùm se extendit ad actus externos, vel ad internos, quatenus sunt principia externorum: dolor autem sacramentalis non est actus, sine quo fieri non posset confessio.

309. Secundum constat: nam in tali obiecto nihil est, quod excedat Ecclesiæ potestatem: cùm tam peccata reconfitenda; quàm confessio ipsa sint actus externi. Nec refert, quòd confessio sit actus secretus: nam etiam in actus secretos Ecclesia habet potestatem: vt constat de Hæresi secreta, & occulta, quę modò prodeat in

actum, vel signum externum, statim fit subiecta Ecclesiæ, incurritque censuras ab Ecclesia impositas.

307. Tertium probatur: nam pœnitens in tali casu tenetur non committere sacrilegium: ergo tenetur reconfiteri cum debito dolore ad sacramentalem confessionem requisito: non ratione præcepti Ecclesiastici, quod ad talem dolorem obligare non potuit, sed vi præcepti diuini, quod obligat: vt quotiescunque ad hoc Sacramentum accedatur, accedatur cum interno dolore de peccatis, quæ quis confitetur.

308. Nec dici potest, pœnitentem in tali casu non teneri ad confessionem Sacramentalem; sed tantùm ad Historicam narrationem peccatorum, aliàs ritè confessorum: nam hoc ipso, quod illa narrat Sacerdoti, qui audita tenetur absoluere, non potest absque Sacrilegio ea Historicè tantùm narrare: quia vi præcepti diuini tenetur supponere aptam materiam absolutioni, ne in irritum cadat. Neque posset cum Sacerdote conuenire, vt absolutionem non impenderet: tum quia hoc ipso quòd Ecclesia obligat pœnitentem ad peccata reconfitenda, obligat etiam Sacerdotem ad ea audita absoluenda, cùm omnis confessio facta Sacerdoti ordinetur ad absolutionem. Tum quia hæc ipsa fictio & conuentio esset contra præceptum, quod non solùm obligaret ad confessionem faciendam; sed etiam ad non ponendum impedimentum, ne sacramentalis absolutio sequeretur.

309. Vltimum patet: quia cùm talia peccata non cadant sub Ecclesiæ præceptum, & alias semel confessa non teneatur pœnitens iterum confiteri, licitè poterit illa tacere. Vti nec erit necessum accedere cum dolore de omnibus; sed de vno tantùm. Ex his sequitur, posse Ecclesiam præcipere confessionem de venialibus externis. Et tunc eodem modo vi præcepti diuini tenebitur pœnitens ad sacramentum accedere cum interno dolore.

310. Ex dictis conciliantur ambæ sententiæ: nam prima intelligitur de obligatione directa ad externam confessionem, qua posita vi præcepti diuini indirectè, & consequenter teneretur etiam ad internum dolorem. Secunda verò de confessione sacramentali vt sic, quo pacto includit internum dolorem, ad quem vi solius præcepti Ecclesiastici non potest pœnitens obligari. Porrò ex eo quòd Pontifex reputet absurdum, debere pœnitentem iterum sua peccata confiteri, non rectè infertur, non esse in Ecclesia potestatem ad hoc præcipiendum; sed solùm quod non semper expediat tale præceptum condere. Vnde fortasse non posset vniuersalem legem ferre indiscriminatim obligantem omnes.

311. Quoad secundum casum negat Vasquez tertia parte quæst. 93. art. 1. dubio 6. posse subditum obligari ad reconfitenda peccata, quæ cum facultate superioris sub conditione confessus est inferiori Sacerdoti: etsi contrarium docuerit q. 91. art. 3. dub. 7. & 8. Ratio, cur id negauerit, hæc est: quoniam omnis Sacerdos in hoc foro sacramentali est supremus iudex, totamque authoritatem iudicandi, & absoluendi habet à Christo, tantumque ab homine dependet quoad applicationem materiæ, quæ illi applicatur per subiectionem personæ, quæ illi à superiore traditur. Cæterùm hac applicatione facta, inferior Sacerdos non ampliùs in causa iudicanda, & sententia ferenda pendet à superiore; sed à Christo, in cuius tantùm authoritate iudicat, & absoluit. Et consequenter nō potest superior potestatem absoluendi suum subditum delegare inferiori sub conditione, vt eadem peccata absolutus reconfiteatur sibi; sed hoc ipso, quòd inferior accipit materiam à superiore sibi per personæ subiectionem designatam, absoluit independenter à superiore: proinde absolutus non tenebitur ampliùs sua peccata reconfiteri superiori, etiamsi ab illo sub hac conditione potestatem alteri confitendi acceperit.

312. Secus verò, inquit, est de potestate absoluendi à censuris: quę quia non solū quoad applicationem materiæ; sed etiam quoad ipsum principium actiuum absoluendi, sacerdotes inferiores pēdent à supremis Pastoribus, limitari potest, vt non nisi sub conditione comparendi coram superiore eos absoluant. Nam hæc est differentia inter hanc, & illam potestatem: quòd hæc, cùm ordinetur ad forum externum, tota pendet à superiore: illa verò, cùm ordinetur ad internam pœnitentis iustificationem, tota deriuatur à Christo, cuius vices gerit Sacerdos in hoc Tribunali.

313. Confirmat hanc doctrinam: nam absolutus in extrema necessitate à casibus reseruatis, quibus annexa erat excommunicatio, tenetur coram superiore comparere prò absolutione ab excommunicatione in foro tantùm externo, vt statuitur capite, *Eos qui*, de sententia excommunicationis in sexto. Contra verò absolutus à casibus reseruatis, quibus nulla annexa erat excommunicatio, non tenebitur postea, cessante periculo, coram superiore comparere pro absolutione ab illis: cuius tamen contrarium prænotato loco docuerat. Hoc autem inde est: quia nequit concedi potestas absoluendi à peccatis sub conditione ea reconfitendi superiori: potest autem concedi potestas absoluendi ab excommunicatione sub conditione comparendi coram superiore pro vltima sententia accipienda: eò, quòd potestas absoluendi à peccatis tota sit à Christo; contrà verò tota potestas absoluendi ab excommunicatione sit ab homine qui, illam limitare potest, prout vult.

314. Cæterùm concedit ibidem Vasquez, posse superiorem concedere inferiori facultatem absoluendi à peccatis personam sibi subditam, cum hoc onere, vt illi virtute clauium pro pœnitentia imponat, vt eadem

dem peccata reconfiteatur sibi. Quam pœnitentiam tam confessarius imponere; quàm pœnitens acceptare tenetur: quia cum hac conditione concessa est inferiori potestas absoluendi à peccatis: nihilominus poterit pœnitens postquam absolutus fuit, & pœnitentiam acceptauit, vel ab eodem, vel ab alio confessario ab huiusmodi pœnitentia liberari.

315. Communis tamen sententia Scholasticorum, quam sequitur Suarez disp. 30. sect. 5. affirmat: posse subditum in proposito casu obligari ad peccata validè, & directè confessa inferiori, reconfitenda superiori. *Quæ sententia longè probabilior est*. Dupliciter autem ea probari solet.

Suarez.

316. Primò: quod in eo casu inter subditum & superiorem intercedat pactum de concedenda, & acceptanda facultate confitendi sacerdoti inferiori sub onere eadem reconfitendi superiori, cui alioqui iure reseruationis essent confitenda. Et quia hoc est iustum pactum tam ex parte superioris, cùm non teneatur huiusmodi facultatem concedere; quàm ex parte subditi, cui liberum est, huiusmodi pactum sub tali onere cum superiore inire, tenebitur conditiones pacti seruare, vt peccata directè absoluta per delegatam potestatem ab inferiore, iterum ea confiteatur superiori.

317. Cæterùm in hoc modo necessarium est, vt tale pactum innotescat pœnitenti, alioqui eo obligari non posset: quia cùm hoc includat graue onus bis eadem peccata confitendi, semel inferiori, iterum superiori, necessario requirit consensum pœnitentis, si velit tale onus acceptare: Cùm non possit superior ad hoc subditum inuitum cogere: quia non potest illum obligare ad eadem peccata bis confitenda.

318. Hinc sequitur, si tale pactum non proponatur pœnitenti vel à superiore, vel à confessario, non teneri postea peccata recõfiteri, si post confessionem aduertat, facultatem confitendi datam fuisse à superiore sub hoc pacto, & onere. Quin putat Suarez, etiã si huiusmodi pactum pœnitenti proponatur post factam confessionem ante absolutionem, pœnitentem non teneri illud acceptare, sed posse & debere absolui, etiam pacto non acceptato. Ratio est; quia pœnitens per confessionem bona fide factam ius acquisiuit ad sacramentalem absolutionem: vnde non potest illi absque iniustitia negari. Ex alia verò parte, cùm hoc pactum graue contineat onus de iteranda confessione, non cogitur illud acceptare: cogeretur autem acceptare, si illud sibi proponeretur post confessionem ante absolutionem: quia siue illud acceptet, siue non acceptet, tenebitur iterum eadem peccata ritè confessa iterum confiteri; hoc autem est contra naturam pacti onerosi, quod libertatem requirit in eo, qui onerosum pactum subire debet.

Suarez.

319. Cæterùm hoc intelligendum est, quando hoc accidit absque culpabili negligentia subditi: nam si ex negligentia subditi fiat, vt pactum inter superiorem & ipsum ante confessionem non nouerit, tenetur illud seruare: quia negligentia subditi non debet præiudicare authoritati superioris, si alioqui superior ex parte sua fecerit, quantum debuit, vt conditiones pacti ad notitiam subditi peruenirent.

320. Secundo modò potest subditus obligari ad peccata validè & directè inferiori confessa, superiori reconfitenda iure reseruationis, quod habet superior ea sibi reseruandi. Nam ratione talis iuris potest superior concedere facultatem subdito confitendi inferiori Sacerdoti cum onere eadem peccata reconfitendi sibi. Vti de facto talis facultas quoad casus reseruatos conceditur nostris iter agentibus. Quòd autem possit superior suam authoritatem & iurisdictionem, quam in subditos habet, sub hac conditione delegare, probatur: quia superior habet plenam potestatem delegandi, vel non delegandi suam authoritatem alteri: ergo poterit illam limitatè delegare: nam qua ratione potest illam simpliciter non delegare, eadem ratione poterit cum limitatione eam delegare, & sicut potest illam limitare ad certa peccata, ita & ad certum modũ nempe quoad obligationem comparendi coram superiore, ab eoque accipiendi vltimum iudicium & sententiam de peccatis confessis. Nam licet quiuis Sacerdos totam potestatem iudicandi, & absoluendi in hoc foro accipiat à Christo; illam tamen quoad vsum accipit dependentem à superiore: à quo sicut potest totaliter impediri; ita & quoad modum, reseruato sibi vltimo iudicio de peccatis confessis limitari.

321. Confirmatur: quoniam, vt rectè aduertit citato loco Suarez, etsi nequeat superior, postquam inferiori Sacerdoti materiam applicauit, efficere, quin inferior à peccatis absoluat: quia ad hoc potestatem habet à Christo, quæ supposita applicatione materiæ facta à superiore, impediri, & limitari non potest; poterit tamen ob bonum ipsius pœnitentis, & aliorum, reseruare sibi vltimum iudicium, & sententiam de peccatis subditorum, vt eos possit tanquam proprius Pastor meliùs ad salutem dirigere, eique medicinalem pœnitentiam iniungere. Quod officium non ita benè præstare potest, qui non est proprius Pastor pœnitentis.

Suarez.

322. Est autem inter hunc & præcedentem modum notandum discrimen: quod iuxta hunc modum, non est necessarium, ad hoc vt subditus teneatur peccata inferiori Sacerdoti confessa superiori reconfiteri, vt sciat peccatum esse reseruatum, & sub hac conditione concessam esse facultatem alteri confitendi. Contrà verò iuxta priorem modum, necessarium omninò est, vt subditus sciat, peccatum esse reseruatum, & sub hac conditione sibi facultatem alteri confitendi, concessam esse. Ra-

Discrimen inter duos modos assignatos.

tio discriminis oritur ex diuerso modo, quo in vtroque casu facultas absoluendi delegatur inferiori. Nam iuxta priorem modum delegatur dependenter à consensu subditi, volentis, aut nolentis acceptare pactum: Iuxta posteriorem verò modum delegatur potestas independenter à consensu subditi, ex pleno iure, quod superior habet reseruandi sibi peccata, etiam independenter à voluntate subditorum. Vnde iuxta hunc secundum modum Superior potestatem absoluendi non delegat absolutè, sed sub conditione, ad quam adimplendam subditus semper manet obligatus. Neque ab hac obligatione adimplenda illum excusare potest ignorantia: nam sicut inscio illo poni potuit; ita inscio illo superior obligare potest.

Soluuntur argumenta Vasquez.

323. Ex his patet ad fundamentum Vasquez. Etenim concedimus, quemcunque Sacerdotem in hoc foro habere à Christo supremam potestatem absoluendi à peccatis; cùm hæc potestas non pendeat ab homine; sed tantùm à Christo; habere tamen illam quoad vsum dependentem à superiore, à quo sicut impediri; ita & limitari potest, non solùm quoad peccata; sed etiam quoad modum, reseruato sibi vltimo iudicio de peccatis. Hoc enim modo meliùs saluatur, & subordinatio inferiorum ad superiorem, & directio Spiritualis Pastorum in subditos.

324. Nec ratio adducta, quòd absoluti in extrema necessitate non teneantur adire superiorem pro reseruatione casuum; teneantur autem adire pro absolutione ab excommunicatione, probat, non esse in superiore authoritatem delegandi potestatem absoluendi à peccatis, cum onere iterum ea sibi confitendi: sed solum probat, quòd in tali casu siue iure diuino, siue Ecclesiastico, nulla valeat superioris reseruatio quoad peccata, valeat autem quoad censuras? eo quòd illa solùm dirigitur in priuatum bonum pœnitentis; hæc ad publicum forum contentiosum. Quanquam non desunt, qui dicant: etiam absolutum in extrema necessitate à peccatis, cessante periculo, adire debere Superiorem pro absolutione à casibus reseruatis: quos secutus est Vasquez in priori loco citatus: quod tamen in posteriori loco retractauit.

Vasquez.

SECTIO XIII.

An teneatur confessarius monere pœnitentem bona fide, sed inualidè confessum?

PRIMA sententia affirmat: alioqui talis defectus imputaretur confessario. Confirmatur: quia ad confessarium spectat pœnitentem instruere de rebus ad salutem necessarijs, etiamsi inuincibili ignorantia laboret.

326. SECVNDA sententia distinguit: nam si id fieri non potest sine damno, vel ipsius Sacerdotis, vel alterius personæ, id facere confessarius non tenetur; sed relinquere potiùs pœnitentem in bona fide, eumque absoluere: quia per talem absolutionem manebit indirectè absolutus à præteritis peccatis bona fide, sed inualidè confessis: si verò nullum sequatur damnum, & spes sit futuræ emendationis monendus erit pœnitens: alioqui talis defectus imputabitur confessario. *Hæc sententia probabilior est sequenda.*

327. Ex quo etiam constat, quando confessarius teneatur pœnitentem instruere de rebus necessarijs, quarum ille inuincibili ignorantia laborat. Nam si ex earum manifestatione timeretur damnum, quale plerumque timeri solet ex manifestatione matrimonij inualidi; sed bona fide contracti, aut si nulla spes sit futuræ emendationis; sed potiùs timeatur, quòd pœnitens admonitus euadat deterior, relinquendus erit in bona fide, & absoluendus: quia cùm hæc admonitio dirigatur in bonum pœnitentis, si ex ea nulla sit spes futuri profectus; sed potiùs occasio maioris mali, omittenda erit, iuxta illud Aug. libro 50. Homiliarum, Homilia 41. in fine: *Si scirem tibi non prodesse, non te admonerem, non te terrerem,* quod etiam colligitur ex cap. *Quia circa*, de consanguinitate, vbi consultus Pontifex de quodam, qui subreptitia dispensatione matrimonium contraxerat, ita respondet. *Dissimulare poteris, vt remaneat in copula sic contracta, cùm ex separatione (sicut asseris) graue videas scandalum imminere.* Secus quando ex admonitione nullum timetur damnum, & spes concipitur futuræ emendationis, vel ex ea pendet damnum tertiæ personæ resarciendum. Dixi, *quando pœnitens laborat ignorantia inuincibili:* quia si ignorantia est vincibilis, semper monendus erit: nam tunc res ignorata imputatur pœnitenti ad peccatum, & non debet confessarius relinquere pœnitentem in statu peccati: maturè autem consideret confessarius, quando ignorantia pœnitentis sit vincibilis, quando inuincibilis, præsertim quando ex admonitione graue timetur damnum.

Augustin.

328. Notat autem Layman tract. 6. de sacramento pœnitentiæ c. 13. num. 5. etiamsi ignorantia sit culpabilis, modò non sit culpabilis mortaliter, non teneri confessorem pœnitentem monere, si nulla speretur emendatio. Potest autem ignorantia principio esse vincibilis & malæ fidei; quæ tamen postea fieri potest inuincibilis, & bonæ fidei, quod est notandum, velut si pœnitens consuluit doctos viros, à quibus dubium, quod de suo errore habebat, exemptum, ac sublatum fuit. Secus verò est, si confessarius à pœnitente consulatur: nam tunc tenetur, etiamsi videat pœnitentem esse in bona fide, & inuincibili laborare ignorantia, veritatem illi dicere: nam hoc ipso quòd pœnitens interrogat, videtur esse dubius.

Sanchez. Henriquez. Sotus.

329. Notat autem Sanchez lib. 2. de matrimonio disp. 38. num. 8. cum Henriquez, & alij contra Sotum in 4 dist. 18. q. 2. art. 4. ad secundum: posse, ac debere confessarium monere pœnitentes laborantes ignorantia inuincibili de valore Matrimonij, vt sibi mutuò debitum reddant. Nam sicut stante hac ignorantia peccant coniuges non reddendo sibi debitum; neque cum tali conscientia absolui possunt, nisi proponant, se reddituros: ita persuaderi, atque induci possunt, & debent, vt debitum sibi mutuò reddant. Etenim in tali casu redditio debiti honestatur ex ignorantia inuincibili, & probabili æstimatione veri Matrimonij. Et confessarius ipse præcipit rem debitam ex circumstantijs, nec mentitur cùm illos coniuges appellat, cùm sint tales probabili æstimatione aliorum.

330. Aduertunt autem pro praxi Doctores in casu inuincibilis ignorantiæ, quando ex monitione nullus speratur fructus, nō debere confessarium multis vrgere interrogationibus pœnitentem, ne ille, huiusmodi interrogationibus sollicitatus, in suspicionem veniat suæ obligationis: ex qua suspicione eius bona fides vertatur in malam; sed tantùm debere ad ipsius interrogata respondere: & ad summum illum interrogare, an aliquid sit, quòd ipsius conscientiam molestet, aut dubiam scrupulosamque reddat?

331. Vltimò dubitatur, an confessarius, qui euidentiam habet, quòd pœnitens peccatum commiserit, illudque non sit confessus, debeat illum de tali peccato monere? Dixi, *illudq; non sit confessus*: nam esto euidentiam habeat, quòd tale peccatum commiserit; si tamen euidentiam non habeat, quòd illud non sit confessus, præsumere potest, illud confessum esse alteri, ac proinde poterit illum absoluere. Solùm igitur difficultas est, quando confessario non solùm est euidens, pœnitentem commisisse peccatum; sed etiam illud non fuisse confessum. Pro cuius difficultatis explicatione, certum omnino sit, non posse confessarium pœnitentem absoluere, si euidentiam habeat, illum esse in peccato: quia non potest absoluere, quem euidenter nouit indignum: nam hoc esset cooperari sacrilegio, quod est per se malum. Cæterùm in casu proposito posset confessarius iudicare, quòd pœnitens commissum peccatum tacuerit, iusta aliqua ex causa, ac proindè tuta conscientia poterit illum absoluere. Cùm enim non semper pœnitens teneatur omnia peccata in confessione explicare, sed possit interdum iusta ex causa aliquod tacere, probabiliter prudens confessarius iudicare poterit, tale peccatum esse ex illis, quod vel re ipsa vel iuxta probabilem opinionem pœnitens ipse putat, non esse in confessione explicandum.

DISPVTATIO XIV.

De Sigillo confessionis.

SECTIO PRIMA.

An, & quo iure obliget sigillum confessionis?

Quid sit sigillum.

1. Dicitur sigillum obligatio, qua res Sacramentali confessione concreditæ confessarium adstringunt ad eas perpetuò celandas: nam secreta sigillo obsignantur, ne alijs palam fiant; ita arcana peccatorum sacramentali confessione Sacerdoti concredita, silentij quasi sigillo perpetuo obsignantur, ne alijs vnqnam innotescāt.

2. Constans est omnium sententia, peccata, quæ per sacramentalem confessionem apud confessarium deponuntur, in nullo vnquam casu, etiam pro liberatione totius Regni, esse manifestanda. Constat ex cap. *omnis* de pœnitentijs, & remissionibus; vbi cauetur, ne Sacerdos verbo, aut signo, aut alio quouis modo peccatoré prodat sub pœna depositionis, & detrusionis perpetuæ in arctum monasterium. Ratio huius arctissimæ obligationis est ipsa sacraměti institutio.

Ete-

Etenim cùm sacramentum hoc institutum sit, vt medium necessarium ad salutem pro vniuersa Christiana Repub. eius vtilitas pręferenda est cuilibet bono priuato, aut etiam publico totius Regni. Atqui vtilitas huius sacramenti pendet ex ipsius obseruatione. Porrò ipsius obseruatio pendet ex hoc arctissimo sigillo: nam vbi scirent homines, posse in aliquo casu sua peccata confessa reuelari, statim deterrerentur ab hoc salubri, ac necessario medio: quia si in vno casu scirent, posse sua peccata confessa reuelari, probabiliter suspicari possent, in alijs etiam casibus similibus id licere. Vnde passim, & quidem iustè possent peccatores ab eius obseruantia excusari. Quod esset vnicum medium hoc sacramentum de medio tollendi.

3. Confirmatur, quia in quocunque casu pœnitens sciret, posse suum peccatum cōfessum reuelari, non teneretur illud confiteri: quia non obligamur confiteri peccatum, quod probabiliter suspicamur esse à confessore reuelandum; ergo multò minùs teneremur illud confiteri, si probabiliter dubitaremus, id iure reuelari posse: ergo etiamsi daretur casus, in quo liceret confessori peccatum pœnitentis reuelare: id tamen nunquam habere posset effectum: quia in eo casu pœnitens non teneretur suum peccatum confiteri. Vnde talis doctrina multum obesset, & nihil prodesset. Nihil prodesset: quia neque in eo casu haberet intentum. Obesset: tum quia homines deterreret à frequentatione huius sacramenti; tum quia in eo ipso casu tolleret pœnitenti medium recurrendi ad confessarium, qui prudentibus monitis, & consilijs illum inducere posset, vel ad desistēdum à malo, quod ipse moliretur, vel ad reuelandum, quod alij machinarentur.

Duo ad fractionem sigilli necessaria.

4. Est autem notandum, ad fractionem sigilli duo esse necessaria: Primum, vt peccatum in confessione detectum reueletur: secundum, vt persona ipsa, quæ confessa est, aliquo modo prodatur: neque vnum sine alio ad sigilli fractionem sufficere. Nam possunt reuelari peccata, si nullum sit periculum reuelandi personam: sicut potest reuelari persona, quæ confessa est, si nullum reueletur peccatū, dicendo quòd sit bene cōfessa; quòd omnia sua peccata cum dolore confessa sit.

5. Ex his infertur primò: non posse confessarium, fuga, aut quouis facto suæ vitę, famæ, ac proprijs bonis consulere, si ex eo facto reuelatur aliquod peccatum: quia prętat bonum confessionis bono propriæ vitæ. In qua re Scotus in 4. dist. 21. q. 2. ad argumenta, hanc tradit regulam generalem: quotiescunque signum natura sua non est expressiuum peccati confessi; sed de se indifferens ad significandum peccatum confessum, aut non confessum, etiam si aliquibus, ex aliquo supposito, sit magis determinatum ad significandum peccatum confessum, non est signum per se reuelatiuum confessionis. Quod autem additur, etiamsi aliquibus ex aliquo supposito sit magis determinatum ad significandum peccatum confessum, non probatur: nam vndecunque periculum immineat vel vni manifestandi peccatum confessum, semper erit illicitū: alioqui posset superior amouere subditum ab aliquo officio propter peccatum in confessione cognitum, etiamsi talis amotio aliquibus ex aliquo supposito sit signum peccati confessi.

Scotus.

6. Infertur 2. non posse confessarium impendens malum, quod pœnitens tertiæ personæ, aut reipublicæ machinatur, manifestare, si periculum sit, ex ea manifestatione deueniri in notitiam personæ machinantis posse tamen per verba generalia, ex quibus nulla posset suspicio generari personę machinātis eos monere. Nō tamē debet manifestare peccatum speciale, ex quo tale periculum immineat, tum ne pœnitentem manifestet: tum ne Iudicem impediat, quò minùs, si talia machinantem deprehenderit, possit contra illum procedere de crimine, cûius notitia originem duxit ex confessione.

7. Infertur 3. Interrogatum confessarium de peccatis in confessione auditis, posse, & debere, etiam cum iuramento negare, ea se scire: quia semper interrogatio præsumitur fieri de rebus humano modo notis. Quin etiamsi interrogetur, an id sciat ex confessione, posse & debere, etiam cum iuramento respondere, se id ex confessione nescire, subintellecta restrictione, vt possit alijs dicere. Sicut & ipse pœnitens negare potest, se suum peccatum huic, vel illi Sacerdoti dixisse.

8. Infertur 4. interrogatum confessarium an absoluerit publicum vsurarium, aut concubinarium, qui sibi fuit confessus, non posse signum vllum dare, quo ostendat, se illum non absoluisse; sed debere respondere, se functum esse officio suo: qui dicendi modus in similibus casibus erit vsurpandus.

9. Infertur 5. non esse denegandam Schedulam, in testimonium, quòd sint confessi ij, qui illam petunt, etiamsi absoluti non sint, quando ex negatione schedulæ deueniri posset in notitiam negatę absolutionis. Quod accidit, quando confessarius est notus, & certus, licet oppositum sit etiam probabile, quod docet Henriquez lib. 6. de sacramentis, cap. 22. quia non tenetur confessarius cooperari occultationi peccati.

Henriquez.

10. Infertur 6. non posse occulto peccatori confesso, & non absoluto petenti communionem denegari; posse tamen, & debere, si publicus sit: quia tunc non denegatur ex notitia secreta confessionis; sed publica aliūde comparata: si tamen confessor aliam notitiam de publico peccatore non haberet, non posset ei communionem denegare.

11. Infertur 7. Non posse duos confessores, qui ambo simul pœnitentis peccata in confessione audiere, de ijs, absque expressa licentia confitentis, simul colloqui, etiā ad finem dirigendi illum ad salutem æternam.

12. Infertur 8. non posse confessarium ex notitia habita ex alterius confessione

pœni-

pœnitentem obligare, vel absolutionem suspendere; posse tamen, si alia via nouit eius peccatum, quod scit non esse confessum: quia per priorem notitiam periculum est, ne manifestetur peccatum prioris pœnitentis.

13. Infertur 9. non posse confessarium neque in genere dicere, hic confessus est, sua peccata mortalia, etiamsi ea publica sint, & nota omnibus. Nec posse dicere, hic confessus est verbum otiosum; posse tamen dicere, hic confessus est sua peccata venialia in genere: quia hæc ad minimum includuntur in confessione. Cauendum autem est, ne dum plures sunt pœnitentes, dum de vno affirmat, confessum esse sola venialia, de alijs indirectè videatur affirmare, confessos esse mortale.

14. Infertur 10. non posse confessarium de peccatis in confessione auditis cum ipsomet pœnitente loqui extra confessionem: nec illum monere, quòd non seruet ea, quæ illi fuerunt in confessione iniuncta: posse tamen illum monere in posteriori confessione de peccatis auditis in priori, ad directionem salutis ipsius. Cæterùm Vasquez q. 93. ar. 4. dub. 10. num. 8. non solùm in hac parte nobiscum sentit; sed etiam censet, id fieri posse extra confessionem. Putat enim, non esse contra sigillum, pœnitentem reprehendere extra confessionem, vel illi peccata exprobrare: quamuis putet, esse contra reuerentiam debitam huic sacramento, eò, quòd hoc modo confessio redderetur grauis, & nimis onerosa.

Vasquez.

15. Infertur 11. ex nullo præcepto humano posse confessarium obligari ad manifestãdum peccatum in confessione auditum: immo neque extra illam cognitum, quando occultum est, & non vergit in damnum alterius. Nam quando vergit, vel in graue damnũ tertij, vel in publicum periculum boni communis, nullum secretum naturale, quantumuis iuratum obligat: quia nullum iuramẽtum obligare potest contra charitatem. lege S. Thomam 2. 2. q. 70. art. 1. ad 2. & Caiet. ibid.

S. Thomas Caietanus.

16. Infertur 12. non posse ad explicandum peccatum proprium in confessione, reuelare peccatum alterius in confessione auditum: quia præceptum sigilli est arctius, quàm præceptum de integritate confessionis. Ita omnes contra Sotum in 4. dist. 18. q. 4. a. 5. §. *occurrit hic autem dubium:* qui oppositum sub dubio tantùm putat probabilius: Citatur etiam Gabr. in 4 dist. 21. q. vnic. a. 3. dub. 1. sed ille apertè nobiscum sentit.

Præceptum sigilli est arctius præcepto de integritate confessionis. Sotus. Gabriel.

17. Infertur 13. teneri Sacerdotem peccatum sub sigillo conseruare etiam quando dubitat, an illud in confessione audiuerit: quia semper præsumendum est in fauorem pœnitentis.

Semper præsumendum fauorè pœnitentis.

18. Infertur 14. eodem sigillo obsignanda esse peccata, quæ à pœnitente dicuntur paulò post confessionem, tanquam appendix præcedentis confessionis: nam illa integrant vnam confessionem cum præcedente.

19. Infertur 15. teneri confessarium sub sigillo confessionis celare peccatum complicis, etiamsi absque necessitate complex sit à pœnitente in confessione manifestatus: quia quidquid in confessione à pœnitente, etiam absque necessitate, imò & imprudenter ad suum peccatum explicandum manifestatur, cadit sub hoc sigillum. Hoc enim exigit reuerentia, & summa necessitas huius sacramẽti, ne ab illo deterreantur fideles: quidquid in contrarium doceat Ioan. de la Crux apud Dianam tract. 4. de sacramentis resol. 111.

Ioannes de la Crux.

SECTIO II.

Ex qua confessione oriatur hoc Sigillum?

20. DVplex distinguitur confessio, altera sacramentalis, ciuilis altera. Certum est, hoc sigillum non oriri ex confessione ciuili; sed tantùm ex sacramentali, difficultas est, an ex omni sacramentali illud oriatur. Duplex autem distinguitur confessio sacramentalis, altera valida, & perfecta, quæ simul cum absolutione sacramentum perficit; Altera inchoata & imperfecta; facta tamen animo consequendi absolutionem, vtraque confessio fundat hoc sigillum. Nam vtraque ordinatur ad sacramentum: contra verò omnis alia confessio, quæ non ordinatur ad hoc sacramentum, non fundat hoc sacramentale sigillum, velut si quis genuflexus ad instar confitentis narrat sua facta Sacerdoti, non vt ea ad sacramentum ordinet, sed vt narret tantùm. Nec si addat, se ea dicere sub sigillo confessionis, tenebitur Sacerdos ad amplius, quàm ad naturale secretum ea excipere, cùm nullo modo ea sit confessio sacramentalis, nec confessio, qua pœnitens fingit se confiteri, vt confessarium decipiat, vel ad suam trahat voluntatem peccandi, confessarium obligat sub sacramentali sigillo.

21.* Ex his infertur primò: non modò sub sigillum cadere peccata confessa præterita, sed etiam futura; quia potest pœnitens accedere ad hoc sacramentum cum animo nondum disposito præcauendi futurum peccatum, petendo à confessario, vel auxilium, vt dignè disponatur; vel consilium, an possit cum tali proposito Sacramentum recipere.

Sub sigillũ cadunt peccata futura

22. Infertur 2. sub hoc sigillum cadere peccata audita à Sacerdote nullam habente iurisdictionem: immo etiam audita à laico, fingente se esse Sacerdotem: quia talis confessio fit à pœnitente animo consequendi absolutionem; secus, si fiat Laico cognito vt laico, etiam animo consequendi absolutionem ex ignorantia confitentis: ratio quia id procedit ex errore priuato pœnitentis.

23. Infertur 3. teneri Sacerdotem sub sigillo celare ea peccata, quæ inuitus importunitate pœnitentis in confessione audiuit: quia

quia cùm hoc sigillum sit in fauorem pœnitentis, sufficit, vt ea peccata manifestentur à pœnitente animo consequendi absolutionem, etiamsi Sacerdos non habeat animum illum absoluendi, vel talia peccata audiendi patet: quia quando pœnitens sua peccata manifestat Laico putato Sacerdoti, animo consequendi absolutionem, talis Laicus sub sigillo tenetur ea peccata seruare: ergo à fortiori verus Sacerdos, qui peccata pœnitentis in confessione audit, cum animo ex parte pœnitentis de ijs absolutionem consequendi, esto Sacerdos illa audiat animo absolutionem non dandi.

SECTIO III.

Quæ res cadant in hoc Sigillum?

24. PRimò sub sigillum cadũt omnia peccata, & circumstantiæ peccatorum, tam propria confitentis, quàm aliena; vt obiecta, & circumstantiæ peccatorum ipsius pœnitentis; item persona complicis. Nam omnia hæc conducunt ad explicanda peccata pœnitentis. Secundò defectus natalium, inhabilitates naturales, imperfectiones personales, & irregularitates, etiam sine peccato cõtractæ, quando hæc aliquo modo sunt circũstantiæ peccatorum, vel ad ea explicanda necessaria. Vnde non potest Episcopus ordinem publicè petenti denegare, quem ex sola confessione sacramentali nouit esse irregularem, aut Parochus fœminam, & virum in coniuges non copulare, quos in sola confessione inhabiles ad Matrimonium deprehendit: Non potes euitare, quem ex sola confessione nosti esse excommunicatum, lege Sotum in 4. dist. 18. q. 4. ar. 5. conclus. 3.

Sotus.

25. Ex his colligitur, virtutes in confessione detectas, non cadere sub hoc sigillum: quia nemo illas narrat tanquam materiã confessionis; posse tamen sub sigillum cadere indirectè: si ex manifestatione earum indirectè manifestentur peccata.

26. Difficultas maior est: an sint etiam celandi errores, quos pœnitens confitendo committit. Respondeo eos saltem sub sigillo naturali celandos esse. Cæterùm quæ solùm concomitanter pœnitens in confessione dicit, & peccata non sunt, sub sigillum non cadunt.

SECTIO IV.

An poßit confessarius de licentia pœnitentis de ipsius peccatis extra confeßionem loqui?

27. COmmunis sententia affirmat. Fundamentum: quia hoc sigillum est in bonum pœnitentis, cui iuri ipse cedere potest, vnde non solum potest confessor de peccatis in confessione auditis extra confessionem cum ipso pœnitente loqui; sed etiam cum alijs, cum quibus ipse pœnitens licentiam dederit. Est autem notandum, ad hoc requiri. Expressam licentiam pœnitentis. Nec sufficere interpretatiuam, etiamsi id fiat in bonum ipsius pœnitentis: potest autem hæc licentia semel data à pœnitente reuocari. Nec poterit extendi, nisi quantum verba ipsa pœnitentis sonant. Neque etiam potest confessarius peccata pœnitentis reuelare in foro contentioso, vel in damnum ipsius, etiamsi generalem licentiam habeat ipsius peccata manifestandi: Nam hæc licentia semper intelligi debet propter aliquam causam pœnitenti honorificam.

Sententia communis.

28. Quærit Sotus in quarto, distinctione decima octaua, quæstione quarta, art. vlt. quid facere debeat confessarius, si errorem commiserit in ipsa confessione: vt si absoluerit, quem non poterat: si non obligauerit ad restituendum, quem debebat; respondet ibidem Sotus, admonendum esse pœnitentem, vt sibi de commisso errore prouideat, vel extra confessionem, vel in confessione. Cum Soto concordant Medina cod. de confess. quæst. 35. in fine, & reliqui omnes. Quod intelligendum est de errore, qui vel sacramentum reddit inualidum, vel est in graue damnum tertij. Nam de reliquis non est curandum. Poterit etiam confessarius, si error fuerit vel ex defectu potestatis, vel intentionis absoluendi, dicere pœnitenti in secunda confessione, vt se generaliter accuset de omnibus peccatis præteritis, eumque de omnibus absoluere. Secus si defectus fuit ex parte attentionis: quia tunc, cùm non formauerit iudicium de peccatis à pœnitente confessis, debent iterum ea confiteri, saltem quæ ipse non percepit, vt de illis iudicium formare possit: nam quamuis, vt notat Henriquez lib. 5. cap. 14. num. 5. de illis pœnitens bona fide confitens sit absolutus indirectè; tenetur tamen cùm primùm aduertit, illa non fuisse à confessario percepta, iterum subijcere clauibus, vt directè absoluantur: & consequenter tenetur etiam confessarius de hoc pœnitentem monere, quando id commodè fieri potest.

Sotus.

Medina.

29. Sed quid si pœnitens extra confessionem à confessario rogatus, vt licentiam sibi conce-

concedat vt ei defectum in confessione commissum aperiat, & ille nolit licentiam concedere, an possit tunc confessarius illi defectum aperire? Affirmat Suarez disp. 33. sect. 5. num. 3. Quia tunc, inquit, verè non loquitur extra confessionem, sed supplet & perficit eam, quæ inchoata, & imperfecta manserat, & pœnitens tunc est irrationabiliter inuitus.

30. Negat verò Diana tract. 4. de sacramentis resol. 87. & alij apud ipsum: & sanè *probabilius*; cùm in nullo casu absque expressa licentia pœnitentis liceat de peccatis in confessione auditis, extra confessionem non solum cum alijs, sed etiam cum ipso pœnitente loqui. Esset enim hæc quędam peccatorum exprobratio, quę valdè onerosam & grauem reddit confessionem. Nec refert, quòd hoc fieret statim post confessionem: nam absoluto sacramento, non habet amplius Confessarius facultatem loquendi cum illo de peccatis in confessione auditis absque expressa licentia illius. Nec argumentum Suarez, eo quòd propter commissum defectum confessio manserat inchoata & imperfecta, possit confessarius cum pœnitente extra confessionem de illo, absque expressa licētia ipsius, loqui, efficax est: nam ex hoc sequeretur, etiam post multum tempus posse confessarium talem defectum in confessione commissum pœnitenti aperire, absque expressa licentia ipsius, cùm semper præcedens confessio, quamdiu cōmissus defectus non emēdatur, maneat imperfecta, & inchota. Quare in proposito casu, si pœnitens licentiam neget, non debebit confessarius ampliùs illum vrgere: nam tunc erit excusatus apud Deū, & tota culpa, & obligatio deuoluetur in ipsum pœnitentem.

SECTIO V.

Quas personas obliget hoc Sigillum?

31. Obligat primò Confessarium: 2. interpretem: 3. superiorem, à quo petitur facultas absoluendi ab aliquo peccato reseruato: 4. obligat illum, à quo consilium petit confessarius: 5. internuncium: 6. quemcunque alium, ad quem licitè, vel illicitè; casu, vel consulto notitia peccatį Sacramentaliter confessi peruenit: quia talis notitia transit cum onere. Non tamen hoc sigillo tenetur, qui audit publicè sua peccata confitentem, præter ipsum confessarium, qui etiam in hoc casu tenetur sub sigillo huiusmodi peccata publicè sibi confessa seruare.

32. Difficultas est, an hoc sigillo teneatur, qui legit chartam, in qua scripta sunt peccata pœnitentis. Affirmant Diana tractatu 4. de Sacramentis, Resolutione 112. & alij apud ipsum. Quorum fundamentū est: quia charta continens peccata pœnitentis, est quędam inchoata confessio: ergo obligat sub eodem secreto, quo confessio ipsa. Confirmant. Qui casu audit pœnitentis confessionem, sub sigillo tenetur eam seruare: ergo etiā qui chartam inuenit in qua scripta sunt peccata pœnitentis. Consequentia probatur: quia charta est confessio scripta, vnde qui audiret pœnitentē sua peccata ex charta Sacerdoti Sacramētaliter legentē, teneretur sub secreto confessionis illa seruare: ergo etiam qui illa legit in charta.

33. Negat vero Suarez disp. 33. sect. 4. n. 5. Henriquez lib. 6. de sacramentis c. 20. n. 2. alijque plurimi ab ipso in textu citati. *Quæ sententia probabilior est*. Fundamentum: quoniam ea tantùm confessionis sigillo seruanda sunt, quę confessionis clauibus sunt subiecta. Peccata autem in charta scripta nōdum sunt confessionis clauibus subiecta: igitur nō sunt confessionis sigillo seruanda. Minor constat: nam tunc peccata subijciūtur clauibus, cùm manifestantur Sacerdoti animo absolutionē consequendi. Maior probatur: tum quia peccata, quę pœnitens ante confessionem alicui narraret, etiamsi tunc animum haberet, ea suo tēpore confitendi, non teneretur audiens ea sub sigillo confessionis seruare: ergo neque quę in charta scripta ante confessionem legeret: cùm sit eadem vtriusq; ratio. Tū quia hoc sigillum deriuatur in peccata ex ipso confessionis sacramento. Sed quamdiu peccata nō sunt sacramētali cōfessione subiecta clauibus, nondū est confessionis sacramentū: igitur nōdum possunt secretū huius sigilli participare.

34. Confirmatur: nam peccata pœnitentis obsignantur sigillo ipsamet cōfessione sacramentali pœnitētis: ergo quādiu non est facta sacramentalis confessio, nondū sunt peccata hoc sigillo obsignata. Vnde ad summum qui peccata in charta scripta legit, tenetur ad secretum naturale. Quo fit, vt si in ea cōtineatur aliquod facinus vergens in graue damnū innocentis, vel Reip. teneatur illud reuelare: cùm nullum secretum naturale obliget cum damno alterius, & multò minùs cum damno boni publici.

35. *Obijcies* primò: ergo saltem qui talem chartā reperit, postquam peccata in ea scripta fuerunt subiecta clauibus, tenetur illa sub sigillo cōfessionis seruare: quia tunc accipit illa obsignata sigillo sacramentalis confessionis.

36. Respondeo primò, concedendo sequelam, præsertim si constaret de cōfessione pœnitentis, secus si non constaret: quia tunc potiùs supponi posset, nondum factam esse cōfessionem sacramentalem: cùm soleat facta confessione sacramentali, charta statim comburi, vel lacerari. Secundò adhuc negari posset sequela: quia tunc supponi posset, pœnitentem cessisse iuri suo, hoc ipso quòd post confessionem chartam, continentem peccata, non lacerat.

37. *Obijcies* secundò: sequeretur, qui multè antè interpreti vel internuncio sua peccata narrauit, vt ea Sacerdoti Sacramentaliter manifestaret, non teneri sub sigillo confessionis, ea apud se seruare: nam ita se habet interpres, vel internuntius, in ordine ad peccata, sibi à pœnitente narrata, vt ea confessario manifestet; sicut charta, in qua scripta sunt peccata, à pœnitente Sacerdoti confitenda.

38. Respondeo negando sequelam: quia narratio peccatorum, facta interpreti, vel internuntio, est proxima inchoatio confessionis: nam est, ac si ea pœnitens ipse diceret cõfessario: cùm vi talis narrationis non teneatur pœnitens aliam manifestationem facere de suis peccatis interpreti, vel internuntio. Secus est de peccatis in charta Scriptis: cùm talis scriptio peccatorum nullo pacto dici possit proxima inchoatio Sacramentalis confessionis. Confirmatur: nam per interpretem, & internuntium pœnitens subijcit sua peccata clauibus: nam esset ac si sua peccata multò ante narraret confessario, vt ab ipso postea absolutionem obtineret: per scriptionem autem in charta nullo pacto pœnitens censetur, sua peccata subijcere clauibus.

39. Ad fundamentum oppositæ sententiæ, negatur antecedens. Ad cuius probationem, neganda est consequentia: nam qui audit confessionem, peccata percipit obsignata sigillo Sacramentalis confessionis; Vnde illa tenetur eodem sigillo, quo accipit, seruare. Qui autem ea legit in charta scripta, non accipit obsignata sigillo Sacramentalis confessionis. Eadem ratio est, quando quis pœnitentem audit ex charta sua peccata Sacerdoti confitentem: quia tunc accipit illa obsignata sigillo Sacramentalis confessionis.

SECTIO VI.

An possit confessor vti aliquando notitia ex confessione comparata?

40. MVlti affirmant quod intelligunt de ijs, in quibus nullum est periculum reuelandi confessionem. Vnde hanc regulam tradunt, posse prælatum ex sola notitia confessionis non admittere, vel amouere subditum ab eo officio, vel ministerio, ad quod admitti, vel amoueri pendet à sola voluntate superioris: quia tunc nullum est periculum reuelandi confessionem, cùm soleant alij ab illo amoueri, vel non admitti; non posse tamen amouere, vel non admittere subditum ad officium, vel exercitium, ad quod admitti, vel amoueri, non pendet ex sola voluntate superioris, ex notitia tantùm habita in confessione. Quocirca docent, non posse Episcopum non admittere ad ordinem habentem dimissoriam; quem tamen nouit in confessione esse irregularem; posse tamen non admittere subditum ad examen ordinandorum, quem per confessionem scit esse irregularem. Nam subditum ad ordinem admittere, vel non admittere, pendet ex sola voluntate Episcopi. Lege Sotum lib. de secreto tegendo mem. 3. q. 4. Conclus. 5. dub. 1. opinio hæc probabilis est, cùm nullum ex vsu talis notitiæ sequatur periculum reuelandi peccatum confessum: & ex alia parte licitum est, talem notitiam adhibere ad actiones honestas peragendas, præsertim quando illæ vergunt in bonum ipsius pœnitentis: vt est amotio personæ à loco, vel officio, in quo pœnitens de salute periclitaretur.

41. Verùm quia hæc opinio eam exigit in praxi circumspectionem, & cautelam, vt difficile sit, sine aliqua suspicione peccati confessi, in praxim redigere, & ex alia parte doctrina hæc valde odiosam reddit confessionem, animosque subditorum retardat, ne confidenter ad hoc Sacramentum accedant, ideo tutior, ac securior est opposita sententia, quæ docet: nunquam licitum esse, vti notitia ex confessione habita ad externam gubernationem. Quam sententiam superioribus regularium sequendam præcipit Clemens VIII. per specialem Bullam editam Anno 1593. die 26. Maij, in qua prohibet, ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in confessione habuerunt, ad exteriorem gubernationem vtantur. Hanc sententiam Anno 1590. antequam illam præcepisset Clemens VIII. suis subditis in tota Societate præscripsit Claudius Aquauiua Prępositus Generalis Societatis IESV his verbis. *Tametsi non desint Doctores, qui notitia per confessionem habita, saluo Sacramenti sigillo confessarijs vti nonnunquam licere sentiant. Nostros tamen eam doctrinam sequi non expedire indicamus. Quare caueant diligenter Superiores, ne vel ipsi, vel Nostrorum aliquis eam vspiam introducant, priuatimve, aut publicè doceant: nec ea nisi fortè de pœnitentis licentia, vllo modo vtantur.*

Clemens VIII.

Claudius aquauiua.

42. Ex quo infertur, non posse negari suffragium indigno ex sola confessione cognito; nec superiorem subditum ab officio, etiã aliàs voluntate superioris amouibili mutare, & vniuersaliter aliquid ex tali notitia facere, vel omittere, quod aliàs Confessarius facturus, vel omissurus non esset: Nam etiamsi ignoretur, hic & nunc confessarium vti scientia per confessionem habita, ipsa tamen persuasio, quòd possint confessarij propter notitiam peccatorum in confessione habitam, priuare, vel impedire pœnitentes ab honoribus, & dignitatibus consequendis, multum retrahit animos pœnitentium à Sacramentali confessione.

DISPVTATIO XV.

SECTIO PRIMA.

De Ministro sacramenti Pœnitentiæ.

An quilibet Sacerdos completam potestatem habeat absoluendi quemlibet in foro pœnitentiæ?

Conc. Trid.

1. SVPPONO ex Trident. sess. 14. can. 10. solos Sacerdotes esse legitimos Ministros huius sacramenti, vbi hanc veritatem contra Wicleffum & Lutherum, qui hanc potestatem extendebant ad laicos, expressè definit. Cuius ratio est: quia cùm hoc sacramentum exerceri debeat per modum actus iudicialis, vt idem Concil. definit can. 9. non poterat quilibet esse aptus ad illud ministrãdum; cùm multa requirat actus Iudicialis, quæ non facilè poterant in quolibet reperiri, vt scientiam in dignoscendis peccatis, prudentiam in adhibendis remedijs, ad morbos animi curandos opportunis, prælationem, & authoritatem ad peccatores coërcendos. Hoc supposito,

Error Wicleffi & Lutheri.

2. Controuersia inter Catholicos est: an quilibet Sacerdos Iure diuino in ipsa Presbyteratus collatione completam potestatem accipiat absoluendi quemcunque Christi fidelem, in hoc foro pœnitentiario, vt nihil ei desit ex parte principij ad absoluendum; nisi sola materia applicanda, quæ est, pœnitens subditus, siue hæc materia fiat subdita Sacerdoti ex commissione superioris; siue ex propria voluntate pœnitentis.

3. PRIMA sententia negat. distinguit enim hęc sententia duplicem potestatem, alteram ordinis; iurisdictionis alteram: Primam ait accipere Sacerdotem à Deo, cùm initiatur: Secundam verò ab Ecclesia, cùm illi oues pascendæ committuntur. Et quia prima sine secunda non sufficit, necessaria est Sacerdoti posterior, vt possit à peccatis in foro pœnitentiæ absoluere. Vnde concludit Sacerdotem, vi suæ ordinationis, non habere sufficientem potestatem ad absoluendum; nisi noua potestas ab Ecclesia illi conferatur. Est Bonauent. in 4. dist. 19. art. 3. quæst. 1. & 2. ad argumenta, Richar. art. 1. quæst. 3. Durandi quęst. 2. n. 13. Mayron. dist. 18. q. 2. Argent. art. 1. ad 2. contra secundam partem articuli, Soti dist. 20. q. 1. art. 5 ad 1. Cani relect. de pœnit. p. 5. ad 4. argumentum vltimo loco adductum & p. 6. ad 6. principale argumentum, Medin. cod. de confess. q. 35. Henriquez lib. 3. de sacramento Pœnit. c. 1. Valent. dist. 7. quæst. 10. punct. 2. Suarez disp. 16. sess. 3. Coninck disp. 8. dub. 2. Fundamentum: quia de fide est, vt constat ex Florent. in decreto de vnione Armen. & Trident. sess. 14. cap. 7. hoc sacramentnm validè exerceri non posse, nisi à Sacerdote habente Iurisdictionem ordinariam, aut delegatam. Atqui Sacerdos vi ordinationis nullam accipit Iurisdictionem, ergo nullus Sacerdos vi ordinationis habet completam potestatem absoluendi à peccatis, in foro pœnitentiario. Maiorem Concil. probat: quia cùm hoc sacramentum sit quoddam iudicium, cumque natura iudicij postulet, vt sententia feratur in subditos, vt valida sit, necessariò supponit in exercente Iurisdictionem. Minor constat: quia si Sacerdos vi solius ordinationis aliquam acciperet Iurisdictionem, cùm illam acciperet à Deo, non posset ab Ecclesia prohiberi: quin si illam exerceret, validum efficeret sacramentum; sicut quis à Deo accipit potestatem consecrandi corpus, & sanguinem Christi, non potest ab Ecclesia prohiberi, quin si illam exerceat, validum efficiat Eucharistiæ sacramentum: quia non potest Ecclesia prohibere, quin, positis omnibus ad sacramentum requisitis, sacramentum fiat, cùm hæc non pendeat ex voluntate Ecclesiæ, sed Dei. Confirmatur: Nam soli Petro dictũ est Ioan. 21. pasce oues meas: ergo soli Petro, eiusque successoribus demandata est cura pascendi oues Christi, reliquis verò non nisi ex commissione Petri, eiusque successorum: hoc enim postulat ordo Ecclesiastici Regiminis, vt à supremo ad inferiores hæc potestas absoluendi dimanet; alioqui si vnusquisque pro suo libitu absoluere posset, magna foret in Ecclesia Dei confusio.

Bonauent. Richardus. Durandus. Mayronus. Argentinas. Sotus. Canus. Medina. Henriquez. Valentia. Suarez. Coninck. Concilium Florent. & Trident. Ioan. 21.

4. SECVNDA sententia affirmat: cuius quatuor sunt modi explicandi: primus Caietani tomo 1. opusc. tract. 7. & Palatij in 4. dist. 18. disp. 1. ad finem, præter potestatem Ordinis, quam Sacerdos accipit in collatione Presbyteratus, nullam aliam potestatem iurisdictionis necessariam esse in absoluente, quæ per modum principij concurrat ad actum absolutionis; esse tamen necessariam iurisdictionem ex parte termini, vt qui

Caietanus. Palatius.

absoluendus est, fiat subiectus ministro, vt ab illo absolui possit. Sicut in arbitro, habente potestatem iudicandi à partibus, nulla requiritur noua potestas iudicandi ex parte principij: quia nullam possunt partes in arbitrum iurisdictionem conferre; requiritur tamen ex parte ipsorum, qui se arbitro submittunt iudicandos.

Durandus. *Armacan.* 5. Secundus Durandi, qui quamuis veriorem putet primam sententiam, nihilominus probabilem censet secundam, quam sic ipse cum Armacano libro 11. quæstionum Armenorum explicat. Quilibet Sacerdos, sicuti iure diuino in sua Ordinatione completam accipit potestatem consecrandi corpus Christi, ita & absoluendi quemlibet à peccatis in foro sacramentali: iustis tamen de causis Ecclesiastico iure prohibitum est, ne quilibet Sacerdos in quemlibet hanc potestatem exerceat. Quo fit, vt si quis sciens confiteatur Sacerdoti non habenti potestatem audiendi confessiones, confessio eius inualida sit, & nulla, non defectu potestatis absoluendi; sed ratione obicis, quem apponit pœnitens, dum contra prohibitionem Ecclesiæ confitetur ei, cui non debet. Si verò id bona fide, & ignorans faciat, valida erit ipsius confessio; tenetur tamen illam cum proprio Sacerdote repetere, vt Ecclesiæ præceptum seruet de confitendo proprio Sacerdoti.

6. Probat primò: nam Sacerdos est Iudex arbitrarius in hoc sacramento de voluntate partium, nempe Dei, & hominis, quorum causa agitur: Sed ad hoc sufficit voluntas Dei assumentis Sacerdotem, vt arbitrum in hac causa, & voluntas peccatoris sponte se submittentis iudicio Sacerdotis. Minor constat ex natura ipsa arbitri, qui vt validè possit causam iudicare, sola sufficit partium voluntas. Maior probatur: nam Sacerdos est Iudex in causa peccati assumptus, tam à Deo in defensionem sui honoris per peccatum læsi, quàm à peccatore ad remissionem culpæ obtinendam: nisi enim peccator voluntariè suam culpam Sacerdoti manifestet, eiusque iudicio sponte se submittat, non poterit Sacerdos iudicialiter cum eo agere in hoc foro sacramentali.

7. Confirmat: etenim si hoc iudicium sacramentale non esset voluntarium, & Sacerdos ipse, vt arbiter, voluntariè assumptus à partibus, Papa à nullo absolui posset. Sequela probatur: nam Papa neque subijcitur legibus humanis, neque ipse alteri potestatem ad seipsum absoluendum, sicut neque ad excommunicandum, conferre potest. Vnde nisi ipse voluntariè huic sacramentali iudicio se submittat, à nullo absolui potest. Natura igitur huius sacramentalis iudicij est, vt sit voluntarium, per spontaneam subiectionem pœnitentis.

8. Probatur secundò Si Minister huius sacramenti iure diuino non haberet completam potestatem absoluendi quemlibet à quibuscunque peccatis; sed necessaria ei foret potestas iurisdictionis ab Ecclesia collata, non quiuis Sacerdos absoluere posset quemlibet, in extrema necessitate. Atqui in Concilio Tridentino sess. 14. cap. 7. definitum est, in extrema necessitate omnes Sacerdotes absoluere posse quoscunque pœnitentes, à quibuscunque peccatis: ergo signum est, quemlibet Sacerdotem iure diuino habere completam potestatem absoluendi quoscunque. Sequela probatur: nam si iure diuino necessaria esset in Ministro huius sacramenti potestas iurisdictionis, ab Ecclesia collata, ea posset in extrema necessitate ab eadem Ecclesia negari: in quo casu absolutio data à Sacerdote iurisdictionem non habente, esset nulla. At falsum est hanc potestatē posse in extrema necessitate ab Ecclesia negari: falsum igitur est, in Ministro huius sacramenti, præter potestatem à Deo collatam, requiri potestatem iurisdictionis ab Ecclesia communicatam. *Concilium Trident.*

9. Tertius modus est Alberti in 4. dist. 18. art. 2. & 5. Maioris dist. 19. qu. 11. Angeli verbo *Confessio* 3. n. 4. Vasquez q. 93 dub. 2. ad quem inclinat Scotus in 4. dist. 19. art. 4. in fine, quemlibet Sacerdotem in ipsa ordinatione iure diuino accipere completam potestatem absoluendi à peccatis, quantum est ex parte principij, nullam tamen iure diuino accipere materiam determinatam, in qua talis potestas exerceri queat; sed illam accipere determinandā à Vicario Christi, ad quem iure diuino spectat, materiam, vnicuique assignare, aut via ordinaria per assignationem Episcopatus, vel Parochię, quorum distributio facta est authoritate Romani Pontificis; aut via extraordinaria ex commissione generali, vel speciali ipsius summi Pontificis, vel alterius superioris assignantis subditum, in quem potestas exerceri possit. Itaque Ecclesia nullam confert Sacerdoti potestatem absoluendi à peccatis, cùm totam hanc accipiat à Deo, in ipsa sacri Ordinis susceptione, sed solam materiam, sine qua hæc potestas exerceri non posset. Fundamentum est: quoniam ex vna parte Sacerdos vi suæ Ordinationis constituitur perfectus Iudex animarum in foro sacramentali: ex alia parte nullus Sacerdos sententiam ferre potest, nisi in subditum, cùm omnis sententia à non suo iudice lata sit nulla. Sed non videtur alius congruentior modus saluandi hæc duo, quàm hic tertius assignatus: vt nimirum potestas absoluendi conferatur à Deo; materia verò absoluenda assignetur à Vicario Christi: igitur hic modus est afferendus. *Albertus.* *Maior.* *Angelus.* *Vasquez.* *Scotus.*

10. Quartus modus docet, quemlibet Sacerdotem vi suæ Ordinationis iure diuino accipere completam potestatem ius dicendi in quæcunque peccata sacramentaliter confessa, & in quemcunque Christianum, qui se sponte submiserit huic sacramentali iudicio, sub conditione tamen; nisi Ecclesia prohibuerit. Vnde accedente Ecclesiæ prohibitione, absolutio impensa à Sacerdote pœnitenti, quantumcunque voluntariè se

submittenti,

submittenti, erit nulla: eo quòd Sacerdos non accipit hanc potestatem exercendam contra prohibitionem Ecclesiæ. Quare etsi ante Ecclesię prohibitionē potuerit Sacerdos absoluere quoscunque, qui se voluntariè submisissent in hoc sacramentali foro; posita tamen prohibitione, non potest quemquam validè absoluere; nisi in quem ex authoritate Ecclesię ordinariam, aut delegatam acceperit iurisdictionem. Nam posita prohibitione Ecclesiæ, ipsa Sacerdotalis potestas absoluendi à peccatis iure diuino redditur inualida: idque ad conseruandum debitum ordinem Ecclesiastici regiminis.

11. Hunc modum expresè docuerunt Gulielmus, Rubio in 4. dist. 18. quæst. 2. art. 1. *Quilibet*, inquit, *Sacerdos, cuius potestas non est à suo superiore reuocata, nec restricta, habet æqualem potestatem, & authoritatem, tantam videlicet, quantam quilibet alius, etiam ipse Papa, absoluendi ab omni culpa quemlibet pœnitentem, veraciter confitentem, nisi quod Papa habet illam inimpedibilem, & irreuocabilem: quilibet vero alius impedibilem, & reuocabilem: quia cum hac conditione illam accepit.* Antoninus 3. parte summę titulo 17. cap. 4. §. *Tertius casus est:* vbi sic scribit: *omnis Sacerdos potestatem, & iurisdictionem habet ex sua ordinatione: sed subditos habet solùm eos, qui se ei submittunt: nisi quod secundùm iura, qui se semel alicui submisit, factus est eius Parochianus: nec potest se alijs submittere, quousque primò se subtrahat simpliciter, nisi de voluntate illius.* Nauarrus in caput *Placuit* dist. 6. num. 1. 3. & 4. & 27. vbi ait: omnes Presbyteros primitiuæ Ecclesiæ potuisse omnes, qui eis confiteri voluissent audire: non tamen nunc id facere posse, nisi tantùm cum illis, qui legitimè sibi subduntur: quia tunc accipiebant iurisdictionem in habitu, & in actu, hoc est nulla lege, & nullius superioris imperio ab exercitio impeditam: nunc verò illam accipiunt impeditam. Eundem modum indicant Alensis 4. parte quæst. 21. memb. 3. art. 2. §. 2. Sanctus Thomas in 4. dist. 20. quæst. 1. art. 1. quæstiuncula, & Petrus Soto lect. 5. de confes. dum docent, potestatem clauium, quantum est de se, se extendere ad omnia peccata, & ad quascunque personas, nisi ex ordinatione Ecclesiæ restricta esset ad certa peccata, certasque personas.

12. Hic modus inter omnes mihi maximè probatur primò: quia saluat omnia, quæ de hoc sacramento docent Theologi. Saluat primò, cur initio nascentis Ecclesię omnes Sacerdotes iure diuino poterant quoscunque pœnitentes voluntariè se submittentes à quibuscunque peccatis absoluere. At nullus ex supra dictis modis hoc saluat. Maiorem supponit præcitato loco Caietanus, & apertè docet Syluester verbo *Confessor* primo q. 2. & Nauarrus loco prænotato n. 2. fatetur, hoc omnes, testari: quod & ipse deducit ex citato capite *placuit*, in quo Vrbanus II. prohibet, ne deinceps vlli Sacerdoti liceat, quemlibet alteri Sacerdoti commissum, ad pœnitentiam suscipere, sine eius consensu, cui priùs se commisit: nam *Dictio*, inquit, deinceps, *& similes denotant constitutiones, in quibus ponuntur, præterita non comprehendere.* Nec obstat, quòd ante Vrbanum II. qui floruit circa annum Millesimum centesimum, Calistus I. & Dionysius I. quorum ille floruit anno 228. hic 250. statuerint, ne vllus Sacerdos alterius Parochiæ subditum iudicaret: qui propterea vnicuique Parocho suam assignauit Parochiam. Non inquam hoc obstat: quia potuit hoc statutum non esse vniuersale; sed solùm comprehendere eos, quibus fuerant per Parochias assignati subditi. Saluatur autem hoc in hoc nostro modo: quoniam initio ob paucitatem Sacerdotum, nulla erat Ecclesiæ prohibitio: qua non existente, quiuis Sacerdos iure diuino poterat quoscunque ad se sponte accedentes absoluere.

13. Secundò saluat, quòd summus Pontifex possit à quolibet Sacerdote, cui sponte se submisit, absolui: nam quilibet Sacerdos iure diuino habet potestatem absoluendi quemcunque voluntariè se submittentem, modò non sit ab Ecclesia prohibitus: sed summus Pontifex à nullo prohiberi potest, quin se voluntariè submittat, cuicunque ipse voluerit, cùm nullum habeat in terris superiorem. Nec est eadem ratio de potestate excommunicandi: quia cùm hæc concernat forum contentiosum, non est communicata, nisi summo Pontifici, quam nequit contra seipsum alteri communicare.

14. Tertiò saluat, quòd omnes Apostoli iure diuino acceperint hanc potestatem absoluendi quoscunque ad se sponte accedentes: nam illam acceperunt cum omni plenitudine à Christo: nec fuit illis à Petro ad certa peccata, certasque personas limitata.

15. Quartò saluat, cur omnes Sacerdotes in articulo, & periculo mortis plenam habeant potestatem absoluendi quoscunque à quibuscunque delictis: nam tunc cessante Ecclesię prohibitione, iure diuino omnes habent hanc potestatem, quam neque Ecclesia prohibere potest, cùm non sit Ecclesię communicata potestas in destructionem; sed in ædificationem animarum.

16. Quintò saluat, cur omnes Sacerdotes, vt communis Scholasticorum opinio fert, potestatem habeant, quoscunque absoluendi à peccatis venialibus, & mortalibus aliàs ritè confessis: quia cùm neutra sint necessariò subijcienda clauibus, Ecclesiæ prohibitio de non confitendo nisi proprio Sacerdoti, non censetur cadere, nisi super ea, quæ sunt necessariò confitenda.

17. Secundò hic modus probatur à paritate sacramenti Matrimonij, in quo Christus potestatem contulit Christianis coniugibus, vt inter se hoc sacramentum celebrarent per Matrimonialem contractum, non obligando illos ad peculiarem aliquam cęremoniam, in contractu ipso apponendam; nisi illa fuerit ab Ecclesia præcepta: quo præcepto posito, contractus, qui antea legitima erat materia huius

Rubio. | Antoninus. | Nauarrus. | Alensis. | S. Thomas. | Petrus Soto. | Modus verior. | Caietanus. | Syluester. | Nauarrus. | Vrbanus II | Calistus I. | Dionysius I. | Probatur hic modus.

sacramenti, desinit esse legitima materia; idque iure diuino, quoniam sub hac conditione fuit à Christo institutum. Et in hoc ipso sacramento pœnitentiæ ante Concilium Tridentinum approbatio confessarij ab Episcopo non erat ad validitatem huius sacramenti necessaria; quę tamen necessaria est post Concilium. Eadem igitur ratione potuit ante prohibitionem Ecclesię valida fuisse absolutio, collata à Sacerdote pœnitenti voluntariè se submittenti; quę tamen inualida erit post ipsius prohibitionem; idq; iure diuino: nam sub hac conditione potestas hæc collata est Sacerdotibus.

18. Tertiò probatur à priori: quoniam, vt constat ex Tridentino sess. 14. cap. 5. Sacerdotes, vi ordinationis, constituuntur iudices animarum, in causa peccati, in hoc foro pœnitentiali: Iudex autem sine potestate iudicandi intelligi non potest: ergo Sacerdotes, vi suæ ordinationis, accipiunt à Christo potestatem iudicandi peccata fidelium in hoc foro pœnitentiali. Quòd autem hanc potestatem vi ordinationis non accipiant limitatam ad certa peccata, certasque personas, colligitur ex verbis Christi, Ioannis 20. *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Quibus verbis & Apostolis tunc, & Sacerdotibus nunc, ampla traditur sine vlla restrictione potestas absoluendi, & ligandi. Quoniam verò ad debitam subordinationem Ecclesiastici regiminis necessarium erat, hanc potestatem accipere cum dependentia à summo Pontifice, vt ipse posset pro recto regimine, & cura sibi demandata in omnes Christi oues, illam & quoad peccata, & quoad personas limitare, vel omninò suspendere quoad actum secundùm, sub hac conditione hęc potestas collata est Sacerdotibus. Vnde comparantur Sacerdotes iudicibus chartularijs, qui vt testantur Paludanus, Syluester, & Nauarrus, designabantur ab imperatoribus cum plena potestate iudicandi eos, qui sponte vellent se eis iudicandos submittere: cum hoc tamen discrimine: quod illi hanc potestatem iudicandi non accipiebant dependentem in actu secundo, nisi ab ijs, qui sponte vellent se eorum iudicio submittere: Sacerdotes verò potestatem iudicandi peccata accipiunt, dependentem à Christi Vicario, qui pro recta Ecclesiæ gubernatione eam limitare potest, vt magis expedire videbitur publico animarum bono. Quamdiu autem illa à Christi Vicario limitata non fuerit, exerceri poterit in omnes personas, sponte se submittentes. Confirmatur: quia cùm Sacerdos pœnitentem absoluit, non dicit absoluo te authoritate Pontificis, sicut dicit, quando absoluit ab excommunicatione; sed authoritate Dei. Igitur authoritas absoluenti tota est à Christo.

Trident.

Ioannis 20.

Sacerdotes comparantur Iudicibus chartularijs.

Paludanus. Syluester. Nauarrus.

Aliquod inter Sacerdotes & Iudices eiusmodi discrimen.

19. Ex dictis infertur primò discrimen inter hunc, & reliquos modos. Nam primus putat, nulla opus esse potestate iudiciali ex parte principij; sed sufficere solam potestatem ordinis, & iurisdictionem tantùm ex parte termini iudicandi. Hic verò vtramque potestatem & ordinis, & iurisdictionis putat esse necessariam in iudice Euangelico, eamque conferri censet vnicuique Sacerdoti, vi suæ ordinationis, ex Christi institutione.

Discrimen inter hunc vltimum & reliquos modos.

20. Secundus existimat, potestatem ius dicendi in peccata necessariam esse, eamque à Christo conferri vnicuique Sacerdoti vi suæ ordinationis, non sub conditione, sed absolutè. Vnde posita prohibitione Ecclesiæ, solo præcepto Ecclesiastico, & non diuino, Sacerdotem manere suspensum ab actu absoluendi. Quo fit, vt si quis bona fide ad talem Sacerdotem accedat, qui prohibitionem ab Ecclesia habet, ne confessiones excipiat, absolutionem consequatur, fructumque sacramenti percipiat. Noster verò modus docet, huiusmodi quidem potestatem conferri à Christo, sed sub conditione, nisi Ecclesia prohibuerit: qua prohibente, Sacerdos manet suspensus ab actu absoluendi, non solùm pręcepto Ecclesiastico, sed etiam diuino: & per consequens nihil operaretur bona fides pœnitentis in hoc quarto modo.

21. Tertius opinatur, totam potestatem absoluendi a peccatis accipere Sacerdotem, cùm initiatur; non tamen vllam materiæ designationem: quam tandem accipit ab Ecclesia. Hic autem putat, & potestatem absoluendi, & materiam absoluibilem accipere Sacerdotem à Christo; dependenter tamen, immediatè quidem ab ipso pœnitente absoluendo, mediatè verò ab Ecclesia. Vnde materia ipsius erit pœnitens voluntariè se subdens, ab Ecclesia non prohibitus.

Materia Sacerdotis absoluentis quæ sit.

22. Infertur secundò, nullum modum præter nostrum, saluare omnia, quę Theologi docent, de potestate absoluendi à peccatis. Etenim prima sententia non saluat Sacerdotes in sua ordinatione à Deo constitui perfectos iudices animarum, in causa peccati, in hoc foro pœnitentiali: quia iuxta primam sententiam Sacerdotes, cùm ordinantur, non accipiunt completam potestatem iudicandi, & absoluendi.

23. Primus modus secundę sententię non saluat naturam iudiciariæ potestatis, quam habet Sacerdos in ordine ad forum pœnitentiæ: quia hæc non est sola potestas ordinis; sed etiam iurisdictionis in iudicandum, sine qua potestate non posset Euangelicus Iudex ius dicere in peccata sibi sacramentaliter confessa.

Referuntur incommoda trium priorum modorum.

24. Secundus modus non cohærenter theologatur: nam si Christus potestatem absoluendi, quoscunque voluntariè accedentes, absolutè contulit omnibus Sacerdotibus, vi suæ ordinationis; non potuit Ecclesia suo præcepto illam limitare, ne validè absoluant; sicut non potest potestatem Ordinis suspendere, ne validè conficiat, tametsi prohibere possit, ne licitè exerceatur.

25. Tertius

25. Tertius non saluat, quo pacto initio orientis Ecclesiæ omnes Sacerdotes absoluere poterant quoscunque accedentes. Ægrè etiam saluat, quo modo summus Pontifex possit à quouis Sacerdote absolui: quoniam si iure diuino Sacerdos non accipit potestatem absoluendi quemcunque ab Ecclesia nō prohibitum, non facilè apparet, qua ratione possit summus Pontifex dare Sacerdoti iurisdictionem in seipsum, assignando seipsum vt materiam sacramentalis iudicij. Saltem negari non potest, hoc meliùs, & faciliùs saluari in nostro modo.

Ad absolutionem semper necessaria est iurisdictio.

26. Tertiò infertur, de facto semper necessariam esse, ad absoluendum sacramentaliter à peccatis, iurisdictionem, vel ordinariam, vt habent summus Pontifex, Episcopi, & Parochi; vel ex commissione, vt illam habent Religiosi à summo Pontifice, vel ab Episcopo, aut à Parocho in propria Diœcesi, aut Parochia. Fundamentum est: quia de facto est vniuersalis Ecclesię prohibitio, vt constat ex capite *Omnis vtriusque sexus*, vt nemo possit alteri; quàm proprio, vel de licentia proprij, sua peccata confiteri. Nomine autem *proprij* non solùm intelligitur proprius Parochus; sed etiam Episcopus, & summus Pontifex, qui est proprius Sacerdos omnium fidelium. Neque ad hanc potestatem iurisdictionis sufficit ratihabitio futuræ licentiæ, cùm iurisdictio debeat esse præsens, quam non confert ratihabitio futuræ licentiæ. Sufficit autem ratihabitio per externum aliquod signum præsentis consensus sufficienter expressiuum.

Potestas absoluendi necessariò præsupponit potestatem consecrandi. Maior. Gabriel.

27. Infertur quartò: potestatem absoluendi necessariò præsupponere potestatem consecrandi: posse tamen hanc ab illa separari: est Maioris in quarto dist. 19. quæst. 1. & Gabrielis art. 2. conclus. 4. & aliorum. Ratio primi est: quia potestas in corpus Christi mysticum præsupponit potestatem in corpus Christi verum: atqui potestas absoluendi à peccatis, est potestas in corpus Christi mysticum: ergo præsupponit potestatem in corpus Christi verum. Ratio secundi est: quia potestas absoluendi à peccatis confertur tempore posteriùs; quàm potestas consecrandi: igitur est ab illa separabilis. Consequentia patet: quia posset illa collata, hæc non conferri. Antecedens probatur: nam potestatem consecrandi Sacerdos accipit in traditione calicis cum vino, & patenę cum pane, vnà cum prolatione: *Accipe potestatem offerendi sacrificium in Ecclesia pro viuis, & defunctis.* Potestatem verò absoluendi à peccatis accipit in impositione manuum Episcopi simul cum prolatione illorum verborum: *Accipe Spiritum sanctum: quorum remiseris peccata, remittuntur eis, & quorum retinueris, retenta sunt.* Assumptum patet: nam Sacerdos statim post traditionem calicis cum vino, & patenæ cum pane consecrat simul cum Episcopo, cùm tamen nondum per Episcopalium manuum impositionem acceperit potestatem à peccatis absoluendi, quam accipit post consecrationem. Quòd autem in hac Episcopalium manuum impositione, & non antè Sacerdos potestatem accipiat absoluendi à peccatis, constat exemplo Christi: qui potestatem consecrandi Apostolis contulit in cœna per traditionem panis, & calicis consecrati, & illa verba: *Hoc facite in meam commemorationem:* potestatem verò à peccatis ijsdem contulit post suam resurrectionem, per signum insufflatiuum, & verba illa: *Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt.* Verosimile autem non est Ecclesiam per aliud signum potestatem à peccatis absoluendi Sacerdotibus conferre; quàm per quod Christus ipse Apostolis, eorumque successoribus contulit: etsi vtraque potestas & consecrandi, & à peccatis absoluendi per vnicam Episcopalium manuum impositionem ritu Græco conferatur Sacerdoti, vt docuimus tomo præcedente disp. 2. sect. 4. Cæterùm, an potestas à peccatis absoluendi sit character, à charactere ordinis realiter distinctus, an moralis dumtaxat extensio illius, vti de Episcopali potestate pręcedenti tomo docuimus, res est inter Doctores controuersa, & in sacramento ordinis disputanda.

Cur potestas absoluendi separari possit, à potestate consecrandi.

Duæ sunt claues Ecclesiæ.

28. Infertur quartò, quæ, & quot sint claues Ecclesiæ. Dicuntur enim claues quia vim habent aperiendi, & claudendi seras cœlorum, per absolutionem, vel retentionem peccatorum. Sunt autem istæ claues duæ: Altera scientiæ; potestatis altera. Illa præsupponitur ad hanc: quia nemo potest sententiam ferre nisi causa cognita: vnde qui hanc confert, censetur conferre & illam, ad hanc necessariò præsuppositam. Dicitur autem clauis scientię, non habitualis, quę tamen ad rectè iudicandum prærequiritur; sed authoritatis discernendi nimirum inter peccatum, & peccatum.

29. *Obycies* 1. Potestatem ordinis Deus confert independenter à prohibitione Ecclesiæ. Ergo etiam potestatem absoluendi. Secundò, si potestas absoluendi penderet à prohibitione Ecclesiæ, posset per consuetudinem præscribi: atqui nulla consuetudine præscribi potest, vt quis non confiteatur proprio Sacerdoti sine licentia ipsius. Minor constat ex capite, *Si Episcopus*, de pœnitentijs, & remissionibus in 6. Sequela probatur: quia nulla est humana prohibitio, contra quam præscribi non possit: solùm enim contra ius naturale, & diuinum præscribi non potest. Tertiò. Si quis Sacerdos iure diuino completam haberet iurisdictionem in foro pœnitentiæ, posset Parochus excommunicatus concedere, vt Sacerdos validè absolueret suos Parochianos: quia non oporteret in illum transfundere aliquam iurisdictionem, cùm totam iurisdictionem habeat à Christo: sed solùm auferret ab illo impedimentum Ecclesiasticæ prohibitionis.

30. Respondeo ad primum Negando consequentiam. Etenim maior ratio fuit, cur

cur potius potestas absoluendi; quàm consecrandi, daretur dependenter à prohibitione Ecclesiæ: quia illa concernit iurisdictionem, non autem hæc. Omnis autem iurisdictio priuata subordinari debet publicæ, ne illam pertubet.

Quando contra Ecclesia prohibitionem possit præscribi.

31. Ad secundum, distinguo maiorem: Tunc potest contra Ecclesiæ prohibitionem præscribi, quando prohibitio est ab Ecclesia principaliter, secus quando est ab Ecclesia conditionaliter: vti est in casu proposito: in quo Ecclesiæ prohibitio est sola conditio, qua posita ius ipsum diuinum prohibet, ne vtamur potestate, sub hac conditione à Christo concessa. Hinc soluitur alia difficultas, quo pacto confiteri proprio Sacerdoti sit de iure diuino, cùm tamen iure diuino vnusquisque habeat facultatem eligendi sibi in confessarium, quem voluerit, nisi ab Ecclesia prohibeatur: nam posita prohibitione Ecclesiæ, ille Sacerdos erit iure diuino proprius confessarius, quem Ecclesia ipsa assignauerit.

32. Ad tertium, nego sequelam. Nam illa absolutio Ecclesiasticæ prohibitionis cùm sit actus quidam iurisdictionis, non poterit à Parocho excommunicato exerceri. Ad Fundamentum primę sententiæ respondet Vasquez. Concilium appellare iurisdictionem ordinariam, aut delegatam, non potestatem aliquam, quæ se teneat ex parte principij: nam illam accipit Sacerdos à Christo, in ipsa susceptione ordinis: Sed quę tantùm se teneat ex parte materiæ assignandæ, vel via ordinaria per assignationem Episcopatus, aut Parochiæ; vel extra ordinaria ex commissionis superioris. Nam posita prohibitione, necessaria est nunc assignatio materiæ, quæ fit authoritate Pontificis.

33. Ad confirmationem, dico, soli Petro dictum esse: *Pasce oues meas*, tum quia soli Petro collata fuit hęc potestas, absolutè, & inimpedibiliter, reliquis verò conditionatè, & impedibiliter ab ipso summo Pontifice: tum quia soli Petro eiusque successoribus collata fuit simul cum hac, potestas etiam pascendi oues doctrinâ, & coërcendi illas in foro externo per censuras Ecclesiasticas: tum quia soli Petro, eiusque successoribus collata est vniuersalis iurisdictio & potestas totius Ecclesiastici regiminis.

34. Ad primum modum secundæ sententię, patet ex dictis. Ad primum argumentum secundi respondeo, Sacerdotem vi ordinationis constitui iudicem arbitrarium inter Deum, & peccatores; sed cum plena subordinatione ad Prælatos Ecclesię, quod erat necessarium ad rectum ordinem Ecclesiastici regiminis. Ad reliqua constat ex dictis. An autem possit Ecclesia prohibere, ne quis Sacerdos in extrema necessitate validè absoluat, concedunt Maior, & Vasquez. Negant verò Durandus, & Canus relectione de pœnitentia parte 5. ad secundum, & Angelus V. *Confessio* 3. numero 2. & alij. Quibus magis assentior: quia vt rectè Durandus, nunquam intelligitur priuilegium concessum capiti in destructionem; sed in ædificationem membrorum, cùm caput sit propter membra. Quę doctrina intelligenda est de omnibus Sacerdotibus, etiam suspensis, degradatis, apostatis, & hæreticis, vt habet communis sententia. Ad tertium modum patet ex dictis.

Maior. Vasquez. Durandus. Canus. Angelus.

Priuilegiũ capiti conceditur in ædificationem membrorum & non in destructionem.

SECTIO II.

De iurisdictione ad forum pœnitentiæ requisita.

35. Etsi omnem absoluendi potestatem in hoc foro pœnitentiali Sacerdos habeat à Christo in ordinis susceptione: quia tamen illam habet dependenter in actu secundo à Vicario Christi, qui pro recto regimine illam potest impedire, & de facto impediuit per multos canones, præsertim, per caput *Placuit* dist. 6. & per caput *omnis vtriusque sexus*: posita autem vniuersali prohibitione Pontificis, potestas ipsa absoluendi iure diuino manet suspensa in Sacerdote, donec accedat facultas, & licentia ab ipso Pontifice, ad vsum talis potestatis exercendum. Quæ licentia, & facultas etsi non addat nouam potestatem absoluendi, pristinam tamen reddit expeditam, & efficacem ad suum effectum operandum, tollendo impedimentum, quod erat canonicè appositum. Quæ impedimenti sublatio in moralibus æquiparatur potentiæ: quia reddit principium ad actum secundum expeditum, & ad operandum idoneum, quod antea ratione prohibitionis erat impeditum, & ad operandum ineptum, non defectu alicuius principij; sed conditionis: propterea de illo loquimur tanquam de potentia morali in actu primo conferente ius, & principium operandi. Porrò multa de hac potestate iurisdictionis quæri solent, quæ nos breuiter expediemus.

Quotuplex sit hæc iurisdictio?

Florent. Concilium & Trident.

Iurisdictio est duplex.

36. Respondeo ex Florentino in decreto de vnione Armenorum §. *Quartum sacramentum*, & Tridentino sess. 14. cap. 7. esse duplicem, ordinariam, & delegatam. Illa est, quæ cum munere Pastoralis officij est necessariò annexa: hęc habetur ex concessione ipsius, qui est ordinarius Pastor pœnitentis. Ratio primi est: quia omnis iurisdictio fori pœnitentialis per se ordinatur ad salutem animarum: ergo illa est necessariò connexa cum officio, & munere Pastoris, cuius est intendere saluti animarum. Ratio secundi: quia vnusquisque delegare potest alteri authoritatem, quam habet in se.

37. Dices.

Cur potestas iurisdictionis delegari possit, non item consecrandi.

37. Dices. Non potest Sacerdos potestatem consecrandi, quam habet, alteri non Sacerdoti delegare: ergo nec potestatem iurisdictionis. Respondeo primò negando consequentiam: quoniam potestas consecrandi fundatur in charactere Sacerdotali, quem Sacerdos alteri communicare non potest: Potestas verò iurisdictionis fundatur in superioritate, & subiectione, quam potest superior alteri communicare. Respondeo secundò, neque posse potestatem à peccatis absoluẽdi alteri; quã Sacerdoti delegari, nam hęc Sacerdotalem charactẽrẽ supponit.

In quibus reperiatur potestas ordinaria.

38. Ex his deducitur primò; ordinariam potestatem reperiri in summo Pontifice, in Episcopis, in Parochis: in summo Pontifice absolutè, & sine vlla dependentia ab aliquo mortalium: in Episcopis cum dependentia à summo Pontifice: in Parochis cum dependentia ab vtrisque. Ad primum ordinem reducitur summus pœnitentiarius Pontificis, & ipsius legatus à latere, quibus cum ipso munere communicatur authoritas Pontificia quoad iurisdictionem in hoc foro. Ad secundum reducuntur Vicarij Episcoporum; Abbates exempti, Generales, & Prouinciales Religionum, qui Episcopalem quasi iurisdictionẽ in suos subditos participant. Ad tertiũ ordinem reducuntur perpetuus Vicarius Parochi, Archipresbyteri, & immediati superiores Religionum, & quibus ex iure; vel ex priuilegio commissa est immediata cura animarum.

39. Deducitur secundò, quemlibet superiorem habere iurisdictionem in inferiorem, & in omnes subditos ipsius; nullum verò inferiorem exercere posse iurisdictionem, quam habet in suos subditos, cõtradicente superiore. Quare potest Episcopus, contradicente Parocho, & Pontifex, contradicente Episcopo, suam iurisdictionem exercere in subditos Parochi, & Episcopi: non autem potest Parochus, aut Episcopus suã iurisdictionem exercere in subditos, contradicente Episcopo, aut Pontifice. Cæterùm Archiepiscopus non est superior Episcopi, neque in ipsius Diœcesim iurisdictionem exercere potest, nisi tantùm tempore visitationis, quo solo suffraganei subditorum confessiones audire potest, vt definit Bonifacius VIII. capite vltimo de censibus in sexto.

Bonifacius VIII.

40. Deducitur tertiò nõ solùm Parochum respectu suæ Parochię; sed etiam Episcopum respectu suæ Diœcesis, & Pontificem respectu omniũ fidelium esse proprium Sacerdotem: alioquin Parochianus annuam confessiõnem faciens cum Episcopo, aut Papa, vel de horum licentia confitens alteri; quàm proprio Parocho, non satisfaceret Ecclesiastico præcepto de cõfitendo semel in anno proprio Sacerdoti, aut de licentia proprij alteri iuxta decretum Concilij Lateranensis capite *omnis vtriusque sexus*. Quicunque igitur ordinariam iurisdictionem habet, est proprius Sacerdos: Contrà verò alienus est qui ordinariam iurisdictionem non habet, quod intelligitur respectiuè ad pœnitentem.

Concilium Lateranẽse. Quis sit proprius Sacerdos.

41. Deducitur quartò, hanc iurisdictionem tamdiu durare in Parocho, in Episcopo, in Pontifice, quamdiu in eis durat officium Pastoris, quo cessante, cessat iurisdictio. Vnde si Parochus, Episcopus, aut Pontifex Parochianatum, Episcopatum, aut Papatum renuntiet, statim in eis cessat ordinaria iurisdictio: nam hæc annexa est officio Pastoris, cum quo sicut incipiente incipit, ita cessante cessat.

Iurisdictio immediatè terminatur ad personas.

42. Deducitur quintò, hanc iurisdictionem immediatè non terminari ad loca; sed ad personas: quia cùm sit iudicium sacramentale, per se tantùm ordinatur ad bonum priuatum personæ; vnde non pendet à loco; sed à persona. Quo fit, vt etiam extra propriam Diœcesim subditus iudicari, & absolui possit à proprio Sacerdote. Contrà verò persona alienæ Diœcesis, neque ratione delicti fit subdita in hoc foro Sacerdoti alterius Diœcesis: sicut ratione delicti persona fit subdita Sacerdoti alterius Diœcesis, ad subeundas omnes pœnas, etiam spirituales in foro externo latas, vt habetur titulo de Raptoribus cap. 1.

Quis sit immediatus Sacerdos respectu singulorum fidelium?

43. Dixi *immediatus*: nam mediatus respectu omnium & singulorum fidelium est Pontifex, sicut respectu totius Diœcesis est Episcopus. Sola difficultas est de immediato, qui est Parochus.

44. Dicendum igitur est, singulos fideles illi Parocho in hoc foro subdi, in cuius Parochia firmum habet domicilium. Est omnium, & apertè colligitur ex capite vltimo de Parochijs vbi statuitur, eum, qui ex vno loco in alium domicilium transtulit, iudicari debere ab Episcopo illius loci, in quem domicilium transtulit.

Maior.

45. Hinc infertur, qui duplex habet domicilium, vel quasi domicilium, confiteri posse alterutri Parocho, cui libuerit: est Maioris in quarto dist. 19. q. 1. circa finem, & aliorum. Vnde milites, studiosi, & Mercatores confiteri possunt Parocho illius loci, in quo reperiuntur. Vagabundi verò, cùm nullum firmum habeant domicilium, confiteri tenentur in loco, in quo actu vagantur. De Peregrinis autem docet Caietanus in summa verbo *Absolutio* 2. Eugenium IV. viuæ vocis Oraculo declarasse, eos in Paschate confiteri, & communicare posse in loco; vbi repèriuntur tanquam incolas illius loci. Quòd si possunt in Paschate à fortiori poterunt reliquo ànni tempore, quoad confitendum non obligantur: est enim tacita quædam licentia proprij Sacerdotis: modò talis perigrinatio non fiat in fraudem confitendi alieno, relicto proprio. Hinc infertur, quando Parochiani ex vna Parochia deuotionis causa eunt ad visitandum templum alterius Parochiæ, ex tacita

Caietanus. Eugenius IV.

ex tacita licentia proprij Parochi, posse eos Parocho alterius Parochiæ confiteri.

46. Ab hac regula excipitur familia Pontificis, quæ immediatè subijcitur Pontifici, & Cardinales, eorumque familia; nec non Religiosi, & Moniales, quæ immediatè subijciuntur proprio superiori.

Quinam possint in hoc foro Pœnitentiæ iurisdictionē delegare?

47. RESpondeo, omnes, qui illam ordinario Iure possident: colligitur ex capite *Omnis vtriusque sexus*: vbi dicitur, quod *Si quis alieno Sacerdoti voluerit iustâ de causa sua confiteri peccata, licentiam priùs postulet, & obtineat à proprio Sacerdote.* Quæ verba supponunt, iurisdictionem confitendi posse alteri delegari. Ratio verò est. Quia qui ordinario iure illam possidet, pleno iure possidet, atque adeò cum potestate illam delegandi, quod est vnum ex principalibus Iuribus, quo illa possidetur. Sub his, qui possunt hanc iurisdictionem delegare, cōprehenduntur summus Pœnitentiarius Pontificis, Legatus à latere, Vicarius Generalis, Nuntius Apostolicus, Vicarij Episcoporum, Superiores Religionum, & perpetuus Vicarius Parochi, & Archiepiscopus in Visitatione. Est Henriq. lib. 3. de sacramento Pœnit. cap. 7. num. 3. nam cùm ij omnes pleno iure hanc potestatem recipiant, illam recipiunt cum facultate etiam alijs delegandi. Nomine Episcopi, & Parochi intelliguntur etiam electi, etiamsi nondum sint Sacerdotes: cùm actus delegādi sit distinctus ab actu absoluendi, & vnus possit ab alio separari.

Henriquez.

Actus delegandi distinctus est ab actu absoluendi.

48. Hinc deducitur 1. delegatum non posse alteri potestatem subdelegare, vt definit Honorius III. capite *cùm Causam* de appellationibus: vbi facultatem subdelegandi iurisdictionem delegatam solùm extendit ad delegatos Principum. Quam Glossa extendit etiam ad delegatos super vniuersas causas. Ratio est: quia qui accipit iurisdictionem ad audiendas confessiones, non eo ipso accipit potestatem illam delegandi, cùm audire confessiones, & delegare iurisdictionem audiendi confessiones, sint actus distincti, & vnus separabilis ab alio. Quod intelligitur, quādo Pastor Ordinarius in concessione nil aliud exprimit, quàm facultatem audiendi confessiones: alioquin si vellet, posset cum facultate audiendi confessiones, potestatem etiam subdelegandi concedere, vt cum multis aduertit Suarez disput. 26. sect. 1. num. 24.

Honorius III.

Suarez.

49. Deducitur 2. hanc iurisdictionem à Pontifice delegari posse in perpetuum, non autem à reliquis inferioribus Prælatis, nisi ipsis viuentibus: quia in solo Pontifice residet ius vniuersale, non solùm quoad personas, quibus delegatur; sed etiam quoad modum, quo ipsa iurisdictio delegatur, vt constat ex priuilegijs concessis Religiosis. Est contra Suarez disputatione citata sect. 3. qui docet non solùm à summo Pontifice; sed etiam ab Episcopo, hanc facultatem absoluendi, in hoc foro pœnitentiali delegari posse in perpetuum: cuius fundamentum est: quia hæc est gratia, quæ non exspirat morte concedentis.

Suarez.

50. Deducitur 3. Qui iurisdictionem delegatam habet à Pontifice, posse confessiones audire vbique terrarum, nulla licentia petita ab Ordinarijs locorum: sicut qui delegatam habet ab Episcopo, potest in tota Diœcesi. Non solent tamen huiusmodi licentiam concedere, nisi Ordinarijs, & Parochis non inuitis, & non repugnantibus: vt constat ex Bulla Gregorij XIII. in qua concedit Societati IESV facultatem absoluendi quoscunque accedentes, modò non repugnent Ordinarij locorum.

Greg. XIII

51. Deducitur 4. Omnes, qui possunt iurisdictionem in hoc foro delegare, posse etiam facultatem eligendi confessarium concedere: Cùm non maior iurisdictio, requiratur in vno, quàm in alio: nec maiorem effectum habeat vna quàm alia.

52. Deducitur 5. Non posse excommunicatum iurisdictionem delegare cap. 1. de officio Vicarij. in 6. Ratio: quia excommunicatio priuat excommunicatum vsu iurisdictionis Ecclesiasticæ, atqui delegare iurisdictionem in foro pœnitentiæ, est actus Ecclesiasticæ iurisdictionis. Hoc autem intelligendum est de excōmunicato, quem iuxta Concilium Constantiense vitare tenemur: nempe nominatim denunciatum, & publicum Clerici percussorem, non autem de reliquis: si tamen excommunicatus iurisdictionem delegauit ante excommunicationem, valida est delegatio. Neque amittitur accedente excommunicatione. Quòd si iurisdictio delegetur à Papa, vel ab Episcopo sub conditione, ne repugnet Parochus, potest Parochus iure dare consensum, etiamsi sit excommunicatus: quia non confert iurisdictionem; sed est sola conditio, sine qua non.

Excommunicatus non potest iurisdictionem delegare.

De quo excōmunicato sit intelligendum.

Quibus hæc iurisdictio delegari possit?

53. RESpondeo: si delegetur sine facultate subdelegandi, non potest nisi solis Sacerdotibus ab Ordinario approbatis: si verò cōceditur cū facultate eam subdelegandi, poterit etiam non Sacerdoti delegari. Ratio primi est: quia tunc non delegatur nisi vsus excipiendi confessiones, qui necessariò præsupponit potestatem Ordinis, & approbationem Episcopi. Ratio verò secūdi est: quia tūc immediatè non delegatur vsus excipiendi confessiones; sed vsus subdelegandi facultatem excipiendi confessiones, ad quod non requiritur potestas Ordinis; sicut nec requiritur

Quando soli Sacerdoti, & quando et laico delegari possit iurisdictio.

ritur in ipso principali delegante. Hinc,

54. Deducitur: Excommunicatum nominatim denunciatum,& publicum clerici percussorem non esse capacem iurisdictionis absoluendi: quia iste iure Ecclesiastico suspenditur ab vsu absoluendi in foro pœnitentiali: igitur non est capax iurisdictionis delegatæ: quia iurisdictio delegata concedit solùm vsum absoluendi in hoc foro: ergo qui est incapax vsus absoluendi, est incapax iurisdictionis delegatæ.

Quinam habeant facultatem in iure eligendi sibi confessarium absque licentia superioris.

55. Respondeo. Iuxta caput vlt. de pœnitentia & remissionibus. Omnes Episcopi, eorumque superiores;& inferiores Prælati exempti, gaudent hoc priuilegio, vt possint sine sui superioris licentia confessarium sibi eligere: Nomine Episcopi, non venit electus,& non consecratus, cùm hic nondum sit verè Episcopus; venit tamen consecratus, etiamsi nondum iurisdictionem & Episcopatum acceperit. Legatur Suarez disp. 27. sect. 2. num. 5. Quod Henriquez extendit etiam ad Episcopum, qui consecratus Episcopatui renuntiauit, lib. 3. de pœnit. cap. 13. sub Episcopo Henriquez comprehendit eius Vicarium; Angelus, & Syluester etiam Cardinales: cùm sint superiores Episcopis; & Parochos: licet Suarez quoad Parochos non approbet, eò quòd in iure non dicantur Prælati. Nomine verò exempti veniunt non solùm Abbates, Episcopalem habentes iurisdictionem;sed omnes Prælati Religionum; etiam immediati: quia hi sunt exempti à iurisdictione Episcoporum. Nullo tamen pacto nomine superioris intelligitur Abbatissa, quantumuis exempta: quia hæc nunquam venit nomine Prælati.

Qui nomine Episcopi intelligantur.

Suarez. Henriquez.

Angelus. Syluester.

Qui nomine exempti comprehendantur.

56. Deducitur 1. hoc priuilegio vti posse etiam Prælatos excommunicatos: nam hæc iurisdictio absoluendi non confertur in confessarium ab ipso eligente; sed à Pontifice.

57. Deducitur 2. Hoc priuilegium non extendi ad casus reseruatos,& censuras. Cap. *Si Episcopus*, de pœnitentijs & remissionibus in 6. Cuius rationem reddit Pontifex: quia in generali concessione illa non veniunt. quæ non esset quis verisimiliter in specie concessurus. Extendit tamen ad casus reseruatos ab ipso eligente.

58. Deducitur 3. Vi huius priuilegij non posse Prælatos eligere sibi quemcunque confessarium; sed approbatum ab ordinario, iuxta decretum Tridentinum, vel ab ipso superiore Religionis, si Prælatus eligens sit Religiosus.

59. Notandum hic est priuilegium, quod ex Roder. refert Suarez tomo 4. de Relig. lib. 2. cap. 19. num. 7. concessum Fratribus Minoribus,& consequenter reliquis Religiosis, qui per communicationem illud participant, vt possint semel eligere de eadem obseruantia confessorem, qui de omnibus peccatis reseruatis, & censuris possit eos absoluere, imò & dispensare in irregularitatibus, excepto homicidio, & mutilatione voluntaria. Quo tamen priuilegio vti non possunt Religiosi nostræ Societatis, absque licentia Præpositi Generalis: cùm nullum priuilegium vim habeat in Societate, nisi vt communicatum à Præposito Generali, vel ab alio ab ipso designato, vt habetur in Bulla Gregorij XIII. de vsu facultatum.

An in aliquo casu fideles ius habeant eligendi sibi confessarium?

60. Respondeo. In solo casu ignorantiæ confessoris. Cap. *placuit* de pœnitentijs dist. 6. tunc enim licitum est, sine licentia proprij Sacerdotis, alieno confiteri. Addunt Rich. in 4. dist. 17. art. 3. q. 7. Henriquez & alij in casu, quo proprius Sacerdos iniustè negat licentiam pœnitenti alteri confitendi: nam tunc licentiam censetur dare summus Pontifex, vel alius superior.

Richardus. Henriquez.

An aliqui habeant ex sola consuetudine ius eligendi confessarium?.

61. Respondeo Negatiuè. Constat ex cap. *Si Episcopus*, de Pœnit. remissionibus in 6. vbi definitur, nulla consuetudine introduci posse, quod aliquis præter sui superioris licentiam confessarium sibi eligere valeat, qui eum soluere possit,& ligare. Fundamentum: quia hoc est de iure diuino, contra quod nulla præualet consuetudo. Vnde si qua alicubi extat talis consuetudo, potiùs est signum concessæ, & nunquam interruptæ facultatis; quàm pura consuetudo: qualis est consuetudo in Sacerdotibus mutuo sibi confitentibus. Neque enim sola necessitas præmittendi confessionem ante communionem, conferre potest iurisdictionem, in eum qui iurisdictionem non habet. Quare dicendum, huiusmodi consuetudinem fundatam esse in mutuo consensu Parochorum. Sicut qui putant nomine Prælati, non venire Parochos, consuetudinem, quæ inter ipsos est, eligendi sibi confessarium, dicunt originem duxisse à consensu Episcoporum, cuius signum est ipsa consuetudo. Eadem ratio esse potest de peregrinantibus ex diuersis Parochijs ad aliquem pium locum.

De facultate eligendi confessarium ab homine concessa.

Duplex est facultas eligendi confessarium.

62. Duplex est facultas eligendi confessarium: altera in iure concessa, quæ annexa est dignitati prælationis: altera ab homine, quę conceditur per Bullam, vel Iubilæum. Hactenus de prima, nunc breuiter de secunda. Quę, qualis, & quàm ampla sit, colligendum est ex verbis concessionis.

63. Certum 1. est: illam non extendi ad casus, & censuras reseruatas Pontifici, nisi peculiariter exprimatur: vt constat ex præcit. capite, *Si Episcopus* quin neque extēditur ad casus, & cēsuras Episcopales, vt declarauit Benedictus II. Extrauagante *inter Cunctas.*

Benedictus II.

64. Certum est 2. illam non extendi ad irregularitates, vt idem Pontifex ibidem expressit: neque ad commutationem Votorum.

65. Certum est 3. Illam non finiri donec compleatur actus, ad quem conceditur, nam in ordine ad illum conceditur priuilegium: alioqui frustra esset concessum: vnde si pœnitens non potuit cum vno confessore electo confessionem absoluere, poterit alium, & alium eligere, donec confessionem perficiat, etiamsi vi confessionis non possit, nisi ad vnam confessionem vnum duntaxat confessarium eligere.

Quando priuilegium exspiret morte concedentis.

66. Difficultas superest: an & quando priuilegium concessum ab homine expiret morte concedentis. In qua re dicendum est: quando illud cōceditur sine clausula limitante ad certū tempus, non expirare morte cōcedentis: quia cū sit priuilegium cōcessum à Pontifice, qui potestatem habet illud perpetuandi post suam mortem, si expressè non limitetur, non est cur debeat expirare, cùm hoc sit contra naturam priuilegij, quod semper interpretandum est in fauorem priuilegiati. Cæterùm duplex clausula apponi solet, *vsque ad beneplacitum nostrum*, & tunc ex communi sententia Iuristarum expirat morte concedentis: altera est, *vsque ad beneplacitum nostræ sedis*, & tunc, quia sedes est perpetua, quæ continuatur in successoribus, non expirat morte concedentis. Sed vnde, mortuo concedente priuilegium habet vim? Nam quando priuilegiatus eligit confessarium, concedens est mortuus. Atqui tunc debet conferri iurisdictio confessario electo, quæ non potest tunc, mortuo concedente, conferri. Respondeo: conferri iurisdictionem vi priuilegij antea concessi: quia cùm Pontifex habeat potestatem concedendi iurisdictionem perpetuam, ex iure, quando illam concedit, transfert in confessarium eligendum vi priuilegij concessi. Ex his,

Duplex clausula apponi solet priuilegio.

Vnde priuilegii mortuo concedente vim habeat.

67. Infertur Excommunicatum vti posse hoc priuilegio, quia iurisdictionem non confert ille, qui confessariū eligit, sed qui priuilegium concedit: Non posse tamē eligi confessarium excommunicatum, imò nec quemcunque, sed ab Ordinario approbatū, quia priuilegium non præiudicat iuribus communibus.

An Prælati Societatis Iesu facultatem habeant eligendi sibi confessarium extra, vel intra Religionem?

Ratio dubitandi.

68. Ratio dubitandi est: quoniam, vt constat ex capite vltimo de pœnitentijs, & remissionibus, ius concedit facultatem omnibus Episcopis, & reliquis Pręlatis inferioribus eligendi sibi confessarium, etiam præter licentiam proprij superioris: *Ne pro dilatione*, inquit, *pœnitentia periculum immineat animarum, permittimus Episcopis, & alijs superioribus, nec non minoribus Prælatis exemptis, vt etiam præter sui superioris licentiam, prouidum, & idoneum sibi possint eligere confessorem.* Atqui sub nomine Pręlatorum exemptorum intelliguntur etiam superiores nostræ Societatis: ergo etiam superiores nostræ Societatis gaudent hoc priuilegio, vt etiam præter licentiam sui superioris, eligere sibi possint idoneum confessarium, tam intra, quàm extra Religionem.

Diana.

69. Confirmatur 1. Quia, vt cum multis notat Diana tract. 2. de dubijs regularium resol. 1. Priuilegium in corpore iuris insertum, habetur pro lege firma, ac stabili, quæ nunquam intelligitur reuocari, nisi de illa fiat expressa mentio. Nullibi autē in nostro iure fit expressa mētio de reuocatione huius priuilegij in ordine ad superiores: ergo quoad superiores adhuc manet in suo robore, & vigore.

70. Confirmatur 2. Nam omnes superiores Societatis habent in hoc foro pœnitentiali Ordinariam potestatē absoluendi omnes suos subditos; cùm sint proprij animarum Pastores: cui muneri per se annexa est hæc potestas absoluendi à peccatis. Sed qui habet Ordinariam potestatem, potest illam alteri delegare, vt est communis Doctorum sententia. Igitur superiores Societatis possunt ordinariam potestatem, quam in suos subditos habent, alteri delegare, ab eoque in foro cōscientię absolui.

Greg. XIII.

71. Confirmatur 3. Nam superiores Societatis possunt suis subditis concedere facultatem eligendi sibi confessarium tam intra, quàm extra Societatem, vt constat ex Bulla Gregorij XIII. edita anno 1575. 3. Maij; ergo eâdem vti possunt pro se: nam quidquid potest superior cū suis subditis, potest pro se, vt constat de Episcopo, qui quoad omnes casus, à quibus potest absoluere suos subditos, potest per delegatam potestatem alteri communicatam & ipse absolui. Pro explicatione huius controuersiæ,

72. Dico 1. Nullus superior nostræ Societatis, infra Generalem, habet potestatem eligendi sibi confessarium intra, vel extra Societatem, absque licentia Generalis, nisi in casu itineris, aut alterius necessitatis, in quo habere non posset proprium confessarium à superiore deputatum. Prioris assertionis partis fundamentum est propria

Societatis

Societatis Constitutio explicata in tertia p. constit. cap. 1. §. 11. & in 6. p. ca. 3. §. 2. confirmata à Paulo III. per specialem Bullam, quæ præcipit, confessarium nostrorum debere esse à superiore constitutum: *Quilibet*, inquit Pontifex, *ex Socijs Societatis huiusmodi peccata sua proprio Præposito, vel ab eo deputato, seu deputatis, & aliàs secundùm Ordinationes Societatis prædictæ designatis, confiteri debeat.* Cùm igitur reliqui superiores, infra Generalem, habeant superiorem ipsum Generalem, qui in citata Bulla appellatur Præpositus, tenentur hanc constitutionem seruare, & non seruando extra casus assignatos, non essent legitimè absoluti; Quia cùm legitima absolutio supponat Iurisdictionem in absoluente; cumque hæc Iurisdictio in confessarijs nostræ Societatis per Bullas Pontificias, & constitutiones eiusdem Societatis pendeat à supremo Præposito eiusdem, non poterunt inferiores superiores ab alijs confessarijs, quàm à Generali assignatis legitimè absolui. Confirmatur: nam de facto tam superioribus localibus; quàm Prouincialibus assignatur proprius confessarius, superioribus quidem localibus à Prouincialibus, Prouincialibus verò ab ipso Generali. Ergo tenentur his, & non alijs iuxta Societatis constitutiones à Sede Apostolica approbatas, & confirmatas, confiteri: non minùs, quàm tenentur confiteri sæculares proprio Sacerdoti à Pontifice designato.

Paulus III.

73. Posterior assertionis pars constat tum ex Bulla Gregorij XIII. suprà citata, in qua Pontifex nostris iter agentibus facultatem concedit eligendi sibi confessarium: tum ex speciali concessione ipsius Præpositi Generalis, qui hanc facultatem eligendi sibi confessarium in sexta Ordinatione Præpositorum Generalium pro superioribus, & confessarijs §. 6. concedit omnibus nostris iter agentibus. Nam quamuis hæc facultas nostris concedatur quoad casus reseruatos cum onere sistendi se superiori, ad quem ituri, vel redituri sunt; quoad reliqua verò peccata non reseruata conceditur absolutè, absque vlla obligatione, ea superiori, vel proprio confessario reconfitendi: vt ex ipsa concessione constat, quæ tantùm loquitur de reconfessione reseruatorum. Et licet in 3. p. const. cap. 1. in declaratione l. 9. dicatur, quod *qui alij, quam suo confessario designato confiteatur, debeat postmodum (quantum recordari poterit) eidem suo confessario totam suam conscientiam aperire*: id tamen non imponitur sub præcepto, adeò, vt si non fiat, reincidat in nouum peccatum; sed tantùm sub consilio, tanquam medium ad maiorem perfectionem status Religiosi, vti est regula de confessione Generali quolibet semestri à Scholasticis approbatis, vel quotannis à Professis, & coadiutoribus facienda. Idque non obscurè colligitur ex fine, ad quem talem peccatorum reconfessionem constitutio dirigit: *Vt nihil*, inquit, *ignorando, quod ad eam*, scilicet conscientiam, *pertineat, meliùs in Domino possit eundem iuuare.* Atque ita hanc regulam interpretatur Doctissimus Pater Suarez tomo 4 de Relig. lib. 8. cap. 4. numero 5. Et ratio id etiam conuincit: quia cùm supponantur per præcedentem confessionem huiusmodi peccata absolutè remissa, vt constat ex concessione Præpositi Generalis, in qua de solis peccatis reseruatis datur facultas confitendi cum onere eidem superiori, vel alteri de licentia superioris reconfitendi, non erunt ampliùs necessaria materia confessionis. Confirmatur. Nemo tenetur sub pœna noui peccati reconfiteri peccata semel in confessione directè, & absolutè remissa: sed peccata per delegatam potestatem absque conditione concessam, sunt directè, & absolutè remissa: ergo nemo tenetur sub pœna noui peccati ea reconfiteri. Maior est communis Theologorum sententia fundata in Iure diuino, quod semel tantùm obligat ad peccata directè confitenda. Minor probatur: nam qui absolutè potestatem absoluendi alteri delegat, directam & absolutam potestatem illi concedit super omnia peccata, super quæ suam potestatem delegat: Cùm igitur superior absolutè suam potestatem deleget Sacerdoti, quem subditus in confessarium sibi eligit, non poterit sub pœna peccati obligari ad eadem peccata reconfitenda.

Greg. XIII

Suarez.

74. Demum hanc facultatem eligendi sibi confessarium Religiosis iter agentibus concesserunt Sixtus IV. Innocentius VII. Clemens VII. & Leo X. apud Dianam tract. 2. de dubijs Regularium Resol. 2. Quod & institutio huius sacramenti dictat. Cùm enim hoc sacramentum institutum sit, vt non modò ad salutem necessarium; sed ad quotidianum animæ profectum valde vtile, debet vnicuique esse obuium, vt non tantùm in extrema necessitate; sed etiam in quauis magna vtilitate esse ad manus omnium Fidelium, ac præsertim Religiosorum, qui ex proprio instituto animi profectum intendunt.

Sixtus IV. Innoc. VII. Clemens VII. Leo X.

75. Cæterùm notandus est Ordo, quem in prædicta concessione noster Præpositus Generalis præscribit pro iter agentibus, vt si possit haberi confessarius in aliquo loco à superioribus designatus, illi sit confitendum: si verò hic haberi non possit, confitendum sit alicui è Societate: quod si neque talis haberi possit, confiteri poterit externo Sacerdoti. Qui ordo necessariò seruandus est non solùm quoad absolutionem à reseruatis; sed etiam à non reseruatis. Nam sub hac conditione superior facultatem concedit subdito eligendi sibi confessarium. Ratio est: quia cùm hæc facultas pendeat à voluntate superioris, non poterit pœnitens aliter illa vti; quam vt concessio ipsa superioris præscribit. Solùm videtur esse liberum peregrinanti, quando aliter à superiore non præscribitur, alterutri confiteri vel socio, si secum illum ducit, vel Ordinario confessori loci Societatis, per quem transit. Nam in tali casu voluntas superioris non magis

Quis Ordo seruandus sit ab iter agentibus in eligendo confessario.

Suarez. excludit vnum; quàm alium. Legatur Suarez tomo 4. de Relig. lib. 2. cap. 17. n. 4.

76. Petes: an etiam Prouinciali liceat alterutri confiteri, vel Sacerdoti sibi à generali assignato, vel Ordinario loci, quem ipse pro cæteris assignat? *Ratio dubitandi.* Ratio dubitandi est: quoniam qui à superiore habet plenam potestatem assignandi pro aliqua commoditate confessarium, sub tali communitate, comprehenditur etiam ipse, qui potestatem accipit, cùm non sit ipse deterioris conditionis, quàm sint alij in eadem communitate existentes. Ex alia verò parte, cum Prouincilis proprium habeat confessarium à Generali sibi assignatum, non videtur ipsi liberum alterutri confiteri, sed ei tantùm, quem Præpositus Generalis sibi assignauerit.

78. Respondeo, posse Prouincialem, etiamsi proprium habeat confessarium à Generali deputatum, confiteri quoad peccata non reseruata Ordinario confessario loci, quem ipsemet pro cæteris designauit, vt probat prior ratio dubitandi. Nam qui ordinariam potestatem à superiore accipit, nisi expressè aliud præscribatur, accipit illam cum potestate delegandi alteri. Atqui Prouincialis Ordinariam potestatem deputandi confessarios à Generali accipit absque vlla restrictione; ergo quoad peccata non reseruata, ea vti poterit pro se. Neque assignatio proprij confessarij, facta à Generali, est sufficiens causa illum excludendi, quin alteri etiam, à se deputato, confiteri possit: nam ille est tantùm deputatus pro reseruatis, circa quos nihil potest confessarius Ordinarius à Prouinciali designatus. Id ipsum non obscurè colligitur ex ordinatione Claudij Præpositi Generalis pro instructione superiorum, & confessariorum §. 6. vbi loquendo de confessarijs Nostrorum pro reseruatis, ita concludit: *Idem quoque ipsorum Prouincialium confessarijs, cùm præsens non esset is, qui ad eum finem à Generali esset destinatus*, Adde tu, *seruandum est*, vt videlicet eos à reseruatis absoluat cum obligatione sistendi se ei, qui ad hunc finem est à Præposito Generali destinatus: ergo supponit posse Prouinciales quoad peccata non reseruata ab alijs confessarijs absolui, & solùm quoad reseruata remittendos esse ad eum, qui ad hunc finem est à Generali destinatus. Solùm igitur confessarius Prouincialis est à Generali destinatus quoad casus reseruatos. Nec vllum est absurdum, Prouincialem duos habere confessarios, vnum pro reseruatis à Generali assignatum; alium pro non reseruatis à se electum: cùm hoc etiam habeant cæteri in eadem communitate existentes.

79. Addo vlterius, non solùm posse Prouincialem quoad peccata non reseruata, confiteri confessario Ordinario pro tota communitate à se electo; sed etiam ei, quem sibi specialiter elegerit: quia cùm hæc potestas in Prouinciali sit Ordinaria, eique sine restrictione à Generali communicetur, poterit illam cui voluerit intra Societatem pro seipso delegare, vti potest pro alijs sibi subditis. Haud tamen potest absque causa confessarium sibi eligere extra Societatem; neque etiam intra vagè modò vnum, modò alium eligendo, nisi intra numerum eorum, qui in Societate solent pro alijs assignari: nam hoc est contra mentem constitutionum, & praxim Societatis, contra quam Prouinciales agere non possunt. Vnde neque hunc modum, confessarium sibi vagè ad libitum eligendi, concedere potest suis subditis.

80. Cæterùm, cùm iuxta Bullam Clementis VIII. editam 26. Maij 1594. teneantur superiores Regularium in singulis domibus pro maiori, vel minori numero Subditorum, plures confessarios deputare, difficultas insurgit: an hoc decreto Pontifex velit superiores obligare ad deputandos plures confessarios pro numero Subditorum indiscriminatim, vt libitum sit vnicuique, quemlibet ex assignatis adire, an potiùs potestati superiorum relinquat, vt non omnes indiscriminatim assignent pro omnibus; sed aliquos pro aliquibus, aliquos pro alijs determinatè. *Clemens VIII.* Iuxta hunc posteriorem sensum Pontificis decretum interpretatur Suarez tomo 4. de Religione lib. 2. cap. 15. num. 7. *Suarez.* Mouetur: quoniam si hoc voluisset, expressiùs declarasset: cùm igitur hoc in suo decreto non expresserit, dicendum, id liberè potestati superiorum reliquisse.

81. Sed oppositum non solùm est verius; sed etiam in praxim redactum. Nam de facto cuiuis ex assignatis à Superiore confessarijs, licitum est, confiteri, vti per ipsos superiores declaratum est. Et sanè hęc videtur fuisse mens Pontificis, vt per hanc confessorum pluralitatem consuleret Subditorum libertati, vt maiori cum fiducia, & libertate ad hoc sacramentum accederent. Confirmatur: nam ex interpretatione Suarez sequeretur, sat esse vnum confessarium in paruis domibus, vbi pauci sunt pœnitentes: quod consequenter admittit Suarez: sed est contra Ordinationem superiorum, qui etiam in paruis Collegijs, pręter Ordinarium, alium etiam assignant confessarium, ad quem pœnitentes recurrere possint: idque faciunt propter obseruantiam huius decreti. Demum si Suarez interpretatio vera esset, non tanta solicitudine superiores desiderarent dispensationem huius decreti, quod aliquo modo obesse putent Societatis constitutioni, quæ præscribit, vt saltem vnusquisque suum habeat confessarium à superiore designatum. Quia si non tenerentur superiores plures confessarios indiscriminatim pro omnibus assignare, optimè posset constitutio seruari, per deputationem certi confessarij certis personis.

82. Ad rationem dubitandi Resp. citatum priuilegium Prælatis Religionum concessum sufficienter in Societate nostra reuocatum esse per constitutiones, & Bullas Apostolicas: in quibus non solùm subditis; sed etiam superioribus pręscribitur modus habendi cōfessarium. Ex his patet ad 1. Confirma: nam

hoc

hoc ipso, quod constitutio Religionis à Sede Apostolica probata præscribit superioribus modum habendi confessarium, cedit Priuilegio in corpore Iuris inserto.

83. Ad 2. Respondeo principium illud intelligendum esse, quando aliunde Ordinaria potestas non est limitata: vti per constitutiones & Bullas Apostolicas limitatur potestas concessa superioribus in Ordine ad suos confessarios. Ad tertiam primò negatur antecedens: nam neque Prouinciales potestatem habent concedendi suis subditis quemcunque, & quocunque modo confessarium sibi eligendi. Secundò negatur consequentia: nam Prouinciales Societatis potestatem absoluendi præsertim à casibus reseruatis accipiunt à Præposito Generali illimitatam pro suis subditis, non autem pro se. Nec est eadem ratio de Episcopis, qui potestatem absoluendi à casibus occultis Sedi Apostolicæ reseruatis accipiunt sine restrictione: proinde mirum non est, si eam possint sibi ipsis applicare, per delegationem alteri factam.

84 Atque hæc de superioribus infra Generalem. Grauior difficultas superest de ipso Generali: an possit confessarium, etiam quoad casus reseruatos ad libitum intra, vel extra Societatem sibi eligere. Ratio dubitandi pro parte affirmatiua est: quoniam in citata Bulla Gregorij XIII. conceditur Præposito Generali authoritas dispensandi cum suis subditis vt alij, quàm Ordinario confessario, intra, vel extra Societatem confiteri valeant; idque non solùm ratione itineris; sed alia etiam de causa. Ergo eadem vti poterit pro se, illam alteri delegando, cùm illam possideat Ordinario Iure: quippe cùm spectet ad perfectum munus Pastoris. Confirmatur: quia cùm Generalis sit vnus è Societate, poterit hoc Priuilegium, toti Societati concessum, participare.

Greg. XIII

85. Ratio verò dubitandi pro parte negante: est: quia nequit Præpositus Generalis contra constitutiones à summis Pontificibus approbatas, & confirmatas dispensare. Atqui constitutiones præscribunt, vt vnus sit omnium nostrorum confessarius à superiore constitutus: igitur non poterit Generalis peculiarem sibi confessarium à cæteris distinctum eligere. Confirmatur: nam saltem quoad casus reseruatos non videtur habere hanc potestatem eligendi sibi confessarium. Quia cùm per Bullam Clementis VIII. suprà citatam non liceat Generali nisi in conuentu Generali totius Ordinis casus pro tota Religione reseruare, non poterit ipse sibi pro reseruatis confessarium eligere; sed illum deputatum habere debet ab ipsa congregatione generali, cuius est casus pro tota Societate reseruare. Pro cuius difficultatis decisione,

Clement VIII.

86. DICO 2. Potest Præpositus Generalis Societatis Iesu quemcunque Sacerdotem è Societate in confessarium sibi eligere, etiam pro casibus reseruatis, à congregatione generali, non autem extra, nisi in casibus, in quibus facultatem concedere posset suis subditis. Primum constat à fortiori ex paritate Prouincialium: nam si hi possunt quemcunque Sacerdotem è Societate sibi subditum in confessarium pro non reseruatis sibi eligere, à fortiori poterit ipse Præpositus Generalis, in quo hæc potestas tanquam in capite primario residet.

87. Secundum, quod possit etiam pro casibus reseruatis à congregatione Generali, probatur: nam hoc ipso, quod hanc potestatem à congregatione Generali accipit absque expressa restrictione, quod ea vti non possit pro se, censetur accipere illam cum omni amplitudine intra terminos constitutionum. Nam cùm illam accipiat tanquam Ordinariam, ex officio sibi debitam, hoc ipso potest cuicunque Sacerdoti in eadem Societate sibi subdito eam delegare, ab eoque ab omnibus etiam reseruatis absolui. Confirmatur: nam si superior immediatus omnem suam authoritatem absoluendi à casibus sibi reseruatis concederet Sacerdoti sibi subdito, ea non solùm vti posset pro alijs; sed etiam pro se vt cum multis docet Diana tract. 4. de sacramentis Resol. 142. si eam sine restrictione acciperet. Ergo cùm Præpositus Generalis hanc potestatem absoluendi à casibus reseruatis à congregatione Generali accipiat absque vlla expressa limitatione, poterit illa vti pro se.

88. Tertium, quod idem Generalis non possit confessarium extra Societatem sibi eligere, nisi in casibus, in quibus posset hanc facultatem concedere suis subditis, probatur: nam Præpositus Generalis non aliam habet potestatem, quam illi constitutiones à Sede Apostolica approbatæ concedunt. Sed constitutiones non concedunt illi potestatem sibi eligendi quemcunque confessarium ad libitum, & sine causa extra Societatem: igitur non potest quemcunque extra Societatem ad libitum, & sine causa confessorem sibi eligere. Maior patet: nam Præpositus Generalis non aliam habet potestatem; quàm illam, quam à congregatione Generali accipit. Porrò congregatio Generalis non aliam potest illi potestatem conferre; quàm quæ in constitutionibus à Sede Apostolica approbatis, & in Bullis Pontificibus continetur. Minor probatur: nam in 9. p. constitutionum cap. 3. §. 8. præsertim in declaratione D. dicitur in constitutionibus dispensare non posse, nisi iuxta mentem eorum, qui constitutiones condiderunt, & non aliter. Atqui contra mentem constitutionum, & indulta Apostolica est, vt Præpositus Generalis Societatis Iesu possit quemcunque confessarium extra Societatem absque causa sibi eligere: cùm vbique constitutiones

clament, vnum debere esse nostrorum confessarium à superiore in Societate constitutum; nec non indulta Apostolica prohibeant, ne nostri, externo Sacerdoti confiteri possint, nisi ratione itineris, aut alia de causa à Superioribus eiusdem Societatis talis facultas ad id specialiter daretur. Quare sicut nequit Præpositus Generalis hanc facultatem vlli è Societate concedere, nisi iudicaret, hanc dispensationem esse iuxta mentem eorum, qui constitutiones condiderunt: ita neque à fortiori illa vti poterit pro se, cùm nullus possit esse rectus Iudex sui. Ex his infertur, non posse Generalem vagè modò vnum, modò alium sibi confessarium eligere, cùm hoc etiam sit contra constitutiones, & praxim Societatis. Quam liberam facultatem neque suis subditis concedere potest.

Constitutiones Soc.

89. Dices. Generalis Societatis habet admonitorem, qui, vt habetur 9. p. Constitutionum cap. 4. §. 4. debet esse per Societatem designatus, eiusque confessiones audire. Respondeo falsum esse, officium admonitoris Generalis esse, eius confessiones audire; sed tantùm illum admonere in ijs, quæ extra confessionem in ipso notauerit, vt ipsamet constitutio expressè habet: nam *siue*, inquit, *ille sit eius confessarius, siue alius quispiam per Societatem designatus.*

90. Ex dictis patet ad vtramque rationem dubitandi. Nam ad primam concedimus, Generalem potestatem habere secum dispensandi in electione confessarij; sed iuxta mentem constitutionum, & communem Societatis praxim, iuxta quam accipit à congregatione Generali potestatem tam secum, quàm cum alijs dispensandi. Per idem patet ad confirmationem, & ad secundam rationem dubitandi pro parte negante. Nam licet casus referuentur à congregatione Generali; potest tamen congregatio Generalis authoritatem concedere Præposito Generali, vt in ijs non solùm dispensare valeat cum alijs; sed etiam secum ipse, delegando potestatem alteri, quem ipse sibi in confessarium iuxta praxim Societatis, & constitutiones elegerit. Porrò hoc ipso, quòd hanc potestatem congregatio Generalis non limitat, censetur illam in tota amplitudine ei concedere, vt constat ex potestate concessa Episcopis absoluendi à casibus occultis, Apostolicæ Sedi reseruatis. Quæ potestas hoc ipso, quòd illis non conceditur cum limitatione tantùm pro alijs, possunt illam applicare sibi.

SECTIO III.

An approbatio Episcopi sit necessariò requisita ad validitatem sacramenti Pœnitentiæ?

91. Præterea, quæ naturali, ac diuino Iure ad hoc sacramentum perficiendum requiruntur est approbatio Episcopi, de idoneitate Ministri ad hoc munus obeundum, quæ est noua lex à Trident. sancita sess. 23. cap. 15. de Reformatione: *decernit*, inquit, *Sancta Sinodus, nullum etiam regularem, posse confessiones sæcularium etiam Sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut Parochiale beneficium, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur necessarium, aut aliàs idoneus iudicetur, & approbationem, quæ gratis datur, obtineat.* Vbi duo modi approbationis assignantur: alter per collationem Parochialis beneficij; alter per approbationem Episcopi, quæ Examine, aut alio modo, quo Episcopo videbitur, fieri poterit. Prior modus antiquus est; posterior nouus, & à Concilio introductus. De quo

Concil. Tridentinum.

92. Primò quærimus: an sit necessarius necessitate sacramenti; an tantùm præcepti: Ratio dubitandi: quia quæ sunt necessaria necessitate sacramenti, spectant ad necessitatem sacramenti: atqui Ecclesia non habet potestatem in ea, quæ spectant ad necessitatem sacramentorum: nam hæc pendent à sola voluntate Christi instituentis sacramenta: ergo si ante Concilium talis approbatio necessaria non fuit necessitate sacramenti, neque nunc erit necessaria.

Ratio dubitandi.

93. Communis tamen sententia Theologorum est: Approbationem Episcopi post Tridentinum esse necessariam necessitate sacramenti, & non tantùm præcepti, adeò, vt si quis tentet, nihil efficiet: Vnde pœnitens, etiamsi bona fide accedat ad Sacerdotem ab Episcopo non approbatum, tenebitur iterum peccata confiteri, cùm primùm id nouit: atque ita ferunt declarasse congregationem Cardinalium, qui authoritatem habent explicandi Concilium. Fundamentum est. Quia potest Ecclesia in Sacerdore requirere aliquam conditionem, sine qua ille non esset capax iurisdictionis ad absoluendum: cùm enim potestas absoluendi in hoc foro conferatur à christo dependenter à suo Vicario, facta prohibitione, ne vllus sine licentia superioris absoluat, statim Iure diuino requiritur talis licentia. Vnde sicut potuit Ecclesia ad validitatem huius sacramenti licentiam superioris requirere; ita requirere potuit

Sententia Communis.

Episcopi

Episcopi approbationem, vt conditionem, sine qua Sacerdos non esset capax talis licentiæ, & Iurisdictionis. Confirmatur à paritate sacramenti Matrimonij, ad cuius validitatem post Concilium Tridentinum sessione 24. capite 1. de Refor. requiritur præsentia Parochi, aut alterius Sacerdotis de ipsius Parochi, vel Ordinarij licentia, cum duobus vel tribus testibus; quæ tamen antea non requirebatur. Pari ergo ratione ad validitatem sacramenti Pœnitentiæ requirere potuit approbationem Episcopi, quæ antea non requirebatur.

Cõcil. Tridentinum.

Respõdetur ad rationẽ dubitandi.

94. Ad rationem dubitandi Respondeo minorem esse veram de potestate directa, & immediata; falsam verò de indirecta, & mediata: per quam mutando aliquam circumstantiam, quæ immediatè pendet ex ipsius authoritate, indirectè, & mediatè mutat essentiam sacramenti, quæ ex Christi institutione pendet ex tali circumstantia, Ecclesiasticæ potestati subiecta.

Pius V.

Henriquez

95. Ex dictis deducitur primò ab hac lege neminem excipi, ne quidem publicum Doctorem aut Prælatorem Theologiæ, vt anno 1571. definiuit Pius V. qui tamen vetat, eos præuio Examine approbandos esse, vt refert Henriquez libro 6. de sacramentis capite 6. in textu litera E quamuis contrarium ibi multi doceant, eo ducti argumento, quod approbatio publicæ Academiæ suppleat approbationem Episcopi: quia per huiusmodi publicum testimonium videtur Pontifex eos approbare. Quod etiam colligunt ex illis verbis Concilij: *Aut aliàs idoneus iudicetur.* Sed standum est declarationi Pontificis.

Cõcil. Tridentinum.

96. Cæterùm notandum: hanc approbationem Episcopi non esse necessariam pro absoluendis ijs, qui constituti sunt in articulo mortis, in quo omnes Sacerdotes, vt Tridentinum testatur sessione 14. capite 7. quoslibet pœnitentes à quibusuis peccatis, & censuris absoluere possunt. Quod iuxta communem opinionem Doctorum extenditur etiam ad periculum mortis: in quo periculo meritò recensentur mulieres partui proximę præsertim quæ vel primum partum edituræ sunt, vel quæ difficilem aliquando expertæ sunt partum.

Quando Prælati Superiorum egeant approbatione, quãdo non.

97. Deducitur secundò non egere hac approbatione Episcopos, vel Abbates Episcopalem, vel quasi Episcopalem Iurisdictionem habentes: cùm sit eadem, vel potior ratio de his, ac de Parochis: egere tamen approbatione Superiores Religionum, cùm hi nullo modo eximantur à citato decreto Concilij: nisi Superior Religionis annexam habeat Parochiam: quia tunc ratione muneris Parochialis à decreto eximitur. Qui, vt notant ibidem ijdem authores, designare potest Vicarium absque approbatione Episcopi. Cæterùm non desunt citato loco apud Henriquez, qui contendant, omnes Prælatos Religionum gaudere hoc priuilegio, cùm omnes sint iure Ordinarij, & æquiparentur Parochis: est tamen contra verba Concilij.

Pœnitentes Regulares hoc decreto non cõprehenduntur.

98. Deducitur 3. Hoc decreto non comprehendi pœnitentes Regulares, qui confiteri possunt cuilibet Sacerdoti ab Episcopo non approbato. Vnde non tenentur Superiores Religionum, cùm confessarios assignant suis subditis, eos Episcopo præsentare, vt approbentur ad confessiones suorum subditorum audiendas: quin etiam concedere eis possunt facultatem, vt extra Religionem cuilibet Sacerdoti ab Episcopo non approbato confiteri possint. Inter Religiosos intelliguntur etiam Moniales, quæ confiteri possunt cuilibet Sacerdoti, à Superiore designato. Fundamentum est: quia Concilium hanc legem expressè limitat respectu sæcularium: & ex alio capite, Religiosi Iure antiquo validè confiteri poterant cuilibet Sacerdoti. Hinc infertur, quando Superior concedit subdito licentiam eligendi sibi confessorem in itinere, posse sibi eligere quemcunque, etiam ab Ordinario non approbatum: nam hoc ipso quòd licentia non limitatur, censetur concessa in sua amplitudine.

Aliud dubium resoluitur.

Diana.

99. Dubium autem est, an hoc priuilegio fruantur equites S. Ioannis, S. Iacobi Calatrauæ, Alcantarę, Montesæ. Affirmant communiter Doctores apud Dianam tract. 2. de dubijs Regul. Resol. 30. Fundamentum est, quia isti sunt veri Religiosi per tria vota paupertatis, castitatis, & obedientię, in manibus suorum Prælatorum emissa: ergo non secus, ac reliqui Religiosi, confiteri possunt cuiuis Sacerdoti siue sæculari, siue regulari, etiam ab Episcopo non approbato. Quæ licet de Iure vera sint; de facto tamen, vt notat ibidem Diana, consuetudo est in contrarium.

An qui virtute Bullæ facultatem habet eligendi confessarium, teneatur eligere ab Episcopo approbatum?

1. Sentent. affirmans.

100. Affirmant aliqui apud Sotum in 4. dist. 18. quæstione 4. artic. 3. §. *postremum dubium est*: quorum fundamentum est: quia qui per Diploma facultatem habet, vt possit eligere confessarium, debet qui eligitur, supponi confessarius per Episcopi approbationem, vel Parochiale beneficium. Probant secundò quia semper in Diplomate adijcitur, *Confessores idoneos*; Idonei autem non dicuntur,

nisi qui vel approbatione Episcopi, vel Parochiali beneficio, sunt approbati. Cùm iudicium Idoneitatis nòn sit relinquendum Personis priuatis; sed publicis. Tertiò quia non censetur Pontifex per huiusmodi indulta quemcunque confessarium approbare, alioqui ansam daret eligendi quoscunque idiotas, & indignos: sed solùm eos, qui publicum testimonium habent de idoneitate.

2. Sent. Negans. Sotus Paludanus Antonius Gabriel Syluester Adrianus Diana.

101. Negat verò citato loco Sotus. Quã sententiam ipse *communem* appellat: pro qua citat Paludanum, Antoninum, Gabrielem, Syluestrum, Adrianum, quos sequuntur aliqui recentiores apud Dianam tract. 2. de dubiis Regul. Resol. 21. Fundamentum Soti est: quoniam ad sacramentalem absolutionem sufficit potestas Ordinis, & Iurisdictio. Quiuis autem Sacerdos habet potestatẽ Ordinis, iurisdictionem verò accipit ab illo, qui priuilegium pœnitenti contulit eligendi sibi confessarium: nam hoc ipso qui priuilegium concedit, iurisdictionem confert in pœnitentem. Probat autem hoc secundum, in quo tantùm difficultas sita est, primò ex ipsis verbis diplomatis, *vt possint eligere confessorem*: nam hoc, inquit, non est eligere eum, qui supponitur confessor per Episcopi approbationem, vel Parochiale beneficium, sed qui electione ipsa fit confessor. Sicut cùm eligitur Episcopus, non eligitur, qui erat; sed qui ipsa electione creatur Episcopus. Secundò: si voluissent Pontifices, id in Bullis expressissent: cùm igitur id in Bullis non exprimant, noluut pœnitentes coarctare ad solos confessarios approbatos. Tertiò. Priuilegia, & indulta non sunt arctanda, magis, quàm sonant. Pro cuius dubij resolutione

102. Dico 1. Quando Pontifices in suis Bullis, & Indultis exprimunt, se facultatem concedere eligendi confessorem ab Ordinario approbatum, talem conditionem necessariò seruandam esse: alioqui inualida esset absolutio collata à confessario non electo iuxta formam concessionis. Neque potest nomine Ordinarij alius significari; quàm Episcopus, iuxta consuetum modum loquendi Pontificum. Atque in hoc puto omnes conuenire. Sola igitur difficultas est, quando id Pontifices non exprimunt: & in hoc casu procedunt argumenta Soti.

103. Dico 2. Quotiescunque Pontifices non exprimunt, semper præsumendum est facultatem concedere in suis Bullis iuxta formam Concilij. Ratio: quia cùm contrarium sit dispensatio à lege communi, non præsumitur Pontifex illam concedere, nisi id specialiter declaret: cùm semper Principes stare præsumantur pro legibus, quæ suam vim iam obtinuerunt.

104. Ex his patet ad argumenta Soti. Ad primum retorqueo argumentum: nam si eligendus est confessarius iuxta Bullam idoneus, præsupponi debet idoneus, fit autem idoneus approbatione Episcopi. Nec est par ratio de Episcopo, quia hic non supponitur Episcopus ante electionem; sicut supponitur idoneus confessarius ante electionem.

105. Ad secundum: sat esse ipsa lex communis Concilij, iuxta quam Pontifices suas Bullas condere præsumuntur, nisi aliud exprimant. Ad tertium concedendum est antecedens, quando aliud non obstat: in præsenti autem obstat lex communis Concilij, iuxta quam Pontifices præsumuntur Bullas condere. nam licet Pontifices in ea dispensare valeant, numquam tamen præsumuntur dispensare, nisi exprimant: cùm dispensatio à lege communi sit priuilegium, quod numquam Princeps censetur contra communem legem concedere, nisi exprimat.

Qui possint hanc approbationem dare?

106. RESpondeo Episcopos. Vt expressè Concilium docet. Nomine autem Episcopi intelliguntur etiam Vicarij Episcoporum, Abbates exempti, Episcopalem authoritatem exercentes, Capitulum sede vacante: non autem inferiores Prælati, aut Superiores, Episcopalem Iurisdictionem non habentes. Fundamentum. Quia hic est actus Iurisdictionis Episcopalis: ergo omnes, & soli illi possunt hunc actum exercere, qui Episcopalem, aut æqualem, aut quasi æqualem Iurisdictionem habent: hi autem sunt omnes, & soli enumerati. Iuxta hanc doctrinam intelligitur quędam Cardinalium Responsio, quæ prohibet, neminem se adhoc intromittere posse, cùm sit proprium Episcoporum munus. Hinc excluduntur 1. Cardinales Episcopalem Iurisdictionem non habentes, 2. Prouinciales & Generales Religionum: quia hi nullam Iurisdictionem habent in sæculares: 3. Episcopi electi, & consecrati, nondum tamen Iurisdictionem habentes: 4. Episcopi nominatim excommunicati: nam hic est actus Iurisdictionis, qua excommunicatio priuat. Cæterùm Henriquez lib. 3. de confirm. & Extr. Vnct. cap. 13. num. 3. & Emmanuel Sà: verbo *Confess.* 30. putant posse: quia censent non esse actum Iurisdictionis: sed falluntur, cùm sit sententia iuridica de idoneitate Sacerdotis præuio examine, quæ necessariò præsupponit Iurisdictionem in ferente sententiam.

Henriquez. Emmanuel Sà.

SECTIO

An debeat Episcopi approbatio rè ipsa obtineri?

107. RESPONDEO affirmatiuè. Constat ex Concilio. Vnde non sufficit illam tantùm petere: etiamsi iniustè negetur. Nam licet peccet Episcopus, iniustè negando; non tamen illa statim censetur concessa, nisi reipsa obtineatur. Non est autem necesse, vt obtineatur scripto, aut per examen, vel per ipsum Episcopum: quia potest per alium, & sine examine, vti Episcopo videbitur, concedi, vt ex Concilio constat.

Nauarrus Henriquez Layman Diana.

108. Putant autem Nauarrus cap. 27. num. 264. & 265. Henriquez lib. 3. de sacramento Pœnitentiæ capit. 6. num. 4. Layman tract. 6. cap. 11. nu. 4. Diana tract. 2. de dubijs regul. resol. 24. & permulti alij apud ipsos, si Episcopus Religiosos mendicantes à suis Prælatis præsentatos, & manifestè idoneos, sine causa reijceret, posse nihilominus confessiones audire. Fundamentum est: quia in Clem. *Dudum*, de Sepulturis, conceditur fratribus mendicantibus priuilegium, vt si à suis superioribus electi, & præsentati, nolint Prælati eos ad confessiones admittere, hoc ipso admitti censeantur ab ipsa sede Apostolica. Neque hoc priuilegium derogatur per illa verba Concilij: *Priuilegijs, & consuetudine quacunque etiam immemorabili non obstantibus*: nam priuilegium in corpore Iuris insertum non reuocatur per nouam legem, nisi de illo fiat expressa mentio. Confirmat Nauarrus: quia quando Iura, quæ videntur contraria, possunt concordari, debent: atqui hæc possunt concordari, vt Concilium hoc decretum condiderit solùm ad supplendam Prælatorum negligentiam.

109. Hæc opinio solùm probabilis est extrinsecâ authoritate Doctorum. Nam Cæterùm citatus Textus Clementinę non loquitur de iuridica approbatione Episcopi, sed de pura licentia, quam pro suo beneplacito, his Religiosis Episcopus concedere deberet ad audiendas confessiones suorũ subditorum intra propriam Diœcesim vt sic meliùs seruaretur subordinatio. Idque colligitur ex verbis Pontificis, in quibus nulla mentio fit de examine, & iudicio idoneitatis confessorum per Episcopum; sed tantùm de licentia, & gratia, totumque iudicium de idoneitate Confessorum Pontifex committit ipsis Superioribus Confessorum. Sic enim concludit. *Ac deinde præfati Magistri, Priores, Prouinciales, & Ministri Ordinum prædictorum, eligere studeant personas sufficientes, idoneas, vita probatas, discretas, modestas, atque peritas ad tam salubre ministerium, & officium exequendum. Quas sic ab ipsis electas repræsentent, vel, faciant repræsentari Prælatis, vt de eorum licentia, gratia, & beneplacito in Ciuitatibus, & Diœcesibus eorundem huiusmodi personæ sic electæ confessiones, confiteri sibi volentiũ audiant.* Cùm igitur hoc ius examinandi, & approbandi Sacerdotes ad confessiones audiendas sit nouum à Tridentino inductum, distinctũ ab illo, quod mendicantes habebant, non potest ex illo ad hoc efficax argumentum duci: nam hoc supponit priuilegium, quod mendicantes habebant, fuisse illud idem, cuius oppositum in suo decreto sanxit. Vnde ex hoc ad summum tantum sequitur, quando huiusmodi Religiosi alias ab Episcopo Iuridicè approbati, ad confessiones non admittuntur, posse vi huius priuilegij illas audire. Verùm hoc ipsum etiam censetur derogatum per multas Bullas posteriores in quibus non solent Pontifices concedere Religiosis licentiam audiendi confessionem repugnantibus Episcopis, & Parochis, vt constat ex bulla Greg. XIII. in qua Pontifex facultatem concedit nostris iter agentibus confessiones audiendi, non repugnantibus Parochis: imò neque in locis, in quibus Ordinarij existunt, nisi eorum licentia desuper obtenta, etiamsi alias sint approbati.

An Regularibus præter approbationem Episcopi necessaria sit approbatio suorum Superiorum.

110. RATIO dubitandi est: quoniã antiquitus, vt habetur in Clementina, super *Cathedram*, de sepulturis, & *inter cunctas*, de priuilegijs generalium, vel Prouincialium Mendicantium erat designare aliquos sui Ordinis Sacerdotes, qui præsentati ab Episcopo, licentiam peterent excipiendi confessiones Sæcularium intra illius Diœcesim, & nunc in nostra Societate munus exponendi confessores pro Sæcularibus, præmisso domestico examine, & approbatione Ordinarij, est Prouincialis. Vt habetur in Regula 28. Prouincialis. Igitur præter approbationem Episcopi, necessaria est etiam approbatio proprij Superioris. Resp. cum distinct. Nam vel loquimur de sola approbatione, qua Regularis Sacerdos iudicatur idoneus ad confessiones Sæcularium audiendas, & hæc solius Episcopi sufficit: nam ad illum, tale munus approbandi Concilium remittit. Vel loquimur de Iurisdictione, quam iuxta priuilegia Sacerdotes Regulares accipiunt per suos superiores, ad confessiones Sæcularium audiendas, & tunc præter approbationem Ordinarij, necessaria est licentia proprij superioris: quia vt habetur in Bulla Gregorij XIII. de vsu facultatum edita anno 1575. & notatur in

Greg. XIII

compendio nostrorum priuilegiorum in præfatione. Nullus è Societate vti potest priuilegijs Societati concessis, nisi illi per Præpositum Generalem aut per alios ab ipso electos communicetur. Cùm igitur Generalis hanc facultatem communicandi nostris Sacerdotibus iurisdictionem ad audiendas confessiones Sæcularium committat solis Prouincialibus, vt ex præcit. Reg. constat: præter Ordinarij approbationem, necessaria erit Prouincialis facultas ad Iurisdictionem, iuxta nostra priuilegia accipiendam. Legatur Palatius in 4. dist. 17.

Palatius.

111. Hinc deducitur 1. Posse Episcopum simul cum approbatione dare etiam Iurisdictionem Sacerdoti Regulari, habitanti intra suam Diœcesim absque vlla licentia sui proprij superioris, quantum attinet ad validitatem sacramenti. Fundamentum: quia Regulares ratione habitationis fiunt subditi quoad hoc Episcopis: ergo possunt ab illis approbari, & iurisdictionem accipere. Neque ad hoc necessaria est licentia proprij Superioris: imò etiamsi proprij Superiores contradicerent, validè absoluere possent: quia habēt omnia ad absoluendum requisita. Nam approbatio, & iurisdictio ab Episcopo concessa, quoad valorem non pendet à voluntate proprij Superioris; sed Episcopi concedentis.

112. Deducitur 2. Non posse Sacerdotem Regularem approbatum tantùm ab Episcopo, audire confessiones Secularium, sine facultate sui Prouincialis: posse tamen eligi sine facultate sui Prouincialis à quolibet siue Sæculari, siue Regulari per Bullam vel Iubilæum. Ratio primi est: quia Ordinariè Sacerdotes Regulares, iurisdictionem audiendi confessiones Sæcularium, per priuilegia ipsis concessa, participare solent per communicationem suorum Superiorum, à quibus nisi habeant facultatem audiendi confessiones, non participabunt Iurisdictionem à Pontifice cōcessam. Atque adeo confessiones audire non poterunt. Ratio secundi est: quia tunc Iurisdictionem absoluendi non habent Regulares mediante proprio Superiore; sed immediatè à Pontifice: ergo electi absoluere possunt quemcunque etiam contra dicente proprio Superiore. Supponi tamen debet ab Ordinario approbari, etiam in ordine ad Pœnitentes Regulares: quia semper Pontifex priuilegia, quæ concedit per Bullas, concedit iuxta decretum Concilij, nisi aliter exprimat.

A quo Episcopo debeat approbari Sacerdos vt idoneus ad hoc munus reputetur?

113. CVM duplex sit Episcopus, Alter pœnitentis, alter absoluentis, Controuersia emergit: cuius Episcopi requiratur approbatio iuxta decretum Concilij, Pœnitentis ne, an absoluentis, an vtriusque?

114. PRIMA sententia Requirit approbationem vtriusq; : est Vasquez q. 93. art. 3. dub. 4. Fundamentum: quia Concilium requirit approbationem ab Episcopis in plurali: igitur vtriusque, & Pœnitentis, & absoluētis. Cōfirmatur 1. Si sola approbatio absoluentis sufficeret, talis approbatio sufficeret pro toto mundo. Confirmatur 2. nam eius est confessorem approbare, cuius est de idoneo ministro suis ouibus prouidere.

Vasquez.

115. SECVNDA sententia requirit approbationem vnius tantum Episcopi, quicunque ille sit; etiamsi non sit, neque pœnitentis neque absoluentis. Est Henriquez lib. de Indulg. ca. 12. & lib. 3. de sacramento Pœn. cap. 6. Eamque probabilem putat Medina 12. quæst. 19. art. 6. §. *caterum.* Fundamentum est: quia Concilium non requirit, nisi Episcopi approbationem: igitur non est coarctanda ad Episcopum vel Pœnitentis, vel absoluentis.

Henriquez. Medina.

116. TERTIA sententia requirit approbationem Episcopi solius Pœnitentis: est multorum Theologorum, & Iuristarum apud Suarez disp. 28. sect. 6. Potissimum fundamentum est: quoniam ad Episcopi munus spectat, de bonis atque idoneis confessarijs suis subditis prouidere: ergo maximè ad Episcopum pœnitentis spectat, eos approbare.

117. QVARTA sententia asserit, esse munus Episcopi solius absoluentis. Est Suarez disp. 18. proximè est Coninck disp. 8. dub. 7. *Quæ probabilior est.* Quam confirmant duæ Responsiones Cardinalium, quorum munus est explicare dubia, quæ ex Concilio emergunt. Prior est; in qua fuit quæsitum, an ex vi priuilegij, quod habet Episcopus sibi eligendi confessarium, posset sibi eligere Sacerdotem, sibi non subditum, à proprio Ordinario non approbatum. *S. D. N. audita relatione Congregationis declarauit, Episcopum vigore priuilegij, de quo in capite finale de Pœnitentijs, & Remissionibus, non posse sibi eligere Sacerdotem, sibi non subditum, quià proprio Ordinario non fuerit adhuc ad formam huius decreti ad missus, seu approbatus ad audiendas confessiones.* In qua Pontifex apertè supponit, requiri approbationem Episcopi ipsius Confessarij, alioqui si sufficeret approbatio Episcopi Pœnitentis, posset Episcopus eligere sibi confessarium non subditum, eumque approbare. Posterior est, in qua dubitatum fuit: an Sacerdotes, qui in Bulla Iubilæi debent supponi approbari ab Ordinario, debeant intelligi approbati ab Ordinario Pœnitentium, an confessariorum. *Declarauit S. D. N. tempore Iubilæi posse omnes Regulares confiteri peccata sua Sacerdotibus, approbatis ab Ordinario, ad audiendas confessiones.* In Bullâ autem non fit mentio nisi de Ordinario eorum, qui auditari sunt confessiones, non autem de Ordinario

dinario ipsorum. Confitentium. Atqui Pontifex in Bulla Iubilæi semper vult seruari Ius Concilij: igitur ex hac declaratione, sequitur iuxta Concilium solius Episcopi Sacerdotis approbationem necessariam esse, & sufficere. Hoc autem indicant illa verba, *non autem ab Ordinario Pœnitentium.* Nec dici potest hanc dubitationem extendi tantùm ad Regulares, de quibus tantùm fit mentio: nam eadem est ratio de omnibus. Et ratio est: quia approbare Sacerdotem ad confessiones audiendas, est actus Iurisdictionis: ergo non potest exerceri in non subditum. Atqui si requireretur approbatio Episcopi Pœnitentis, deberet exerceri in non subditum: quia Episcopus Pœnitentis deberet approbare Sacerdotem alterius Diœcesis.

118 Ad 1. 1. sententiæ Respondeo Concilium loqui in plurali, non quia plurium Episcoporum, & pœnitentis, & absoluentis requirantur approbationes; sed quia pro diuersis Sacerdotibus, diuersis Episcopis subiectis, plures, ac diuersæ requiruntur approbationes. Ad priorem Confirmationem infrà. Ad posteriorem dico, satis suis ouibus Episcopum prouidere: etenim licet possit alienum Sacerdotem à suo Ordinario approbatum, ad Confessiones suorum Diœcesanorum admittere; nõ tamen tenetur, & ideo potest illum vel ad tempus admittere, donec maiorem de illo acquirat notitiam, vel ad tempus differre, donec aliũde certior fiat, de idoneitate ipsius. Ad reliquas sententias constat ex dictis.

An approbatus ab vno Episcopo, censeatur approbatus pro tota Ecclesia?

119. NON loquimur hîc, quando aliquis approbatur limitatè, pro certo loco, aut qualitate personarum, quod iure suo Episcopi facere possunt; cùm enim maior scientia, vel prudentia requiratur pro vno loco, aut genere personarum; quàm pro alio, rationabiliter potest Episcopus approbare Sacerdotem pro vno loco, vel genere personarum, & non pro alio: in quo casu non posset talis confessarius approbatus tantùm pro vno loco, aut genere personarum, virtute Iubilæi, eligi à pœnitentibus alterius locis, vel ab alio genere personarum: nisi talis limitatio loci aut personarum, non fuerit facta ex defectu scientiæ, sed valetudinis Loquimur igitur, quando Episcopus absolutè, & absq; vlla restrictione approbat aliquem, an talis approbatio sufficiat, pro quauis Diœcesi.

120. PRIMA sententia negat. Est Vasquez quæst. 93. art. 3. dub. 4. & aliorum: quam confirmat Responsio quædam Cardinalium ad Episcopum Valentinum: quæ sic habet: *Congregatio Concilij respondet, approbatum ab alio, quàm à Valentino Episcopo, in Diœcesi Valentina non censeri approbatum ab Ordinario.*

Vasquez.

121. SECVNDA affirmat. Est Henriquez de Indulg. cap. 12. Fundamentum est: quia Concilium non exigit nisi approbationem, ergo non est, cur plus requiratur.

Henriquez.

122. TERTIA distinguit. Quantum est ex vi decreti Concilij, sufficere vnam approbationem pro tota Ecclesiâ: quantùm verò est ex parte approbantis, posse plures requiri: quia potest approbans limitare suam approbationem, vt non valeat nisi pro sua Diœcesi, & tunc, vt idem iudicetur idoneus pro alia, debet ab Episcopo illius Diœcesis approbari. Ita Suarez disp. 28. sect. 7.

123. QVARTA sententia, *Quæ mihi maximè probatur*, est Coninck disp. 8. dub. 7. Opinantis, per se quidem sufficere vnam approbationem pro tota Ecclesia; adhuc tamen posse Episcopum vnius Diœcesis examinare Sacerdotem approbatum ab Episcopo alterius Diœcesis, vt illi suas oues committat. Probatur: tum quia sic optime conciliantur diuersæ Cardinalium Responsiones, quæ videntur inter se pugnare. Nam duæ citatæ in dubio præcedenti affirmant requiri, & sufficere approbationem Episcopi absoluentis; ex quo apertè sequitur, Sacerdotem approbatum à suo Ordinario, censeri approbatum pro quauis Diœcesi. Vltima verò in hoc dubio adducta, negat Sacerdotem approbatum ab alio, quàm à Valentino Episcopo censeri approbatum in Valentina Diœcesi. Conciliantur autem istæ responsiones: quia priores duæ intelliguntur, quantum est, ex vi decreti Concilij ad validitatem sacramenti. Vltima verò intelligitur, si Episcopi voluerint vti iure suo, quod habent in Sacerdotem approbatum ab Ordinario alterius Diœcesis: nam tunc approbatus in vna Diœcesi non censetur approbatus in alia, si Episcopus illius voluerit in illum, vti iure suo. Probabile enim est, approbationem vnius Episcopi communicari cum subordinatione ad reliquos, vt nimirum si reliqui non repugnent, sufficiat vna; sin minus, non tollit ius, quod vnusquisque habet ad examinandum Sacerdotem pro suis ouibus. Hoc ipsum confirmat motus Pij V. anno 1571. qui incipit: *Romani Pontifices*, quo declarat posse Religiosos mendicantes approbatos à prædecessore, iterum examinari à successore pro maiore quiete ipsius; non tamen debere. Eadem igitur ratione poterit, semel approbatus ab vno Episcopo, iterum examinari ab alio, pro maiori quiete conscientiæ ipsius, non tamen debere. Eadem quippè est ratio vnius respectu plurium Episcoporum, in eadem Diœcesi sibi succedentium, atque vnius, respectu plurium Episcoporum in diuersis

Coninck.

Pius V.

Diœcesibus

Diana.

Diœcesibus existentium. Notat autem Diana cum alijs tract. 2. de dub. regul. resol. 17. quòd quamuis id facere possit Episcopus; haud tamen facere potest Capitulum sede vacante; præsertim cum Regularibus, qui non censentur comprehendi in odiosis, nisi exprimantur. Vnde si nouus Episcopus reuocaret licentias confitendi à præcedente concessas, sub hac reuocatione non comprehenderentur Regulares.

124. Ex dictis Infertur 1. habentem Parochiale beneficium, posse vbique eligi ad confessiones audiendas, absque noua approbatione. Fundamentum: quia Concilium distinguit inter habentem, & non habentem Parochiale beneficium, & de non habente tantùm dicit necessariam esse approbationem: ergo de habente remittit se ad ius commune. Vnde posset Vnus Parochus suam Iurisdictionem delegare alteri Parocho, non autem simplici Sacerdoti, contra aliquos apud Dianam tract. 4. sacram. resol. 146. Ratio quia Parochus non potest Sacerdotes approbare.

125. Infertur 2. Quemlibet Sacerdotem, approbatum absolutè à suo Ordinario, eligi posse à quolibet per priuilegium Bullæ, aut Iubilæi. Fundamentum: quia quilibet Sacerdos à suo Ordinario approbatus, iuxta Concilium est capax Iurisdictionis in hoc foro, ergo eligibilis est à quolibet per priuilegium Bullæ, aut Iubilæi. Dixi, *absolutè:* quia si esset tantùm approbatus pro vno loco, vel Diœcesi, non posset eligi nisi ab incolis illius loci, aut Diœcesis, vt suprà dictum est.

126. Infertur 3. Sacerdotem mutantem Domicilium ex vna Diœcesi in aliam, vt sit idoneus ad audiendas confessiones illius Diœcesis, ad quam migrat, & aliorum, egere noua approbatione Episcopi, sub cuius Diœcesi sit: non tamen egere noua approbatione, si postea ad eandem Diœcesim redeat. Fundamentum: quia ex Tridentino nullus Sacerdos est capax Iurisdictionis, nisi approbatus à suo Ordinario. Sed Sacerdos mutans Domicilium in aliam Diœcesim fit subditus Episcopi illius Diœcesis, ergo vt ex Concilio sit idoneus, & capax Iurisdictionis, eget approbatione illius Episcopi, ad cuius Diœcesim transfert suum Domicilium, nam ille est ipsius Ordinarius. Idem dicendum de Religiosis, qui ex vna Diœcesi migrant in aliam; nam licet hi sint exempti ab Episcopo; in hoc tamen sunt illi subiecti.

Concil. Tridentinum.

127. Infertur 4. Idem esse dicendum de Pœnitentibus Religiosis, quando per priuilegium Bullæ, vel Iubilæi eligunt sibi confessarium. Fundamentum: quia semper in Bullis Pontifices intendunt priuilegia concedere iuxta decretum Concilij. Neque vllam differentiam faciunt inter Religiosos, & sæculares.

128. Infertur 5. Posse Episcopum facultatem concedere suis subditis eligendi sibi quemcunque Sacerdotem, à suo Ordinario approbatum. Quod etiam potest Parochus: cum duplici tamen discrimine. Primò: quod Episcopus potest impedire delegationem Parochi, non contrà. Secundò: Quod Episcopus potest etiam concedere subdito, quando est vir doctus, facultatem approbandi Confessarium, non autem Parochus.

Concedi potest subdito facultas approbandi.

An semel approbatus semper maneat approbatus?

129. PRIMA sententia distinguit de Sacerdotibus Regularibus, & sæcularibus. Et de Regularibus affirmat. De sæcularibus verò negat. Ratio Discriminis: quoniam Regulares suam Iurisdictionem habent à Pontifice, & solùm Episcopi egent approbatione: qua semel habita, ipso iure censentur idonei, & capaces Pontificiæ Iurisdictionis. Neque ex Concilio requiritur, nisi vna duntaxat approbatio: sæculares verò non solùm pendent ab Episcopo quoad approbationem, sed etiam quoad Iurisdictionem, quæ ad nutum Superioris reuocari potest. Est Henriquez lib. de Indulg. cap. 11. Vasquez quæst. 93. art. 3. dub. 5. & Sà V. *Confessor.* 3.

Henriquez. Vasquez.

130. SECVNDA sententia Negat de vtrisque. Tum quia potest Episcopus tam sæculares; quàm Regulares approbare ad tempus, quo elapso egebunt noua approbatione. Tum quia hæc approbatio est Iuridica sententia de sufficientia Sacerdotis, quæ fundari debet in doctrina, & moribus ipsius. Sed possunt Doctrina, & mores mutari: ergo & sententia.

131. DICO 1. Non potest Episcopus sine iusta causa approbationem semel datam reuocare. Ita Congregatio Cardinalium declarauit. Fundamentum: quia hæc est Iuridica sententia, quæ reuocari non potest absque noua causa. Vnde si euidenter constaret nullam subesse causam, reuocatio esset inualida, & approbatus adhuc censeretur approbatus. Dixi, *euidenter:* quia in dubio standum est pro Superiore, qui interdum ad euitandam infamiam Vnius, qui non rectè fuit approbatus, iterum examinat omnes.

132. DICO 2. Potest Episcopus, noua suborta causa, approbationem semel datam, non solùm à Sacerdote sæculari; sed etiam à Regulari reuocare. Hanc nemo negat ex præcitatis Authoribus. Ratio est: quia sicut ipsius iudicio commissum, est vt possit iudicare de sufficientia Confessoris, an sit idoneus ad inchoandas confessiones; ita iudicio eiusdem commissum est, iudicare, an sit idoneus ad continuandas.

133. Ex his infertur 1. Posse Episcopum Sacerdotem Regularem, ab alio Episcopo approbatum, iterum pro sua Diœcesi approbare

probare: quia non tenetur se remittere ad iudicium alterius Episcopi.

134. Infertur 2. Posse Episcopi successorem iterum approbare Regularem, approbatum à suo Prædecessore, propter eandem rationem: quia non tenetur successor remittere se ad iudicium prædecessoris: quod etiam declarat Pius V. supra citatus.

Pius V.

135. Infertur 3. Non posse Episcopum Sacerdotem Regularem antea ab ipso approbatum, si postea mutauit Domicilium, iterum ipsum examinare, cùm denuo ad eius Episcopatum reuertitur, nisi noua suborta causa. Ratio: quia sola mutatio Domicilij per aliquod tempus non est sufficiens causa, quod debeat iterum ad examen vocari, nisi noua suborta causa ad examen sufficiente.

136. Pro solutione Fundamenti primæ sententiæ Nota. Pium V. Primò per Bullam declarasse: Religiosum, ab aliquo Episcopo approbatum, non posse ab eodem iterum examinari, & si sit ex mendi cantibus, nec posse à successore: Postea ad dirimendas lites inter Ordinarios, & Religiosos per aliam Bullam declarauit, posse etiam mendicantes à prædecessore examinatos, etiam à successore iterum examinari, pro maiori quiete conscientiæ suæ. Demum Gregorius XIII. Vtramque Bullam Pij V. reuocauit, & totum hoc negotium reduxit ad ius commune. Hæc Reuocatio habetur in fine summæ Nauarri. Quo fit, vt tota hæc res decidenda sit iuxta decretum Concilij Trid. & declarationes congregationis Cardinalium, quæ ius habet interpretandi Concilium.

Pij V.

Greg. 13.

137. Cùm igitur neque ex Concilio, neque ex Declarationibus Congregationis Cardinalium, discrimen aliquod habeamus inter approbationem Sacerdotis sæcularis, & Regularis in Ordine ad confessiones sæcularium, non est cur tale discrimen fingamus. Quare in hac re idem de vtrisque sentiendum est, quantùm spectat ad approbationem: nam de Iurisdictione alia est ratio, cùm Regulares illam habeant immediatè à Pontifice, Sacerdotes verò Regulares ab Episcopo. Hoc autem non tollit, quin quoad approbationem ipsam sint Pares. Atque ex his patet ad Fundamentum primæ sententiæ.

Soluitur arg. 1. sent.

DISPVTATIO XVI.

De satisfactione sacramentali.

1. HÆc est alia pars, ad integritatem huius sacramenti ex parte pœnitentis, teste Tridentino. Sess. 14. cap. 3. diuina institutione requisita. Dicitur autem pars integrans, & non essentialis: quia tota essentia huius sacramenti consistere potest absque satisfactione, vt patet de sacramento collato moribundo, cui ob impotentiam nulla imponitur pro peccatis satisfactio. Hoc posito. Quatuor præcipuè de satisfactione quæri possunt. Primum. An in Sacerdote sit Potestas obligandi pœnitentem ad satisfactionem acceptandam. Secundum. Quid illa in nobis operetur. Tertium. An in peccato ad impleta suum habeat effectum. Quartum. An iniuncta ab vno, commutari possit ab alio.

Tridentinū.

Quare satisfactio dicatur pars integ. alis.

SECTIO I.

An Sacerdos habeat potestatem obligandi pœnitentem ad satisfactionem acceptandam?

2. PRIMA sententia. Negat. Est Scoti in 4. dist. 15. quæst. 1. § *de secundo principali.* Et dist. 17. art. 2. & dist. 19. §. *ad quæst. motam*: Rubionis dist. 16. quæst. 1. art. 2. & dist. 14. quæst. 3. art. 2. post Concl. 2. Gabrielis dist. 16. quæst. 2. art. 3. dub. 5. & dist. 18. quæst. 1. art. 3. dub. 1. Syluestri Ver. *confess.* 1. quæst. 25. Medinæ codice de confess. quæst. 41. Nauarri in sum. cap. 26. num. 20. Vbi ait, hanc esse in Vrbe, & Orbe receptam sententiam: Caietani Tom. 1. Opusc. tract. 6. quæst. 2. ad 2. qui non modò cum præcedentibus existimat, pœnitentem non teneri ad satisfactionem acceptandam; sed neque sub mortali teneri ad acceptatam exequendam, contra eosdem præcitatos Authores. Fundamentum est. quia non obligatur pœnitens pro suis peccatis in hac vita satisfacere;

Scotus Rubio Gabriel Syluester Medina. Nauarrus Caietanus.

tisfacere; sed potest satisfactionem differre in aliam: ergo non obligatur pœnitentiam à Confessore iniunctam acceptare. Consequentia constat: quia si obligaretur, esset ad satisfaciendum, pro peccatis. Antecedens probatur: quia quando sunt duo modi satisfaciendi, ad neutrum tenetur reus determinatè; sed poterit pro libito vtrum libet eligere. Confirmatur primò. Nam alioqui frustra esset Purgatoriū: nam Purgatorium est ad satisfaciendum pro peccatis iam remissis: ergò si pœnitens teneretur in hac vita, pro peccatis in confessione remissis, satisfacere, frustra esset Purgatorium. Confirmatur secundò. Si posset confessarius obligare pœnitentem ad pœnitentiam acceptandam, posset illum obligare ad acceptandam Pœnitentiam peccatis condignam: atqui ad hanc obligare non potest: esset enim intolerabile onus, humanam imbecillitatem excedens: ergo ad nullam obligare potest, cùm non sit maior de vna, quâm de altera.

Affirmant Magister Alensis Albertus S. Thomas Bonauent. Richardus Capreolus Paludanus Maior Sotus Palatius Canus Petrus Sotus Henriquez Suarez Vasquez Valentia Coninck Emmanuel Sà Victoria.

3. SECVNDA sententia affirmat. Est Magistri in 4. dist. 16. & 18. Alensis 4. part. quæst. 24. memb. 4. art. 5. Alberti in 4. dist. 16. art. 20. S. Thomæ in 4. dist. 18. quæst. 1. art. 3. quæst. 3. & dist. 20. quæst. 1. art. 2. qu. 2. ad argumenta: Bonauenturæ dist. 18. art. 2. quæst. 2. Richardi art. 1. quæst. 5. Capreoli distinct. 19. artic. 3. ad 4. Scoti contra 4. Conc. Paludani dist. 20. quæst. 2. Maioris quæst. 1. Soti quæst. 2. art. 2. Palatij disp. 1. Cani relect. de pœnit. par. 6. in fine: Petri Soti de satisfact. lect. 2. proposit. 2. Henriquez lib. 5. de sacramentis cap. 18. & 20. Suarez disp. 38. sect. 3. & 7. Vasquez quæst. 94. art. 2. dub. 1. Valent. disp. 7. quæst. 14. Puncto 4. Coninck disp. 10. dub. 9. Emmanuelis Sâ vers. *satisfact.* 4. Quàm sentent. Vasquez & Victoria putant de fide; Suarez ita certam, vt sine temeritate negari non possit: Canus oppositam vocat *intolerabilem.* Et sanè si verba Trident. sess. 14. cap. 8. & can. 15. expendantur, adeo sententia hæc certa est, vt de ea dubitari non possit. Verba autem Concilij sunt hæc. *Habeant præ oculis* (supple Sacerdotes) *vt satisfactio, quam imponunt, non sit tantùm ad nouæ vitæ custodiam, & infirmitatis medicamentum; sed etiā ad præteritorum peccatorum vindictam, & castigationem: nam claues Sacerdotum non ad adsoluendum duntaxat; sed & ad ligandum concessas, etiam antiqui Patres, & credunt, & docent.* Et can. 15. Oppositum sub anathemate damnat. Si igitur in Sacerdote est potestas ligandi pœnitentem per iniunctam satisfactionem, erit in pœnitente obligatio acceptandi: alioqui frustra esset in Sacerdote potestas, cui nulla responderet in pœnitente subiectio.

Diuersimodè confutatur opposita sētentia. Cōcil. Tridentinum.

Nauarrus.

4. DICES 1. cum Nauarro. Esse in Sacerdote potestatem non absolutam, sed arbitrariam, cui respondet in Pœnitente subiectio non coacta, sed libera. Sed contrà. Nam hanc potestatem ligandi Concilium comparat cū potestate soluendi: atqui potestas soluendi siue à culpa, siue à pœna æterna, (non enim intelligi potest de potestate soluendi à pœna temporali: quia hæc est eadem cum potestate ligandi per pœnitentiæ impositionem: quæ quatenus pœnitentem obligat ad acceptandam satisfactionem, dicitur potestas ligandi) non est potestas arbitraria, sed absoluta: quia non est in arbitrio Sacerdotis absoluere, vel non absoluere pœnitentem à peccatis; sed ex præcepto tenetur posita subiecti dispositione: quo etiam præcepto tenetur pœnitens ad absolutionem procurandam, & acceptandam: ergo etiam potestas ligandi per satisfactionem erit in Sacerdote absoluta, consequenter etiam in pœnitente respondet obligatio acceptandi absoluta.

Faber.

5. DICES 2. Cum Fabro apud Dianam tract. 4. de sacramentis resol. 51. Concilium intelligi de pœnitentia, quatenus est medicinalis, & præseruatiua à futuris peccatis, non autem quatenus est satisfactoria: Vt sic enim potest illam non acceptare; sed in alia vita soluere. Sed contrà, nam hanc potestatem, quam confessarius habet imponendi Pœnitenti satisfactionem, manifestè extendit se ad imponendam illam etiam in vindictam, & castigationem præteritorum peccatorum, vt ex ipsius verbis suprà relatis apertè constat. Confirmatur: quia confessarius in hoc Tribunali non solùm agit partes Medici; sed etiam Iudicis & ministri Dei, cuius offensas iuxta ipsorum grauitatem punire debet in reo.

Matth. 16.

6. Eadem veritas deducitur ex verbis Christi. Matth. 16 *quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in Cœlis: quodcunq; solueris super terram, erit solutum & in Cœlis:* quæ non solùm intelliguntur de potestate ligandi, & absoluendi à culpa; sed etiam à pœna. Vt rectè colligit S. Thomas in hunc locum, ex pronomine, *Quodcunque*, quod non solùm extenditur ad culpam, sed etiam ad pœnam: Ligat autem Sacerdos ad pœnam, illam imponendo; soluit verò à pœna per impositam satisfactionem, à pœna peccatis debita liberando. Eandem docuit Augustinus lib. de vera, & falsa Pœnitentia cap. 15. vbi loquens de pœnitente: *ponat*, inquit, *se omnino in potestate Iudicis, in Iudicio Sacerdotis, nihil sibi reseruans sui. Vt omnia eo iubente paratus sit facere.* Vbi Notandum est Participium; *Iubente*, quod absolutam præcipiendi potestatem importat.

S. Thomas. Augustin.

Cōcil. Tridentinum.

7. Vltimò probatur Ratione. primo Quia ex Trident. sess. 14. cap. 3 & can. 4. satisfactio est pars integrans sacramentum pœnit. quæ nec à Sacerdote omitti, nec à pœnitente sine causa reijci potest. Consequentia probatur: quia vterque tenetur, quantum fieri potest, integrum sacramentum facere, fieret enim aliqua iniuria sacramento, si pars integralis sine causa omitteretur. Vt si quis in sacramento extremæ Vn-

ctionis

ctionis sine causa omitteret aliquam sensus iniunctionem. Secundò. Ex eodem Triden. sess. 14. cap. 5. & 6. & can. 9. Sacerdos est verus, & legitimus Iudex à Christo institutus in hoc foro pœnit. Atqui officium Iudicis postulat, vt possit ligare, & soluere per condignam pœnæ impositionē, sicut & Reus Iudici pœnā imponenti parere debet. Tertio. Ius naturæ dictat, aliquam iniuriæ recompensationem faciendam esse offenso, cùm ad ipsius amicitiam redit offendens: ergo aliquam satisfactionem exhibere debet pœnitens, cùm per sacramentum reconciliationis ad Dei offensi amicitiam redit: ergo maximè illam quam Sacerdos vice Dei imponit. 4. Tenetur Sacerdos tanquam medicus spiritualis opportuna adhibere remedia tum ad contractos animi morbos curandos; tum ad futuros præcauendos; ergo tenetur aliquam satisfactionem pœnitenti iniungere: ergo pœnitens tenetur eam acceptare. Prior consequentia probatur: quia non est alius opportunior modus vitia curandi, & in posterum vitandi; quàm ad oppositos actus Virtutum pœnitentem obligare. Posterior patet: nam arctiori vinculo adstringitur pœnitens erga suam salutem; quàm Sacerdos; ergo si hic tenetur eam pœnitenti procurare per opportuna media à fortiori tenebitur illam per oportuna media procuratam non respuere. Ex Dictis

Concil. Tridentinum.

Corollariū 1.

8. Infertur 1. teneri sub Mortali tam Sacerdotem conuenientes satisfactiones pœnitentibus iniungere; quàm pœnitentem eas acceptare atque exequi. Colligitur ex Tridentino sess. 14. cap. 8. *debent*, inquit, *Sacerdotes Domini, quantum Spiritus, & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, salutares & conuenientes satisfactiones iniungere, ne si forte peccatis conniueant, & Indulgentiùs cum pœnitentibus agant, leuissima quædam opera pro grauissimis delictis iniungendo; alienorum peccatorum participes efficiantur*. Nam & verbum *debent*, & quæ subsequuntur, *ne Alienorum peccatorum participes efficiantur*, satis declarant, grauem incumbere Sacerdotibus obligationem, ad condignas culpis pœnitentias imponendas.

Concil. Tridentinum.

9. Nec te moueat Concilium Florentinum in literis vnionis § *Quartum sacramentum*, vbi docet, satisfactionem imponendam esse. *Secundùm arbitrium Sacerdotis*: nam ly, *Secundùm arbitrium* non significat, quòd in arbitrio Sacerdotis sit, satisfactionem pro peccatis imponere, vel non imponere: sed quòd satisfactio iudicanda sit digna, vel non digna culpis, iuxta Sacerdotis arbitrium: quod Trident. explicauit per illa verba: *Quantùm Spiritus, & Prudentia suggesserit*. Quo iudicio posito, non est amplius in potestate Sacerdotis, Pœnitentiam, quæ iudicata est condigna peccatis, pœnitenti non iniungere. Quare solùm Sacerdotis arbitrio committitur iudicium de condignitate pœnæ, non autem de illa imponenda, vel non imponenda pœnitenti: hanc enim obligationem habet, vt Trident. testatur, à Clauibus, quæ ad hunc finem Sacerdoti conferuntur, vt per eas ligare, & soluere possit.

Concil Florentinum.

Concil Tridentinum.

10. Ratiò vero Corollarij est: quia Sacerdotes in hoc Tribunali sunt Ordinarij Iudices à Christo constituti, non minùs ad causas Dei; quàm pœnitentium agendas. Iudices autem tenentur secundùm leges à supremo Principe sibi constitutas iudicare: ergo tenentur Sacerdotes perpensa grauitate criminum, & pœnitentium facultate, condignas ac Salutares pœnitentias iniungere. Cùm enim hoc sacramentum non modò sit ad salutem animarum, sed etiam ad vindictam offensæ contra Deum institutum, non minùs debent iniunctæ pœnitentiæ esse condignæ pro offensis Deo illatis; quàm salutares pro animarum salute.

11. Addit autem Concilium, *pro pœnitentium facultate*: quia cùm hæc satisfactio, quæ in hoc sacramento iniungitur, non sit tantùm, vt dictum est, in vindictam peccatorum; sed etiam in salutem pœnitentis, debet illa spectari non solùm penes condignitatem compensationis; sed etiam penes vires, & facultatem pœnitentis, à quo sine magna difficultate adimpleri possit. Vnde si dubium esset, ne à pœnitente adimpleretur, posset in aliam faciliorem commutari: quam commmutationem licitè posset à confessario pœnitens petere, quam si ille negaret, alium posset confessarium adire.

Corollariū 2.

12. Infertur secundò, non teneri Sacerdotem sub mortali; sed tantùm sub veniali, satisfactionem pro peccatis venialibus iniungere. Ratiò, quia cùm hæc non sit pars essentialis; sed tantū integralis, nō est simpliciter necessaria ad validitatem Sacramēti. Omittere autem partem integralem minimam sacramenti, qualis esset satisfactio pro venialibus, non est, grauem iniuriam inferre sacramento. Eadem ratione sequitur, non teneri pœnitentem sub mortali, minimam satisfactionem pro venialibus acceptare. Vix tamen iste casus ex parte pœnitentis reduci potest in praxim absque contemptu, qui semper est mortale.

13. Dices. Qui in sacramento Eucharistiæ omittit miscere aquam vino consecrando, peccat mortaliter, esto aqua, quam miscere omittit, sit pars leuis: ergo qui in sacramento pœnitentiæ omittit satisfactionem leuem; peccat mortaliter, esto illa sit materia leuis.

Disparitas inter consecrationē sine admixta aqua, & sacramentū pœnit. sine satisfactione.

14. Respondeo negando consequentiam. Ratio discriminis: quoniam aquæ mixtio in sacramento Eucharistiæ habet aliquam Mysticam significationem, quæ non saluatur in solo vino, aut pane consecrando: est autem hæc, fluxio aquæ ex latere Christi, & vnio populi cum Christo. At significatio satisfactionis in sacramento pœnitentiæ saluatur in alijs partibus eiusdem sacramenti: Est enim hæc compensatio, quam

peccator

peccator tenetur offerre Deo pro suis peccatis: hæc autem non solum significatur per Pœnitentiam sibi à confessario iniunctam: sed etiam per dolorem ab ipso pœnitente conceptum; qui etiam offertur Deo in recompensatiouem illatæ offensę. Vnde non est hæc pars integralis ita necessaria huic sacramento, sicut mixtio aquæ Vino consecrando in Eucharistia. Et quanquam satisfactio non solùm iniungitur pro recompensatione offensę; sed etiam pro medicina, & cautela pœnitentis: tamen hæc non semper est necessaria pro peccatis venialibus.

15. Infertur tertiò. Teneri pœnitentem grauem pœnitentiam, etiam pro venialibus, vel mortalibus aliàs confessis, exequi sub mortali: contrà verò leuem, etiam pro mortalibus impositam non teneri sub mortali: Est Henriquez lib. 5. de sacramentis cap. 20. num. 3. & 4. Fundamentum: quia grauitas legis non sumitur ex grauitate causæ, ex qua imponitur, cùm illa sit extrinseca, sed ex grauitate operis iniuncti: ergo nec grauitas satisfactionis, quæ est lex à Sacerdote lata, desumenda est ex grauitate causæ, sed ex grauitate operis iniuncti. Confirmatur: quia sicut votum in materia leui, etiam propter grauem causam factum, non obligat sub mortali: & contrà, votum in graui materia, etiam propter leuem causam editum, obligat sub mortali: ita satisfactio &c.

Henriquez.

Grauitas legis vnde desumatur.

16. Infertur quartò. Pœnitentiam esse ante absolutionem iniungendam; non tamen peccare, qui illam iniungeret post absolutionem. Primum probatur: tum quia potest pœnitens cum confessario de pœnitentia non conuenire, atque adeo alium confessarium adire; tum quia absolutio est vltima sententia remissiua offensæ ex parte Dei, ergo supponere debet voluntatem satisfaciendi ex parte pœnitentis: tum quia absolutio est forma, satisfactio materia, quæ ad formam præsupponenda est. Secundum docet Nauarrus in caput primum de pœnit. dist. 6. num. 35. & Henriquez lib. 5. cap. 12 num. 10. Probatur: quia cum iniuncta satisfactio non spectet ad essentiam sacramenti, & aliundè non est probabile periculum, quod illam pœnitens non sit acceptaturus, nulla fit sacramento iniuria, si statim post absolutionem iniungatur: secus quando periculum foret, ne pœnitens illam esset acceptaturus: quia tunc deberet Sacerdos de voluntate pœnitentis certior fieri, ne, post impensam absolutionem, cogeretur alium confessarium adire.

Nauarrus Henriquez.

17. Infertur quintò. Non teneri ad implendam pœnitentiam, qui certò nouit absolutionem fuisse inualidam, tum quia illa non fuit pars sacramentalis, tum quia alioqui teneretur ad duplicem pœnitentiam, cùm debeat confessionem repetere, & aliam pœnitentiam acceptare.

18. Infertur sextò. Quæ opera sint pœnitenti iniungenda in satisfactionem peccatorum. Nam per se quodlibet opus, etiam internum, est aptum ad satisfaciendum Deo pro peccatis; tamen ex Trident. debent satisfactiones esse salutares, & conuenientes pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate: nempe vt ex eodem Trident. colligitur, debent, quantum fieri potest opera virtutum contraria peccatis in satisfactionem imponi, vt meliùs pœnitentis saluti consulatur: omnia autem opera satisfactoria ad hæc tria Theologi reducunt: ad Orationem, Ieiunium & Eleemosinam. Docet etiam ibidem Concilium, peccatorem per flagella à Deo inflicta, & patienter tolerata, pro suis peccatis satisfacere posse: adeoque eadem posse in satisfactionem peccatorum à confessore iniungi. Vnde potest infirmo iniungi infirmitas ipsa in satisfactionem suorum peccatorum; quin & opera aliàs præcepta; quæ tamen non intelliguntur imponi, nisi exprimantur.

Tridentini.

19. Ad Fundamentum primæ sententiæ. Nego Antecedens. Ad cuius probationem nego minorem. Non enim, vt probatum est, in arbitrio pœnitentis est, pro peccatis in hac, vel in alia vita satisfacere. Ad primam Confirmationem, nego sequelam: nam Purgatorium non est pro ijs, qui nullam voluerunt in hac vita pœnitentiã agere; sed pro ijs, qui quamuis iniunctam pœnitentiam egerunt; haud tamen totaliter pro suis peccatis satisfecerunt. Ad secundum. Cùm pœnitentia à confessore iniuncta debeat proportionari non solùm grauitati delicti; sed etiam facultati pœnitentis, & non quæuis pœnitentia proportionata grauitati delicti, proportionetur facultati pœnitentis, non sequitur, quòd si Sacerdos potest pœnitentem ad satisfactionem obligare, possit ad condignum obligare; sed ad illam dumtaxat, quæ, omnibus pensatis, censetur condigna, spectata facultate pœnitentis.

SECTIO II.

Quem effectum conferat satisfactio à confessore iniuncta?

20. PRIMA sententia. Negat conferre vllum effectum ex opere operato; sed tantùm ex opere operantis, qui illi respondet, vt bonum opus est ex gratia procedens. Est Soti in 4. dist. 19. quæst. 1. art. 5. 6. *Nibilominus*, Adriani quæst. 2. de satisfactione in solutione argumentorum. Fundamentum Soti est: quia si satisfactio haberet effectum ex opere operato, haberet illum, etiamsi fieret per peccatum veniale: nam sacramentum vel pars sacramenti non

Sotus Adrianus

amittit

amittit suum effectum, ex opere operato; etiamsi fiat per peccatum veniale, vt patet in suscipiente Baptismum ex vana gloria: absurdum autem est, nos satisfacere Deo per opus peccaminosum.

21. SECVNDA affirmat, satisfactionem sacramentalem augere gratiam ex opere operato. Est S. Thomæ tertia parte quæstione 90. articulo 2. ad 2. Caiet. ibidem, Et Soti distinctione 17. quæstione 1. articulo 2. solut. 2. Vbi contraria dixit ijs quæ postea docuit distinctione 19. præcitata: Suarez disputatione 18. sectione 2. Fundamentum. Quia satisfactio est pars sacramenti; ergo debet participare naturam totius: Atqui natura totius est conferre gratiam ex opere operato: ergo hoc ipsum competere debet parti. Confirmatur: quia si pœnitens eodem tempore, quo absoluitur, iniunctam pœnitentiam adimpleret, maiorem gratiam reciperet ex opere operato: ergo eandem recipiet, etiamsi illam adimpleat postea: nam ex eo, quod illam adimpleat postea, non tollitur, quin moraliter coniuncta cum alijs partibus vnum sacramentum constituat cum illis.

S. Thomas Caietanus Sotus Suarez.

22. TERTIA docet, satisfactionem sacramentalem conferre solam remissionem pœnæ temporalis ex præteritis peccatis condonatis relictæ; nec non auxilia quædam ad futura peccata faciliùs præcauenda: idque ex opere operato. Est Coninck disp. 10. dub. 10. Vasquez quæst. 94. art. 2. dub. 5. Henriquez lib. 15. de sacramentis cap. 20. num. 7.

Coninck Vasquez Henriquez.

23. DICO 1. Satisfactio à Confessore iniuncta, vt pars sacramenti, aliquem effectum confert ex opere operato. Fundamentum quia nequit satisfactio esse pars sacramenti, nisi aliquo modo participet naturam totius sacramenti. Nam pars dicitur; quæ integrat naturam totius: ergo participare aliquo modo debet naturam totius.

24. DICO 2. Effectus, quem ex opere operato satisfactio confert, vt pars sacramenti, non est augmentum gratiæ habitualis; sed remissio alicuius pœnæ temporalis ex peccatis iam condonatis relictæ, cum aliquo auxilio ad facilius præcauenda peccata in futurum. Primũ mihi suadet absurdum, quod ex opposita sententia manifestè sequitur: etenim si satisfactio gratiam conferret ex opere operato, sequeretur interdum peccatorem cum sola attritione iustificari extra sacramentum: nam fingatur, hominem iustificatum in sacramento pœnitentiæ, postea antequam adimpleat iniunctam pœnitentiam, incidere in peccatum mortale, cuius, quando pœnitentiam exequitur, obliuiscatur inuincibiliter; iam hic, cum sola attritione cadente super omnia peccata à tali peccato iustificaretur. Quod sic probo. Nam sacramentum, vel pars sacramenti, quæ vim habet conferendi gratiam ex opere operato, semper illam confert obicem non ponenti. Vt definit Tridentinum. sessione 7. can. 6. & 7. atque ex doctrina communi Theologorum, qui sacramentum, vel partem suscipit cum inuincibili ignorantia peccati, & attritione cadente super omnia peccata, non ponit obicem effectui sacramenti: ergo accipit gratiam, quam tale sacramentum, vel pars sacramenti ex opere operato natum est conferre: ergo qui post absolutionem in peccatum incidit, si postea satisfactionem iniunctam exequitur, cum inuincibili ignorantia talis peccati, cum sola attritione cadente super omnia, iustificabitur. Quod absurdum licet fortasse concederent Thomistæ, qui concedunt sacramentum pœnitentiæ informe; reliqui tamen illud non admittunt, neque admittere possunt. Secundum docuit S. Thomas in 4. distinctione 16. quæstione 1. articulo 1. quæst. 2. ad 3. his verbis. *Ad 3. dicendum, quod ex proposito satisfaciendi gratia confertur, quamuis satisfactio actualis gratiam præsupponat, vel dicendum, quod per satisfactionem consequitur pœnitens perfectum effectum gratiæ, peccatum abolentis: quia liberatur totaliter à reatu peccati.* Ex quo loco explicandum est, quod docuit in summa. Probatur 1. quia cum satisfactio vt pars sacramenti debeat aliquid ex opere operato conferre, cumque hoc esse nequeat remissio culpę, aut pœnæ æternæ, nam hæc remittitur per gratiam habitualẽ, quam, vt probatum est, non confert satisfactio, necessariò erit remissio pœnę temporalis, quæ per opera satisfactoria tollitur. 2. Probatur à priori. Nam sacramenta nouæ legis id tantum efficiunt ex opere operato, quod significant, vt colligitur ex Tridentino sessione 7. can. 6. Atqui satisfactio sacramentalis significat solam peccatorum punitionem, & pœnæ ex peccatis condonatis relictæ remissionem, & maiorem in posterum peccata præcauendi facilitatem. Sed hęc non præstantur à gratia habituali: sed ab operibus pœnalibus, & auxilijs gratiæ actualis.

Concil. Tridentinum.

S. Thomas.

Sacramenta nouæ legis id tantũ efficiũt quod significãt.

Concil. Tridentinum.

25. Ad fundamentum primæ patebit sectione sequenti. Ad fundamentum secundæ, distinguo primum consequens: debet participare naturam totius, adæquatè nego, inadæquatè concedo. Sufficit igitur, si participet naturam sacramenti, quantum ad remissionem pœnę, & gratiæ actualis collationem. Ad Confirmationem nego Antecedens, intellectum de gratia habituali.

26. Ex dictis sequitur: satisfactionem ante absolutionem adimpletam à pœnitente; etiam iustificato per contritionem, non conferre effectum ex opere operato; quia nulla pars sacramenti confert effectum

ex opere operato, nisi supponat sacramentum essentialiter constitutum. Atqui sacramentum pœnitentiæ essentialiter constituitur per absolutionem : ergo ante illam nulla pars, siue essentialis, siue integralis confert effectum ex opere operato. Constat 1. inductione : quia nullius sacramenti materia ante prolationem formæ, aut prolatio ipsa formæ, ante applicationem materiæ, confert effectum ex opere operato. 2. Quia sacramentum non confert effectum, nisi quando completur in ratione signi, completur autem per vtramque partem, materialem, & formalem : ergo tunc effectum causat.

Sacramentum non cõfert effectũ, nisi cõpleatur in ratione signi.

27. Neque dicas Eucharistiam conferre suum effectum antequam compleatur per vtramque speciem : nam vnaquæque species est perfecta in ratione signi, & sacramenti formaliter sumpti, licet non in ratione sacrificij, & signi materialiter accepti: Idẽ dicendum si sacramentum pœnitentiæ fuit inualidum: quia cùm partes vim sumant à toto, si totum fuit inualidum, etiam partes erunt inualidæ, & inefficaces ad suos effectus causandos.

SECTIO III.

An satisfactio sacramentalis in peccato adimpleta suum sortiatur effectum.

Duplex quæstionis sensus.

28. QVÆSTIONIS duplex est sensus. Primus. An satisfactio in statu peccati adimpleta suum consequatur effectum, & quando. Secundus. An adimpleta per opus peccaminosum habeat suum effectum.

29. Quoad priorem sensum prima sententia Negat, satisfactionem sacramentalem in statu peccati adimpletam suum sortiri effectum, nec quidem fictione recedente. Est Alensis 4. parte quæstione 24. membro. 4. articulo 2. Alberti in 4. distinctione 15. art. 10. S. Thomę quæstione 1. articulo 3. quæstiuncula 2. Richardi articulo 1. quæstione 5. Argent. quæstione vnica, artic. 1. Capreoli quæstione 1. articul. 1. conclus. 4. Soti distinctione 19. quæstione 1. articulo 5. *§. Nihilominus*, Valentiæ disputatione 7. quæst. 14. pu. 2. Quin addunt Alensis & Argentina, teneri pœnitentem iniunctam satisfactionem iterare, quando certus est, quòd illam impleuerit in peccato. 1. Probant: quoniam vt opera nostra sint satisfactoria coram Deo, debent illi esse accepta ; nulla autem opera, facta in statu peccati, sunt Deo accepta : cùm sint opera inimici. 2. Remissio pœnæ temporalis est opus amici, quia præparat hominem ad consecutionem gloriæ, remouendo impedimenta à peccatis relicta, ergo non potest conferri peccatori inimico. 3. Sequeretur etiam indulgentias sumptas in peccato conferre suum effectum ex opere operato : cùm non minus indulgentia, quàm satisfactio à confessore iniuncta virtute clauium, & meritorum Christi ordinetur ad remissionem pœnæ temporalis à condonatis relictę: Consequens est contra sensum Rom. Pontificum, qui nunquam indulgentias concesserunt peccatoribus, vnde semper addunt, *pro confessis, & contritis*. Quòd autem neque hęc opera reuiuiscant recedente fictione, Probant : Quia quod nunquam habuit vitam, non est reuiuiscentię capax : sed satisfactio in peccato adimpleta nunquam habuit vitam gratiæ. ergo.

Alensis Albertus S. Thomas Richardus Augustin Capreolus Sotus Valentia.

30. SECVNDA Conuenit cum præcedente in primo. Discrepat autem in secundo, Affirmans satisfactionem in peccato adimpletam reuiuiscere, suumque effectum sortiri statim, ac pœnitens gratiam recuperat. Est Caietan. tom. primo Opusculorum tract. 6. quæstione 2. Petri Soti de satisfactione, lect. 2. Suarez disputatione 38. sectione 8. Henriquez lib. 5. de sacramentis capite 20. Copinck disputatione 10. dub. 11. Sà V. *Satisfactio* numero 7. Eamque probabilem putat Bonauentura in 4. distinctione 15. parte 1. articulo 1. quæstione 4. quamuis primam censeat securiorem. Prior pars constat rationibus primæ sententiæ. Posterior probatur: nam satisfactio, vt pars sacramenti, imitari debet materiam totius. Atqui sacramentum pœnitentiæ si contingat esse informe, recedente fictione confert suum effectum ex opere operato : ergo & satisfactio.

Caietanus Petrus Sotus Suarez. Henriquez Coninck. Sà Bonauent.

31. TERTIA sententia docet, Satisfactionem sacramentalem in peccato adimpletam statim conferre suum effectum ex opere operato. Est Scoti in 4. distinctione 15. quæstione 1. paragrapho *de 4. dicitur.* Gabrielis distinctione 16. quæstione 2. articulo 3. dubio 2. Marsilij quæstione 11. articulo 3. Medinæ Codice de confessione quæstione 42. Nauarri in primum caput de pœnitentia, distinctione 6. numero 46. Vasquez quæstione 94. articulo 2. dubio 5. *Quæ magis pia, & probabilis est.* Fundamentum : quia effectus satisfactionis sacramentalis est sola remissio pœnæ temporalis cum auxilijs facilitantibus ad præcauenda peccata in futurum. Sed hoc effectu non priuatur satisfactio in statu

Scotus Gabriel Marsilius Medina Nauarrus Vasquez.

in statu

in statu peccati adimpleta. & aliunde huius effectus non est incapax peccator: ergo non est cur illum statim non conferat. Maior constat ex dictis. Minor quoad priorem partem probatur: quia satisfactio sacramentalis operatur in virtute meritorum Christi, vi clauium eleuata: ergo, vt coniuncta cum meritis Christi, non priuatur suo effectu, etiamsi fiat ab homine existente in peccato: quia peccatum non tollit, quod opus habet ex meritis Christi. Eadem sententia sequitur ex secunda parte secundæ sententiæ: alioqui nec recedente fictione posset tale opus conferre suum effectum. Confirmatur: Nam ex eo, quod opus fiat à peccatore, non statim sequitur, illud esse incapax præmij: nam contritio est actus elicitus à peccatore; & tamen illi ex diuina promissione respondet in præmium gratia sanctificans, saltem de congruo. Minor probatur quoad posteriorem partem: nam peccatum non reddit subiectum incapax effectus sacramentalis satisfactionis: quia effectus huius non est gratia habitualis, quæ pugnat cum peccato; sed remissio pœnæ temporalis ex condonatis peccatis relictæ, cum auxilijs facilitantibus peccatorem ad futura peccata præcauenda. Sed huius effectus capax est peccator: ergo non est cur illum statim non consequatur. Confirmatur: Nam sicut duplex datur genus sacramentorum, alterum Mortuorum, quæ gratiam conferunt etiam Mortuis. Alterum viuorum, quæ gratiam non conferunt nisi viuis: ita duplex quoque est genus satisfactionum. Altera, quæ remissionem pœnæ confert etiam mortuis. Altera, quæ nonnisi viuis, qualis est indulgentia, vt mox dicam.

32. Ad primum primæ distinguenda est minor. Nulla opera facta in statu peccati sunt Deo accepta in ordine ad præmium æternæ vitæ, concedo, in ordine ad præmium aliquod temporale, Nego. Ad secundum Nego antecedens: ad cuius probationem Nego remissionem pœnæ temporalis proximè, & immediatè præparare ad vitam, sed tantùm remotè, & mediatè: quo pacto etiam præparant auxilia gratiæ, quæ conceduntur peccatoribus. Vnde Nego, hæc esse opera amici: sed communia etiam cum inimicis. Sola enim remissio culpę, & pœnæ æternæ est opus, quod non debetur, nisi amicis. Ad tertium concedunt aliqui sequelam, teste Nauarro de Iubilæo & Indulgent. notabil. 17. numero 3. & apertè docent Mayronus in 4. distinctione 21. quæstione 5. articulo 4. & Rubio distinctione 19. quæstione 1. articulo 2.

Mayronius. Rubio. Nauarrus. Indulgentia in peccato non cōferat effectum.

33. Ego verò cum Nauarro Nego sequelam: tum quia de Indulgentijs habemus in Extrauagante *vnigenitus*: Christū thesaurum suorū meritorum commisisse dispensandum per suum in terris Vicarium verè pœnitentibus, & confessis. Non habemus autem, satisfactionem sacramentalem, non prodesse nisi iustis. Tum quia ad satisfactionem sacramentalem concurrit ipse pœnitens per proprium actum tanquam per instrumentum, integrans vnum cum satisfactione Christi: ad indulgentias autem non concurrit fidelis per proprium actum, tanquam per instrumentum integrans vnum cum merito, & satisfactione Christi per indulgentias applicatam: sed solùm tanquam per conditionem sine qua non: vnde tota vis Indulgentiarum est in sola satisfactione Christi, nobis per ipsius Vicarium applicata. Vnde posset nobis inscijs, & nihil operantibus applicari. Non fuit autem conueniens, vt Christus fructum suæ satisfactionis immediatè applicaret peccatoribus, & inimicis; bene tamen fructum sacramentalis satisfactionis: quia ad hanc non solùm concurrit Christus; sed ipse etiam pœnitens: ergo cùm Deus nullum bonum opus irremuneratum relinquat, potior ratio fuit, vt remuneraret satisfactionem sacramentalem, etiam à peccatore adimpletam, remissione pœnæ temporalis ex peccatis ritè confessis, & absolutis relictæ; quàm actum ad Indulgentias, ex voluntate Indulgentis, requisitum. Aliam discriminis rationem lege disputatione vltima de Indulgentijs numero 195.

34. Ad argumentum secundæ partis quatenus facit contra secundam partem sententię quam nos Veriorem iudicamus, supposito, quod satisfactio sacramentalis in peccato adimpleta non conferat statim suum effectum, defectu incapacitatis subiecti, neganda est Minor, nam licet satisfactio sacramentalis in peccato adimpleta non habuerit vitam à principio proximo, & instrumentali, habuit tamen vitam à principio remoto, & principali, quod fuit meritum Christi. Superest examinanda eadem quæstio in posteriori sensu. De qua

35. Prima sententia affirmat, satisfactionem sacramentalem, ex fine peccati venialis adimpletam, valere ad relaxationem pœnæ temporalis, propter quam est imposita. Est Suarez disputatione 38. sectione 8. Henriquez libro 5. de sacramentis capite 20. & libro de Indulgent. capite 9. Probatur primò. Quia sicut Baptismus ex fine peccati venialis susceptus, & confessio ex circumstantia peccati venialis facta, non priuatur effectu ex opere operato: ita nec satisfactio sacramentalis ex fine peccati venialis adimpleta. Secundò. Opus sacramentale non spectatur secundùm bonitatem, quam habet à persona proximè eliciente, sed secundùm bonitatem, quam habet

Suarez. Henriquez.

à Christo principaliter operante; ergo licet, vt procedit à persona proximè eliciente, non consequatur suum effectum; consequitur tamen illum, vt procedit à Christo principaliter concurrente.

36. SECVNDA Negat, satisfactionem sacramentalem ex malo fine peccati venialis adimpletam conferre suum effectum ex opere operato. Est Soti, Vasquez, Valentiæ, suprà citatorum. Pro cuius explicatione nota: dupliciter se habere posse circumstantiam peccati venialis ad actum satisfactionis, vno modo concomitanter, per actum omnino distinctum ab ipsa satisfactione; alio modo formaliter: quod est, quando circumstantia ipsa praua inficit actum satisfactionis, per modum obiecti, aut finis, per eundem actum intenti. Primo modo non tollit effectum satisfactionis, etiamsi per nos sit peccatum mortale: quia sicut non tollit intrinsecam honestatem actus, intuitu cuius tribuitur remissio pœnæ temporalis: Ita non impediet effectum ipsius ex opere operato. Sola igitur controuersia est de secundo modo. Quando circumstantia peccati venialis concurrit ad actum satisfactionis, formaliter.

Sotus Vasquez Valentia. Difficiliter se habere potest circumstantia peccati venialis ad actum satisfactionis.

37. DICO primò. Actus satisfactionis sacramentalis ex prauo fine, etiam peccati mortalis elicitus, valet ad implendum præceptum, à confessario iniunctum, de satisfaciendo pro peccatis confessis: modò per talem actum impleatur substantia ipsa satisfactionis. Est communis. Fundamentum: quia per talem actum impletur primarius finis, propter quem sacramentalis pœnitentia iniungitur: qui, vt ex Tridentino sessione 14. capite 8. colligitur, est, vt sit in vindictam patratorum criminum. Vnde per ieiunium, etiam ex praua circumstantia peccati mortalis factum, vindicatur carnis petulantia. Ex quo sequitur, non teneri pœnitentem satisfactionem, ex praua circumstantia adimpletam, iterare.

38. DICO secundò. Satisfactio sacramentalis ex prauo fine, etiam peccati venialis adimpleta, non confert effectum ex opere operato. Fundamentum: quia vt satisfactio consequatur effectum ex opere operato, habere debet formalem rationem satisfactionis: atqui satisfactio, ad impleta ex praua circumstantia, non habet formalem rationem satisfactionis. Maior constat: quoniam effectus ex opere operato non promittitur, nisi operi satisfactorio: ergo vt illum consequatur, supponi debet habere veram naturam satisfactionis: sicut quia gratia regeneratiua promittitur ablutioni, non datur nisi veræ ablutioni. Minor probatur. Nam satisfactio, vt ex nomine ipso patet, est opus factum intuitu offensi, in recompensationem offensæ: atqui hoc ipso quod fit ex prauo fine, non fit intuitu offensi, in recompensationem offensæ, sed intuitu eius rei, ex cuius motiuo & fine elicitur. Ex his sequitur, quòd, nec recedente fictione, tale opus confert effectum ex opere operato: quia vt talem effectum conferat, supponi debet habuisse aliquando rationem veræ satisfactionis.

39. AD primum primæ. Nego consequentiam. Ratio discriminis, quoniam circumstantia peccati venialis non tollit naturam Baptismi, aut Confessionis, cui respondent effectus ex opere operato: tollit autem naturam satisfactionis, cui facta est promissio, relaxationis pœnæ temporalis. Ad secundum licet opus sacramentale non spectetur secundùm bonitatem, quam habet à persona proximè eliciente; spectari tamen debet secundum conditionem ab institutore prærequisitam: sicut licet ablutio sacramentalis, vt effectum ex opere operato conferat, non requirat moralem bonitatem à Ministro; requirit tamen naturalem conditionem ablutionis, secundùm quam assumitur à Christo, vt instrumentum suæ passionis ad gratiam regeneratiuam causandam. Cùm igitur satisfactio sacramentalis assumatur à Christo, secundùm veram naturam satisfactionis, vt sit vniforme, & homogeneum instrumentum cum sua principali satisfactione, non assumetur ad talem effectum causandum, nisi habeat veram naturam satisfactionis.

40. Cæterum dubitari potest: an valeat homo condignè satisfacere pro pœna temporali, ex condonato peccato relicta, non tantùm vt membrum Christi; sed etiam vt principalis causa. Resp. affirmatiuè, modò homo sit in gratia, secus si sit in peccato. Primum patet: quia potest homo in gratia existens condignè mereri augmentum gloriæ æternæ; ergo, & à fortiori, remissionem pœnæ temporalis, quod est minus. Secundum probatur: quia opus factum in peccato; non est acceptum Deo in ordine ad vitam æternam; ergo neque ad remissionem pœnę, quæ vt impedimenti sublatio ordinatur ad vitam æternam: licet idem opus in peccato factum, vt pars sacramenti acceptetur ex meritis Christi.

Homo potest cõdignè satisfacere pro pœna temporali ex condonato peccato relictam.

SECTIO IV.

An satisfactio ab vno confessore imposita, possit ab alio mutari?

Negat Sotus.

41. PRIMA sent. Soti in 4. dist. 20. quæst. 2. art. vltimo §. *in casu*, negantis, pœnitentiam ab æquali impositam, posse ab alio æquali commutari; imò neque ab eodem, nisi pœnitens recurrat tempore; quo adhuc durare censetur sacramentale iudicium, vt post duos, vel tres dies, quo adhuc viget memoria peccatorum in mente confessarij; alioquin negotium transit in rem iudicatam: posse tamen commutari à superiore. Fundamentum est: quia par in parem non habet imperium. Vnde in foro exteriori nequit vnus Iudex, nisi sit Superior, mutare sententiam alterius.

Angelus, Syluester, Nauarrus, Henriquez, Suarez, Vasquez, Valentia, Coninck, Emmanuel Sà.

42. SECVNDA sententia reliquorum Theologorum communis docet, posse confessarium, etiam inferiorem, mutare pœnitentiam Superioris. Est Angeli verbo *confessio* 6. num. 4. Syluestri 1. quæst. 27. Nauarri in summa cap. 26. num. 22. & Concilio 3. de voto; Henriquez lib. 5. cap. 22. Suarez disp. 38. sect. 10. Vasquez. 3. p. quæst. 94. art. 2. dub. 3. Valentiæ disp. 7. quæst. 14. puncto 4. Coninck disp. 10. dub. 12. Emmanuelis Sà Verbo *satisfactio* num. 5. Addunt autem Nauarrus, Henriquez, Valentia, & Emmanuel Sà, etiam non auditis peccatis, propter quæ imposita fuit: quin vlterius censent Nauarrus, & Henriquez, posse inferiorem Sacerdotem commutare pœnitentiam à Superiore impositam, etiam ob peccata reseruata. Pro explicatione

Sotus.

43. Notandum, præsentem controuersiam non esse, quando pœnitentia imposita iudicio prudentis excedit facultatem pœnitentis, siue quia imposita fuit, errante claue, siue quia suborta est noua causa, à pœnitentia sufficienter excusans: nam tunc si impotentia est euidens, pœnitens iure naturæ manet à pœnitentia deobligatus: nec tenetur loco illius aliam assumere. Si verò impotentia est dubia, poterit etiam extra cōfessionē peccatis propter quę iniuncta fuit, narratis, à quolibet viro docto declarationem petere, vt notauit Sotus, non tamen posset extra confessionem sacramentalem pœnitentiam accipere: quia hæc, vt sit sacramentalis, & pars integrans sacramenti debet iniungi in ipsa confessione sacramentali. Sola igitur controuersia est: quando pœnitentia imposita proportionatur tam peccatis, quam facultati pœnitentis, ac proinde illum ad sui executionem obligat: verùm tunc possit ad solum beneplacitum pœnitentis ab alio confessario mutari. His adnotatis

44. DICO I. Quiuis legitimus confessarius mutare potest pœnitentiam, ab alio etiam superiore impositam; sed nonnisi in confessione, & auditis peccatis, propter quæ fuit imposita. Primum probatur: quoniam pœnitens habet ius eadem peccata, vni confessa, alteri iterum confitendi: ergo quilibet legitimus confessarius habet potestatem ea iudicandi, & condigna pœnitentia puniendi. Atqui non tenetur pœnitens de iisdem peccatis duplicem pœnitentiam subire: ergò poterit relictâ pœnitentiâ prioris, exequi pœnitentiam posterioris Iudicis. Igitur poterit vnus confessarius mutare pœnitentiam impositam ab alio. Prior tantùm consequentia est probanda, nam reliqua sunt certa. Hanc autem sic probo: ius iterandi confessionem est correlatiuum, cui necessariò in altero respondet ius ferendi iudicium supra peccata iterum confessa: est enim ius confitendi in ordine ad absolutionem sacramentalem accipiendam. Ergo ius reconfitendi necessariò supponit potestatem iudicandi, & pœnitentiam imponendi sine quibus sacramentalis absolutio impendi nequit. Confirmatur: nam ius reconfitendi peccata, est ius ad nouum sacramentum pœnitentiæ accedendi: sed ad nouum sacramentum pœnitentię perfectè conficiendum non solùm ex parte absoluentis noua requiritur absolutio; sed etiam noua pœnitentiæ impositio, cùm Pœnitentia saltem integraliter perficiat hoc sacramentum.

45. Secundum ostendo. Nam respectu sacramentalis iudicij nullus Sacerdos est superior, cùm omnes æqualem à Deo accipiant potestatem in ipsa susceptione ordinis. Igitur impertinens est, quòd vnus sit altero Superior: quia non est Superior vt Iudex in hoc foro: sed confessarius non iniungit pœnitentiam sacramentalem, nisi vt Iudex in hoc foro, à Christo constitutus in ipsa Ordinis susceptione. Igitur impertinens est, quod alio titulo sit superior.

46. Tertium constat: etenim cùm pœnitentia sacramentalis sit pars sacramenti pœnitentię; cùmque nequeat esse pars sacramenti, nisi sacramentali iudicio taxetur: vt autem iudicium sacramentale condignam peccatis pœnitentiam taxet, sacramentalem prærequirit cognitionem peccatorum, quæ haberi non potest, nisi per sacramentalem confessionem: ergo nequit posterior confessarius prioris sententiam sacramentaliter mutare, nisi auditis in confessione

fessione peccatis, in quæ illa fuit lata.

47. Dices. Esto vt pœnitentia sit sacramentalis, debeat ex sacramentali iudicio per sacramentalem confessionem formato procedere: adhuc tamen quæritur an liceat pœnitentiam mutare, & non per sacramentale iudicium? Respondeo negatiuè: etenim sicut non licuit priori confessario, pœnitentiam imponere, nisi ex sacramentali iudicio: ita neque licebit posteriori, illam in aliam commutare, nisi ex sacramentali iudicio: cùm vterq; teneatur integrum facere sacramentum: integratur autem sacramentum per pœnitentiam sacramentalem iniunctam.

Soluitur obiectio.

Instantia.

48. Instabis. Potest Pontifex, vel Episcopus mutare sacramentalem pœnitentiam extra iudicium sacramentale per applicationem indulgentiæ, per quam aut tollitur tota, si sit plenaria; aut pars, si plenaria non sit. Respondeo posse Pontificem, vel Episcopum per applicationem indulgentiæ extra confessionem sacramentalem pœnitentiam mutare: quia per indulgentiam ex opere operato supplere possunt effectum sacramentalis satisfactionis, qui est remissio pœnę relictæ ex peccatis condonatis, & recompensatio diuinæ offensæ, quę recompensatio æquè fit per indulgentiam, per quam Christi satisfactio applicatur: quos effectus supplere non possunt inferiores Sacerdotes extra sacramentum pœnitentiæ. Cæterùm non desunt authores, qui, oppositum etiam à simplici Sacerdote licitè fieri posse, doceant. Legatur Laymann tract. 6. cap. 15. num. 16. ad finem.

Respondetur instantiæ.

Laymann.

49. Dico 2. Probabile est, inferiorem Sacerdotem mutare posse pœnitentiam, impositam à superiore propter peccata reseruata: probabilius tamen est, non posse. Primum constat tum authoritate Doctorum, qui illam afferunt: tum ratione. Quia sicut peccata reseruata semel absoluta à superiore, non manent amplius reseruata; ita nec pœnitentia ab eodem imposita. Vnde sicut pœnitens habet ius iterum sua peccata reseruata alteri confitendi; ita & aliam pœnitentiam loco prioris subeundi.

50. Secundum probo hac vnica ratione: quia cùm reseruatio peccatorum vltimatè ordinetur ad iudicium, quod reseruans ferre debet de illis, vt colligitur ex Tridentinum sess. 14. capite 7. frustraretur hoc iudicium, si ab alio inferiori Sacerdote mutari posset. Vnde licet pœnitens possit peccata reseruata à superiore absoluta inferiori Sacerdoti confiteri, non tamen potest pœnitentiæ commutationem petere: quia in huiusmodi pœnitentijs inuoluitur tacitum præceptum, ne possint ab alijs commutari, nisi, vt communiter authores aduertunt, vrgente graui aliqua necessitate, & ad superiorem recursus non facilè pateat. Confirmatur: nam ex opposita sententia sequeretur, huiusmodi pœnitentiam non solùm posse commutari à quocuuque Sacerdote iuridico; sed etiam à quocunque alio: nam quicunque ratione ordinis, potest peccata semel confessa sacramentaliter absoluere.

Concil. Tridentinum.

51. Ad fundamentum primę sententiæ, negandum est, cùm Sacerdos posterior mutat pœnitentiam prioris, exercere in illum imperium; sed in ipsum pœnitentem, in cuius gratiam institutum est hoc sacramentum. Vnde nullam iniuriam facit priori; sed consulit conscientię pœnitentis, qui ius habet consulendi alium confessorem. Nec est eadem ratio de iudice exterioris fori: tum quia, cùm hæc mutatio sententiæ in tribunali forensi fiat in foro externo, minueretur fama alterius iudicis; mutatio verò sententię sacramentalis, cùm fiat in foro interno conscientiæ, nulla per se fit diminutio famæ alterius iudicis. Tum quia, cùm in foro pœnitentiæ agatur de salute æterna pœnitentis, præponenda est cuicunque alteri bono.

SECTIO V.

In qua nonnulla soluuntur dubia?

PRIMVM DVBIVM.

An possit pœnitens propria authoritate commutare sibi pœnitentiam à confessario iniunctam, in euidenter meliorem?

52. Dixi, *propria authoritate:* nam authoritate confessoris, nulla est difficultas: posset enim confessarius facultatem dare pœnitenti, vt ipse sibi pœnitentiam eligeret: & tunc pœnitentia, ab ipso pœnitẽte electa, haberet eandem vim, quam haberet, si esset à confessario imposita. Nam illa mediatè saltem proficisceretur ex virtute clauium, in quarum authoritate, illa esset à pœnitente electa.

53. Affirmat Diana tract. 15. Miscel. & tract. 4. de sacramentis, Resol. 53. Ratio: quia sicut potest vouens authoritate propria commutare sibi votum in opus euidenter melius; ita pœnitens pœnitentiam à confessario iniunctam in aliam euidenter meliorem.

Affirmat Diana.

54. Negant Henriquez lib. 2. de sacramento pœnitentiæ cap. 10. num. 5. Sanchez in summa tomo 1. lib. 4. cap. 11. num. 36. Coninck disp. 10. dub. 12. num. 103. & communiter alij; *Quibus assentior.* Moueor: quoniam pœnitentia nequit esse pars sacramenti, nisi procedat ex virtute clauium: ergo nequit esse pars sacramenti, nisi iniuncta à Confessario, in quo tantùm residet virtus clauium.

Henriquez. Sanchez. Coninck.

clauium. Antecedens constat: nam omnes partes huius sacramenti sortiuntur vim, & rationem sacramenti ab ipsa potestate Sacerdotali, à qua omnes actus pœnitentis eleuantur ad esse sacramenti. Nisi enim accedat Sacerdotalis absolutio, virtute clauium imperata, nec contritio, nec confessio habebunt rationem sacramenti: ergo pariter, nisi accedat imperium Sacerdotis, virtute clauium pœnitentiam pro peccatis confessis iniungentis, nullum pœnitentis opus, quantumuis honestum, habebit rationem sacramenti.

55. Confirmatur. Inde pœnitentia habet rationem sacramenti, vnde habet vim operandi ex opere operato: atqui vim operandi ex opere operato habet, vt iniuncta à Sacerdote virtute clauium in ipsa sacramentali confessione: ergo vt iniuncta à Sacerdote, & non propria authoritate electa, habet rationem sacramenti, & partis integrantis sacramentum. Vtraque propositio patet: cùm idem sit, habere vim operandi ex opere operato, & habere rationem sacramenti, seu partis integrantis sacramentum, cuius tantùm est operari ex opere operato. Neque hanc vim pœnitentia habere potest, nisi virtute clauium, iniuncta ab ipso Sacerdote in foro sacramentali. Porrò pœnitens tenetur pœnitentiam exequi vt partem sacramenti: tum quia tenetur integrum facere sacramentum: tum quia, cùm pœnitentia imponatur pœnitenti à Sacerdote nomine Christi in satisfactionem pro offensis illatis Deo, tenetur illam vt à Sacerdote iniunctam exequi.

Pœnitens tenetur pœnitentiam exequi.

56. Ex his apparet disparitas inter commutationem voti, & pœnitentiæ sacramentalis: quia votum pendet à voluntate vouentis, & eius, cui votum factum est: pœnitentia autem sacramentalis pendet à potestate clauium, virtute quarum eleuari debet ad esse partis sacramentalis. Non fit autem contra voluntatem, imò iuxta voluntatem eius, cui factum est votum, vt in melius cõmutetur. Quia cùm votum sit opus exhibitum in obsequium Dei, ex libera voluntate vouentis ad illud se obligantis; cumque melius, atque honestius opus magis placeat Deo; iuxta ipsius voluntatem erit, vt votũ à vouente commutetur in melius, honestiusque opus. Est autem contra pœnitentiam sacramentalem, quæ rationem sacramenti non habet, nisi à virtute clauium, vt propria ipsius pœnitentis authoritate commutetur in opus, etiam euidenter honestius. Cæterùm non puto mortaliter peccare; imò nec venialiter eum, qui id bona fide faceret.

Disparitas inter commutationẽ voti, & pœnitentiæ sacramẽtalis.

57. Ex dictis infertur, pœnitentem suæ obligationi non satisfacere, si Rosarium, quod in pœnitentiam à confessario accepit, non vocaliter; sed mentaliter tantũ recitaret. Ratio: quia Confessarius, nisi aliud exprimat, semper censetur pœnitentias iniungere iuxta modum ordinarium, quo solent communiter ab alijs exerceri: cumque communiter Rosarium soleat vocaliter recitari, non satisfacit pœnitens, si illud tantùm mentaliter oret. Sicut nec satisfacit, qui habens pro pœnitentia iniunctum ieiunium, illud nocte frangit, etiamsi die seruet, contra Suarez disp. 38. sect. 8. initio. Ratio est, quia ieiunium censetur à confessario pœnitenti iniungi iuxta morem, quo illud communiter seruatur in Ecclesia.

Suarez.

DVBIVM SECVNDVM

Quanto tempore differri possit pœnitentia?

58. DIANA, cum Antonio Fernandez è Societate IESV, putat differri posse per annum. Suarez disp. 38. sect. 7. num. 6. censet, quamprimum commodè potest, pœnitentiam esse adimplendam.

Diana Fernandez. Suarez.

59. Mihi distinguendum est: nam si pœnitens probabiliter dubitat, se pœnitentiam post aliquod tempus adimplere non posse, tenetur, cùm primùm commodè potest, illam adimplere, ne sacramentum relinquat imperfectum: si verò non dubitat, posset illam per annum differe: nam tamdiu potest illam differre, quam diu non tenetur per nouam confessionem ad nouum sacramentum pœnitentiæ accedere. Quod autem teneatur ante nouam confessionem illam adimplere, probatur: quia tenetur, antequam ad nouum sacramentum conficiendum accedat, præcedens perficere.

60. DICES. Qui probabiliter dubitat, se non adimpleturum præceptum de sumenda Eucharistia in Paschate, non tenetur tempus præuenire: ergo neque qui probabiliter dubitat, se intra annum non adimpleturum pœnitentiam à confessario iniunctam. Resp. quidquid sit de antecedenti, de quo infrà, negatur consequentia: nam in casu nostro aliqua iniuria fieret sacramento, si illud essentialiter completum per confessionem, & absolutionem, integraliter etiam non perficeretur per adimpletionem iniunctæ pœnitentiæ.

DVBIVM TERTIVM.

An possit confessarius pro pœnitentia sacramentali imponere opus applicandum Defunctis?

61. NEGANT aliqui apud Dianam tract. 4. de sacramentis resol. 54. Quorum Fundamentum est: quia cùm hoc sacramentum sit totum institutum in bonum pœnitentis; cumque pœnitentia à confessario iniuncta sit pars huius sacramenti, non poterit, nisi in bonum ipsius pœnitentis iniungi. Confirmatur. Nullum sacramentum debet suo fine frustrari: sed sacramentum

mentum pœnitentiæ institutũ est in remissionem culpæ, & pœnæ ipsius duntaxat pœnitentis: igitur non debet hoc fine frustrari.

Affirmant probabilius Sanchez. Diana Turrianus.

62. Affirmant, & quidem *probabilius* Sanchez lib. 8 de Matrimonio disp. 54. num. 41. Diana, & Turrianus apud ipsum. Moueor: quoniam ex eo, quod pœnitentia sacramentalis iniungatur pœnitenti pro remissione pœnæ alterius, non desinit esse pars sacramenti: ergo licitum erit ad hunc finem illam imponere. Antecedens probatur: quoniam vt sit pars sacramenti, sufficit, vt virtute clauium eleuetur ad conferendum effectum ex opere operato, quem semper operabitur, siue imponatur pro remissione pœnæ ipsius pœnitentis, siue alterius. Confirmatur: quia sicut potest effectus impetrationis sacramenti applicari alij; ita & remissio pœnæ. Ex his infertur, non solùm pro defunctis, sed etiam pro viuis posse sacramentalem pœnitentiam imponi.

63. Dices. Claues sacramentales non se extendunt vltra sphæram suæ virtutis: sed virtus clauium non se extendit vltra bonum pœnitentis, in ordine ad quod sunt datæ claues Sacerdoti. Resp. distinguendo minorem: virtus clauium non se extendit immediatè vltra bonum pœnitentis, concedo; mediatè, nego. Etenim per pœnitentiam applicandam defunctis immediatè procuratur bonum ipsius pœnitentis, dum eius morbo medetur, qui fortasse contra iustitiam, vel charitatem deliquit in defunctos; mediatè verò bonum defunctorum.

Virtus clauium immediatè se etiam extendit ad alterius, quam pœnitentis bonum.

64. Ex dictis patet ad Fundamentum oppositæ sententiæ. Nam ex eo, quod pœnitentia imponatur, applicanda defunctis, non tollitur, quin possit, saltem per modum medelæ, vel cautelæ prodesse pœnitenti; ac proinde in tali casu sacramentum suo fine non frustraretur. Non inficior tamen, tunc sacramentalem satisfactionem quoad proprium suum effectum remittendi pœnam ex opere operato non prodesse pœnitenti: sed defunctis: verùm hoc nihil obstat, vel repugnat sacramento.

DVBIVM QVARTVM.

An si confessarius probabiliter putet, pœnitentem nullam acceptaturum pœnitentiam, possit illum, nullâ pœnitentiâ impositâ absoluere?

Affirmant Henriquez.

65. Affirmant aliqui apud Henriquez li. 5. de sacramentis cap. 20. num. 6. in textu lib. 2. quam sententiam ipse videtur approbare. Ratio est: quia cùm hoc sacramentum sit institutum in bonum pœnitentis, non debet verti in malum, & laqueum ipsius; verteretur autem in malum, & laqueum ipsius, si in tali casu non impenderetur absolutio, nullâ pœnitentiâ impositâ.

1. Sent Negat probabilius Fagundez.

66. Negant verò Fagundez lib. de secundò Ecclesiæ præcepto cap. 3. num. 10. & alij. Quod *longè probabilius est*, & consequens ad ea, quæ supra dicta sunt. Etenim posito, quod pœnitens teneatur aliquam pœnitentiam à confessario iniunctam sub præcepto acceptare, planè sequitur, non fore dignum absolutione, qui ita dispositus est, vt nullam sit admissurus pœnitentiam. Quin etiam ij, qui contra nos sentiunt, non teneri pœnitentem vllam à confessario pœnitentiam acceptare, adhuc in hoc nobiscum censent, non esse absoluendum, qui de facto nullam pœnitentiam vellet à confessario admittere: quia licet, inquiunt, nullus teneatur in hac vita pro suis peccatis satisfacere; moraliter tamen non videtur ad hoc sacramentum dispositus, qui nullam pœnitentiam vellet à confessario acceptare.

DVBIVM QVINTVM.

An teneatur Confessarius pœnitenti satisfactionem iniungere, si sibi constet, illum pro toto reatu satisfecisse?

Affirmat Richardus.

67. Affirmat Richardus in 4. dist. 18. art. 2. q. 2. ad primum: vbi ait, *quod etiam si reuelatum esset Sacerdoti, quod tota pœna peccato debita, esset pœnitenti remissa, adhuc deberet Sacerdos pœnitenti iniungere aliquam pœnitentiam pro cautela contra futura.* Probatur primò hæc sententia, quam ego olim secutus sum. Primò. Quia pœnitentia est pars integralis huius sacramenti: non licet autem absque vrgente causa sacramentum imperfectum relinquere, absque sua parte integrali. Ergo etiamsi nulla maneat pœnitenti pro peccatis confessis luenda pœna, adhuc imponenda est aliqua pœnitentia, propter integritatem sacramenti. Secundò. Nõ minùs hoc sacramentum institutum est ad vindicandas iniurias contra Deum; quàm ad remittendam pœnam pœnitenti. Ergo licet nulla maneat pœnitenti luenda pœna, adhuc aliqua satisfactio imponenda est in recompensationem offensæ illatæ Deo. Tertiò. Non solùm hoc sacramentũ est institutum in vindictam præteritorum; sed etiam in remedium, & cautelam futurorum peccatorum: ergo licet nulla sit imponenda pœna pro peccatis præteritis, saltem imponenda erit in remedium, & cautelam pro futuris. Quartò. Confessarius in hoc sacramento est Iudex à Christo constitutus; Iudex autem tenetur ferre sententiam secundùm allegata, & probata in suo foro: ergo confessarius tenetur sententiam ferre iuxta peccata à pœnitente in hoc sacramento manifestata, nulla habita ratione præcedentis satisfactionis, quę ad forum huius sacramenti non spectat.

Negant Henriquez. Suarez.

68. Negant verò Henriquez lib. 5. cap. 20. num.

20. num. 6. Suarez disp. 38. sect. 3. & alij permulti. Quæ sententia, re maturiùs considerata, non solùm authoritate; sed etiam ratione *probabilior videtur*. Potissimum fundamentum est: quia totum hoc sacramentum institutum est in bonum pœnitentis, vt illum à culpa & pœna absoluat. Ergo si certò confessario constet, pœnitentem adæquatè satisfecisse pro suis peccatis, nullam tenetur illi pœnitentiam iniungere. Quia tamen hoc certò constare confessario non potest, regulariter semper tenetur aliquam pœnitentiam illi iniungere.

69. Confirmatur 1. Quia quò maior præcessit in pœnitente pro suis peccatis satisfactio; eo minorem potest confessarius pœnitentiam imponere: ergo si præcessit condigna, poterit nullam imponere. Confirmatur secundò: si propter maximam pœnitentiam, quæ pro suis peccatis in pœnitente præcessit, confessarius iudicat minimam esse imponendam, illam saltem non tenebitur sub mortali iniungere: cùm nec confessarius sub mortali teneatur minimam, quam iudicat, iniungere; nec pœnitens sub mortali illam adimplere.

70. Ad 1. Oppositę sententiæ, neganda est consequentia: nam satis vrgens causa omittendi pœnitentiam in tali casu esset, ipsamet adæquata pro peccatis satisfactio, quæ in pœnitente præcessisset: nam illa suppleret vicem pœnitentię sacramentalis, tam respectu pœnitentis; quàm respectu Dei. Neque vlla fieret iniuria sacramento: quia tunc ex iusta causa omitteretur pars tantùm integralis ipsius.

71. Dices: ergo non ideò peccat vel confessarius non imponendo pœnitentiam, quando certus non est de sufficiente satisfactione pœnitentis, vel pœnitens ipse, non exequendo iniunctam pœnitentiam: quia irritum facit sacramentum; sed quia illud tam à confessario; quàm à pœnitente non dirigitur in bonum ipsius pœnitentis. Atqui posset in hoc pœnitens iuri suo cedere. Ergo adhuc nulla præcedente satisfactione pœnitentis, posset tam confessarius nullam iniungere pœnitentiam; quàm pœnitens nullam adimplere.

Soluitur obiectio.

72. Respondeo negando totum discursum: nam quando confessarius non est certus de sufficiente satisfactione pœnitentis, iniungere debet pro grauibus delictis, grauem pœnitentiam: & quia iniuriam infert sacramento, qui notabilem partem integrantem omittit; ideo peccat in eo casu, nullam imponendo pœnitentiam. Eadem ratio est de pœnitente, qui in hoc suo iuri cedere non potest: quia in hoc inuoluitur ius ipsum sacramenti. Qui autem certus est de sufficiente satisfactione pœnitentis, non tenetur, quin nec debet grauem, sed leuem imponere pœnitentiam. Qui autem paruam partem integralem sacramenti omittit, grauē iniuriam non facit sacramēto: &, si causa subsit, poterit totam absq; peccato omittere.

73. Ad secundum. Negatur consequentia: nam eadem satisfactio, quæ imponitur pœnitenti pro remissione ipsius pœnæ, imponitur etiam pro recompensatione diuinæ offensæ. Ergo si constet confessario, pœnitentem sufficienter satisfecisse pro suis peccatis, eadem satisfactio simul erit recompensatio pro illata offensa, & pro remissione pœnæ peccatis debitæ.

74. Ad tertium. Negatur consequentia: nam sæpè nulla est necessaria pœnitentia pro remedio, vel cautela futurorum peccatorum. Quòd si esset necessaria, tunc sine dubio imponenda foret.

75. Ad quartum. Negatur etiam consequentia: nam ad hoc sacramentum non solùm spectant peccata, quæ à pœnitente in confessione manifestantur; sed etiā pœnitentiæ, quas pœnitens pro peccatis confessis egit. Etenim cùm iudicium huius sacramenti sit in fauorem pœnitentis; non solùm ad illud pertinent peccata; sed etiam satisfactiones peccatorum, quas pœnitens cum ipsis peccatis, in hoc iudicium adfert.

DVBIVM SEXTVM.

An possit confessarius grauem pœnitentiam, pro grauibus delictis, sub consilio tantùm, pœnitenti imponere.

76. Affirmant Suarez disp. 38. sect. 3. Fagundez lib. 9. cap. 3 num. 11. & alij: tum quia Confessarius in hoc sacramento non solùm est iudex; sed etiam medicus, & Prælatus: medicus autem, & Prælatus non semper infirmos, & subditos obligant sub præcepto; sed interdum sub consilio: tum quia etiam indulgentia est effectus clauium; quæ tamen nō imponitur sub præcepto, (non enim obligantur fideles ad indulgentiam lucrandam,) sed sub consilio: ergo etiam si pœnitentia sacramentalis sit effectus clauium, imponi potest sub consilio.

Affirmant Suarez, Fagundez.

78. Negat Vasquez quæst. 94. artic. 2. dub. 1. num. 9. & 10. Cuius fundamentum est: quia Sacerdos in hoc sacramento sententiam profert vt Iudex: Iudex autem sententiam in reum non profert sub consilio; sed sub præcepto, obligando illum ad sententiam acceptandam in pœnam commissi criminis. Vnde infert, pœnitentiam, quam Sacerdos pœnitenti sub consilio imponit, non esse sacramentalem: quia non imponit illam virtute clauium, quæ non exercent vim suam, nisi quando obligant.

Negat Vasquez.

79. Mihi verò dicendùm est: non posse Sacerdotem pro grauibus delictis, de quibus non præcessit in pœnitente condigna satisfactio, pœnitentiam imponere sub consilio; sed teneri illam imponere sub præcepto: posse tamen cum pœnitentia im-

Resolutio auctoris.

posita

posita sub præcepto aliquam iniungere sub consilio, quæ etiam erit sacramentalis, & causatiua ex opere operato meritorum Christi.

80. Primum probo, quia non potest Sacerdos, nisi vrgente causa, relinquere sacramentũ mutilũ, & imperfectũ quoad notabilem partem integrantem sui: igitur nõ potest pro delictis grauibus, de quibus cõdigna satisfactio in pœnitente non præcessit, nullam sub præcepto imponere pœnitentiam. Confirmatur. Quia Sacerdos est constitutus in hoc foro non solùm in fauorem pœnitentis; sed etiam in causa honoris diuini ad vindicandas offensas contra Deum: ergo non potest pro grauibus delictis nullam imponere pœnitentiam: posset autem nullam imponere, si illam tantum sub consilio imponere posset: nam quia ratione illam imponere posset sub consilio, eandem posset nullo modo imponere: quia sicut non tenetur pœnitens pœnitentiam sub consilio iniunctam implere: ita nec tenetur confessarius illam imponere.

81. Dixi, *de quibus non præcessit in pœnitente condigna satisfactio*: nam si ex parte pœnitentis condigna, vel sufficiens prò peccatis confessis præcesserit satisfactio, & de hoc confessario constet, posset tunc pœnitentiam solùm sub consilio iniungere. Ratio est: quia tunc non deberet grauem pœnitentiam imponere, vt ex 5. dub. constat: proinde in eo casu non priuaret sacramentum notabili parte integrali. Nam sicut posset sub consilio tantùm imponere pœnitentiam pro venialibus: quia hæc ex natura sua leuem exigunt pœnitentiam: ita & quando in pœnitente sufficiens præcessit satisfactio.

82. Dices. Vt pœnitentia sit grauis, vel leuis, pendet à voluntate confessarij: ergo si illam imponat grauem, siue præcesserit, siue non præcesserit in pœnitente satisfactio, semper tenebitur illam sub præcepto imponere: si verò imponat leuem, nunquam illam tenebitur sub præcepto; sed poterit sub consilio tantùm iniungere. Respondeo negando antecedens: quia cùm confessarius in pœnitentia sacramentali taxanda sit Iudex, grauitas, aut leuitas pœnitentiæ non pendet ex sola voluntate ipsius; sed ex grauitate, aut leuitate peccatorum, attenta facultate, & satisfactione pœnitentis, vt Tridentinum testatur sess. 14. cap. 8. Quare tunc solùm non tenebitur confessarius sub præcepto pœnitentiam imponere, quando perpensis omnibus circumstantijs leuis pœnitentia imponenda est: secus quando omnibus perpensis, iniungenda est grauis.

Concil. Tridentinum.

83. Secundum efficaciter probat fundamentum primæ sententiæ: quia confessarius in hoc sacramento non tantùm est Iudex; sed etiam medicus: proinde ipsius officium erit, non tantùm ex allegatis, & probatis à pœnitente, sententiam ferre, sed etiam ipsius morbis, & infirmitatibus, propter quas hoc sacramentum in fauorem pœnitentis institutum est, mederi. Sæpe autem expedit, vt præter pœnitentiam sub præcepto impositam, aliæ etiam sub consilio in medicinam, & cautelam iniungantur.

84. Quod autem talis pœnitentia sub consilio iniuncta sit sacramentalis; & causatiua ex opere operato, probatur tum à paritate indulgentiæ, quæ non minùs; quàm pœnitentia sacramentalis, est effectus clauium: sed hæc etiam sub consilio iniuncta suum effectum confert ex opere operato; ergo etiam pœnitentia sub cõsilio imposita. Tum à priori, nam claues datæ sunt Sacerdoti in bonum, & fauorem pœnitentis: sed in bonum pœnitentis non tantùm sunt necessariæ ad ligandum absolutè, & independenter à voluntate pœnitentis; sed etiam sub conditione, & dependenter à voluntate ipsius, si voluerit effectum satisfactionis ex opere operato consequi.

Pœnitentia aliquando sub consilio iniuncta est sacramentalis.

85. Hinc contra Vasquez sequitur, vi illorum verborum: *Quidquid boni feceris, & & mali sustinueris, sit tibi in remissionem pœnæ, & præmium vitæ æternæ*: omnia bona, quæ pœnitens est facturus, & mala, quæ patienter est passurus, operari ex opere operato ipsi pœnitenti, vt cum multis grauioribus authoribus ostendimus disp. de forma huius sacramenti sect. 1. Nam per hæc verba, tam bona à pœnitente facta; quàm mala ab eodem sustinenter passa, virtute clauium eleuantur ad operandum ex meritis Christi, vltra id, quod operarentur ex sola sua intrinseca honestate.

86 Ex dictis patet ad fundamentum Vasquez, quatenus est contra hoc tertium dictum: nam claues non solùm sunt ad ligandum absolutè, & sub peccato, sed etiam conditionatè, & sub pœna tantùm.

DVBIVM SEPTIMVM.

An pœnitentia sacramentalis suum effectum ex opere operato conferre valeat ante absolutionem sacramentalem?

87. Respondeo negatiuè. Ratio fundamentalis est: quia nequit suum effectum ex opere operato conferre, nisi vt pars integralis sacramenti: nequit autem esse pars integralis sacramenti, nisi supponat sacramentum essentialiter constitutum: essentialiter autem hoc sacramentum constituitur absolutione sacramentali, tanquam forma: nequit igitur ante illam suum effectum ex opere operato conferre. Maior patet: quia pœnitentia habet hanc virtutem à sacramento, quatenus est pars sacramentalis ipsius. Minor subsumpta constat. Assumpta probatur: nam pars integralis pendet ab essentiali: nisi enim sit essentia sacramenti, nequit esse pars integralis ipsius: sicut nequit esse pars integrans hominem, nisi sup-

Conclusio.

ponat

ponat essentialiter constitutum hominem. Hinc infertur, contritionem non conferre suum effectum ex opere operato, ante, sed post absolutionem sacramentalem. Legantur quæ supra dicta sunt numero 26.

DVBIVM OCTAVVM.

An satisfaciat, qui sacramentalem pœnitentiam adimplet solùm quoad substantiam, non autem quoad circumstantias?

Diana. Resolutio dubij.

88. Affirmāt aliqui apud Dianam tract. 4. de sacramentis Resol. 55. Sed distinctione opus est: nam quando circumstantiæ reddunt opus, quod in pœnitentiam iniungitur, notabiliter afflictiuum, & laboriosum, non satisfit præcepto confessarij, nisi opus iniunctum adimpleatur cum circumstantijs. Vt si imponatur Rosarium flexis genibus recitandum, non satisfacit pœnitens, si illud recitet stando, vel sedendo: quia hæc circumstantia in ratione satisfactionis notabiliter auget opus iniunctum. Neque præsumendum est confessarium noluisse pœnitentem obligare, nisi ad puram Rosarij recitationem: alioqui talem circumstantiam non apposuisset. Secus verò iudicandum, quando circumstantiæ non reddunt opus iniunctum notabiliter laboriosum, & afflictiuum: vt si confessarius imponat Psalmos Pœnitentiales recitandos domi, & pœnitens recitet in templo.

DVBIVM NONVM.

An interdum opera aliàs præcepta censeantur comprehensa inter opera in satisfactionem à confessario imposita?

89. Hoc dubium oritur ex prima sectione Corollario vltimo, vbi diximus, posse quidem opera aliàs præcepta in pœnitentiam sacramentalem imponi; nunquam tamen illa censeri à confessario imponi, nisi exprimantur: velut cùm in pœnitentiam imponitur sacrum, vel ieiunium, non intelligitur de sacro, vel ieiunio, ad quod aliàs pœnitens sub præcepto obligatur. Quæritur igitur, an interdum inter opera, in satisfactionem à confessario imposita, intelligantur comprehensa, etiam opera aliàs præcepta.

Resolutio dubij.

90. Respondeo affirmatiuè: idque ex circumstantijs colligendum erit: vt si imponatur pro pœnitentia Eleemosyna, satisfacit pœnitens, etiamsi illam faciat extremè indigenti, cui aliàs ex præcepto charitatis tenetur illam facere. Secus, si illam faciat proprijs parentibus, vel consanguineis, qui ordinariè semper extremè indigent. Ratio discriminis est; quia hic casus obligat ordinariè pœnitentem ad succurrendum suis extremè indigentibus: non autem ille proinde ille non censetur, sicut iste à pœnitentia confessarij, exclusus. Item si pro pœnitentia imponantur duo sacra die festo audienda, pœnitens non tenebitur ad duo sacra, præter illud, quod aliàs sub præcepto tenetur audire.

DVBIVM DECIMVM.

An qui pœnitentiam iniunctam suo tempore non adimpleuit, alio tempore teneatur illam adimplere?

Tripliciter iniungi potest pœnitentia à Cōfessario.

91. Tripliciter potest pœnitentia à confessario iniungi: Primò, vt certo die adimplenda: vt ieiunium pridie Natiuitatis B. Virginis; Rosarium in Sabbato orandum. Et hoc modo omissam pœnitentiam assignato die non tenetur pœnitens illam alio die adimplere; sed tantùm de omissione dolere, eamque suo tempore confiteri. Ratio est; quia talis pœnitētia est addicta certo tempori, quo elapso, non ampliùs obligat: sicut officium diuinum, aut sacrum in festo omissum, vel votum ieiunandi, aut recitandi Psalmos determinato die, in honorem alicuius sancti, non tenemur alio die ea perficere: quia sunt opera ex intentione Ecclesiæ, vel confessarij, aut vouentis addicta ad certum diem, quo elapso, non ampliùs obligant: quia vltra illum non se extendit intentio imponentis, aut vouentis.

92. Secundò: iniungi potest pœnitentia à confessario ad nullum certum diem addicta: & tunc certum est, quolibet die eam à pœnitente impleri posse.

93. Tertiò: imponi potest certis quibusque diebus in hebdomada, aut mense exequenda, vt ieiunium singulis diebus Veneris intra mensem, vel annum seruandum. Et tunc quando pœnitens vna hebdomada, aut mense pœnitentiam non adimplet, tenetur alia hebdomada, aut mense adimplere. Ratio: quia tunc pœnitentia non imponitur, vt addicta ad certum diem, sed pro commoditate pœnitentis diuiditur in hebdomadas, vel menses, vt faciliùs adimpleri possit. Ex his infertur, si confessarius imponat ieiunium pœnitenti singulis diebus veneris per annum seruandum, & festum Natiuitatis Domini incidat in diem veneris, non teneri pœnitentem illo die ieiunare; sed posse ieiunium transferre in alium diem.

DVBIVM VNDECIMVM.

An qui oblitus est pœnitentiæ sacramentalis teneatur confessionem repetere?

Affirmat Richardus.

94. AFFIRMAT Richardus in 4. dist. 17. art. 1. quæst. 8. in 4. argumento. Cuius fundamentum est, quia pœnitens tenetur de peccatis confessis pœnitentiam agere iuxta arbitrium confessarij: confessarius autem nequit pœnitentiam iustè taxare, nisi cognita culpa. Igitur qui pœnitentiam oblitus est, tenetur iterum sua peccata confiteri, vt pœnitentiam iuxta confessarij arbitrium accipiat.

Distinguunt Syluester Angelus Tabiena.

95. Distinguunt verò Syluester, Angelus, Tabiena verbo *Confess.* nam si pœnitens culpabiliter pœnitentiam oblitus est, tenetur confessionem repetere, vt arbitrio Sacerdotis dignam suis peccatis accipiat pœnitentiam: si non culpabiliter, non tenebitur confessionem repetere.

Sentiunt probabilius Sotus Petrus Soto Nauarrus Valentia Coninck Layman.

96. At Sotus in 4. dist. 20. qu. 2. art. 2. ad tertium, Petrus Soto lect. 2. de satisfactione §. *tertia propositio*, Nauarrus in summa cap. 9. num. 17. Vasquez quæst. 94. art. 2. dub. 4. Coninck disp. 10. dub. 9. num. 86. Laymann tract. 6. cap. 15. in fine, & alij putant, ad nihil teneri, qui sacramentalis pœnitentiæ oblitus est, nisi ad confitendum peccatum negligentiæ, si fortè culpabiliter oblitus est.

97. Hæc sententia *probabilior est*. Fundamentum: quoniam ex vna parte pœnitens non tenetur peccata semel confessa reconfiteri: ex alia parte non potest pœnitens propria authoritate pœnitentiam sibi imponere; cùm nec possit esse Iudex sui, nec sibi sacramentalem pœnitentiam imponere: quia hæc fit sacramentalis sola virtute clauium: ergo manebit à pœnitentia liber, quamquam illam in alia vita debebit soluere. Notant autem Doctores, consultius esse, vt pœnitens in proxima confessione à confessario petat, sibi aliam pœnitentiam iniungi pro ea, cuius est oblitus: præsertim si ipse fuerit in culpa.

98. Ex his à fortiori sequitur, non teneri pœnitentem, aliam facere pœnitentiam, si ad eam, quæ sibi à confessario imposita est fiat impotens: vt si propter infirmitatem fit impotens ad impositum ieiunium exequendum, non tenebitur loco ieiunij, Eleemosinam facere, vel orare.

99. *Obijcies* 1. Posset in tali casu pœnitens dicere confessario, se grauem accepisse pœnitentiam, cuius tamen oblitus est, cui confessarius tenebitur aliam æquiualentem imponere. Sed contrà: tum quia neque indirectè tenetur pœnitens peccata semel confessa reconfiteri: tum quia non posset confessarius, si statum pœnitentis saltem in communi non nouit, pœnitentiam taxare: cùm nemo possit sententiam ferre, incognita omnino causa. Vnde saltem in communi deberet iste peccata semel confessa iterum in confessione manifestare.

Nemo potest sententiam ferre incognita omnino caussa.

100. *Obijcies* 2. Tenetur vouens, si oblitus est votum, aliquid æquiualens præstare; ergo & pœnitens. Respondeo negando consequentiam: nam votum pendet ex voluntate vouentis: ergo poterit loco obliti, aliud æquiualens sibi imponere. Sacramentalis autem pœnitentia pendet ex arbitrio Sacerdotis, qui incognita culpa, non potest pœnitentiam imponere: & quia pœnitens non tenetur peccata semel confessa reconfiteri, non tenebitur pro pœnitentia oblita aliam à confessario petere.

101. *Obijcies* 3. Qui certus est de debito soluendo, incertus verò de quantitate, vel qualitate, tenetur aliquid æquiualens soluere: ergo qui certus est de pœnitentia, incertus de quantitate, aut qualitate, tenebitur aliam æquiualentem præstare. Respondeo negando consequentiam. Etenim prius debitum est iustitiæ, quod semper obligat, vel ad debitum in specie, vel ad æquiualens. Posterius verò est debitum reuerentiæ erga sacramentum, vt illud imperfectum non relinquatur: cuius debiti obligatio cessat, interueniente iusta causa: cuiusmodi est ius, quod pœnitens habet, ne sua peccata semel confessa, iterum confiteri debeat.

102. *Obijcies* 4. Qui certus est de peccato mortali in genere, incertus verò de peccato in specie, tenetur illud saltem in genere confiteri: ergo qui certus est de obligatione pœnitentiæ in genere, incertus autem de pœnitentia in specie, tenetur aliquam saltem in genere pœnitentiam agere. Respondeo negando consequentiam: nam de peccato habemus expressum præceptum illud confitendi, vt est in nostra conscientia. De pœnitentia autem solùm habemus præceptum, illam adimplendi iuxta arbitrium confessarij. Obliti autem pœnitentiæ in specie, esto recordemur pœnitentiæ in genere, non possumus illam iuxta arbitrium confessarij, qui illam non in genere, sed in specie determinauit, adimplere.

Assignatur disparitas inter peccata confitenda in genere, & religionem ad satisfaciendum.

DVBIVM DVODECIMVM.

An satisfactio sacramentalis possit per alium impleri?

Sotus Henriquez Suarez Fagundez.

103. AFFIRMANT communiter Scholastici in 4. dist. 20. Sotus dist. 19. quæst. 2. art. 4. Henriquez lib. 5. cap. 21. num. 4. Suarez disp. 38. sect. 9. Fagundez lib. 9. cap. 4. num. 12. & plerique recentiores. Fundamentum est: quia pœnitentia sacramentalis ad duo ordinatur, ad medendum spiritualibus morbis pœnitentis, & debitum peccatorum soluendum. Esto igitur

tur non possit quoad primum ab alio, quia ab ipso pœnitente impleri; poterit tamen quoad secundum, cùm possit vnus pro alio debitum soluere. Qui authores non tantùm loquuntur de solutione per modum operis operantis; sed etiam per modum operis operati: putant enim, claues Sacerdotales non solùm se extendere ad opera exequenda ab ipso pœnitente. sed etiam exequenda ab alio pro ipso pœnitente.

Negant verius Vasquez, Ledesma.

104. Negat vero Vasquez quæst. 94. articulo 2. dub. 1. num. 10 & Ledesma apud Fagundez. *Quod verius est, & probabilius.* Et quidem certum primò est, id fieri non posse authoritate pœnitentis: quoniam pœnitens, vt constat ex primo dubio, non potest propria authoritate mutare pœnitentiam, sibi à confessario iniunctam, eamque in partem sacramenti eleuare, cùm hoc sit proprium clauium Sacerdotalium.

105. Secundò certum quoque est, confessarium non posse virtute clauium obligare alium ad satisfactionem, pro pœnitente exequendam, etiamsi is sponte se offerat, ad huiusmodi pœnitentiam exequendam: quia claues Sacerdotis non se extendunt nisi ad pœnitentem. Vnde etiamsi in tali casu, pœnitentia, ab alio adimpleta, prodesset pœnitenti per modum operis operantis; non tamen prodesset per modum operis operati, de quo tantùm est præsens difficultas.

Claues Sacerdotis nō se extendūt nisi ad pœnitentem.

106. Remanet igitur, vt confessarius talem pœnitentiam imponat alteri exequendam, medio consensu ipsius pœnitentis. Et tunc triplex insurgit difficultas: Prima: an debeat aliquando confessarius hoc modo pœnitentiam imponere. Secunda: an saltem licitè possit eam aliquando imponere. Tertia & præcipua: an talis pœnitentia esset sacramentalis, & effectum pœnitenti conferret ex opere operato.

107. Quoad primam difficultatē. Resp. negatiuè. Nam in duobus casibus posset esse dubium: an teneretur confessarius satisfactionem pœnitenti iniungere per alium exequendam. Primus: si pœnitens sit impotens per se illam exequi. Secundus: si nollet, etiam si posset, per se illam exequi. In neutro autem casu tenetur. Non in primo: quia impotentia excusat, & pœnitentem à pœnitentia exequenda, & confessarium ab iniungenda, vt constat de moribundis: non enim confessarij pœnitentiam, quam nequeunt moribundi exequi, alijs illorum vice exequendam imponunt. Neque in secundo: quia vel talis pœnitentia esset commensurata viribus, & facultati pœnitentis; cuius iudicium spectat ad confessarium, tanquam ad proprium iudicem: & tunc pœnitens si nollet illam acceptare exequendam per se ipsum, non esset absoluendus: quia non esset dispositus, cùm nollet acceptare pœnitentiam, quàm tenetur acceptare. Vel non esset commensurata viribus, & facultati pœnitentis; & tunc deberet commutari in aliam, qua esset viribus, & facultati pœnitentis commensurata.

108. Quoad secundam: regulariter non licet, quamuis in aliquo casu possit. primum probatur: quoniam, vt mox constabit, satisfactio ab alio, quàm à pœnitente adimpleta, non potest esse pars sacramenti. Atqui supra dub. 6. probatum est, non posse Sacerdotem absque vrgente causa hoc sacramentum, sine notabili parte integrante, imperfectum relinquere. Igitur regulariter non licebit pœnitentiam alteri exequendam imponere. Confirmatur: nam pœnitentia ad tria imponitur, ad medicinam propter morbum contractum, vel contrahibilem; ad recompensationem pro offensis illatis Deo, ad remissionem pœnæ temporalis relictæ ex peccatis condonatis. Primum & secundum nequit suppleri per pœnitentiam ab alio impletam. De primo constat, quia medicina non curat; neque præseruat à morbo, nisi sumpta ab ipso infirmo. De secundo probatur: nam & punitio, & recompensatio non est per modum meriti, vti fuit satisfactio Christi, & opera, quæ vnus iustus offert in satisfactionem pro alio peccatore; sed per modum iustæ pœnæ correctiuæ culpæ à iudice impositæ, quæ secundum rectum ordinum iustitiæ, quem Deus, teste Tridentino sessione 14. capite 4. in hoc sacramento seruat, per se postulat esse in ipsa persona, quæ deliquit. Quoad tertium, & si possit pœnitentia vnius quoad remissionem pœnæ prodesse altari, haud tamen prodesse poterit tantùm, quantùm si ab ipso pœnitente fieret. Nam facta à pœnitente non solùm illi prodest ex opere operantis; sed etiam ex opere operato: nec solùm quoad remissionem pœnæ, sed etiam quoad incrementum gratiæ, si illa in statu gratiæ adimpleatur. Quòd vero aliquando id licitum sit, constat, quando vel pœnitens est impotens ad omnem pœnitentiam, & desiderat saltem per alium aliquam facere: vel quando non potest totam pœnitentiam per se ipsum adimplere: nam etiam tunc, cum consensu pœnitentis, licitè poterit confessarius partem iniunctæ pœnitentiæ, alteri exequendam, imponere.

Pœnitentia ad tria imponitur.

Concil. Tridentinum.

109. Quoad 3. Difficultatem Resp. negatiuè: quoniam, vt constat ex Tridentino sessione 14. capite 3. materia huius sacramenti, sunt ipsi actus pœnitentis, qui virtute clauium eleuantur ad esse sacramenti. Cùm igitur satisfactio ab alio impleta non sit actus pœnitentis, non erit apta materia virtute clauium eleuabilis ad esse sacramenti. Quare solùm prodesse poterit pœnitenti per modum operis operantis, non autem per modum operis operati.

Cōcil. Tridentinum.

110. Dices. Hoc ipso quòd pœni-

tentia adimpletur ab alio, ex consensu ipsius Pœnitentis, fit actus ipsius pœnitentis, ac proinde fit apta materia sacramenti: sicut Eleemosyna, facta per famulum, ex consensu Domini, censetur actus ipsius Domini. Resp. negando antecedens: ex quo tantùm sequitur, consensum ipsum pœnitentis esse actum proprium ipsius pœnitentis; non autem pœnitentiam ab alio impletam. Nec est eadem ratio de Eleemosyna Domini per famulum facta: nam hæc principaliter fit à Domino, à famulo autem nonnisi instrumentaliter: cùm illam non elargiatur ex bonis suis sed Domini. Pœnitentia verò fieret ab alio, vt à causa principali: quia fieret ex proprijs operationibus, vt ieiunare, peregrinari, orare, sunt actus proprij ieiunantis, peregrinantis, orantis, cùm fiant ex proprijs actibus ipsorum ieiunantis, peregrinantis, orantis, non autem pœnitentis.

Assignatur disparitas.

DVBIVM XIII.

An possit pœnitens iniunctam pœnitentiam adimplere tempore operis aliàs præcepti?

111. CASVS: an qui pro pœnitentia debet officium Beatæ Virginis recitare, possit illud recitare tempore, quo sacrum audit ex obligatione? Resp. affirmatiuè, quando huiusmodi opera sunt sibi inuicem compossibilia, cuiusmodi sunt recitatio officij, & auditio sacri: quia potest quis ad vtrumque attendere: quod inter alios docet Petrus Soto lect. 2. de satisfact. §. *hinc proximum est.*

Resolutio dubij affirmatiua.

Petrus Sotus.

DVBIVM XIV.

An qui pro pœnitentia debet duas, aut tres Missas audire, satisfaciat si omnes in Diuersis altaribus eodem tempore simul audiat?

112. AFFIRMAT Sanchez in summa lib. 1. cap. 14. in fine: pro qua sententia citat Maiorem, & Petrum Ledesmam. Quæ sententia *probabilis est*: quia præceptum confessarij non est, nisi de duobus, aut tribus Missis audiendis: ergo modò possit esse moraliter præsens duabus, aut tribus Missis simul, satisfacit præcepto. Secus verò esset, si confessarius exprimeret, vt non omnes simul, sed vnam post aliam audiret: nam illa circumstantia temporis, quæ inter vnam Missam, & aliam intercederet, notabiliter pœnitentiam aggrauaret: ac proinde qui illam non seruaret, non satisfaceret præcepto confessarij.

Affirmant Sanchez.

Maior Petrus Ledesma.

DVBIVM XV.

An sit imponenda noua pœnitentia ei, qui cum nouis peccatis, statim post sacramentalem absolutionem ad confessionem rediit?

113. NEgat Henriquez lib. 5. cap. 20. num. 6. Ratio esse potest: quia tunc sequens absolutio facit vnum moraliter cum præcedente: proinde non est noua pœnitentia necessaria; sed sufficit præcedens, quæ data fuit pro præcedentibus peccatis.

Negat Henriquez.

114. Mihi verò distinguendum est: nam si peccata, quæ de nouo pœnitens affert, sunt mortalia, & nunquam confessa, imponenda erit noua pœnitentia. Ratio est quia in tali casu iudicium confessoris variatur substantialiter, ac proinde nouam debet pœnitentiam imponere, cùm prior fuerit iuxta aliud indicium, & sententiam substantialiter diuersã. Si verò sint venialia, vel mortalia ritè alias confessa, non tenetur confessarius nouam imponere pœnitentiam. Nam ex vna parte talia peccata non variant substantialiter iudicium confessoris: ex alia parte sicut tunc subsequens confessio facit vnam confessionem moraliter cum præcedante: ita & absolutio subsequens, cum absolutione præcedente; ac proinde vnum sacramentum moraliter: pro quo vna etiam sufficit pœnitentia.

Distinguit auctor.

DISPVTATIO XVII.

De præcepto diuino Confessionis.

SECTIO PRIMA.

An Confeßio sit iure diuino præcepta?

1. NON hoc ipso, quòd sacramentum hoc fuit à Christo institutum, vt probatum est disp. 10. sect. 1. & 2. statim sequitur, ab eodem quoque fuisse præceptum: nam secundùm multos potuit à Christo institui, & nihilominus eius præceptum relinqui potestati Ecclesiæ: sicut à Christo instituta sunt sacramenta Cõfirmationis, & Extremæ Vnctionis; quorum tamẽ præceptum relictum est authoritati Ecclesię, quæ pro sua authoritate posset hæc sacramenta præcipere. Ergo supposito, quòd hoc sacramentum fuerit à Christo quoad omnes eius partes institutum, vt ibidem probatum est, vlteriùs hîc quærimus: an ipsius vsus sit ab eodem Christo præceptus?

Concil. Tridentinum. 2. Catholica sent. est à Concilio Trident. sess. 14. cap. 5. & Canone 6. & 7. contra Hæreticos nostri temporis definita, iure Diuino necessarium esse omnibus post Baptismum lapsis, confiteri omnia, & singula peccata mortalia, quorum memoria post diligentem discussionem habetur; etiam occulta, & circumstantias omnes peccati speciem mutantes. Huius Diuini præcepti argumentum 1. est, perpetuus, & nunquam interruptus, vel ab ipsô nascentis Ecclesiæ exordio, ad hæc vsque tempora, sacramentalis confessionis vsus. *Vsus sacramenti pœnitentiæ ab Ecclesiæ exordio nũquam interruptus est. Augustini regula.* Nam, quæ Augustini lib. 4. de Baptismo cap. 24. Regula est: *Quod vniuersa tenet Ecclesia, nec Concilijs institutum, sed semper retentum est, nonnisi authoritate Apostolica traditum rectissimè creditur:* cùm igitur neque in Concilijs, neque in Pontificum decretis vllum extet initium huius præcepti, censendum est, illud manasse immediatè à Christo, per Apostolos Ecclesiæ communicatum. Hunc perpetuum sacramentalis confessionis vsum per omnes fermè ætates eruditè probat Cardinalis Bellarminus lib. 3. de pœnit. à capite 6. vsque ad decimum. *Bellarmin.*

3. Quod si aliqua Concilia, vel Pontifices huius obligationis mentionem fecerunt, tempusque confessionis asignarunt, illam tamen non tam ipsi præceperunt; quàm prę ceptam præsupponentes, tempus duntaxat huius præcepti præscripserunt: vt de Concilio Lateranẽsi, in quo pręscriptum est tempus annuæ confessionis interpretatur Trident. sess. 14. cap. 5. *Concil. Lateranense. Concil. Tridentinum.* *Neque enim*, inquit, *per Lateranense Concilium Ecclesia statuit, vt Christi fideles confiterentur, quod iure Diuino necessarium, & institutum esse intellexerat; sed vt preceptum confessionis saltem semel in anno ab omnibus, & singulis, cùm ad annos discretionis peruenissent, impleretur.* Et in Concilio Carthaginensi 3. celebrato, tempore Siricij Papæ, approbato à Leone IV. Canone 31. sic legitur: *Cõcil. Carthaginense.* *Vt pœnitentibus secundùm peccatorum differentiam, Episcopi arbitrio, pœnitentia tempora decernantur.* Vbi non confessio, sed tempus confessionis dicitur ab Episcopis decerni.

4. Confirmatur: nam credibile non est, præceptum tam arduum, ac seruatu difficile, cuiusmodi est præceptum confessionis, vnquam attentatum fuisse ab Ecclesiæ Præsidibus; vel certè toti Ecclesiæ persuaderi potuisse, vt tam arduum præceptum acceptarent, ac tot sæculis inuiolabiliter obseruarent, Regibus, ac Principibus non repugnantibus.

5. Secundum argumentum huius diuinæ obligationis ducitur ex illo Ioannis 20. *Obligatio ad confitendum ducitur ex Ioã. 20.* *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Ex quibus verbis sic huius Diuini præcepti ad peccata confitenda obligationem deduco. Christus hoc loco, vt definit Trident. sess. 14. cap. 1. & Canone 3. sacramentum pœnit. instituit, *Cõcil. Tridentinum.* conferendo Apostolis, eorumque in Sacerdotio successoribus absolutam potestatem absoluendi fideles à peccatis, eaque iuxta ipsorum arbitrium retinendi: ergo simul fideles obligauit deferendi sua peccata ad Sacerdotes, tanquam ad Christi ministros, & Iudices. Consecutio est Trident. sess. citata cap. 5. Nam ex hac potestate, Sacerdotibus concessa, infert, *oportere à pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habent, in confessione recenseri, etiam si occultissima illa sint: cum constet*, inquit, *Sacerdotes iudicium hoc incognita causa exercere non potuisse, neque æquitatem in pœnis iniungendis seruare potuisse.* In ipsa igitur collatione potestatis absoluendi, & retinendi peccata Sacerdotibus concessę, Christus fidelibus præceptum imposuit, vt omnia sua peccata, post Baptismum commissa, deferrent ad Sacerdotes, tanquam ad Christi Iudices, & Ministros. Nam quo pacto Sacerdotes potestatem haberent peccata fidelium retinendi, si fideles

præceptum à Christo non haberent sua peccata ad Sacerdotes deferendi?

6. Tertiò probatur hęc veritas: quoniam, vt supra disp. 9. sect. 4 ostẽdimus, præceptum confessionis in lege Euangelicâ successit præcepto contritionis. Sed præceptum contritionis iure Diuino obligabat peccatores; ergo etiam præceptum confessionis. Consequentia patet: quia non est maior ratio, cur contritio fuerit Diuino iure præcepta, & non confessio sacramentalis, in eius locum subrogata. Duplici enim titulo contritio iure Diuino peccatorem obligabat, & ratione propriæ iustificationis; & ratione recompensæ, quã peccator tenetur Deo propter offensas ei illatas, offerre: ergo eodem duplici titulo confessio sacramentalis iure Diuino peccatorem obligabit. Minor autem constat ex ijs omnibus scripturç Oraculis, quibus pœnitentia peccatorum inculcatur, tanquam à Deo præcepta, Lucæ 1. *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis: & sexcenta alia, quæ afferri possent.*

Contritio duplici titulo peccatorem obligabat iure diuino.

Luc. 1.

7. Vltimò probatur hæc eadem veritas: nam optimi, ac prouidi legislatoris munus est, non modò sanctissimis legibus ciues instruere; sed ad eas etiam seruandas, quantũ fieri potest, illos obligare. Cùm igitur Christus pœnitentiæ sacramentum instituerit, tãquam sanctissimum, ac necessarium medium ad peccatorum remissionem consequendam, ad ipsius singularem prouidentiam, & bonitatem pertinuit, fideles omnes ad illud seruandum peculiari præcepto obligare. Quod obseruatum videmus in sacramento Baptismi: quod quia institutum est, vt necessarium medium ad consequendam remissionem peccatorum, voluit Christus ad illud seruandum peculiari præcepto obligare omnes.

8. Ex dictis infertur, non posse in hoc præcepto summum Pontificem dispensare, & multo minùs illud abrogare: cùm nullus inferior dispensare, vel abrogare possit Superioris præceptum. Nec obstat, quòd sæpe Pontifices videantur in iure Diuino dispensare, vt in votis irritandis, in Matrimonio rato dispensando &c. Nam vel in ijs propriè non dispensant Pontifices: cùm dispensare propriè sit, adhuc vigente lege, subditum ab illius obseruantia eximere. Pontifices autem cùm vota irritant; vel in Matrimonio rato dispensant, non eximunt subditos ab obseruantia legis, ea vigente, & obligante: sed solùm tollunt vinculum humana voluntate contractum, supra quam Pontifex, vt supremus Pastor, potestatem habet, quo vinculo sublato, ius Diuinum cessat. Vel si dispensant, id faciunt propter aliquam causam, quam probabiliter putant magis placituram Deo. Nulla autem apparet causa, quæ magis esset placitura Deo, quàm confessio ipsa sacramentalis.

Nullus inferior abrogare potest præceptum superioris.

Quid sit propriè dispensare.

SECTIO II.

An potuisset hoc sacramentum ab Ecclesia præcipi, si non fuisset à Christo præceptum.

9. PRima sent. affirmat. Est Medinæ Codice de conf. qu. 2. Nugnez 3. p. tomo 2. quæst. 6. art. 1. dub. 3. Suarez disp. 35. sect. 1. num. 18. Pro qua citat Adrianum, & Viguerium. Fundamentum est: quia si quid obstaret, quo minùs Ecclesia posset hoc sacramẽtum præcipere, esset: quia Ecclesia non habet potestatem in actus merè internos fidelium: hoc autem falsum est, vt constat de interna attentione, sub qua præcipit Orationem, & Officium Diuinum.

Medina Nugnez Suarez Adrianus Viguerius.

10. Secvnda sent. negat. Est Durandi in 4. dist. 17. qu. 8. nu. 7. Soti in 4. dist. 18. qu. 1. art. 1. §. *Dubium autem est*, Coninck disp. 5. dub. 3. & aliorũ. Pro cuius declaratione, Notandum 1. præsentem controuersiam in eo præcipuè sitam esse: an possit Ecclesia sacramentum confessionis præcipere sub eo ritu, & conditionibus omnibus, sub quibus de facto institutũ est à Christo, si ab ipso Christo præceptum non esset?

Negant Durandus Scotus Coninck.

11. Notandum 2. Id quod supra disp. 12. sect. 12. obseruauimus: bifariam posse Ecclesiam hoc sacramentum præcipere, vno modò immediatè præcipiendo totum sacramentum; alio modo immediatè tantum præcipiendo externam confessionem peccatorum, consequenter verò & mediatè internos actus, qui adhoc sacramentum perficiendum necessarij sunt. His adnotatis,

Bifariã intelligi potest Ecclesiam hoc sacramentũ præcipere.

12. Non posset Ecclesia immediatè præcipere totum sacramentum pœnitentiæ, prout de facto à Christo institutum est. Fundamentum est: quoniam hoc sacramentum, prout de facto à Christo institutũ est, essentialiter includit internum dolorem, & confessionem omnium peccatorũ mortalium, etiam internorum: sed Ecclesia non habet potestatem supra actus merè internos: igitur non posset hoc sacramentum, prout de facto à Christo institutum est, præcipere. Maior est de fide, definita à Trident. sess. 14. cap. 3. 4. & 5. & Canone 4. & 7. Minorem suppono ex communi Doctorum sententia. Nam licet Ecclesia potestatem habeat in actus internos, quatenus principia sunt externorum, non tamen potestatẽ habet in actus purè internos, qui nullo pacto principia sunt externorum. Ratio verò est: quia tota authoritas, quam habet Ecclesia in spiritualibus, est per ordinem ad externum regimen Hierarchicum, vt inferiores subordinentur superioribus, & superiores supremo capiti totius Ecclesiastici Regiminis, qui est sũmus Pontifex Vicarius Christi. Nam ea potestas concessa

Concil. Tridentinum.

Quomodo Ecclesia habeat, aut nõ habeat potestatem in actus internos.

est

est Ecclesiæ, quæ accommodata est humano Regimini: cùm enim Deus suam Ecclesiã regat per homines, eam tantùm potestatem suo Vicario contulisse, credendum est, quæ necessaria est, & sufficit ad humanum regimen. Hæc autem, vt patet, est potestas in eos duntaxat actus, qui aliquo modo in externum prodire possunt. Nam hi tantùm possunt humano modo, hoc est, sensibili aliqua notitia dignosci, & ab Ecclesia regulari. Actus autem purè interni, cùm per se non cadant in notitiam aliquam sensibilem, non possunt esse intra sphæram humanæ Gubernationis, cùm non possint homines vel ad eos eliciendos, vel ad eos elicitos externo aliquo signo manifestandos cogi, nisi ab eo, qui omnia hominum secreta nouit.

Sotus. 13. Hinc exploditur 1. Ratio Soti opinantis: ideo non posse Ecclesiam hoc sacramentum præcipere: quia non est illi communicata potestas excellentiæ instituendi sacramenta: exploditur inquam: quoniam potestas ferendi præceptum de sacramentis, non est eadem cum potestate instituendi sacramenta, vt patet: quia potest Ecclesia ferre præceptum de Confirmatione, vt de facto *Concil. Tridentinum.* Tridentinum sess. 23. cap. 3. de refor. præceptum tulit, ne *Prima censura initientur, qui sacramentum Confirmationis non susceperint.* Potuit igitur Ecclesia habere potestatem præcipiendi sacramenta, esto potestatem non habuerit instituendi sacramenta.

Coninck. 14. Reijcitur 2. Ratio Coninck docentis, ideo non posse hoc sacramentum, sicut de facto à Christo institutum est, ab Ecclesia præcipi: qui cùm hoc sacramentum sit seruatu difficillimum; cumque nequeat Ecclesia legem tam difficilem ferre, nisi in casu vrgentis necessitatis; quę tamen in eo euentu nulla esset, siquidem aliunde potuissent tunc peccatores iustificati solo actu contritionis, independenter ab hoc sacramento, consequens fit, vt non potuisset hoc sacramentum Ecclesia præcipere. Exploditur autem hæc ratio: nam esto hoc pręceptum foret aliquibus seruatu difficile, non propterea tamen simpliciter ferri non potuisset: nam qui maximam tunc difficultatem sensissent, excusati fuissent ab illius obseruantia: vti de facto Doctores communiter docent, esse legem saltem consuetudine introductam, vt omnes qui possunt, sua peccata propria voce confiteantur: à qua tamen lege excipiuntur, qui in hoc maximam sentiunt difficultatem, licitumque ijs esse, pro voce vti scripto.

15. DICO 2. Posset Ecclesia directè, & per se solùm præcipere Confessionem de peccatis externis, quo præcepto posito, obligaretur pœnitens Iure diuino, propter Reuerentiam, quam debet huic sacramento, ne illud irritum reddat, vnà cum peccatis externis confiteri reliqua peccata mortalia interna, actumque doloris adhoc sacramentum necessarium elicere. Prior assertionis pars patet: nam in tali præcepto nihil est, quod Ecclesiæ potestatem excedat: nam totum id, quod præciperet, esset actus externus, conducens ad externum Regimen & gubernationem Ecclesiasticam, propter quam Ecclesia potestatem habet ad omnes actus externos fidelium.

Durandus. 16. At deest, inquit Durandus, in tali actu externo ratio probationis, esto non desit in Ecclesia authoritas. Quod autem probari non potest, iustè puniri non potest: quod autem puniri non potest, de eo lex ferri nequit: cùm nulla lex præcipere possit actum, cuius transgressorem punire non valet: aliàs frustra esset lex, quæ transgressores punire non posset. Vnde ex Aristotele 10. *Aristoteles.* Ethicorum, omnis lex vim habet coactiuam.

Durandus. 17. Sed contrà: nam hic puniri posset propter transgressionem confessionis, quæ est actus externus, quamuis secretus. Adhoc autem, vt actus puniri possit, non est necesse, vt de facto possit in publico Iudicio probari: sed sufficit, si ex natura sua sit talis, vt possit probari, licet defectu testimonij nunquam possit in actum probationis redigi. Actus autem externus confessionis non solùm natura sua est talis, vt probari possit, sed etiam vt in actum probationis, per testimonium confessarij, redigi possit; ac proinde ipsius negatio est capax Ecclesiasticæ punitionis. *Quid requiratur vt actus aliquis puniri possit.*

18. Posterior pars assertionis probatur. Etiam licet per se, & directè vi solius præcepti Ecclesiastici pœnitens non teneatur, nisi ad confitenda sola peccata externa; ex suppositione tamen, quod deberet hęc peccata confiteri Sacerdoti, habenti authoritatem conficiendi vnà cum externa confessione pœnitentis sacramentum, à Christo institutum, iure Diuino, & ex debito Religionis teneretur, ne iniuriam inferret sacramento, illud irritum reddendo, simul cum peccatis externis, confiteri interna, actumque doloris elicere. Sicut ex suppositione, quòd ex præcepto Ecclesiæ tenemur vocaliter orare, iure Diuino, & virtute Religionis obligamur, propter Reuerentiam, quam in orando Deo debemus, internam attentionem adhibere.

19. Ex his infertur, quid dicendum sit, si Christus hoc sacramentum instituisset ad libitum confitentis, vt non omnia peccata; sed quæ tantùm ipse vellet, confiteri posset. Etenim neque tunc potuisset Ecclesia præceptum ferre de vllo peccato interno, sed tantùm de externis, deque ipso actu externo confessionis: quia verò, vt suppono neque tunc potuissent omnia peccata remitti, nisi de omnibus præcessisset internus dolor, etiã si ad non omnia confitenda obligatus fuisset, de omnibus tamen debuisset dolere, vt omnium remissionem consequi potuisset. Quem dolorem etiam tunc iure Diuino, & ex suppositione, quod ad hoc sacramentum

tum accederet vt iustificandus, elicere debuisset.

SECTIO III.

An satisfiat præcepto diuino per confessionem informem, sed validam?

20. IN mea sententia, qui confessionem validam, & informem nego, hæc quæstio locum non habet. Nam sicut in mea sententia nulla confessio informis est valida; ita nulla confessione informi satisfit præcepto diuino. Ergo solùm hæc quæstio examinanda est iuxta sententiam eorum, qui admittunt confessionem validam informem. Alioqui certum est; quando confessio est nulla, siue id accidat defectu pœnitentis siue defectu absoluentis, tali confessione non satisfieri præcepto diuino: quoniam præceptum diuinum ad minimum obligat ad suscipiendum sacramentum: sed quando confessio est nulla, sacramentum est nullum: igitur non satisfit præcepto diuino, de sacramento suscipiendo.

Negant nescio qui.

21. PRIMA sententia negat, quam tamen apud neminem legi: probari tamen potest 1. Qui facit confessionem informem, non assequitur finem, propter quem Christus illam instituit, qui est iustificatio à peccatis: ergo non satisfacit Intentioni Christi, & consequenter ipsius præceptiuæ voluntati. 2. Non satisfacit præcepto contritionis, qui informem elicit contritionem: ergo nec præcepto confessionis, qui informem facit confessionem. 3. Si posset quis confessione informi satisfacere præcepto diuino, posset per eam, etiam scienter factam, satisfacere diuino præcepto: consequens est falsum: alioqui posset quis scienter accedere ad hoc sacramentum absque dispositione, ad ipsius effectum requisita. Sequela probatur: nam ex eo quòd illa cognoscatur informis, non variatur quoad suam naturam, cùm nulla res varietur per extrinsecam cognitionem: ergo si illa, vt ignota, sufficit ad satisfaciendum præcepto diuino, etiam vt nota sufficiet.

Affirmant Durandus Petrus Sotus. Henriquez. Suarez. Fagundez.

22. SECVNDA sententia Affirmat. Est omnium, qui confessionem validam, & informem admittunt: Durandi in 4. dist. 17. quæst. 14. num. 8. Soti dist. 18. quæst. 3. art. 3. Petri Soti lect. 8. de confessione ad finem. Henriquez lib. 5. cap. 11. Suarez disp. 35 sect. 4. Fagundez de secundo præcepto Ecclesiæ lib. 1. cap. 2. num. 2. & aliorum. Pro cuius sententiæ explicatione

23. Notandum: confessionem informem, sed validam dupliciter admitti à citatis authoribus; vno modo ex defectu integritatis, ob ignorantiam etiam mortaliter culpabilem, vti illam admittunt Dominicus Sotus, Henriquez, Nugnez 3. p. tomo 2. qu. 9. art. 1. dub. 1. Diana tract. 4. de sacramentis Resol. 65. Alio modo, ex defectu doloris, inculpabiliter se non extendentis ad peccata inuincibiliter oblita, vti illam admittit Suarez; vel ex defectu doloris reipsa insufficientis, probabiliter tamen putati sufficientis, vt illam admittit Valentia disp. 7. quæst. 11. punct. 3. §. *nunc quod attinet ad aliud dubium.*

Dominicus Sotus Henriquez Nughez Diana. Suarez. Valentia.

24. DICO 1. Per confessionem 1. modo informem, non satisfit præcepto diuino. Fundamentum: quia talis confessio non solùm est informis, sed inualida, & nulla: nequimus autem inualida confessione diuino præcepto satisfacere. Minor constat. Maior, in qua est difficultas, probatur. Ea confessio est inualida, quæ deficit ab aliquo essentialiter requisito: talis confessio deficit ab aliquo essentialiter requisito: igitur est inualida. Maior elucet. Minor probatur: Diligens conscientiæ examen est ad confessionem sacramentalem essentialiter requisitum. Qui autem negligentia mortaliter culpabili ad confessionem sacramentalem peccatorum se examinat, non adhibet diligens conscientiæ examen: ergo deficit ab aliquo essentialiter requisito. Maiorem docet Tridentinum sess. 14. cap. 5. his verbis: *Ex his colligitur, oportere à pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habent in confessione recenseri.*

Concil. Tridentinum.

25. Neque hoc potest ab aduersarijs negari, qui vltro concedunt, aliquem examinis defectum, nempè qui crassæ, & supinæ negligentiæ comparatur, inualidam reddere confessionem. Et ratio id etiam euidenter demonstrat: nam eadem lege præcipitur actus, & medium ad actus executionem necessarium: cùm igitur diuina lege præcipiatur confessio omnium mortalium, eadem lege etiam præcipitur diligens conscientiæ examen, sine quo nequit fieri confessio omnium mortalium, præsertim distinctè quoad speciem, & numerum, vt Tridentinum definit. Quare tota controuersia inter nos, & aduersarios sita est in minori propositione, nempe, qui negligentia mortaliter culpabili ad sacramentalem peccatorũ confessionem se examinat, non adhibet diligens conscientiæ examen, quod ex Concilio ad sacramentalem peccatorum confessionem requiritur.

Eadem lege præcipitur actus & medium ad actus executionem necessarium.

26. Hoc autem sic probo. Diligentia, quam ad sacramentalem peccatorum confessionem Concilium prærequirit, debet esse moralis, ac probabilis, quæ in conscientia ipsa peccatoris moraliter, ac probabiliter tollat practicum dubium de opposita negligentia mortali. Quis autem dicet, examen negligentia mortaliter culpabili factum, esse morale, ac probabile, & in conscientia ipsa peccatoris moraliter, probabiliterque tollere practicum dubium de opposita negligentia

gligentia

gligentia mortali? Maior apertè colligitur ex eodem Concilio citato capite, vbi ita hoc examen describit: *Post quam quisque diligentius se excusserit, & conscientiæ suæ sinus omnes & latebras explorauerit.* At qua veritate dici poterit, diligentiùs se discutere, & conscientiæ suæ sinus omnes, & latebras explorare, qui negligentia mortaliter culpabili se examinat?

27. Explicatur. Qui mortali negligentia culpabili se examinat, non potest moraliter, probabiliterque iudicare, se facere quantum debet; quod iudicium necessarium est, vt re ipsa pœnitens diligens adhibeat examen: nam non solùm requiritur, vt hoc examen re ipsa à pœnitente ponatur; sed debet etiam ipsi pœnitenti constare: imò hoc diligens examen à pœnitente poni, non est aliud, quam ipsimet pœnitenti hoc moraliter, ac probabiliter constare: constat autem illi per practicum iudicium, quo prudenter probabiliterque iudicat, se facere, quantùm in re tam necessaria facere debet. At hoc ipso, quod in ipso examine pœnitens mortaliter deficit, non potest habere hoc practicum iudicium: nam si hoc haberet, non posset mortaliter deficere. Implicat quippè dicere, quòd quis prudenter, probabiliterque iudicat, se facere quantùm potest, in examinanda conscientia; & simul in hoc ipso examine mortaliter peccare: nam probabile, ac prudens iudicium tollit peccatum mortale, quod stare non potest cum probabili, ac prudenti iudicio, de rectè operando iuxta regulas propriæ conscientiæ.

Probabile ac prudens iudiciũ tollit peccatũ mortale.

28. Confirmatur. Qui in ipso examine mortaliter peccat, vel tale peccatum confitetur simul cum alijs, vel non. Si non confitetur, non potest validam facere confessionem, cùm scienter absque iusta causa illam dimidiet. Si confitetur: Tenetur illud efficaciter retractare, atque à se tollere per diligens examen, quo probabiliter iudicet, se fecisse, quantum in re tanta debuit. Ergo hoc ipso, quòd maior diligentia non adhibetur, non tollitur voluntas, & affectus erga tale peccatum: proinde qui cum tali negligentia adhoc sacramentum accedit, non accedit sufficienter dispositus: nam sufficiens dispositio adhoc sacramentum debet ex Tridentino sess. 14. cap. 4. excludere voluntatem peccandi, quam non excludit, qui dum potest mortalem negligentiam tollere, non tollit. Nec sat est, de tali negligentia tantùm dolere: nam, vt talis dolor sit sufficiens, debet actu tollere culpabilem negligentiam, quæ pœnitentem periculo exponit dimidiandi confessionem. Quemadmodum non sufficeret, si quis aduertens, se versari in periculo peccandi in ipsa confessione cum confessario, & illud non tolleret, dum posset: nam hoc ipso, quod non tollit, dum potest, non subtrahit affectum ab illo.

Concil. Tridentinum.

29. DICO 2. Per confessionem 2. modo informem impletur præceptum Diuinum. Assertio probatur 1. à posteriori. Nam qui talem confessionem facit, non tenetur iterum confiteri: ergo satisfacit præcepto Diuino. Consequentia patet: nam quam diu praceptum non adimpletur, semper vrget obligatio illud adimplendi. Igitur si hic non tenetur confessionem repetere, satisfacit præcepto. Antecedens constat tum authoritate omnium Doctorum, validam & informem confessionem admittentium: tum ratione: nam hic adimplet substantialiter actum præceptum: qui tantùm est de confitendis omnibus peccatis mortalibus, quæ post diligens examen sunt in conscientia peccatoris, legitimo Ministro, cum sufficienti dispositione prudenter probabiliterque putata. Sed in hac sententia iste confessus est omnia sua peccata mortalia, quæ post diligens examen habuit in conscientia, legitimo Ministro, cum sufficienti dispositione, prudenter probabiliterque putata, vt eadem sententia supponit: ergo adimplet substantialiter actum præceptum.

30. Secundo à priori. Præcepta non obligant, nisi prout sonant. Sed præceptum de sacramentali confessione non sonat, nisi confessionem omnium peccatorum mortalium, quorum conscientia habetur post diligens examen, factam cum legitimo Ministro, & cum aliquo dolore supernaturali, probabiliter putato sufficienti: ergo satisfacit præcepto, qui sic in hoc foro confitetur. Maior constat ex illo recepto axiomate, *pœnalia potius sunt restringenda, quàm amplianda.* Cùm igitur confessionis præceptum sit pœnale, non debet ampliari ad actum confessionis formatæ, sed potius restringi ad actum confessionis informis, modò quoad essentiam sacramenti sit valida. Supponit autem hæc sententia, huiusmodi confessionem factam esse ex dolore aliquo supernaturali, re ipsa sufficienti quoad essentiam, non autem quoad effectum sacramenti.

Pœnalia potius sunt restringenda, quàm amplianda.

31. Ad primum oppositæ sententiæ, distinguendum est I. Consequens non satisfacit intentioni Christi, quam habet de fine, quem in hoc sacramento intendit, concedo: nam satisfacit intentioni Christi, quam habet de medio adhibendo in hoc sacramento ad talem finem consequendum, nego. Duplex quippè distinguenda est voluntas in Christo; Altera, qua voluit per hoc sacramentum peccatores iustificare: Altera, qua voluit medium ad hunc ipsum finem consequendum adhibere. Prior voluntas non cadit sub præceptum, cùm in eo non exprimatur, sed tantùm posterior, quæ sola exprimitur. Putandum enim est, Christum præcepta hominibus dedisse more humano, quo solent terrestres principes suis subditis præcepta dare, quæ non obligant, nisi ad id, quod exprimunt.

Duplex distinguenda est voluntas.

32. Ad secundum negatur consequentia. Nam contritio hoc ipso. quòd est informis, non [illegible] contritio. Nam contritio infallibiliter habet secum annexam gratiam iusti-

Discrimen inter contritionem putatam, & sacramentũ validum, attamen informe.

ficantem

posita sub præcepto aliquam iniungere sub consilio, quæ etiam erit sacramentalis, & causatiua ex opere operato meritorum Christi.

80. Primum probo, quia non potest Sacerdos, nisi vrgente causa, relinquere sacramentū mutilū, & imperfectū quoad notabilem partem integrantem sui: igitur nō potest pro delictis grauibus, de quibus cōdigna satisfactio in pœnitente non præcessit, nullam sub præcepto imponere pœnitentiam. Confirmatur. Quia Sacerdos est constitutus in hoc foro non solùm in fauorem pœnitentis; sed etiam in causa honoris diuini ad vindicandas offensas contra Deum: ergo non potest pro grauibus delictis nullam imponere pœnitentiam: posset autem nullam imponere, si illam tantùm sub consilio imponere posset: nam qua ratione illam imponere posset sub consilio, eandem posset nullo modo imponere: quia sicut non tenetur pœnitens pœnitentiam sub consilio iniunctam implere: ita nec tenetur confessarius illam imponere.

81. Dixi, *de quibus non præcessit in pœnitente condigna satisfactio*: nam si ex parte pœnitentis condigna, vel sufficiens prò peccatis confessis præcesserit satisfactio, & de hoc confessario constet, posset tunc pœnitentiam solùm sub consilio iniungere. Ratio est: quia tunc non deberet grauem pœnitentiam imponere, vt ex 5. dub. constat: proinde in eo casu non priuaret sacramentum notabili parte integrali. Nam sicut posset sub consilio tantùm imponere pœnitentiam pro venialibus: quia hæc ex natura sua leuem exigunt pœnitentiam: ita & quando in pœnitente sufficiens præcessit satisfactio.

82. Dices. Vt pœnitentia sit grauis, vel leuis, pendet à voluntate confessarij: ergo si illam imponat grauem, siue præcesserit, siue non præcesserit in pœnitente satisfactio, semper tenebitur illam sub præcepto imponere: si verò imponat leuem, nunquam illam tenebitur sub præcepto; sed poterit sub consilio tantùm iniungere. Respondeo negando antecedens: quia cùm confessarius in pœnitentia sacramentali taxanda sit Iudex, grauitas, aut leuitas pœnitentiæ non pendet ex sola voluntate ipsius; sed ex grauitate, aut leuitate peccatorum, attenta facultate, & satisfactione pœnitentis, vt Tridentinum testatur sess. 14. cap. 8. Quare tunc solùm non tenebitur confessarius sub præcepto pœnitentiam imponere, quando perpensis omnibus circumstantijs leuis pœnitentia imponenda est: secus quando omnibus perpensis, iniungenda est grauis.

Concil. Tridentinum.

83. Secundum efficaciter probat fundamentum primæ sententiæ: quia confessarius in hoc sacramento non tantùm est Iudex; sed etiam medicus: proinde ipsius officium erit, non tantùm ex allegatis, & probatis à pœnitente, sententiam ferre, sed etiam ipsius morbis, & infirmitatibus, propter quas hoc sacramentum in fauorem pœnitentis institutum est, mederi. Sæpe autem expedit, vt præter pœnitentiam sub præcepto impositam, aliæ etiam sub consilio in medicinam, & cautelam iniungantur.

84. Quòd autem talis pœnitentia sub consilio iniuncta sit sacramentalis; & causatiua ex opere operato, probatur tum à paritate indulgentiæ, quæ non minùs; quàm pœnitentia sacramentalis, est effectus clauium: sed hæc etiam sub consilio iniuncta suum effectum confert ex opere operato; ergo etiam pœnitentia sub cōsilio imposita. Tum à priori, nam claues datæ sunt Sacerdoti in bonum, & fauorem pœnitentis: sed in bonum pœnitentis non tantùm sunt necessariæ ad ligandum absolutè, & independenter à voluntate pœnitentis; sed etiam sub conditione, & dependenter à voluntate ipsius, si voluerit effectum satisfactionis ex opere operato consequi.

Pœnitentia aliquando sub consilio iniuncta est sacramentalis.

85. Hinc contra Vasquez sequitur, vi illorum verborum: *Quidquid boni feceris, & & mali sustinueris, sit tibi in remissionem pœnæ, & premium vitæ æternæ*: omnia bona, quæ pœnitens est facturus, & mala, quæ patienter est passurus, operari ex opere operato ipsi pœnitenti, vt cum multis grauioribus authoribus ostendimus disp. de forma huius sacramenti sect. 1. Nam per hæc verba, tam bona à pœnitente facta; quàm mala ab eodem sustinenter passa, virtute clauium eleuantur ad operandum ex meritis Christi, vltra id, quod operarentur ex sola sua intrinseca honestate.

86 Ex dictis patet ad fundamentum Vasquez, quatenus est contra hoc tertium dictum: nam claues non solùm sunt ad ligandum absolutè, & sub peccato, sed etiam conditionatè, & sub pœna tantùm.

DVBIVM SEPTIMVM.

An pœnitentia sacramentalis suum effectum ex opere operato conferre valeat ante absolutionem sacramentalem?

87. RESpondeo negatiuè. Ratio fundamentalis est: quia nequit suum effectum ex opere operato conferre, nisi vt pars integralis sacramenti: nequit autem esse pars integralis sacramenti, nisi supponat sacramentum essentialiter constitutum: essentialiter autem hoc sacramentum constituitur absolutione sacramentali, tanquam forma: nequit igitur ante illam suum effectum ex opere operato conferre. Maior patet: quia pœnitentia habet hanc virtutem à sacramento, quatenus est pars sacramentalis ipsius. Minor subsumpta constat. Assumpta probatur: nam pars integralis pendet ab essentiali: nisi enim sit essentia sacramenti, nequit esse pars integralis ipsius: sicut nequit esse pars integrans hominem, nisi supponat

Conclusio.

ponat essentialiter constitutum hominem. Hinc infertur, contritionem non conferre suum effectum ex opere operato, ante, sed post absolutionem sacramentalem. Legantur quæ supra dicta sunt numero 26.

DVBIVM OCTAVVM.

An satisfaciat, qui sacramentalem pœnitentiam adimplet solùm quoad substantiam, non autem quoad circumstantias?

Diana. Resolutio dubij.

88. Affirmāt aliqui apud Dianam tract. 4. de sacramentis Resol. 55. Sed distinctione opus est: nam quando circumstantiæ reddunt opus, quod in pœnitentiam iniungitur, notabiliter afflictiuum, & laboriosum, non satisfit præcepto confessarij, nisi opus iniunctum adimpleatur cum circumstantijs. Vt si imponatur Rosarium flexis genibus recitandum, non satisfacit pœnitens, si illud recitet stando, vel sedendo: quia hæc circumstantia in ratione satisfactionis notabiliter auget opus iniunctum. Neque præsumendum est confessarium noluisse pœnitentem obligare, nisi ad puram Rosarij recitationem: alioqui talem circumstantiam non apposuisset. Secus verò iudicandum, quando circumstantiæ non reddunt opus iniunctum notabiliter laboriosum, & afflictiuum: vt si confessarius imponat Psalmos Pœnitentiales recitandos domi, & pœnitens recitet in templo.

DVBIVM NONVM.

An interdum opera aliàs præcepta censeantur comprehensa inter opera in satisfactionem à confessario imposita?

89. Hoc dubium oritur ex prima sectione Corollario vltimo, vbi diximus, posse quidem opera aliàs præcepta in pœnitentiam sacramentalem imponi; nunquam tamen illa censeri à confessario imponi, nisi exprimantur: velut cùm in pœnitentiam imponitur sacrum, vel ieiunium, non intelligitur de sacro, vel ieiunio, ad quod aliàs pœnitens sub præcepto obligatur. Quæritur igitur, an interdum inter opera, in satisfactionem à confessario imposita, intelligantur comprehensa, etiam opera aliàs præcepta.

Resolutio dubij.

90. Respondeo affirmatiuè: idque ex circumstantijs colligendum erit: vt si imponatur pro pœnitentia Eleemosyna, satisfacit pœnitens, etiamsi illam faciat extremè indigenti, cui aliàs ex præcepto charitatis tenetur illam facere. Secus, si illam faciat proprijs parentibus, vel consanguineis, qui ordinariè semper extremè indigent. Ratio discriminis est; quia hic casus obligat ordinariè pœnitentem ad succurrendum suis extremè indigentibus: non autem ille proinde ille non censetur, sicut iste à pœnitentia confessarij, exclusus. Item si pro pœnitentia imponantur duo sacra die festo audienda, pœnitens non tenebitur ad duo sacra, præter illud, quod aliàs sub præcepto tenetur audire.

DVBIVM DECIMVM.

An qui pœnitentiam iniunctam suo tempore non adimpleuit, alio tempore teneatur illam adimplere?

Tripliciter iniungi potest pœnitentia à Cōfessario.

91. Tripliciter potest pœnitentia à confessario iniungi: Primò, vt certo die adimplenda: vt ieiunium pridie Natiuitatis B. Virginis; Rosarium in Sabbato orandum. Et hoc modo omissam pœnitentiam assignato die non tenetur pœnitens illam alio die adimplere; sed tantùm de omissione dolere, eamque suo tempore confiteri. Ratio est; quia talis pœnitētia est addicta certo tempori, quo elapso, non ampliùs obligat: sicut officium diuinum, aut sacrum in festo omissum, vel votum ieiunandi, aut recitandi Psalmos determinato die, in honorem alicuius sancti, non tenemur alio die ea perficere: quia sunt opera ex intentione Ecclesiæ, vel confessarij, aut vouentis addicta ad certum diem, quo elapso, non ampliùs obligant: quia vltra illum non se extendit intentio imponentis, aut vouentis.

92. Secundò: iniungi potest pœnitentia à confessario ad nullum certum diem addicta: & tunc certum est, quolibet die eam à pœnitente impleri posse.

93. Tertiò: imponi potest certis quibusque diebus in hebdomada, aut mense exequenda, vt ieiunium singulis diebus Veneris intra mensem, vel annum seruandum. Et tunc quando pœnitens vna hebdomada, aut mense pœnitentiam non adimplet, tenetur alia hebdomada, aut mense adimplere. Ratio: quia tunc pœnitentia non imponitur, vt addicta ad certum diem: sed pro commoditate pœnitentis diuiditur in hebdomadas, vel menses, vt faciliùs adimpleri possit. Ex his infertur, si confessarius imponat ieiunium pœnitenti singulis diebus veneris per annum seruandum, & festum Natiuitatis Domini incidat in diem veneris, non teneri pœnitentem illo die ieiunare; sed posse ieiunium transferre in alium diem.

tur non possit quoad primum ab alio, quia ab ipso pœnitente impleri; poterit tamen quoad secundum, cùm possit vnus pro alio debitum soluere. Qui authores non tantùm loquuntur de solutione per modum operis operantis; sed etiam per modum operis operati: putant enim, claues Sacerdotales non solùm se extendere ad opera exequenda ab ipso pœnitente. sed etiam exequenda ab alio pro ipso pœnitente.

Negant Vasquez Ledesma.

104. Negat vero Vasquez quæst. 94. articulo 2. dub. 1. num. 10 & Ledesma apud Fagundez. *Quod verius est, & probabilius.* Et quidem certum primò est, id fieri non posse authoritate pœnitentis: quoniam pœnitens, vt constat ex primo dubio, non potest propria authoritate mutare pœnitentiam, sibi à confessario iniunctam, eamque in partem sacramenti eleuare, cùm hoc sit proprium clauium Sacerdotalium.

105. Secundò certum quoque est, confessarium non posse virtute clauium obligare alium ad satisfactionem, pro pœnitente exequendam, etiamsi is sponte se offerat, ad huiusmodi pœnitentiam exequendam: quia claues Sacerdotis non se extendunt nisi ad pœnitentem. Vnde etiamsi in tali casu, pœnitentia, ab alio adimpleta, prodesset pœnitenti per modum operis operantis; non tamen prodesset per modum operis operati, de quo tantùm est præsens difficultas.

Claues Sacerdotis nõ se extendũt nisi ad pœnitentem.

106. Remanet igitur, vt confessarius talem pœnitentiam imponat alteri exequendam, medio consensu ipsius pœnitentis. Et tunc triplex insurgit difficultas: Prima: an debeat aliquando confessarius hoc modo pœnitentiam imponere. Secunda: an saltem licitè possit eam aliquando imponere. Tertia & præcipua: an talis pœnitentia esset sacramentalis, & effectum pœnitenti conferret ex opere operato.

107. Quoad primam difficultatẽ. Resp. negatiuè. Nam in duobus casibus posset esse dubium: an teneretur confessarius satisfactionem pœnitenti iniungere per alium exequendam. Primus: si pœnitens sit impotens per se illam exequi. Secundus: si nollet, etiam si posset, per se illam exequi. In neutro autem casu tenetur. Non in primo: quia impotentia excusat, & pœnitentem à pœnitentia exequenda, & confessarium ab iniungenda, vt constat de moribundis: non enim confessarij pœnitentiam, quam nequeunt moribundi exequi, alijs illorum vice exequendam imponunt. Neque in secundo: quia vel talis pœnitentia esset commensurata viribus, & facultati pœnitentis; cuius iudicium spectat ad confessarium, tanquam ad proprium iudicem: & tunc pœnitens si nollet illam acceptare exequendam per se ipsum, non esset absoluendus: quia non esset dispositus, cùm nollet acceptare pœnitentiam, quàm tenetur acceptare. Vel non esset commensurata viribus, & facultati pœnitentis; & tunc deberet commutari in aliam, qua esset viribus, & facultati pœnitentis commensurata.

108. Quoad secundam: regulariter non licet, quamuis in aliquo casu possit. primum probatur: quoniam, vt mox constabit, satisfactio ab alio, quàm à pœnitente adimpleta, non potest esse pars sacramenti. Atqui supra dub. 6. probatum est, non posse Sacerdotem absque vrgente causa hoc sacramentum, sine notabili parte integrante, imperfectum relinquere. Igitur regulariter non licebit pœnitentiam alteri exequendam imponere. Confirmatur: nam pœnitentia ad tria imponitur, ad medicinam propter morbum contractum, vel contrahibilem; ad recompensationem pro offensis illatis Deo, ad remissionem pœnæ temporalis relictæ ex peccatis condonatis. Primum & secundum nequit suppleri per pœnitentiam ab alio impletam. De primo constat, quia medicina non curat; neque præseruat à morbo, nisi sumpta ab ipso infirmo. De secundo probatur: nam & punitio, & recompensatio non est per modum meriti, vti fuit satisfactio Christi, & opera, quæ vnus iustus offert in satisfactionem pro alio peccatore; sed per modum iustæ pœnæ correctiuæ culpæ à iudice impositæ, quæ secundum rectum ordinum iustitiæ, quem Deus, teste Tridentino sessione 14. capite 4. in hoc sacramento seruat, per se postulat esse in ipsa persona, quæ deliquit. Quoad tertium, & si possit pœnitentia vnius quoad remissionem pœnæ prodesse altari, haud tamen prodesse poterit tantùm, quantùm si ab ipso pœnitente fieret. Nam facta à pœnitente non solùm illi prodest ex opere operantis; sed etiam ex opere operato: nec solùm quoad remissionem pœnæ, sed etiam quoad incrementum gratiæ, si illa in statu gratiæ adimpleatur. Quòd vero aliquando id licitum sit, constat, quando vel pœnitens est impotens ad omnem pœnitentiam, & desiderat saltem per alium aliquam facere: vel quando non potest totam pœnitentiam per se ipsum adimplere: nam etiam tunc, cum consensu pœnitentis, licitè poterit confessarius partem iniunctæ pœnitentiæ, alteri exequendam, imponere.

Pœnitentia ad tria imponitur.

Concil. Tridentinum.

109. Quoad 3. Difficultatem Resp. negatiuè: quoniam, vt constat ex Tridentino sessione 14. capite 3. materia huius sacramenti, sunt ipsi actus pœnitentis, qui virtute clauium eleuantur ad esse sacramenti. Cùm igitur satisfactio ab alio impleta non sit actus pœnitentis, non erit apta materia virtute clauium eleuabilis ad esse sacramenti. Quare solùm prodesse poterit pœnitenti per modum operis operantis, non autem per modum operis operati.

Cõcil. Tridentinum.

110. Dices. Hoc ipso quòd pœnitentia

tentia adimpletur ab alio, ex consensu ipsius Pœnitentis, sit actus ipsius pœnitentis, ac proinde sit apta materia sacramenti: sicut Eleemosyna, facta per famulum, ex consensu Domini, censetur actus ipsius Domini. Resp. negando antecedens: ex quo tantùm sequitur, consensum ipsum pœnitentis esse actum proprium ipsius pœnitentis; non autem pœnitentiam ab alio impletam. Nec est eadem ratio de Eleemosyna Domini per famulum facta: nam hæc principaliter fit à Domino, à famulo autem nonnisi instrumentaliter: cùm illam non elargiatur ex bonis suis sed Domini. Pœnitentia verò fieret ab alio, vt à causa principali: quia fieret ex proprijs operationibus, vt ieiunare, peregrinari, orare, sunt actus proprij ieiunantis, peregrinantis, orantis, cùm fiant ex proprijs actibus ipsorum ieiunantis, peregrinantis, orantis, non autem pœnitentis.

Assignatur disparitas.

DVBIVM XIII.

An possit pœnitens iniunctam pœnitentiam adimplere tempore operis aliàs præcepti?

111. CASVS: an qui pro pœnitentia debet officium Beatæ Virginis recitare, possit illud recitare tempore, quo sacrum audit ex obligatione? Resp. affirmatiuè, quando huiusmodi opera sunt sibi inuicem compossibilia, cuiusmodi sunt recitatio officij, & auditio sacri: quia potest quis ad vtrumque attendere: quod inter alios docet Petrus Soto lect. 2. de satisfact. §. *hinc proximum est*.

Resolutio dubij affirmatiua.

Petrus Sotus.

DVBIVM XIV.

An qui pro pœnitentia debet duas, aut tres Missas audire, satisfaciat si omnes in Diuersis altaribus eodem tempore simul audiat?

112. AFFIRMAT Sanchez in summa lib. 1. cap. 14. in fine: pro qua sententia citat Maiorem, & Petrum Ledesmam. Quæ sententia *probabilis est*: quia præceptum confessarij non est, nisi de duobus, aut tribus Missis audiendis: ergo modò possit esse moraliter præsens duabus, aut tribus Missis simul, satisfacit præcepto. Secus verò esset, si confessarius exprimeret, vt non omnes simul, sed vnam post aliam audiret: nam illa circumstantia temporis, quæ inter vnam Missam, & aliam intercederet, notabiliter pœnitentiam aggrauaret: ac proinde qui illam non seruaret, non satisfaceret præcepto confessarij.

Affirmant Sanchez

Maior Petrus Ledesma.

DVBIVM XV.

An sit imponenda noua pœnitentia ei, qui cum nouis peccatis, statim post sacramentalem absolutionem ad confessionem rediit?

113. NEgat Henriquez lib. 5. cap. 20. num. 6. Ratio esse potest: quia tunc sequens absolutio facit vnum moraliter cum præcedente: proinde non est noua pœnitentia necessaria; sed sufficit præcedens, quæ data fuit pro præcedentibus peccatis.

Negat Henriquez.

114. Mihi verò distinguendum est: nam si peccata, quæ de nouo pœnitens affert, sunt mortalia, & nunquam confessa, imponenda erit noua pœnitentia. Ratio: quia in tali casu iudicium confessoris variatur substantialiter, ac proinde nouam debet pœnitentiam imponere, cùm prior fuerit iuxta aliud iudicium, & sententiam substantialiter diuersã. Si verò sint venialia, vel mortalia ritè alias confessa, non tenetur confessarius nouam imponere pœnitentiam. Nam ex vna parte talia peccata non variant substantialiter iudicium confessoris: ex alia parte sicut tunc subsequens confessio facit vnam confessionem moraliter cum præcedante: ita & absolutio subsequens, cum absolutione præcedente; ac proinde vnum sacramentum moraliter: pro quo vna etiam sufficit pœnitentia.

Distinguit auctor.

DISPVTATIO XVII.

De præcepto diuino Confessionis.

SECTIO PRIMA.

An Confeßio sit iure diuino præcepta?

1. NO n hoc ipso, quòd sacramentum hoc fuit à Christo institutum, vt probatum est disp. 10. sect. 1. & 2. statim sequitur, ab eodem quoque fuisse præceptum: nam secundùm multos potuit à Christo institui, & nihilominus eius præceptum relinqui potestati Ecclesiæ: sicut à Christo instituta sunt sacramenta Cõfirmationis, & Extremæ Vnctionis; quorum tamē præceptum relictum est authoritati Ecclesię, quæ pro sua authoritate posset hæc sacramenta præcipere. Ergo supposito, quòd hoc sacramentum fuerit à Christo quoad omnes eius partes institutum, vt ibidem probatum est, vlteriùs hîc quærimus: an ipsius vsus sit ab eodem Christo præceptus?

2. Catholica sent. est à Concilio Trident. sess. 14. cap. 5. & Canone 6. & 7. contra Hæreticos nostri temporis definita, iure Diuino necessarium esse omnibus post Baptismum lapsis, confiteri omnia, & singula peccata mortalia, quorum memoria post diligentem discussionem habetur; etiam occulta, & circumstantias omnes peccati speciem mutantes. Huius Diuini præcepti argumentum 1. est, perpetuus, & nunquam interruptus, vel ab ipsô nascentis Ecclesiæ exordio, ad hæc vsque tempora, sacramentalis confessionis vsus. Nam, quæ Augustini lib. 4. de Baptismo cap. 24. Regula est: *Quod vniuersa tenet Ecclesia, nec Concilijs institutum, sed semper retentum est, nonnisi authoritate Apostolica traditum rectißimè creditur*: cùm igitur neque in Concilijs, neque in Pontificum decretis vllum extet initium huius præcepti, censendum est, illud manasse immediatè à Christo, per Apostolos Ecclesiæ communicatum. Hunc perpetuum sacramentalis confessionis vsum per omnes fermè ætates eruditè probat Cardinalis Bellarminus lib 3. de pœnit. à capite 6. vsque ad decimum.

3. Quod si aliqua Concilia, vel Pontifices huius obligationis mentionem fecerunt, tempusque confessionis asignarunt, illam tamen non tam ipsi præceperunt; quàm pręceptam præsupponentes, tempus duntaxat huius præcepti præscripserunt: vt de Concilio Lateranēsi, in quo pręscriptum est tempus annuæ confessionis interpretatur Trident. sess. 14. cap. 5. *Neque enim*, inquit, *per Lateranense Concilium Ecclesia statuit, vt Christi fideles confiterentur, quod iure Diuino necessarium, & institutum esse intellexerat; sed vt preceptum confessionis saltem semel in anno ab omnibus, & singulis, cùm ad annos discretionis peruenissent, impleretur.* Et in Concilio Carthaginensi 3. celebrato, tempore Siricij Papæ, approbato à Leone IV. Canone 31. sic legitur: *Vt pœnitentibus secundùm peccatorum differentiam, Episcopi arbitrio, pœnitentia tempora decernantur.* Vbi non confessio, sed tempus confessionis dicitur ab Episcopis decerni.

4. Confirmatur: nam credibile non est, præceptum tam arduum, ac seruatu difficile, cuiusmodi est præceptum confessionis, vnquam attentatum fuisse ab Ecclesiæ Præsidibus; vel certè toti Ecclesiæ persuaderi potuisse, vt tam arduum præceptum acceptarent, ac tot sæculis inuiolabiliter obseruarent, Regibus, ac Principibus non repugnantibus.

5. Secundum argumentum huius diuinæ obligationis ducitur ex illo Ioannis 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Ex quibus verbis sic huius Diuini præcepti ad peccata confitenda obligationem deduco. Christus hoc loco, vt definit Trident. sess. 14. cap. 1. & Canone 3. sacramentum pœnit. instituit, conferendo Apostolis, eorumque in Sacerdotio successoribus absolutam potestatem absoluendi fideles à peccatis, easque iuxta ipsorum arbitrium retinendi: ergo simul fideles obligauit deferendi sua peccata ad Sacerdotes, tanquam ad Christi ministros, & Iudices. Consecutio est Trident. sess. citata cap. 5. Nam ex hac potestate, Sacerdotibus concessa, infert, *oportere à pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habent, in confessione recenseri, etiam si occultissima illa sint: cùm constet*, inquit, *Sacerdotes iudicium hoc incognita causa exercere non potuisse, neque æquitatem in pœnis iniungendis seruare potuisse.* In ipsa igitur collatione potestatis absoluendi, & retinendi peccata Sacerdotibus concessę, Christus fidelibus præceptum imposuit, vt omnia sua peccata, post Baptismum commissa, deferrent ad Sacerdotes, tanquam ad Christi Iudices, & Ministros. Nam quo pacto Sacerdotes potestatem haberent peccata fidelium retinendi, si fideles

Concil. Tridentinum. — *Vsus sacramenti pœnitentiæ ab Ecclesiæ exordio nunquam interruptus est.* — *Augustini regula.* — *Bellarmin.* — *Concil. Lateranense.* — *Concil. Tridentinum.* — *Cõcil. Carthaginensē.* — *Obligatio ad confitendum ducitur ex Ioā. 20.* — *Cõcil. Tridentinum.*

præceptum à Christo non haberent sua peccata ad Sacerdotes deferendi?

6. Tertiò probatur hæc veritas: quoniam, vt supra disp. 9. sect. 4 ostẽdimus, præceptum confessionis in lege Euangelicâ successit præcepto contritionis. Sed præceptum contritionis iure Diuino obligabat peccatores; ergo etiam præceptum confessionis. Consequentia patet: quia non est maior ratio, cur contritio fuerit Diuino iure præcepta, & non confessio sacramentalis, in eius locum subrogata. Duplici enim titulo contritio iure Diuino peccatorem obligabat, & ratione propriæ iustificationis; & ratione recompensæ, quâ peccator tenetur Deo propter offensas ei illatas, offerre: ergo eodem duplici titulo confessio sacramentalis iure Diuino peccatorem obligabit. Minor autem constat ex ijs omnibus scripturæ Oraculis, quibus pœnitentia peccatorum inculcatur, tanquam à Deo præcepta, Lucæ 1. *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis: & sexcenta alia, quæ afferri possent.*

Contritio duplici titulo peccatorem obligabat iure diuino.

Luc. 1.

7. Vltimò probatur hæc eadem veritas: nam optimi, ac prouidi legislatoris munus est, non modò sanctissimis legibus ciues instruere; sed ad eas etiam seruandas, quantũ fieri potest, illos obligare. Cùm igitur Christus pœnitentiæ sacramentum instituerit, tãquam sanctissimum, ac necessarium medium ad peccatorum remissionem consequendam, ad ipsius singularem prouidentiam, & bonitatem pertinuit, fideles omnes ad illud seruandum peculiari præcepto obligare. Quod obseruatum videmus in sacramento Baptismi: quod quia institutum est, vt necessarium medium ad consequendam remissionem peccatorum, voluit Christus ad illud seruandum peculiari præcepto obligare omnes.

8. Ex dictis infertur, non posse in hoc præcepto summum Pontificem dispensare, & multo minùs illud abrogare: cùm nullus inferior dispensare, vel abrogare possit Superioris præceptum. Nec obstat, quòd sæpè Pontifices videantur in iure Diuino dispensare, vt in votis irritandis, in Matrimonio rato dispensando &c. Nam vel in ijs propriè non dispensant Pontifices: cùm dispensare propriè sit, adhuc vigente lege, subditum ab illius obseruantia eximere. Pontifices autem cùm vota irritant; vel in Matrimonio rato dispensant, non eximunt subditos ab obseruantia legis, ea vigente, & obligante: sed solùm tollunt vinculum humana voluntate contractum, supra quam Pontifex, vt supremus Pastor, potestatem habet, quo vinculo sublato, ius Diuinum cessat. Vel si dispensant, id faciunt propter aliquam causam, quam probabiliter putant magis placituram Deo. Nulla autem apparet causa, quæ magis esset placitura Deo, quàm confessio ipsa sacramentalis.

Nullus inferior abrogare potest præceptum superioris.

Quid sit propriè dispensare.

SECTIO II.

An potuisset hoc sacramentum ab Ecclesia præcipi, si non fuisset à Christo præceptum.

9. PRIMA sent. affirmat. Est Medinæ Codice de conf. qu. 2. Nugnez 3. p. tomo 2. quæst. 6. art. 1. dub. 3. Suarez disp. 35. sect. 1. num. 18. Pro qua citat Adrianum, & Viguerium. Fundamentum est: quia si quid obstaret, quo minùs Ecclesia posset hoc sacramẽtum præcipere, esset: quia Ecclesia non habet potestatem in actus merè internos fidelium: hoc autem falsum est, vt constat de interna attentione, sub qua præcipit Orationem, & Officium Diuinum.

Medina Nugnez Suarez Adrianus Viguerius.

10. SECVNDA sent. negat. Est Durandi in 4. dist. 17. qu. 8. nu. 7. Soti in 4. dist. 18. qu. 1. art. 1. §. *Dubium autem est*, Coninck disp. 5. dub. 3. & aliorũ. Pro cuius declaratione, Notandum 1. præsentem controuersiam in eo præcipuè sitam esse: an possit Ecclesia sacramentum confessionis præcipere sub eo ritu, & conditionibus omnibus, sub quibus de facto institutũ est à Christo, si ab ipso Christo præceptum non esset?

Negant Durandus Scotus Coninck.

11. Notandum 2. Id quod supra disp. 12. sect. 12. obseruauimus: bifariam posse Ecclesiam hoc sacramentum præcipere, vno modò immediatè præcipiendo totum sacramentum; alio modo immediatè tantum præcipiendo externam confessionem peccatorum, consequenter verò & mediatè internos actus, qui ad hoc sacramentum perficiendum necessarij sunt. His adnotatis,

Bifariã intelligi potest Ecclesiam hoc sacramentũ præcipere.

12. Non posset Ecclesia immediatè præcipere totum sacramentum pœnitentiæ, prout de facto à Christo institutum est. Fundamentum est: quoniam hoc sacramentum, prout de facto à Christo institutũ est, essentialiter includit internum dolorem, & confessionem omnium peccatorũ mortalium, etiam internorum: sed Ecclesia non habet potestatem supra actus merè internos: igitur non posset hoc sacramentum, prout de facto à Christo institutum est, præcipere. Maior est de fide, definita à Trident. sess. 14. cap. 3. 4. & 5. & Canone 4. & 7. Minorem suppono ex communi Doctorum sententia. Nam licet Ecclesia potestatem habeat in actus internos, quatenus principia sunt externorum, non tamen potestatẽ habet in actus purè internos, qui nullo pacto principia sunt externorum. Ratio verò est: quia tota authoritas, quam habet Ecclesia in spiritualibus, est per ordinem ad externum regimen Hierarchicum, vt inferiores subordinentur superioribus, & superiores supremo capiti totius Ecclesiastici Regiminis, qui est sũmus Pontifex Vicarius Christi. Nam ea potestas concessa est

Conc. Tridentinum.

Quomodo Ecclesia habeat, aut nõ habeat potestatem in actus internos.

est Ecclesiæ, quæ accommodata est humano Regimini: cùm enim Deus suam Ecclesiã regat per homines, eam tantùm potestatem suo Vicario contulisse, credendum est, quæ necessaria est, & sufficit ad humanum regimen. Hæc autem, vt patet, est potestas in eos duntaxat actus, qui aliquo modo in externum prodire possunt. Nam hi tantùm possunt humano modo, hoc est, sensibili aliqua notitia dignosci, & ab Ecclesia regulari. Actus autem purè interni, cùm per se non cadant in notitiam aliquam sensibilem, non possunt esse intra sphæram humanæ Gubernationis, cùm non possint homines vel ad eos eliciendos, vel ad eos elicitos externo aliquo signo manifestandos cogi, nisi ab eo, qui omnia hominum secreta nouit.

Sotus. 13. Hinc exploditur 1. Ratio Soti opinantis: ideo non posse Ecclesiam hoc sacramentum præcipere; quia non est illi communicata potestas excellentiæ instituendi sacramenta: exploditur inquam: quoniam potestas ferendi præceptum de sacramentis, non est eadem cum potestate instituendi sacramenta, vt patet: quia potest Ecclesia ferre præceptum de Confirmatione, vt de facto Tridentinum sess. 23. cap. 3. de refor. præceptum tulit, ne *Prima censura initientur, qui sacramentum Confirmationis non susceperint.* Potuit igitur Ecclesia habere potestatem præcipiendi sacramenta, esto potestatem non habuerit instituendi sacramenta. *Conc. Tridentinum.*

Coninck. 14. Reijcitur 2. Ratio Coninck docentis, ideo non posse hoc sacramentum, sicut de facto à Christo institutum est, ab Ecclesia præcipi: qui cùm hoc sacramentum sit seruatu difficillimum; cumque nequeat Ecclesia legem tam difficilem ferre, nisi in casu vrgentis necessitatis; quę tamen in eo euentu nulla esset, siquidem aliunde potuissent tunc peccatores iustificari solo actu contritionis, independenter ab hoc sacramento, consequens fit, vt non potuisset hoc sacramentum Ecclesia præcipere. Exploditur autem hæc ratio: nam esto hoc pręceptum foret aliquibus seruatu difficile; non propterea tamen simpliciter ferri non potuisset: nam qui maximam tunc difficultatem sensissent, excusati fuissent ab illius obseruantia: vti de facto Doctores communiter docent, esse legem saltem consuetudine introductam, vt omnes qui possunt, sua peccata propria voce confiteantur: à qua tamen lege excipiuntur, qui in hoc maximam sentiunt difficultatem, licitumque ijs esse, pro voce vti scripto.

15. DICO 2. Posset Ecclesia directè, & per se solùm præcipere Confessionem de peccatis externis, quo præcepto posito, obligaretur pœnitens Iure diuino, propter Reuerentiam, quam debet huic sacramento, ne illud irritum reddat, vnà cum peccatis externis confiteri reliqua peccata mortalia interna, actumque doloris adhoc sacramentum necessarium elicere. Prior assertionis pars patet: nam in tali præcepto nihil est, quod Ecclesiæ potestatem excedat: nam totum id, quod præciperet, esset actus externus, conducens ad externum Regimen & gubernationem Ecclesiasticam, propter quam Ecclesia potestatem habet ad omnes actus externos fidelium.

Durandus. 16. At deest, inquit Durandus, in tali actu externo ratio probationis, esto non desit in Ecclesia authoritas. Quod autem probari non potest, instè puniri non potest: quod autem puniri non potest, de eo lex ferri nequit: cùm nulla lex præcipere possit actum, cuius transgressorem punire non valet: aliàs frustra esset lex, quæ transgressores punire non posset. Vnde ex Aristotele 10. Ethicorum, omnis lex vim habet coactiuam. *Aristoteles.*

Durandus. 17. Sed contrà: nam hic puniri posset propter transgressionem confessionis, quæ est actus externus, quamuis secretus. Adhoc autem, vt actus puniri possit, non est necesse, vt de facto possit in publico Iudicio probari: sed sufficit, si ex natura sua sit talis, vt possit probari, licet defectu testimonij nunquam possit in actum probationis redigi. Actus autem externus confessionis non solùm natura sua est talis, vt probari possit, sed etiam vt in actum probationis, per testimonium confessarij, redigi possit; ac proinde ipsius negatio est capax Ecclesiasticæ punitionis. *Quid requiratur vt actus aliquis puniri possit.*

18. Posterior pars assertionis probatur. Etiamlicet per se, & directè vi solius præcepti Ecclesiastici pœnitens non teneatur, nisi ad confitenda sola peccata externa; ex suppositione tamen, quod deberet hęc peccata confiteri Sacerdoti, habenti authoritatem conficiendi vnà cum externa confessione pœnitentis sacramentum, à Christo institutum, iure Diuino, & ex debito Religionis teneretur, ne iniuriam inferret sacramento, illud irritum reddendo, simul cum peccatis externis, confiteri interna, actumque doloris elicere. Sicut ex suppositione, quòd ex præcepto Ecclesiæ tenemur vocaliter orare, iure Diuino, & virtute Religionis obligamur, propter Reuerentiam, quam in orando Deo debemus, internam attentionem adhibere.

19. Ex his infertur, quid dicendum sit, si Christus hoc sacramentum instituisset ad libitum confitentis, vt non omnia peccata; sed quæ tantùm ipse vellet, confiteri posset. Etenim neque tunc potuisset Ecclesia præceptum ferre de vllo peccato interno, sed tantùm de externis, deque ipso actu externo confessionis: quia verò, vt suppono neque tunc potuissent omnia peccata remitti, nisi de omnibus præcessisset internus dolor, etiã si ad non omnia confitenda obligatus fuisset, de omnibus tamen debuisset dolere, vt omnium remissionem consequi potuisset. Quem dolorem etiam tunc iure Diuino, & ex suppositione, quod ad hoc sacramen-

gligentia mortali? Maior apertè colligitur ex eodem Concilio citato capite, vbi ita hoc examen describit: *Post quam quisque diligentius se excusserit, & conscientiæ suæ sinus omnes & latebras explorauerit.* At qua veritate dici poterit, diligentiùs se discutere, & conscientiæ suæ sinus omnes, & latebras explorare, qui negligentia mortaliter culpabili se examinat?

27. Explicatur. Qui mortali negligentia culpabili se examinat, non potest moraliter, probabiliterque iudicare, se facere quantum debet; quod iudicium necessarium est, vt re ipsa pœnitens diligens adhibeat examen: nam non solùm requiritur, vt hoc examen re ipsa à pœnitente ponatur, sed debet etiam ipsi pœnitenti constare: imò hoc diligens examen à pœnitente poni, non est aliud, quam ipsimet pœnitenti hoc moraliter, ac probabiliter constare: constat autem illi per practicum iudicium, quo prudenter probabiliterque iudicat, se facere, quantùm in re tam necessaria facere debet. At hoc ipso, quod in ipso examine pœnitens mortaliter deficit, non potest habere hoc practicum iudicium: nam si hoc haberet, non posset mortaliter deficere. Implicat quippè dicere, quòd quis prudenter, probabiliterque iudicat, se facere quantùm potest, in examinanda conscientia; & simul in hoc ipso examine mortaliter peccare: nam probabile, ac prudens iudicium tollit peccatum mortale, quod stare non potest cum probabili, ac prudenti iudicio, de rectè operando iuxta regulas propriæ conscientiæ.

Probabile ac prudens iudiciū tollit peccatū mortale.

28. Confirmatur. Qui in ipso examine mortaliter peccat, vel tale peccatum confitetur simul cum alijs, vel non. Si non confitetur, non potest validam facere confessionem, cùm scienter absque iusta causa illam dimidiet. Si confitetur: Tenetur illud efficaciter retractare, atque à se tollere per diligens examen, quo probabiliter iudicet, se fecisse, quantum in re tanta debuit. Ergo hoc ipso, quòd maior diligentia non adhibetur, non tollitur voluntas, & affectus erga tale peccatum: proinde qui cum tali negligentia adhoc sacramentum accedit, non accedit sufficienter dispositus: nam sufficiens dispositio adhoc sacramentum debet ex Tridentino sess. 14. cap. 4. excludere voluntatem peccandi, quam non excludit, qui dum potest mortalem negligentiam tollere, non tollit. Nec sat est, de tali negligentia tantùm dolere: nam, vt talis dolor sit sufficiens, debet actu tollere culpabilem negligentiam, quæ pœnitentem periculo exponit dimidiandi confessionem. Quemadmodum non sufficeret, si quis aduertens, se versari in periculo peccandi in ipsa confessione cum confessario, & illud non tolleret, dum posset: nam hoc ipso, quod non tollit, dum potest, non subtrahit affectum ab illo.

Concil. Tridentinum.

29. Dico 2. Per confessionem 2. modo informem impletur præceptum Diuinum. Assertio probatur 1. à posteriori. Nam qui talem confessionem facit, non tenetur iterum confiteri: ergo satisfacit præcepto Diuino. Consequentia patet: nam quamdiu praceptum non adimpletur, semper vrget obligatio illud adimplendi. Igitur si hic non tenetur confessionem repetere, satisfacit præcepto. Antecedens constat tum authoritate omnium Doctorum, validam & informem confessionem admittentium: tum ratione: nam hic adimplet substantialiter actum præceptum: qui tantùm est de confitendis omnibus peccatis mortalibus, quæ post diligens examen sunt in conscientia peccatoris, legitimo Ministro, cum sufficienti dispositione prudenter probabiliterque putata. Sed in hac sententia iste confessus est omnia sua peccata mortalia, quæ post diligens examen habuit in conscientia, legitimo Ministro, cum sufficienti dispositione, prudenter probabiliterque putata, vt eadem sententia supponit: ergo adimplet substantialiter actum præceptum.

30. Secundo à priori. Præcepta non obligant, nisi prout sonant. Sed præceptum de sacramentali confessione non sonat, nisi confessionem omnium peccatorum mortalium, quorum conscientia habetur post diligens examen, factam cum legitimo Ministro, & cum aliquo dolore supernaturali, probabiliter putato sufficienti: ergo satisfacit præcepto, qui sic in hoc foro confitetur. Maior constat ex illo recepto axiomate, *pœnalia potius sunt restringenda, quàm amplianda.* Cùm igitur confessionis præceptum sit pœnale, non debet ampliari ad actum confessionis formatę, sed potius restringi ad actum confessionis informis, modò quoad essentiam sacramenti sit valida. Supponit autem hæc sententia, huiusmodi confessionem factam esse ex dolore aliquo supernaturali, re ipsa sufficienti quoad essentiam, non autem quoad effectum sacramenti.

Pœnalia potius sunt restringenda, quàm amplianda.

31. Ad primum oppositæ sententiæ, distinguendum est. Consequens non satisfacit intentioni Christi, quam habet de fine, quem in hoc sacramento intendit, concedo: nam satisfacit intentioni Christi, quam habet de medio adhibendo in hoc sacramento ad talem finem consequendum, nego. Duplex quippè distinguenda est voluntas in Christo; Altera, qua voluit per hoc sacramentum peccatores iustificare: Altera, qua voluit medium ad hunc ipsum finem consequendum adhibere. Prior voluntas non cadit sub præceptum, cùm in eo non exprimatur, sed tantùm posterior, quæ sola exprimitur. Putandum enim est, Christum præcepta hominibus dedisse more humano, quo solent terrestres principes suis subditis præcepta dare, quæ non obligant, nisi ad id, quod exprimunt.

Duplex distinguenda est voluntas.

32. Ad secundum negatur consequentia. Nam contritio hoc ipso, quòd est informis, non [illegible] contritio. Nam contritio infallibiliter habet secum annexam gratiam iustificantem

Discrimen inter contritionem putatam, & sacramenti validum, attamen informe.

ficantem. Ergo hoc ipso, quod quis non iustificatur, non elicit contritionem, proinde non satisfacit præcepto contritionis, quod præcipit actum contritionis. At non hoc ipso, quod in hac sententia confessio est informis, non est sacramentalis confessio, cùm in hac sententia possit esse verum sacramentum pœnitentię absque effectu gratiæ iustificantis. Quare posset quidem, qui actum contritionis non eliceret, à peccato excusari, reipsa autem præcepto contritionis satisfacere non posset: quia non adimpleret substantialem actum contritionis. Vnde si sciret, se non elicuisse actum contritionis, teneretur, ad satisfaciendum præcepto, illum elicere. Contrà verò, quia faceret confessionem informem, sed validam, etiam si postea aduerteret, non teneretur illam repetere: quia per illam præcepto satisfecit, & iustificationem consequi posset per aliam confessionem subsequentem.

33. Ad tertium negatur sequela: quia tenetur pœnitens non solùm obicem non ponere sacramento; sed nec principali effectui sacramenti, quæ est iustificatio peccatoris. Vnde hoc ipso, quod pœnitens scienter accederet cum dolore reipsa insufficiente ad effectum sacramenti, non accederet cum dispositione sufficiente ad validitatem huius sacramenti: nam tunc accederet cum interpretatiuo affectu volendi impedimentum ad effectum sacramenti, ac proinde cum voluntate peccandi, quæ non solùm repugnat effectui; sed etiam essentię huius sacramenti, quod etsi non debeat excludere peccatum, ad quod excludendum est hoc sacramentū institutum; at debet saltem excludere voluntatem peccandi. Per ignorantiam autem inuincibilem excusatur pœnitens à peccato: ac proinde etiamsi reipsa accedat cum dispositione insufficiente ad effectum sacramenti, non tamen accedit cum impedimento ad essentiam sacramenti: quia ad hanc sufficit dolor aliquis supernaturalis probabiliter putatus sufficiens: ad illum verò requiritur dolor supernaturalis, reipsa sufficiens. Atque hæc dicta sint iuxta sententiam de confessione valida, & informi.

SECTIO III.

Quas personas obliget hoc præceptum?

34. CERTVM primò est, hoc præceptum obligare omnes Baptizatos, habentes conscientiam peccati mortalis. Fundamentum: quia cùm peccata mortalia sint materia necessaria huius sacramenti, cumque hoc sacramentum institutum sit à Christo, vt medium necessarium ad remittenda omnia peccata mortalia post Baptismum commissa, sequitur, vt omnes Baptizati conscientiam peccati mortalis habentes teneantur hoc præcepto. Hinc infertur 1. hoc præcepto teneri omnes pueros Baptizatos, cùm primum ad eam ætatem peruenerunt, in qua sint doli capaces & conscientiam peccati mortalis habere possint: 2. Omnes hæreticos, Apostatas & degradatos.

Tenentur ad hoc præceptū pueri doli capaces si sint Baptizati. Item Hæretici, Apostatæ degradati.

35. Secundò certum est, hoc præcepto non teneri in gratia confirmatos, & à fortiori immunes ab omni peccato: vt fuit B. Virgo. Vnde non solùm falsò, sed temerè etiam aliqui putant, Beatam Virginem quotidie confessam fuisse Apostolo Ioanni. Quam sententiam falso Fagundez de 2. præcepto Ecclesiæ lib. 1. cap. 2. num. 10. tribuit sancto Doctori 3. p. quæst. 37. art. 4. Ibi enim solùm agit de antiqua cæremonia, qua solebant mulieres post partum accedere ad templum purgandæ. Ratio autem, cur immunes ab omni peccato non sint huius sacramenti capaces, est: quia nequit hoc sacramentum impendi, nisi supra debitam materiam. Porrò debita huius sacramenti materia est peccatum, propria actione commissum: ergo repugnat illud impendi personæ, ab omni peccato immuni, non minùs, quàm repugnat, sacramentum Eucharistiæ confici sine pane, & vino, quæ sunt propria materia ipsius. Nec est eadem ratio de sacramento Baptismi, quod impendi potest etiam immuni ab omni peccato: nam huius essentia non constituitur ex confessione proprij peccati, & dolore, tanquam materia; sed ex ablutione personæ Baptizandæ, quæ saluari potest etiam in subiecto immuni ab omni peccato. Nec refert, quod in tali subiecto non verificetur significatio interioris ablutionis, quæ per externam ablutionem importatur: quia sufficit, vt saluetur primarius effectus ipsius, qui est regeneratio creaturę per gratiam sanctificantem, siue hæc actu subiectum abluat à peccato, siue non.

Non tenentur in gratia confirmati.

Fagundez. S. Thomas.

Discrimen inter Baptismum & pœnitentiæ sacramentum.

36. Dices. Eodem modo saluari posset sacramentū pœnitentiæ secundū primariū effectum, qui est hominis sanctificatio, esto actu peccatum non remittat. Sed contrà: quia cùm sacramentum pœnitentię essentialiter constet ex proprij peccati confessione, & dolore, tanquam materia, implicat illud impendi immuni ab omni peccato, cùm hic non possit habere confessionem, & dolorem proprij peccati. Neque etiam obstat, quod interdum hoc sacramentum impendi possit subiecto nullum habenti peccatum: quia sufficit, vt saltem aliquando peccatum habuerit, vt ex præsenti confessione, & dolore illius, confici possit hoc sacramentum.

37. Quòd autem neque confirmati in gratia hoc præcepto teneantur, probatur: nam confirmati in gratia carent materia necessaria huius sacramenti, quæ sunt peccata mortalia, propter quæ tantùm fideles obligantur ad hoc sacramentum suscipiendum, vt definit Tridentinum sess. 14. cap. 5. sed ad summum

Concil. Tridentinum.

summum tantùm habent materiam sufficientem, quæ sunt peccata venialia, propter quæ, non est hoc sacramentum primariò institutum, cùm hęc alia via, *multisque alijs remedijs*, vt Tridentinum ait, *expiari possint*. Non est autem per ratio de mortalibus dubijs: nam hæc tenemur subijcere clauibus. Dico *Dubijs*: nam si ea probabiliter iudicentur non esse mortalia, non tenemur ea clauibus subijcere: cùm tunc probabilis ratio excuset ad ea non confitenda.

38. Nonnulla difficultas est de infidelibus adultis: an isti teneantur confessionis præcepto. Et quanquam ex Scholasticis non desunt, qui hoc affirment, negatiuam tamen sententiam, tanquam veram, secuti sumus supra disputatione de confessione sect. 3. Cuius oppositam sententiam omnino improbabilem censet Suarez disp. 35. sect. 2. Videantur quę citata disputatione dicta sunt.

Suarez.

39. Solùm aduerto, non rectè authores contrariæ sententiæ ex præcepto Eucharistiæ, quo etiam infideles tenentur, argumentari ad præceptum confessionis, vt benè notat ibidem Suarez: Quia potest Eucharistia obligare gentiles, vt ad illam sumendam per Baptismum se disponant, post cuius susceptionem statim sunt Eucharistiæ capaces. Quocirca dupliciter gentiles obligantur ad Baptismum suscipiendum; vno modo, tanquam ad necessarium medium contra peccatum originale, & personale coniunctum cum originali; alio modo tanquam ad dispositionem ad Eucharistiam sumendam. Contrà verò non possunt gentiles ante Baptismum obligari ad sacramentum pœnitentiæ. Quia vel obligarentur ad illud suscipiendum ante Baptismum, vt nonnulli autumant. Et contrà est: quoniam ante Baptismum nullus est capax sacramenti, nisi tantùm Baptismi, cùm hic sit ianua reliquorum sacramentorum, quæ suos effectus non conferunt, nisi Baptismali charactere insignitis: vel post Baptismum, eo prorsus modo, quo obligantur ad Eucharistiam mediante Baptismo, tanquam medio disponente, & habilitante subiectum ad effectus sacramenti recipiendos. Et neque hoc modo possunt gentiles ad sacramentum pœnitentiæ obligari. Ratio est: quia ex vna parte omnia peccata ante Baptismum commissa remittuntur per susceptionem Baptismi independenter à sacramento pœnitentiæ: non enim Baptizari tenentur peccata ante Baptismum commissa clauibus subijcere. Ex alia verò parte non tenentur post Baptismum pœnitentiæ sacramentum suscipere, nisi labantur in nouum peccatum mortale. Igitur non possunt ad illud obligari medio Baptismate: alioqui obligarentur ad nouum peccatum mortale committendum, cùm non possint ad sacramentum pœnitentiæ obligari, nisi ratione peccati mortalis post Baptismum commissi.

Dupliciter gētiles obligantur ad baptismum suscipiendū

40. Confirmatur: quia posset gentilis post Baptismum in nullum peccatum mortale incidere: in quo casu nunquam teneretur sacramentum pœnitentię suscipere: nam propter venialia non tenetur, vt probatum est. Neque teneretur illud suscipere in articulo mortis. Nam esto tunc teneretur ponere se in tuto per aliquod medium certum; haud tamen teneretur per hoc determinatum; sed sub disiunctione, vel per hoc, vel per contritionem: cùm confessio per se determinatè non obliget, nisi propter solum peccatum mortale post Baptismum commissum, & non confessum. Ex his manifestè sequitur non posse gentilem ad sacramentum pœnitentiæ obligari medio Baptismate: quia si posset medio Baptismate ad illud obligari, teneretur illud suscipere, etiamsi nullum post Baptismum committeret peccatum mortale.

SECTIO IV.

Quo tempore præceptum Diuinum confessionis Fideles obliget?

41. PRIMÒ certum est, hoc præcepto obligari qui sunt in articulo mortis, si conscientiam habeant peccati mortalis. Fundamentum: quia cùm hoc præcepto obligentur omnes, qui post Baptismum mortale commiserunt; cùmque nequeant, qui sunt in articulo mortis hoc præceptum post mortem adimplere, tenentur illud ante mortem executioni mandare. Dixi, *si conscientiam habeant peccati mortalis*: quia cùm hoc præceptum non obliget, nisi ad confitenda mortalia, si in articulo mortis constitutus nullam habeat conscientiam peccati mortalis, hoc præcepto non tenebitur; sed ad summum ex præcepto propriæ charitatis tenebitur ad actum contritionis, vt se in tutiori statu salutis reponat.

42. Certum est 2. Hoc præcepto obligari etiam illos, qui sunt in probabili periculo mortis: vt primò parientes, vel qui maximas expertæ sunt in partu difficultates; qui bellum, vel periculosam nauigationem aggrediuntur; qui probabiliter putant, se ante mortem copiam confessarij non habituros: hi enim omnes ante articulum, vel periculum mortis confiteri tenentur, dum copiam confessarij habent, & conscientia peccati mortalis stimulantur. Ratio omnium est: quia cùm omnes teneamur ante mortem hoc præceptum adimplere, imminente periculo mortis vel probabili dubio quòd non simus ante mortem confessorem habituri, tenemur, cùm primùm possumus, hoc præceptum adimplere.

Hoc præcepto obligantur qui sunt in probabili periculo mortis.

43. Certum est 3. Non statim ac quis in peccatum labitur, ad confitendum teneri, vt

Non tenemur statim ac cōmissum est peccatū ad confitendum.

Alensis Bonauent. Angelus.

vt falsò putauit Alensis 4. p. quæst. 77. Mem. 4. art. 2. & saltem de Religiosis sensit Bonauent. in 4. dist. 17. art. 4. quæst. 2. quem sequitur Angelus verbo *confessio.* 1. num. 51. Est enim hoc contra communem sententiam Doctorum, & praxim Fidelium, qui nunquam se accusant, quòd non statim ac peccarunt, confessi sint. His autem positis, vt certis, controuersia emergit: an hoc præceptum Diuinum Confessionis, fideles obliget alio tempore, quàm in articulo, vel periculo mortis. Pro cuius controuersiæ explicatione,

Dupliciter fideles ad sacramentalem confessionem obligari possunt,

44. Notandum: dupliciter posse fideles ad sacramentalem confessionem obligari; vno modo per se, vi ipsius Confessionis præcisè; alio modo per accidens, ratione alterius, ad cuius executionem sacramentalis confessio prærequiritur: sicut ad dignam susceptionem Eucharistiæ, prærequiritur sacramentalis confessio. Multum autem refert, quòd confessio obliget per se ratione sui, vel per accidens ratione alterius. Nam quando obligat per se ratione sui, eius transgressio est distinctum peccatum: quando verò obligat per accidens ratione alterius, talis transgressio non facit distinctum peccatum; sed est sola circumstantia peccati, quod committitur in transgressione illius præcepti, ad cuius executionem confessio tanquam dispositio prærequiritur. Velut cùm quis habens conscientiam peccati mortalis, absque præuia confessione sacramentali communicat, omissio talis confessionis non facit distinctum peccatum ab ipsa indigna susceptione Eucharistiæ, sed est circumstantia tantùm indignæ susceptionis. Sicut cùm quis communicat non ieiunus, non committit duo peccata: alterum transgrediendi præceptum Ecclesiasticum, de præmittendo ieiunio ante sacram Synaxim; alterum de sumenda Eucharistia à non ieiuno. Ratio est: quia in tali casu confessio non inducit nouam obligationem, distinctam ab obligatione dignæ susceptionis Eucharistiæ. Hoc adnotato,

45. Dicendum est 1. præceptum confessionis, per accidens obligare 1. Quotiescunque sumenda est sacra Eucharistia, idque iure Diuino, quo tenemur ob Reuerentiam tanti sacramenti ad Eucharistiam dispositi accedere, si peccati mortalis conscientia exstimulemur: vt rectè ex illo Pauli 1. ad Corinthios 11. *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat*, deducit Tridentinum sess. 13. cap. 7. Præter autem Eucharistiam ad nullum aliud sacramentum dignè suscipiendum obligat præceptum confessionis. Quod non obscurè colligitur ex eodem Trident. quod dum declarat hoc esse peculiare præceptum de Eucharistia, virtute negat de reliquis sacramentis, ad quorum dignam susceptionem sufficit præmittere contritionem. Quòd si S. Thomas quodlibeto 1. art. 11. sacramentalem confessionem requirat etiam in ordinandis, id non

1. Ad Cor. 11.

Cõcil. Tridentinum.

S. Thomas.

requirit ratione ordinis præcisè, sed ratione Eucharistiæ, quam ex consuetudine Ecclesiæ solent ordinandi sumere, vt illum Sotus, Nauarrus, & alij communiter explicant.

Sotus. Nauarrus.

46. Dicendum 2. Præceptum confessionis obligare per accidens 2. quando quis practicè iudicat, se non posse aliquod peccatum in particulari, vel occasionem peccandi vitare, nisi sacramentaliter confiteatur: quia cùm vnusquisque teneatur peccatum vitare; tenebitur etiam adhibere medium, quod hîc & nunc iudicat necessarium ad vitandum tale peccatum. Dixi, *in particulari*; quia ad vitanda peccata in communi non tenemur confessionem præmittere, eò, quòd non ita vrgeant peccata in communi, sicut in particulari. Vnde etiamsi fideles moraliter sciant, se non posse intra annum aliqua peccata in communi vitare sine frequenti confessione sacramentali, ad illam tamen non tenentur, vt est communis sententia Doctorum.

47. Dicendum 3. Per accidens hoc præceptum obligare 3. quando quis practicè iudicat, se teneri ad præceptum sacramentalis confessionis adimplendum. Quia cùm hoc sacramentum aliquando obliget, etiam extra articulum, vel periculum mortis; cumque practica, & immediata regula hoc dignoscendi sit propria conscientia pœnitentis, quãdo ipse practicè iudicauerit, se adhoc teneri, tenebitur: nisi fortè hanc conscientiam deponat consilio prudentis.

48. Dicendum 4. Per accidens obligare 4. quoties pœnitens in re graui, ac perdifficili, quam non expedit extra confessionem sacramentalem manifestare, eget consilio confessarij, vel pro se, vel pro alio maximè pro complice, cuius famæ meliùs in confessione consulitur. Vnusquisque enim Iure naturæ tenetur in rebus grauioribus, ac difficilioribus in quibus vel publicum bonum, vel salus famaque propria vel proximi periclitatur, & aliunde non expedit, rem, de qua consilium capitur, alicui extra confessionem committere, ad doctum, & prudentem Sacerdotem recurrere, qui in ipsa confessione sacramentali possit salubre consilium dare.

49. Dicendum 5. Obligare per accidens 5. in casu publicæ necessitatis, quando probabiliter timetur, Deum punire populum propter peccata particularium: sicut propter peccatum Achan Deus puniuit vniuersum exercitum Israeliticum, nec ante illum punire destitit, donec per mortem ipsius, & filiorum, ac filiarum, vniuersæque ipsius substantiæ combustionem, Deo satisfactum fuit, Iosue 7. & 2. Regum vltimò, propter vnius Regis Dauidis peccatum, intra triduum peste absumpsit septuaginta millia virorum. Quod præceptum vrgentiùs obligat principes, quorum peccata, quò magis sunt populo scandalosa, eo magis displicent Deo. Cęterùm hoc intelligendum est, quando peccator putat, se huic obligationi alia

Iosue 7. 2. Reg. vlt.

via satisfacere non posse, vel quia sibi non fidit ad actum contritionis attingere, vel quia iudicat illum non sufficere, sed præter illum vlteriùs applicanda esse per sacramentum Pœnitentiæ merita Christi.

50. Grauior difficultas est: quando hoc præceptum, præter articulum, vel periculum mortis, obliget per se, independenter à quocunque alio præcepto, & extrinseca necessitate, cùm extra hæc tempora non videatur certum aliud tempus assignabile, in quo hoc præceptum obliget per se.

S. Thomas Scotus Durandus Paludanus Suarez Coninck Fagundez.

51. Quocirca S. Thomas in 4. dist. 17. quæst. 3. art. 1. quæst. 4. Scotus quæst. vnica, *§. quoad quando*, Durandus quæst. 10. Paludanus quæst. 2. & alij, quos sequitur Suarez disp. 35. sect. 3. Coninck disp. 5. dubio 2. in fine, & Fagundez de 2. præcepto Ecclesiæ lib. 1. cap. 1. num. 6. per se affirmant non obligare, nisi tempore necessitatis. Fundamentum est: quia, cùm hoc sit præceptum affirmatiuum, non obligat, nisi tempore necessitatis. Est autem hoc tempus iuxta citatos authores, solus articulus, vel periculum mortis. Confirmat Suarez: quia hoc sacramentum est quædam determinatio præcepti pœnitentiæ virtutis, quo ex iustitia tenemur Deo satisfacere. Atqui hoc præceptum non obligat, nisi in extrema necessitate: ergo neque sacramentum pœnitentiæ.

52. *Longè tamen probabilior* reliquorum Theologorum sententia pronuntiat, hoc præceptum per se aliquando obligare, etiam extra articulum, aut periculum mortis. Ita Marsilius in 4. quæst. 13. Sotus dist. 18. q. 1. art. 4. post sextam conclusionem: Henriquez lib. 4. cap. 3. num. 4. Valentia disp. 7. quæst. 9. puncto 4. §. *atque hoc item confirmatur,* Vasquez 3. p. quæst. 90. art. 1. dub. 4. à numero 25. & deinceps, Nugnez 3. p. tomo 2. quæst. 6. art. 5. dub. 1. concl. 5. & alij. Quæ sententia non obscurè colligitur ex illis verbis Concilij Tridentini sess. 14. cap. 5. *Neque enim per Lateranense Concilium Ecclesia statuit, vt Christi fideles confiterentur, quòd iure Diuino necessarium, & institutum esse intellexerat; sed vt præceptum confessionis, saltem semel in anno ab omnibus, & singulis, cùm ad annos discretionis peruenissent, impleretur.* His enim verbis affirmat Concilium, determinatum fuisse ab Ecclesia tempus, in quo Christi fideles tenerentur hoc diuinum præceptum de confitendo adimplere. At si tempus implendi hoc præceptum iure diuino esset tantùm articulus, vel periculum mortis, non fuisset necessaria hæc Ecclesiæ determinatio, cùm hæc tempora nempè articulus, & periculum mortis sint determinata per se. Igitur cùm Tridentinum docet, Ecclesiam determinasse tempus, quo debeat hoc diuinum præceptum impleri, necessariò intellexit de tempore, quo extra articulum, & periculum mortis hoc idem præceptum, iure diuino, obligasset: nam hoc tantùm tempus egebat Ecclesiæ determinatione. Nec dici potest, per præceptum Ecclesiasticum determinatum fuisse tempus ipsum necessitatis ad annuam confessionem. Nam si hoc esset, sequeretur, eum, qui intra annum confessus esset, non teneri ad confitendum, si mortis articulus, vel periculum occurreret, etiamsi conscientiam haberet peccati mortalis.

Marsilius Sotus Henriquez. Valentia Vasquez Nugnez.

Conc. Tridentinum.

Quãdo hoc præceptum iure diuino obligasset, si ab Ecclesia tempus non fuisset determinatũ.

53. Verùm totus difficultatis cardo est in assignanda ratione, & tempore, quo hoc præceptum iure diuino obligasset, si ab Ecclesia determinatum non fuisset ad annuum tempus.

Marsilius Sotus Medina Nugnez.

54. Marsilius, Sotus, Medina, codice de confessione quæst. 13. *de tempore, quo confiteri oportet*, & Nugnez, ideo putant, hoc præceptum etiam extra articulum, & periculum mortis obligare: quia iure diuino tenemur omnia, & singula mortalia distinctè confiteri. Si autem confessionem differremus vsque ad periculum, vel articulum mortis, periculum foret, ne peccatorum obliuisceremur, ac proinde ne integram confessionem faceremus.

55. Sed hæc ratio communiter reijcitur: tum quia aliàs multi de facto tenerentur frequentiùs, quàm singulis annis confiteri, cùm multi de facto nequeant omnia sua peccata intra annum commissa memoria retinere. Quod quamuis concedat Nugnez, cohærenterque concedere debeat alij; falsum tamen est, cùm nemo de facto de hoc peccato in confessione se accuset. Tum quia sequeretur, non sufficienter Ecclesiam determinasse tempus, quo omnes Christi fideles integrè valeant hoc præceptum adimplere: nam si hoc præceptum iure Diuino obligat, nõ solùm ad confitenda omnia peccata post Baptismum commissa, sed etiam ad eorum memoriam conseruandam, non bene illud determinauit ad annuum tempus, cùm multi nequeant intra hoc tempus omnium suorum peccatorum memoriam retinere, præsertim homines sæculares, plurimis implicitisque irretiti negotijs. Tum quia ex præcepto diuino non tenemur, nisi confiteri omnia peccata, quorum conscientiam habemus post diligens examen, vt Tridentinum definit sess. 14. cap. 5.

Nugnez.

56. Idem Sotus, & alij ideo censent confessionis sacramentum, etiam extra articulum, & periculum mortis fideles obligare: quia cùm sit sacramentum reconciliationis hominis cum Deo, tenetur peccator non tantùm in fine vitæ; sed etiam in vita ipsa aliquando esse cum Deo reconciliatus, eiusque præcepta iuxta voluntatem, & intentionem ipsius adimplere. Sed contrà: nam hanc reconciliationem cum Deo peccator consequi posset per contritionem, cum voto dumtaxat confitendi in articulo, vel periculo mortis.

57. Alij ideo opinantur præceptum confessionis iure diuino extra articulum, & periculum mortis obligare: quia iure diuino tenetur peccator, pro suis commissis pecca-

tis pœnitentiam agere. Sed contra: nam hanc pœnitentiam peccator agere posset extra sacramentum pœnitentiæ, vti agebant antequam hoc sacramentum esset institutum.

58. Nec minùs reijcitur aliorum ratio docentium: ideo hoc sacramentum, iure diuino obligare extra articulum, & periculum mortis; quia, cùm sit institutum ad vitia extirpanda, moresque componendos, frequentiùs debet ab homine suscipi: nam hæc omnia homo consequi posset per frequens exercitium virtutum, sapientum instructionem, ac prudentum, bonorumque virorum consilium.

Ratio firma & efficax.

59. Ratio igitur, quæ, mea sententia, efficaciter demonstrat, hoc sacramentum non tantùm in articulo, & periculo mortis; sed etiam extra hæc tempora, iure diuino fideles obligare ad sua peccata Sacerdotibus confitenda, est: quoniam cùm hoc sacramentum non tantùm sit institutum ad remittenda peccata præterita; sed etiam ad præcauenda futura; cumque efficacissimum frœnum sit ad peccata præcauenda, obligatio, ea distinctè alteri homini manifestandi; cùm hoc maximè adhorreat humana superbia, quæ in omnibus suam semper quærit æstimationem, & famam apud homines, non fuit expediens, illud vsque in articulum, vel periculum mortis differre, eo quòd tunc non haberetur alter principalis finis, propter quem hoc sacramentum est institutum, vt per illud homines à peccatis committendis, abstinerent, eaque faciliùs præcauerent. Qui fructus, & emolumentum neque per contritionem, neque per alia media haberi potest. Confirmatur: nam sapientissimus Deus hoc sacramento non solùm voluit humanę occurrere imbecillitati, remittendo peccatori peccata sola attritione disposito; sed etiam efficax frœnum hominibus imponere, ne tam facilè in peccata prolaberentur: quod hoc medio suauius efficaciusque excogitari non potuit, vt si non amor creatoris, vel metus futuræ gehennæ, saltem præsens respectus humanus, & naturalis horror manifestandi occulta sua scælera alteri homini, homines à peccando compesceret.

Nullū certū tempus assignari potest, quo obligasset.

60. Sed adhuc superest molesta difficultas: quando hoc sacramentum ante determinationem Ecclesiæ iure diuino obligabat. Henriquez putat quolibet quinquennio; Nugnez arbitrio prudentis: alij quando propria conscientia peccatorem stimulasset. Sed vix potest huius determinati temporis certa aliqua regula assignari. Vnde propterea alij censent, necessariam fuisse Ecclesiæ determinationem, quæ vagum hoc tempus, ad certum spatium determinaret.

61. Ad fundamentum oppositæ sententiæ, negandum est, hoc præceptum obligare tantùm in extrema necessitate: licet in hac tantùm determinatè obliget, extra quam, non nisi vag , & indeterminatè. Ex dictis etiam patet ad confirmationem. Negandum quippè est, hoc sacramentum esse tantùm determinationem præcepti pœnitentiæ virtutis; sed per se etiam institutum esse ad frœnandum hominem à peccatis committendis; nec solùm à præteritis dimittendis; sed etiam à futuris præcauendis. Quod ex eo constat, quòd hoc sacramentum non solùm requirat dolorem de præteritis; sed etiā efficax propositum saltem implicitum de futuris præcauendis.

SECTIO V.

An præceptum Diuinum obliget fideles ad confitendum per interpretem, vel scriptum, quando non possunt aliter?

Affirmant Syluester Canus Suarez Nugnez Emmanuel Sà.

62. QVOAD 1. difficultatem est 1. sententia affirmans Syluestri verbo *confessio* 15. Cani relect. de pœnitentia p. 6. Suadisp. 36. sect. 6. Nugnez 3. p. tomo 2. quæst. 6. art. 6. Difficultate 2. qui id tantū asserunt in mortis articulo: quam etiam probabilem sensit Emmanuel Sà Verbo *confessio*. Mitigant autē illam Suarez, & Nugnez: vt non teneatur pœnitens per interpretem confiteri ea peccata, quæ vergunt in notabilem ipsius infamiam. Quòd si omnia peccata mortalia vergerent in notabilem ipsius infamiam, posset tunc confiteri sola venialia: quia non teneretur in tali casu facere confessionem integram materialiter. Fundamentum huius sententiæ est: quia in articulo mortis tenetur homo facere quantum in se est, adhibendo certiora media, quæ potest, vt reconcilietur Deo.

Negant Scotus Caietanus Tabiena Angelus Armilla Sotus Petrus Sotus Medina Nauarrus Toletus Henriquez Vasquez Valentia Coninck Laymann.

63. SECVNDA sententia reliquorum communis negat, etiam in articulo mortis. Est Scoti in 4. dist. 17. quæst. Vnica §. *ad aliud dicitur*, Caietani verbo *confessio*, Conditione 11. Angeli eodem verbo quæst. 1. num. 33. Tabienæ num. 34. Armillæ num. 25. Soti in 4. dist. 18. quæst. 2. art. 6. §. *his autem postrema adhibetur propositio*, Petri Soti lect. 11. de secreto confessionis, Medinę codice de confess. quæst. 15. *de modo secretè confitendi*, Nauarri in summa cap. 21. num. 36. Toleti lib. 3. cap. 6. Henriquez lib. 5. cap. 2. num. 6. Vasquez 3. p. quæst. 91. art. 4. dub. 3. Valentiæ disp. 7. quæst. 11. puncto 1. §. *quomodo debet esse confessio secreta*, Coninck disp. 5. dub. 10. concl. 2. Laymann tract. 6. de sacramento pœnit. c. 6. in fine, vbi docet in articulo mortis, de sua contritione dubitantem, teneri ad confessionem per interpretem, lege charitatis erga seipsum, & pœnitentiæ, ac satisfactionis erga Deum.

Idem

Diana. Idem sentit Diana tractat. 4. de sacramentis Resol. 129.

64. DICO I. Vi præcepti diuini, neque in articulo mortis, neque extra illum tenemur per interpretem confiteri, si aliter non possumus. Assertio hæc constat authoritate Doctorum, & fundamentum habet in Tridentino sessione 14. capite 5. vbi definitur, non esse diuino præcepto mandatum, vt delicta sint publica confessione aperienda. Atqui per interpretem delicta fierent aliquo modo publica: ergo vi præcepti diuini, de confessione facienda, non tenemur ea per interpretem confiteri. Confirmatur: tum quia si scirem, confessarium vel vni tantùm, meum peccatum esse reuelaturum, non tenerer illud confiteri; ergo neque per interpretem: tum quia notanter in capite, *omnis*, vbi diuinum præceptum confessionis determinatur ad annuum tempus, additur: *vt omnis fidelis omnia sua peccata solus confiteatur proprio Sacerdoti.* Ergo per particulam *solus* apertè excluditur interpres. Addit autem Vasquez, si quis confessionem fecerit, & oblitus sit vnius peccati, non teneri postea ad illud confitendum per interpretem: quia illud indirectè fuit remissum per præcedentem confessionem: esto illud teneretur confiteri sine interprete, si posset.

Concil. Tridentinum.

Vasquez.

65. Ratio verò fundamentalis nostræ assertionis est: quoniam ex præcepto diuino aliud non habemus; quàm vt omnia peccata mortalia, quorum post diligentem nostri discussionem memoriam habemus, proprio Sacerdoti confiteamur. Cùm igitur hoc præceptum sit pœnale, non debet ipsius obligatio extendi ad modum tam difficilem, qualis est confiteri per interpretem: cùm hoc sit speciale onus à priori distinctum: quòd cùm non sit in præcepto expressum, non debet præsumi in illo inclusum.

66. Confirmatur argumento ad hominem contra aduersarios: quia non est maior ratio, cur præceptum diuinum confitendi per interpretem obliget in articulo mortis, & non extra illum: cùm respectu Dei præceptum tam in articulo mortis; quàm extra illum sit idem. Quòd si respectu nostri hoc præceptum magis in articulo mortis vrget, id solùm est: quia tunc ex præcepto charitatis erga nos ipsos, tenemur certiora media ad salutem æternam consequendam adhibere, de quo mox, non autem ex præcepto diuino confitendi vt sic, de quo tantùm in hac assertione loquimur.

67. DICO 2. In articulo mortis tenemur ex præcepto Charitatis erga nos ipsos, si aliter non possumus, per interpretem, imò & coram alijs; etiam cum notabili detrimento famæ, sacramentaliter confiteri, si moraliter certi non sumus de contritione. Est ferè omnium Doctorum, præsertim cum apposita limitatione, si moraliter certi non sumus de contritione. Et ratio id euidenter dictat: quia cùm in eo articulo agatur de æterna animi salute, quæ præponenda est omni temporali bono, non debemus propter amissionem temporalis famæ, quæ ex nostrorum peccatorum confessione consequitur, dubiam reddere æternam nostram salutem.

68. An autem in tali casu licitè tacere possimus aliqua peccata, quæ vergunt in notabilem nostram infamiam (nam quæ vergunt in infamiam proximi, certum est ea nos tacere debere) probabile est, ea nos licitè tacere posse: cùm satis rationabilis ea tacendi causa sit, ipsa notabilis infamia. Quare non teneremur in eo casu facere integram confessionem materialiter.

Licitè eo casu taceri possent peccata, ex quibus pœnitenti infamia oreretur.

69. DIXI, *si moraliter certi non sumus de contritione:* quia cùm in eo euentu non teneamur confiteri propter præceptum ipsum confessionis præcisè, quod tunc cessat peccatorem obligare, vt suprà probatum est; sed propter præceptum charitatis, qua tenemur, certam reddere æternam nostram salutem, si aliundè de hac morali certitudine nobis constat, cum tanto dispendio nostræ famæ, nõ tenemur per interpretem confiteri. Optimum tamen Consilium est, etiamsi de contritione moraliter certi simus, confessionem per interpretem facere, omniaque nostra peccata confiteri, etiamsi vergant in notabilem infamiam nostram.

Si moraliter certus sit de contritione, nõ tenetur.

70. Aliqui aliam assignant obligationem, cur in eo casu teneatur peccator per interpretem confiteri; si per seipsum non possit, vt nimirum Deo satisfaciat. Verùm ob hanc præcisam causam, non puto nos obligari: tum quia possumus Deo satisfacere per ipsum actum contritionis: tum quia hoc ipso, quòd voluit Deus, in tali casu peccatorem ad confitendum non astringere, deobligauit illum à satisfaciendo sibi per sacramentalem confessionem. Vnde non cohærenter, me iudice, philosophantur, qui dicunt, Deum in tali casu peccatorem ad confitendum per interpretem non obligare, & nihilominus eundem peccatorem obligare, ad sibi satisfaciendum, per sacramentalem confessionem. Nam hoc ipso, quòd Deus peccatorem deobligat à confessione per interpretem; simul etiam illum deobligat à præcepto sibi satisfaciendi per confessionem. Cùm non minus Deus per confessionem sacramentalem peccatorem obliget propter ipsius iustificationem; quàm propter suam satisfactionem: igitur si illum deobligat à debito iustificationis per confessionem quia illa potest alia via haberi; eundem etiam deobligabit à debito satisfaciendi sibi per eandem confessionem, eo quòd alia via possit homo Deo satisfacere. Atque hæc de confessione per interpretem.

tis pœnitentiam agere. Sed contra: nam hanc pœnitentiam peccator agere posset extra sacramentum pœnitentiæ, vti agebant antequam hoc sacramentum esset institutum.

58. Nec minùs reijcitur aliorum ratio docentium: ideo hoc sacramentum, iure diuino obligare extra articulum, & periculum mortis; quia, cùm sit institutum ad vitia extirpanda, moresque componendos, frequentiùs debet ab homine suscipi: nam hæc omnia homo consequi posset per frequens exercitum virtutum, sapientum instructionem, ac prudentum, bonorumque virorum consilium.

Ratio firma & efficax.

59. Ratio igitur, quæ, mea sententia, efficaciter demonstrat, hoc sacramentum non tantùm in articulo, & periculo mortis; sed etiam extra hæc tempora, iure diuino fideles obligare ad sua peccata Sacerdotibus confitenda, est: quoniam cùm hoc sacramentum non tantum sit institutum ad remittenda peccata præterita; sed etiam ad præcauenda futura; cumque efficacissimum frœnum sit ad peccata præcauenda, obligatio, ea distinctè alteri homini manifestandi; cùm hoc maximè adhortetur humana superbia, quæ in omnibus suam semper quærit æstimationem, & famam apud homines, non fuit expediens, illud vsque in articulum, vel periculum mortis differre, eo quòd tunc non haberetur alter principalis finis, propter quem hoc sacramentum est institutum, vt per illud homines à peccatis committendis, abstinerent, eaque faciliùs præcauerent. Qui fructus, & emolumentum neque per contritionem, neque per alia media haberi potest. Confirmatur: nam sapientissimus Deus hoc sacramento non solùm voluit humanę occurrere imbecillitati, remittendo peccatori peccata sola attritione dispositо; sed etiam efficax frœnum hominibus imponere, ne tam facilè in peccata prolaberentur: quod hoc medio suauius efficaciusque excogitari non potuit, vt si non amor creatoris, vel metus futuræ gehennæ, saltem præsens respectus humanus, & naturalis horror manifestandi occulta sua scælera alteri homini, homines à peccando compesceret.

60. Sed adhuc superest molesta difficultas: quando hoc sacramentum ante determinationem Ecclesiæ iure diuino obligabat. Henriquez putat quolibet quinquennio; Nugnez arbitrio prudentis: alij quando propria conscientia peccatorem stimulasset. Sed vix potest huius determinati temporis certa aliqua regula assignari. Vnde propterea alij censent, necessariam fuisse Ecclesiæ determinationem, quæ vagum hoc tempus, ad certum spatium determinaret.

Nullũ certũ tempus assignari potest, quo obligasset.

61. Ad fundamentum oppositæ sententiæ, negandum est, hoc præceptum obligare tantùm in extrema necessitate: licet in hac tantùm determinatè obliget, extra quam, nonnisi vag , & indeterminatè. Ex dictis etiam patet ad confirmationem. Negandum quippè est, hoc sacramentum esse tantùm determinationem præcepti pœnitentiæ virtutis; sed per se etiam institutum esse ad frœnandum hominem à peccatis committendis; nec solùm à præteritis dimittendis; sed etiam à futuris præcauendis. Quod ex eo constat, quòd hoc sacramentum non solùm requirat dolorem de præteritis; sed etiã efficax propositum saltem implicitum de futuris præcauendis.

SECTIO V.

An præceptum Diuinum obliget fideles ad confitendum per interpretem, vel scriptum, quando non possunt aliter?

Affirmant Syluester Canus Suarez Nugnez Emmanuel Sà.

62. QVOAD 1. difficultatem est 1. sententia affirmans Syluestri verbo *confessio* 15. Cani relect. de pœnitentia p. 6. Suarez disp. 36. sect. 6. Nugnez 3. p. tomo 2. quæst. 6. art. 6. Difficultate 2. qui id tantũ asserunt in mortis articulo: quam etiam probabilem censet Emmanuel Sà Verbo *confessio.* Mitigant autẽ illam Suarez, & Nugnez: vt non teneatur pœnitens per interpretem confiteri ea peccata, quæ vergunt in notabilem ipsius infamiam. Quòd si omnia peccata mortalia vergerent in notabilem ipsius infamiam, posset tunc confiteri sola venialia: quia non teneretur in tali casu facere confessionem integram materialiter. Fundamentum huius sententiæ est: quia in articulo mortis tenetur homo facere quantum in se est, adhibendo certiora media, quæ potest, vt reconcilietur Deo.

Negant Scotus Caietanus Tabiena Angelus Armilla Sotus Petrus Sotus Medina Nauarrus Toletus Henriquez Vasquez Valentia Coninck Laymann.

63. SECVNDA sententia reliquorum communis negat, etiam in articulo mortis. Est Scoti in 4. dist. 17. quæst. Vnica *§. ad aliud dicitur*, Caietani verbo *confessio*, Conditione 11. Angeli eodem verbo quæst. 1. num. 33. Tabienæ num. 34. Armillæ num. 23. Soti in 4. dist. 18. quæst. 2. art. 6. *§. his autem postrema adhibetur propositio*, Petri Soti lect. 11. de secreto confessionis, Medinę codice de confess. quæst. 15. *de modo secretè confitendi*, Nauarri in summa cap. 21. num. 36. Toleti lib. 3. cap. 6. Henriquez lib. 5. cap. 2. num. 6. Vasquez 3. p. quæst. 91. art. 4. dub. 3. Valentiæ disp. 7. quæst. 11. puncto 1. *§. quomodo debet esse confessio secreta*, Coninck disp. 5. dub. 10. concl. 2. Laymann tract. 6. de sacramento pœnit. c. 6. in fine, vbi docet in articulo mortis, de sua contritione dubitantem, teneri ad confessionem per interpretem, lege charitatis erga seipsum, & pœnitentiæ, ac satisfactionis erga Deum.

Idem

Idem sentit Diana tractat.4. de sacramentis Resol.129.

Diana.

64. Dico 1. Vi præcepti diuini, neque in articulo mortis, neque extra illum tenemur per interpretem confiteri, si aliter non possumus. Assertio hæc constat authoritate Doctorum, & fundamentum habet in Tridentino sessione 14. capite 5. vbi definitur, non esse diuino præcepto mandatum, vt delicta sint publica confessione aperienda. Atqui per interpretem delicta fierent aliquo modo publica: ergo vi præcepti diuini, de confessione facienda, non tenemur ea per interpretem confiteri. Confirmatur: tum quia si scirem, confessarium vel vni tantùm, meum peccatum esse reuelaturum, non tenerer illud confiteri; ergo neque per interpretem: tum quia notanter in capite, *omnis*, vbi diuinum præceptum confessionis determinatur ad annuum tempus, additur: *vt omnis fidelis omnia sua peccata solus confiteatur proprio Sacerdoti.* Ergo per particulam *solus* apertè excluditur interpres. Addit autem Vasquez, si quis confessionem fecerit, & oblitus sit vnius peccati, non teneri postea ad illud confitendum per interpretem: quia illud indirectè fuit remissum per præcedentem confessionem: esto illud teneretur confiteri sine interprete, si posset.

Concil. Tridentinum.

Vasquez.

65. Ratio verò fundamentalis nostræ assertionis est: quoniam ex præcepto diuino aliud non habemus; quàm vt omnia peccata mortalia, quorum post diligentem nostri discussionem memoriam habemus, proprio Sacerdoti confiteamur. Cùm igitur hoc præceptum sit pœnale, non debet ipsius obligatio extendi ad modum tam difficilem, qualis est confiteri per interpretem: cùm hoc sit speciale onus à priori distinctum: quòd cùm non sit in præcepto expressum, non debet præsumi in illo inclusum.

66. Confirmatur argumento ad hominem contra aduersarios: quia non est maior ratio, cur præceptum diuinum confitendi per interpretem obliget in articulo mortis, & non extra illum: cùm respectu Dei præceptum tam in articulo mortis; quàm extra illum sit idem. Quòd si respectu nostri hoc præceptum magis in articulo mortis vrget, id solùm est: quia tunc ex præcepto charitatis erga nos ipsos, tenemur certiora media ad salutem æternam consequendam adhibere, de quo mox, non autem ex præcepto diuino confitendi vt sic, de quo tantùm in hac assertione loquimur.

67. Dico 2. In articulo mortis tenemur ex præcepto Charitatis erga nos ipsos, si aliter non possumus, per interpretem, imò & coram alijs; etiam cum notabili detrimento famæ, sacramentaliter confiteri, si moraliter certi non sumus de contritione. Est ferè omnium Doctorum, præsertim cum apposita limitatione, si moraliter certi non sumus de contritione. Et ratio id euidenter dictat: quia cùm in eo articulo agatur de æterna animi salute, quæ præponenda est omni temporali bono, non debemus propter amissionem temporalis famæ, quæ ex nostrorum peccatorum confessione consequitur, dubiam reddere æternam nostram salutem.

68. An autem in tali casu licitè tacere possimus aliqua peccata, quæ vergunt in notabilem nostram infamiam (nam quæ vergunt in infamiam proximi, certum est ea nos tacere debere) probabile est, ea nos licitè tacere posse: cùm satis rationabilis ea tacendi causa sit, ipsa notabilis infamia. Quare non teneremur in eo casu facere integram confessionem materialiter.

Licitè eo casu taceri possent peccata, ex quibus pœnitenti infamia emergeret.

69. Dixi, *si moraliter certi non sumus de contritione:* quia cùm in eo euentu non teneamur confiteri propter præceptum ipsum confessionis præcisè, quod tunc cessat peccatorem obligare, vt suprà probatum est; sed propter præceptum charitatis, qua tenemur, certam reddere æternam nostram salutem, si aliundè de hac morali certitudine nobis constat, cum tanto dispendio nostræ famæ, nõ tenemur per interpretem confiteri. Optimum tamen Consilium est, etiamsi de contritione moraliter certi simus, confessionem per interpretem facere, omniaque nostra peccata confiteri, etiamsi vergant in notabilem infamiam nostram.

Si moraliter certus sit de contritione, nõ tenetur.

70. Aliqui aliam assignant obligationem, cur in eo casu teneatur peccator per interpretem confiteri; si per seipsum non possit, vt nimirum Deo satisfaciat. Verùm ob hanc præcisam causam, non puto nos obligari: tum quia possumus Deo satisfacere per ipsum actum contritionis: tum quia hoc ipso, quòd voluit Deus, in tali casu peccatorem ad confitendum non astringere, deobligauit illum à satisfaciendo sibi per sacramentalem confessionem. Vnde non cohærenter, me iudice, philosophantur, qui dicunt, Deum in tali casu peccatorem ad confitendum per interpretem non obligare, & nihilominus eundem peccatorem obligare, ad sibi satisfaciendum, per sacramentalem confessionem. Nam hoc ipso, quòd Deus peccatorem deobligat à confessione per interpretem; simul etiam illum deobligat à præcepto sibi satisfaciendi per confessionem. Cùm non minus Deus per confessionem sacramentalem peccatorem obliget propter ipsius iustificationem; quàm propter suam satisfactionem: igitur si illum deobligat à debito iustificationis per confessionem quia illa potest alia via haberi; eundem etiam deobligabit à debito satisfaciendi sibi per eandem confessionem, eo quòd alia via possit homo Deo satisfacere. Atque hæc de confessione per interpretem.

tis pœnitentiam agere. Sed contra: nam hanc pœnitentiam peccator agere posset extra sacramentum pœnitentiæ, vti agebant antequam hoc sacramentum esset institutum.

58. Nec minùs reijcitur aliorum ratio docentium: ideo hoc sacramentum iure diuino obligare extra articulum, & periculum mortis; quia, cùm sit institutum ad vitia extirpanda, moresque componendos, frequentiùs debet ab homine suscipi: nam hæc omnia homo consequi posset per frequens exercitum virtutum, sapientum instructionem, ac prudentum, bonorumque virorum consilium.

Ratio firma & efficax.

59. Ratio igitur, quæ, mea sententia, efficaciter demonstrat, hoc sacramentum non tantùm in articulo, & periculo mortis; sed etiam extra hæc tempora, iure diuino fideles obligare ad sua peccata Sacerdotibus confitenda, est: quoniam cùm hoc sacramentum non tantùm sit institutum ad remittenda peccata præterita; sed etiam ad præcauenda futura; cumque efficacissimum frœnum sit ad peccata præcauenda, obligatio, ea distinctè alteri homini manifestandi; cùm hoc maximè adhorreat humana superbia, quæ in omnibus suam semper quærit æstimationem, & famam apud homines, non fuit expediens, illud vsque in articulum, vel periculum mortis differre; eo quòd tunc non haberetur alter principalis finis, propter quem hoc sacramentum est institutum, vt per illud homines à peccatis committendis, abstinerent, eaque faciliùs præcauerent. Qui fructus, & emolumentum neque per contritionem, neque per alia media haberi potest. Confirmatur: nam sapientissimus Deus hoc sacramento non solùm voluit humanę occurrere imbecillitati, remittendo peccatori peccata sola attritione disposito; sed etiam efficax frœnum hominibus imponere, ne tam facilè in peccata prolaberentur: quod hoc medio suauius efficaciusque excogitari non potuit, vt si non amor creatoris, vel metus futuræ gehennæ, saltem præsens respectus humanus, & naturalis horror manifestandi occulta sua scelera alteri homini, homines à peccando compesceret.

60. Sed adhuc superest molesta difficultas: quando hoc sacramentum ante determinationem Ecclesiæ iure diuino obligabat. Henriquez putat quolibet quinquennio; Nugnez arbitrio prudentis: alij quando propria conscientia peccatorem stimulasset. Sed vix potest huius determinati temporis certa aliqua regula assignari. Vnde propterea alij censent, necessariam fuisse Ecclesiæ determinationem, quæ vagum hoc tempus, ad certum spatium determinaret.

Nullũ certũ tempus assignari potest, quo obligasset.

61. Ad fundamentum oppositæ sententiæ, negandum est, hoc præceptum obligare tantùm in extrema necessitate: licet in hac tantùm determinatè obliget, extra quam, nonnihil vagè, & indeterminatè. Ex dictis etiam patet ad confirmationem. Negandum quippè est, hoc sacramentum esse tantùm determinationem præcepti pœnitentiæ virtutis; sed per se etiam institutum esse ad frœnandum hominem à peccatis committendis; nec solùm à præteritis dimittendis; sed etiam à futuris præcauendis. Quod ex eo constat, quòd hoc sacramentum non solùm requirat dolorem de præteritis; sed etiã efficax propositum saltem implicitum de futuris præcauendis.

SECTIO V.

An praeceptum Diuinum obliget fideles ad confitendum per interpretem, vel scriptum, quando non possunt aliter?

62. QVOAD 1. difficultatem est 1. sententia affirmans Syluestri verbo *confessio* 15. Cani relect. de pœnitentia p. 6. Suar. disp. 36. sect. 6. Nugnez 3. p. tomo 2 quæst. 6. art. 6. Difficultate 2. qui id tantũ asserunt in mortis articulo: quam etiam probabilem censet Emmanuel Sà Verbo *confessio*. Mitigant autẽ illam Suarez, & Nugnez: vt non teneatur pœnitens per interpretem confiteri ea peccata, quæ vergunt in notabilem ipsius infamiam. Quòd si omnia peccata mortalia vergerent in notabilem ipsius infamiam, posset tunc confiteri sola venialia: quia non teneretur in tali casu facere confessionem integram materialiter. Fundamentum huius sententiæ est: quia in articulo mortis tenetur homo facere quantum in se est, adhibendo certiora media, quæ potest, vt reconcilietur Deo.

Affirmant Syluester Canus Suarez Nugnez Emmanuel Sà.

63. SECVNDA sententia reliquorum communis negat, etiam in articulo mortis. Est Scoti in 4. dist. 17. quæst. Vnica *§. ad alud dicitur*, Caietani verbo *confessio*, Conditione 11. Angeli eodem verbo quæst. 1. num. 33. Tabienæ num. 34. Armillæ num. 23. Soti in 4. dist. 18. quæst. 2. art 6. *§. his autem postrema adhibetur propositio*, Petri Soti lect. 11. de secreto confessionis, Medinę codice de confess. quæst. 15. *de modo secretè confitendi*, Nauarri in summa cap. 21. num. 36. Toleti lib. 3. cap. 6. Henriquez lib. 5. cap. 2. num. 6. Vasquez 3. p. quæst. 91. art. 4. dub. 3. Valentiæ disp. 7. quæst. 11. puncto 1. §. *quomodo debet esse confessio secreta*, Coninck disp. 5. dub. 10. concl. 2. Laymano tract. 6. de sacramento pœnit. c. 6. in fine, vbi docet in articulo mortis, de sua contritione dubitantem, teneri ad confessionem per interpretem, lege charitatis erga seipsum, & pœnitentiæ, ac satisfactionis erga Deum.

Negant Scotus Caietanus Tabiena Angelus Armilla Sotus Petrus Sotus Medina Nauarrus Toletus Henriquez Vasquez Valentia Coninck Laymann.

Idem

Diana. Idem sentit Diana tractat.4. de sacramentis Resol.129.

64. Dico 1. Vi præcepti diuini, neque in articulo mortis, neque extra illum tenemur per interpretem confiteri, si aliter non possumus. Assertio hæc constat authoritate Doctorum, & fundamentum habet in Tridentino sessione 14. capite 5. (Concil. Tridentinum.) vbi definitur, non esse diuino præcepto mandatum, vt delicta sint publica confessione aperienda. Atqui per interpretem delicta fierent aliquo modo publica: ergo vi præcepti diuini, de confessione facienda, non tenemur ea per interpretem confiteri. Confirmatur: tum quia si scirem, confessarium vel vni tantùm, meum peccatum esse reuelaturum, non tenerer illud confiteri; ergo neque per interpretem: tum quia notanter in capite, *omnis*, vbi diuinum præceptum confessionis determinatur ad annuum tempus, additur: *vt omnis fidelis omnia sua peccata solus confiteatur proprio Sacerdoti.* Ergo per particulam *solus* apertè excluditur interpres. Addit autem Vasquez, (Vasquez.) si quis confessionem fecerit, & oblitus sit vnius peccati, non teneri postea ad illud confitendum per interpretem: quia illud indirectè fuit remissum per præcedentem confessionem: esto illud teneretur confiteri sine interprete, si posset.

65. Ratio verò fundamentalis nostræ assertionis est: quoniam ex præcepto diuino aliud non habemus; quàm vt omnia peccata mortalia, quorum post diligentem nostri discussionem memoriam habemus, proprio Sacerdoti confiteamur. Cùm igitur hoc præceptum sit pœnale, non debet ipsius obligatio extendi ad modum tam difficilem, qualis est confiteri per interpretem: cùm hoc sit speciale onus à priori distinctum: quòd cùm non sit in præcepto expressum, non debet præsumi in illo inclusum.

66. Confirmatur argumento ad hominem contra aduersarios: quia non est maior ratio, cur præceptum diuinum confitendi per interpretem obliget in articulo mortis, & non extra illum: cùm respectu Dei præceptum tam in articulo mortis; quàm extra illum sit idem. Quòd si respectu nostri hoc præceptum magis in articulo mortis vrget, id solùm est: quia tunc ex præcepto charitatis erga nos ipsos, tenemur certiora media ad salutem æternam consequendam adhibere, de quo mox, non autem ex præcepto diuino confitendi vt sic, de quo tantùm in hac assertione loquimur.

67. Dico 2. In articulo mortis tenemur ex præcepto Charitatis erga nos ipsos, si aliter non possumus, per interpretem, imò & coram alijs; etiam cum notabili detrimento famæ, sacramentaliter confiteri, si moraliter certi non sumus de contritione. Est ferè omnium Doctorum, præsertim cum apposita limitatione, si moraliter certi non sumus de contritione. Et ratio id euidenter dictat: quia cùm in eo articulo agatur de æterna animi salute, quæ præponenda est omni temporali bono, non debemus propter amissionem temporalis famæ, quæ ex nostrorum peccatorum confessione consequitur, dubiam reddere æternam nostram salutem.

68. An autem in tali casu licitè tacere possimus aliqua peccata, quæ vergunt in notabilem nostram infamiam (nam quæ vergunt in infamiam proximi, certum est ea nos tacere debere) probabile est, ea nos licitè tacere posse: cùm satis rationabilis ea tacendi causa sit, ipsa notabilis infamia. Quare non teneremur in eo casu facere integram confessionem materialiter. (*Licitè eo casu taceri possent peccata, ex quibus pænitenti infamia emergeret.*)

69. Dixi, *si moraliter certi non sumus de contritione:* quia cùm in eo euentu non teneamur confiteri propter præceptum ipsum confessionis præcisè, quod tunc cessat peccatorem obligare, vt suprà probatum est; sed propter præceptum charitatis, qua tenemur, certam reddere æternam nostram salutem, si aliundè de hac morali certitudine nobis constat, cum tanto dispendio nostræ famæ, nô tenemur per interpretem confiteri. Optimum tamen Consilium est, etiamsi de contritione moraliter certi simus, confessionem per interpretem facere, omniaque nostra peccata confiteri, etiamsi vergant in notabilem infamiam nostram. (*Si moraliter certus sit de contritione, nô tenetur.*)

70. Aliqui aliam assignant obligationem, cur in eo casu teneatur peccator per interpretem confiteri; si per seipsum non possit, vt nimirum Deo satisfaciat. Verùm ob hanc præcisam causam, non puto nos obligari: tum quia possumus Deo satisfacere per ipsum actum contritionis: tum quia hoc ipso, quòd voluit Deus, in tali casu peccatorem ad confitendum non astringere, deobligauit illum à satisfaciendo sibi per sacramentalem confessionem. Vnde non cohærenter, me iudice, philosophantur, qui dicunt, Deum in tali casu peccatorem ad confitendum per interpretem non obligare, & nihilominus eundem peccatorem obligare, ad sibi satisfaciendum, per sacramentalem confessionem. Nam hoc ipso, quòd Deus peccatorem deobligat à confessione per interpretem; simul etiam illum deobligat à præcepto sibi satisfaciendi per confessionem. Cùm non minus Deus per confessionem sacramentalem peccatorem obliget propter ipsius iustificationem; quàm propter suam satisfactionem: igitur si illum deobligat à debito iustificationis per confessionem quia illa potest alia via haberi; eundem etiam deobligabit à debito satisfaciendi sibi per eandem confessionem, eo quòd alia via possit homo Deo satisfacere. Atque hæc de confessione per interpretem.

tis pœnitentiam agere. Sed contra: nam hanc pœnitentiam peccator agere posset extra sacramentum pœnitentiæ, vti agebant antequam hoc sacramentum esset institutum.

58. Nec minùs reijcitur aliorum ratio docentium: ideo hoc sacramentum iure diuino obligare extra articulum, & periculum mortis; quia, cùm sit institutum ad vitia extirpanda, moresque componendos, frequentiùs debet ab homine suscipi: nam hæc omnia homo consequi posset per frequens exercitum virtutum, sapientum instructionem, ac prudentum, bonorumque virorum consilium.

Ratio firma & efficax.

59. Ratio igitur, quæ, mea sententia, efficaciter demonstrat, hoc sacramentum non tantùm in articulo, & periculo mortis; sed etiam extra hæc tempora, iure diuino fideles obligare ad sua peccata Sacerdotibus confitenda, est: quoniam cùm hoc sacramentum non tantùm sit institutum ad remittenda peccata præterita; sed etiam ad præcauenda futura; cumque efficacissimum frœnum sit ad peccata præcauenda, obligatio, ea distinctè alteri homini manifestandi; cùm hoc maximè adhorteat humana superbia, quæ in omnibus suam semper quærit æstimationem, & famam apud homines, non fuit expediens, illud vsque in articulum, vel periculum mortis differre, eo quòd tunc non haberetur alter principalis finis, propter quem hoc sacramentum est institutum, vt per illud homines à peccatis committendis, abstinerent, eaque faciliùs præcauerent. Qui fructus, & emolumentum neque per contritionem, neque per alia media haberi potest. Confirmatur: nam sapientissimus Deus hoc sacramento non solùm voluit humanæ occurrere imbecillitati, remittendo peccatori peccata sola attritione disposito; sed etiam efficax frœnum hominibus imponere, ne tam facilè in peccata prolaberentur: quod hoc medio suauius efficaciusque excogitari non potuit, vt si non amor creatoris, vel metus futuræ gehennæ, saltem præsens respectus humanus, & naturalis horror manifestandi occulta sua scælera alteri homini, homines à peccando compesceret.

60. Sed adhuc superest molesta difficultas: quando hoc sacramentum ante determinationem Ecclesiæ iure diuino obligabat. Henriquez putat quolibet quinquennio; Nugnez arbitrio prudentis: alij quando propria conscientia peccatorem stimulasset. Sed vix potest huius determinati temporis certa aliqua regula assignari. Vnde propterea alij censent, necessariam fuisse Ecclesiæ determinationem, quæ vagum hoc tempus, ad certum spatium determinaret.

Nullũ certũ tempus assignari potest, quo obligasset.

61. Ad fundamentum oppositæ sententiæ, negandum est, hoc præceptum obligare tantùm in extrema necessitate: licet in hac tantùm determinatè obliget, extra quam, nonnisi vagè, & indeterminatè. Ex dictis etiam patet ad confirmationem. Negandum quippè est, hoc sacramentum esse tantùm determinationem præcepti pœnitentiæ virtutis; sed per se etiam institutum esse ad frœnandum hominem à peccatis committendis; nec solùm à præteritis dimittendis; sed etiam à futuris præcauendis. Quod ex eo constat, quòd hoc sacramentum non solùm requirat dolorem de præteritis; sed etiã efficax propositum saltem implicitum de futuris præcauendis.

SECTIO V.

An præceptum Diuinum obliget fideles ad confitendum per interpretem, vel scriptum, quando non possunt aliter?

62. QVOAD 1. difficultatem est 1. sententia affirmans Syluestri verbo *confessio* 15. Cani relect. de pœnitentia p. 6. Suarez disp. 36. sect. 6. Nugnez 3. p. tomo 2 quæst. 6. art. 6. Difficultate 2. qui id tantũ asserunt in mortis articulo: quam etiam probabilem censet Emmanuel Sà Verbo *confessio*. Mitigant autẽ illam Suarez, & Nugnez: vt non teneatur pœnitens per interpretem confiteri ea peccata, quæ vergunt in notabilem ipsius infamiam. Quòd si omnia peccata mortalia vergerent in notabilem ipsius infamiam, posset tunc confiteri sola venialia: quia non teneretur in tali casu facere confessionem integram materialiter. Fundamentum huius sententiæ est: quia in articulo mortis tenetur homo facere quantum in se est, adhibendo certiora media, quæ potest, vt reconcilietur Deo.

Affirmant Sylvester Canus Suarez Nugnez Emmanuel Sà.

63. SECVNDA sententia reliquorum communis negat, etiam in articulo mortis. Est Scoti in 4. dist. 17. quæst. Vnica §. *ad aliud dicitur*, Caietani verbo *confessio*, Conditione 11. Angeli eodem verbo quæst. 1. num. 33. Tabienæ num. 34. Armillæ num. 23. Soti in 4. dist. 18. quæst. 2. art 6. §. *his autem postrema adhibetur propositio*, Petri Soti lect. 11. de secreto confessionis, Medinæ codice de confess. quæst. 15. *de modo secretè confitendi*, Nauarri in summa cap. 21. num. 36. Toleti lib. 3. cap. 6. Henriquez lib. 5. cap. 2. num. 6. Vasquez 3. p. quæst. 91. art. 4. dub. 3. Valentiæ disp. 7. quæst. 11. puncto 1. §. *quomodo debet esse confessio secreta*, Coninck disp. 5. dub. 10. concl. 2. Laymann tract. 6. de sacramento pœnit. c. 6. in fine, vbi docet in articulo mortis, de sua contritione dubitantem, teneri ad confessionem per interpretem, lege charitatis erga seipsum, & pœnitentiæ, ac satisfactionis erga Deum.

Negant Scotus Caietanus Tabiena Angelus Armilla Sotus Petrus Sotus Medina Nauarrus Toletus Henriquez Vasquez Valentia Coninck Laymann.

Idem

Diana.

Idem sentit Diana tractat. 4. de sacramentis Resol. 129.

64. Dico 1. Vi præcepti diuini, neque in articulo mortis, neque extra illum tenemur per interpretem confiteri, si aliter non possumus. Assertio hæc constat authoritate Doctorum, & fundamentum habet in Tridentino sessione 14. capite 5. vbi definitur, non esse diuino præcepto mandatum, vt delicta sint publica confessione aperienda. Atqui per interpretem delicta fierent aliquo modo publica: ergo vi præcepti diuini, de confessione facienda, non tenemur ea per interpretem confiteri. Confirmatur: tum quia si scirem, confessarium vel vni tantùm, meum peccatum esse reuelaturum, non tenerer illud confiteri; ergo neque per interpretem: tum quia notanter in capite, *omnis*, vbi diuinum præceptum confessionis determinatur ad annuum tempus, additur: *vt omnis fidelis omnia sua peccata solùm confiteatur proprio Sacerdoti.* Ergo per particulam *solus* apertè excluditur interpres. Addit autem Vasquez, si quis confessionem fecerit, & oblitus sit vnius peccati, non teneri postea ad illud confitendum per interpretem: quia illud indirectè fuit remissum per præcedentem confessionem: esto illud teneretur confiteri sine interprete, si posset.

Conc. Tridentinum.

Vasquez.

65. Ratio verò fundamentalis nostræ assertionis est: quoniam ex præcepto diuino aliud non habemus; quàm vt omnia peccata mortalia, quorum post diligentem nostri discussionem memoriam habemus, proprio Sacerdoti confiteamur. Cùm igitur hoc præceptum sit pœnale, non debet ipsius obligatio extendi ad modum tam difficilem, qualis est confiteri per interpretem: cùm hoc sit speciale onus à priori distinctum: quòd cùm non sit in præcepto expressum, non debet præsumi in illo inclusum.

66. Confirmatur argumento ad hominem contra aduersarios: quia non est maior ratio, cur præceptum diuinum confitendi per interpretem obliget in articulo mortis, & non extra illum: cùm respectu Dei præceptum tam in articulo mortis; quàm extra illum sit idem. Quòd si respectu nostri hoc præceptum magis in articulo mortis vrget, id solùm est: quia tunc ex præcepto charitatis erga nos ipsos, tenemur certiora media ad salutem æternam consequendam adhibere, de quo mox, non autem ex præcepto diuino confitendi vt sic, de quo tantùm in hac assertione loquimur.

67. Dico 2. In articulo mortis tenemur ex præcepto Charitatis erga nos ipsos, si aliter non possumus, per interpretem, imò & coram alijs; etiam cum notabili detrimento famæ, sacramentaliter confiteri, si moraliter certi non sumus de contritione. Est ferè omnium Doctorum, præsertim cum apposita limitatione, si moraliter certi non sumus de contritione. Et ratio id euidenter dictat: quia cùm in eo articulo agatur de æterna animi salute, quæ præponenda est omni temporali bono, non debemus propter amissionem temporalis famæ, quæ ex nostrorum peccatorum confessione consequitur, dubiam reddere æternam nostram salutem.

68. An autem in tali casu licitè tacere possimus aliqua peccata, quæ vergunt in notabilem nostram infamiam (nam quæ vergunt in infamiam proximi, certum est ea nos tacere debere) probabile est, ea nos licitè tacere posse: cùm satis rationabilis ea tacendi causa sit, ipsa notabilis infamia. Quare non teneremur in eo casu facere integram confessionem materialiter.

Licitè eo casu taceri possent peccata, ex quibus pœnitenti infamia emergeret.

69. Dixi, *si moraliter certi non sumus de contritione:* quia cùm in eo euentu non teneamur confiteri propter præceptum ipsum confessionis præcisè, quod tunc cessat peccatorem obligare, vt suprà probatum est; sed propter præceptum charitatis, quo tenemur, certam reddere æternam nostram salutem, si aliundè de hac morali certitudine nobis constat, cum tanto dispendio nostræ famæ, nõ tenemur per interpretem confiteri. Optimum tamen Consilium est, etiamsi de contritione moraliter certi simus, confessionem per interpretem facere, omniaque nostra peccata confiteri, etiamsi vergant in notabilem infamiam nostram.

Si moraliter certus sit de contritione, nõ tenetur.

70. Aliqui aliam assignant obligationem, cur in eo casu teneatur peccator per interpretem confiteri; si per seipsum non possit, vt nimirum Deo satisfaciat. Verùm ob hanc præcisam causam, non puto nos obligari: tum quia possumus Deo satisfacere per ipsum actum contritionis: tum quia hoc ipso, quòd voluit Deus, in tali casu peccatorem ad confitendum non astringere, deobligauit illum à satisfaciendo sibi per sacramentalem confessionem. Vnde non cohærenter, me iudice, philosophantur, qui dicunt, Deum in tali casu peccatorem ad confitendum per interpretem non obligare, & nihilominus eundem peccatorem obligare, ad sibi satisfaciendum, per sacramentalem confessionem. Nam hoc ipso, quòd Deus peccatorem deobligat à confessione per interpretem; simul etiam illum deobligat à præcepto sibi satisfaciendi per confessionem. Cùm non minus Deus per confessionem sacramentalem peccatorem obliget propter ipsius iustificationem; quàm propter suam satisfactionem: igitur si illum deobligat à debito iustificationis per confessionem quia illa potest alia via haberi; eundem etiam deobligabit à debito satisfaciendi sibi per eandem confessionem, eo quòd alia via possit homo Deo satisfacere. Atque hæc de confessione per interpretem.

Alensis Bonauent. Angelus.

vt falsò putauit Alensis 4. p. quæst. 77. Mem. 4. art. 2. & saltem de Religiosis sensit Bonauent. in 4. dist. 17. art. 4. quæst. 2. quem sequitur Angelus verbo *confessio.* 1. num. 31. Est enim hoc contra communem sententiam Doctorum, & praxim Fidelium, qui nunquam se accusant, quòd non statim ac peccarunt, confessi sint. His autem positis, vt certis, controuersia emergit: an hoc præceptum Diuinum Confessionis, fideles obliget alio tempore, quàm in articulo, vel periculo mortis. Pro cuius controuersiæ explicatione,

Dupliciter fideles ad sacramentalem confessionem obligari possunt.

44. Notandum: dupliciter posse fideles ad sacramentalem confessionem obligari; vno modo per se, vi ipsius Confessionis præcisè; alio modo per accidens, ratione alterius, ad cuius executionem sacramentalis confessio præ requiritur: sicut ad dignam susceptionem Eucharistiæ, prærequiritur sacramentalis confessio. Multum autem refert, quòd confessio obliget per se ratione sui, vel per accidens ratione alterius. Nam quando obligat per se ratione sui, eius transgressio est distinctum peccatum: quando verò obligat per accidens ratione alterius, talis transgressio non facit distinctum peccatum; sed est sola circumstantia peccati, quod committitur in transgressione illius præcepti, ad cuius executionem confessio tanquam dispositio prærequiritur. Velut cùm quis habens conscientiam peccati mortalis, absque præuia confessione sacramentali communicat, omissio talis confessionis non facit distinctum peccatum ab ipsa indigna susceptione Eucharistiæ, sed est circumstantia tantùm indignæ susceptionis. Sicut cùm quis communicat non ieiunus, non committit duo peccata: alterum transgrediendi præceptum Ecclesiasticum, de præmittendo ieiunio ante sacram Synaxim; alterum de sumenda Eucharistia à non ieiuno. Ratio est: quia in tali casu confessio non inducit nouam obligationem, distinctam ab obligatione dignæ susceptionis Eucharistiæ. Hoc adnotato,

45. Dicendum est 1. præceptum confessionis, per accidens obligare 1. Quoties cunque sumenda est sacra Eucharistia, idque iure Diuino, quo tenemur ob Reuerentiam tanti sacramenti ad Eucharistiam dispositi accedere, si peccati mortalis conscientia extimulemur: vt rectè ex illo Pauli 1. ad Corinthios 11. *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat*, deducit Tridentinum sess. 13. cap. 7. Præter autem Eucharistiam ad nullum aliud sacramentum dignè suscipiendum obligat præceptum confessionis. Quod non obscurè colligitur ex eodem Trident. quod dum declarat hoc esse peculiare præceptum de Eucharistia, virtute negat de reliquis sacramentis, ad quorum dignam susceptionem sufficit præmittere contritionem. Quòd si S. Thomas quodlibeto 1. art. 11. sacramentalem confessionem requirat etiam in ordinandis, id non requirit ratione ordinis præcisè, sed ratione Eucharistiæ, quam ex consuetudine Ecclesiæ solent ordinandi sumere, vt illum Sotus, Nauarrus, & alij communiter explicant.

1. Ad Cor. 11.

Concil. Tridentinum.

S. Thomas.

Sotus Nauarrus.

46. Dicendum 2. Præceptum confessionis obligare per accidens 2. quando quis practicè iudicat, se non posse aliquod peccatum in particulari, vel occasionem peccandi vitare, nisi sacramentaliter confiteatur: quia cùm vnusquisque teneatur peccatum vitare; tenebitur etiam adhibere medium, quod hîc & nunc iudicat necessarium ad vitandum tale peccatum. Dixi, *in particulari*: quia ad vitanda peccata in communi non tenemur confessionem præmittere, eò, quòd non ita vrgeant peccata in communi, sicut in particulari. Vnde etiamsi fideles moraliter sciant, se non posse intra annum aliqua peccata in communi vitare sine frequenti confessione sacramentali, ad illam tamen non tenentur, vt est communis sententia Doctorum.

47. Dicendum 3. Per accidens hoc præceptum obligare 3. quando quis practicè iudicat, se teneri ad præceptum sacramentalis confessionis adimplendum. Quia cùm hoc sacramentum aliquando obliget, etiam extra articulum, vel periculum mortis; cumque practica, & immediata regula hoc dignoscendi sit propria conscientia pœnitentis, quādo ipse practicè iudicauerit, se adhoc teneri, tenebitur: nisi fortè hanc conscientiam deponat consilio prudentis.

48. Dicendum 4. Per accidens obligare 4. quoties pœnitens in re graui, ac perdifficili, quam non expedit extra confessionem sacramentalem manifestare, eget consilio confessarij, vel pro se, vel pro alio maximè pro complice, cuius famæ meliùs in confessione consulitur. Vnusquisque enim Iure naturæ tenetur in rebus grauioribus, ac difficilioribus in quibus vel publicum bonum, vel salus famaque propria vel proximi periclitatur, & aliunde non expedit, rem, de qua consilium capitur, alicui extra confessionem committere, ad doctum, & prudentem Sacerdotem recurrere, qui in ipsa confessione sacramentali possit salubre consilium dare.

49. Dicendum 5. Obligare per accidens 5. in casu publicæ necessitatis, quando probabiliter timetur, Deum punire populum propter peccata particularium: sicut propter peccatum Achan Deus puniuit vniuersum exercitum Israeliticum; nec ante illum punire destitit, donec per mortem ipsius, & filiorum, ac filiarum, vniuersæque ipsius substantiæ combustionem, Deo satisfactum fuit, Iosue 7. & 2. Regum vltimò, propter vnius Regis Dauidis peccatum, intra triduum peste absumpsit septuaginta millia virorum. Quod præceptum vrgentiùs obligat principes, quorum peccata, quò magis sunt populo scandalosa, eo magis displicent Deo. Cæterùm hoc intelligendum est, quando peccator putat, se huic obligationi alia

Iosue 7. 2. Reg. vlt.

via satisfacere non posse, vel quia sibi non fidit ad actum contritionis attingere, vel quia iudicat illum non sufficere, sed præter illum vlteriùs applicanda esse per sacramentum Pœnitentiæ merita Christi.

50. Grauior difficultas est: quando hoc præceptum, præter articulum, vel periculum mortis, obliget per se, independenter à quocunque alio præcepto, & extrinseca necessitate, cùm extra hæc tempora non videatur certum aliud tempus assignabile, in quo hoc præceptum obliget per se.

S. Thomas, Scotus, Durandus, Paludanus, Suarez, Coninck, Fagundez.

51. Quocirca S. Thomas in 4. dist. 17. quæst. 3. art. 1. quæst. 4. Scotus quæst. vnica, *§. quoad quando*, Durandus quæst. 10. Paludanus quæst. 2. & alij, quos sequitur Suarez disp. 35. sect. 3. Coninck disp. 5. dubio 2. in fine, & Fagundez de 2. præcepto Ecclesiæ lib. 1. cap. 1. num. 6. per se affirmant non obligare, nisi tempore necessitatis. Fundamentum est: quia, cùm hoc sit præceptum affirmatiuum, non obligat, nisi tempore necessitatis. Est autem hoc tempus iuxta citatos authores, solus articulus, vel periculum mortis. Confirmat Suarez: quia hoc sacramentum est quædam determinatio præcepti pœnitentiæ virtutis, quo ex iustitia tenemur Deo satisfacere. Atqui hoc præceptum non obligat, nisi in extrema necessitate: ergo neque sacramentum pœnitentiæ.

Marsilius, Sotus, Henriquez, Valentia, Vasquez, Nugnez.

52. *Longè tamen probabilior* reliquorum Theologorum sententia pronuntiat, hoc præceptum per se aliquando obligare, etiam extra articulum, aut periculum mortis. Ita Marsilius in 4. quæst. 12. Sotus dist. 18. q. 1. art. 4. post sextam conclusionem: Henriquez lib. 4. cap. 3. num. 4. Valentia disp. 7. quæst. 9. puncto 4. §. *atque hoc item confirmatur*, Vasquez 3. p. quæst. 90. art. 1. dub. 4. à numero 25. & deinceps, Nugnez 3. p. tomo 2. quæst. 6. art. 5. dub. 1. concl. 5. & alij. Quæ sententia non obscurè colligitur ex illis verbis Concilij Tridentini sess. 14. cap. 5. *Neque enim per Lateranense Concilium Ecclesia statuit, vt Christi fideles confiterentur, quòd iure Diuino necessarium, & institutum esse intellexerat; sed vt præceptum confessionis, saltem semel in anno ab omnibus, & singulis, cùm ad annos discretionis peruenissent, impleretur.* His enim verbis affirmat Concilium, determinatum fuisse ab Ecclesia tempus, in quo Christi fideles tenerentur hoc diuinum præceptum de confitendo adimplere. At si tempus implendi hoc præceptum iure diuino esset tantùm articulus, vel periculum mortis, non fuisset necessaria hæc Ecclesiæ determinatio, cùm hæc tempora nempè articulus, & periculum mortis sint determinata per se. Igitur cùm Tridentinum docet, Ecclesiam determinasse tempus, quo debeat hoc diuinum præceptum impleri, necessariò intellexit de tempore, quo extra articulum, & periculum mortis hoc idem præceptum, iure diuino, obligasset: nam hoc tantùm tempus egebat Ecclesiæ determinatione. Nec dici potest, per præceptum Ecclesiasticum determinatum fuisse tempus ipsum necessitatis ad annuam confessionem. Nam si hoc esset, sequeretur, eum, qui intra annum confessus esset, non teneri ad confitendum, si mortis articulus, vel periculum occurreret, etiamsi conscientiam haberet peccati mortalis.

Concil. Tridentinum.

Quādo hoc præceptum iure diuino obligasset, si ab Ecclesia tempus non fuisset determinatū.

53. Verùm totus difficultatis cardo est in assignanda ratione, & tempore, quo hoc præceptum iure diuino obligasset, si ab Ecclesia determinatum non fuisset ad annuum tempus.

Marsilius, Sotus, Medina, Nugnez.

54. Marsilius, Sotus, Medina, codice de confessione quæst. 11. *de tempore, quo confiteri oportet*, & Nugnez, ideo putant, hoc præceptum etiam extra articulum, & periculum mortis obligare: quia iure diuino tenemur omnia, & singula mortalia distinctè confiteri. Si autem confessionem differremus vsque ad periculum, vel articulum mortis, periculum foret, ne peccatorum obliuisceremur, ac proinde ne integram confessionem faceremus.

Nugnez.

55. Sed hæc ratio communiter reijcitur: tum quia aliàs multi de facto tenerentur frequentiùs, quàm singulis annis confiteri, cùm multi de facto nequeant omnia sua peccata intra annum commissa memoria retinere. Quod quamuis concedat Nugnez, cohærenterque concedere debeāt alij; falsum tamen est, cùm nemo de facto de hoc peccato in confessione se accuset. Tum quia sequeretur, non sufficienter Ecclesiam determinasse tempus, quo omnes Christi fideles integrè valeant hoc præceptum adimplere: nam si hoc præceptum iure Diuino obligat, nō solùm ad confitenda omnia peccata post Baptismum commissa, sed etiam ad eorum memoriam conseruandam, non bene illud determinauit ad annuum tempus, cùm multi nequeant intra hoc tempus omnium suorum peccatorum memoriam retinere, præsertim homines sæculares, plurimis implicitisque irretiti negotijs. Tum quia ex præcepto diuino non tenemur, nisi confiteri omnia peccata, quorum conscientiam habemus post diligens examen, vt Tridentinum definit sess. 14. cap. 5.

56. Idem Sotus, & alij ideo censent confessionis sacramentum, etiam extra articulum, & periculum mortis fideles obligare: quia cùm sit sacramentum reconciliationis hominis cum Deo, tenetur peccator non tantùm in fine vitæ; sed etiam in vita ipsa aliquando esse cum Deo reconciliatus, eiusque præcepta iuxta voluntatem, & intentionem ipsius adimplere. Sed contrà: nam hanc reconciliationem cum Deo peccator consequi posset per contritionem, cum voto dumtaxat confitendi in articulo, vel periculo mortis.

57. Alij ideo opinantur præceptum confessionis iure diuino extra articulum, & periculum mortis obligare: quia iure diuino tenetur peccator, pro suis commissis pecca-

Diana. Idem sentit Diana tractat. 4. de sacramentis Resol. 129.

64. Dico 1. Vi præcepti diuini, neque in articulo mortis, neque extra illum tenemur per interpretem confiteri, si aliter non possumus. Assertio hæc constat authoritate Doctorum, & fundamentum habet in Tridentino sessione 14. capite 5. (Concil. Tridentinum.) vbi definitur, non esse diuino præcepto mandatum, vt delicta sint publica confessione aperienda. Atqui per interpretem delicta fierent aliquo modo publica: ergo vi præcepti diuini, de confessione facienda, non tenemur ea per interpretem confiteri. Confirmatur: tum quia si scirem, confessarium vel vni tantùm, meum peccatum esse reuelaturum, non tenerer illud confiteri; ergo neque per interpretem: tum quia notanter in capite, *omnis*, vbi diuinum præceptum confessionis determinatur ad annuum tempus, additur: *vt omnis fidelis omnia sua peccata solus confiteatur proprio Sacerdoti.* Ergo per particulam *solus* apertè excluditur interpres. Addit autem Vasquez (Vasquez.), si quis confessionem fecerit, & oblitus sit vnius peccati, non teneri postea ad illud confitendum per interpretem: quia illud indirectè fuit remissum per præcedentem confessionem: esto illud teneretur confiteri sine interprete, si posset.

65. Ratio verò fundamentalis nostræ assertionis est: quoniam ex præcepto diuino aliud non habemus; quàm vi omnia peccata mortalia, quorum post diligentem nostri discussionem memoriam habemus, proprio Sacerdoti confiteamur. Cùm igitur hoc præceptum sit pœnale, non debet ipsius obligatio extendi ad modum tam difficilem, qualis est confiteri per interpretem: cùm hoc sit speciale onus à priori distinctum: quòd cùm non sit in præcepto expressum, non debet præsumi in illo inclusum.

66. Confirmatur argumento ad hominem contra aduersarios: quia non est maior ratio, cur præceptum diuinum confitendi per interpretem obliget in articulo mortis, & non extra illum: cùm respectu Dei præceptum tam in articulo mortis; quàm extra illum sit idem. Quòd si respectu nostri hoc præceptum magis in articulo mortis vrget, id solùm est: quia tunc ex præcepto charitatis erga nos ipsos, tenemur certiora media ad salutem æternam consequendam adhibere, de quo mox, non autem ex præcepto diuino confitendi vt sic, de quo tantùm in hac assertione loquimur.

67. Dico 2. In articulo mortis tenemur ex præcepto Charitatis erga nos ipsos, si aliter non possumus, per interpretem, imò & coram alijs; etiam cum notabili detrimento famæ, sacramentaliter confiteri, si moraliter certi non sumus de contritione. Est ferè omnium Doctorum, præsertim cum apposita limitatione, si moraliter certi non sumus de contritione. Et ratio id euidenter dictat: quia cùm in eo articulo agatur de æterna animi salute, quæ præponenda est omni temporali bono, non debemus propter amissionem temporalis famæ, quæ ex nostrorum peccatorum confessione consequitur, dubiam reddere æternam nostram salutem.

68. An autem in tali casu licitè tacere possimus aliqua peccata, quæ vergunt in notabilem nostram infamiam (nam quæ vergunt in infamiam proximi, certum est ea nos tacere debere) probabile est, ea nos licitè tacere posse: cùm satis rationabilis ea tacendi causa sit, ipsa notabilis infamia. Quare non teneremur in eo casu facere integram confessionem materialiter. (Licitè eo casu taceri possent peccata, ex quibus pænitenti infamia oriretur.)

69. Dixi, *si moraliter certi non sumus de contritione:* quia cùm in eo euentu non teneamur confiteri propter præceptum ipsum confessionis præcisè, quod tunc cessat peccatorem obligare, vt suprà probatum est; sed propter præceptum charitatis, qua tenemur, certam reddere æternam nostram salutem, si aliundè de hac morali certitudine nobis constat, cum tanto dispendio nostræ famæ, nõ tenemur per interpretem confiteri. Optimum tamen Consilium est, etiamsi de contritione moraliter certi simus, confessionem per interpretem facere, omniaque nostra peccata confiteri, etiamsi vergant in notabilem infamiam nostram. (Si moraliter certus sit de contritione, nõ tenetur.)

70. Aliqui aliam assignant obligationem, cur in eo casu teneatur peccator per interpretem confiteri; si per seipsum non possit, vt nimirum Deo satisfaciat. Verùm ob hanc præcisam causam, non puto nos obligari: tum quia possumus Deo satisfacere per ipsum actum contritionis: tum quia hoc ipso, quòd voluit Deus, in tali casu peccatorem ad confitendum non astringere, deobligauit illum à satisfaciendo sibi per sacramentalem confessionem. Vnde non cohærenter, me iudice, philosophantur, qui dicunt, Deum in tali casu peccatorem ad confitendum per interpretem non obligare, & nihilominus eundem peccatorem obligare, ad sibi satisfaciendum, per sacramentalem confessionem. Nam hoc ipso, quòd Deus peccatorem deobligat à confessione per interpretem; simul etiam illum deobligat à præcepto sibi satisfaciendi per confessionem. Cùm non minus Deus per confessionem sacramentalem peccatorem obliget propter ipsius iustificationem; quàm propter suam satisfactionem: igitur si illum deobligat à debito iustificationis per confessionem quia illa potest alia via haberi; eundem etiam deobligabit à debito satisfaciendi sibi per eandem confessionem, eo quòd alia via possit homo Deo satisfacere. Atque hæc de confessione per interpretem.

Richardus
Scotus
Caietanus
Medina
Sotus
Nauarrus
Henriquez
Valentia
Toletus
Diana.

71. De confessione verò per scriptum Richardus in 4. distinctione 17. articulo 2. quæstione 5. Scotus, Caietanus, Medina, Sotus, Nauarrus, Henriquez, Valentia, Toletus: suprà citati, Diana tractatione 4. de sacramentis resol. 128. & alij negant, pœnitentem obligari ad confitendum per scriptum, quando aliter non potest. Quorum fundamentum est: quia scriptura de se est publica: nemo autem præcepto Diuino tenetur facere publicam confessionem: igitur nemo tenetur scripto sua peccata confiteri, quando propria voce non potest.

Petrus Sotus
Vasquez
Coninck.

72. Oppositum à fortiori docent omnes supra citati authores: qui sentiunt, præcepto Diuino peccatorem obligari, præsertim in articulo mortis per interpretem: quibus non pauci etiam consentiunt ex Authoribus secundæ sententiæ, Petrus Sotus, Vasquez dub. 5. Coninck & alij. Pro explicatione,

Dupliciter potest fieri confessio per scriptum.

73. Notandum; dupliciter posse confessionem per scriptum fieri; vno modo, vt pœnitens sua peccata per literas Sacerdoti absenti legendas mittat; vel ea scribat, vt ipse Sacerdos postea possit coram pœnitente legere, si fortè pœnitens ipse dubitet, ne, sensibus destitutus, possit coram Sacerdote legere. Alio modo, vt ipsemet pœnitens sua peccata scribat, eaque tradat Sacerdoti coram se præsente legenda. Primo modo, censeo cum Authoribus primæ sententiæ, pœnitentem ad sic confitendum non obligari: quia hoc modò periculum est, ne charta perdatur, vel ab alio, quàm ab ipso Sacerdote legatur. Atque in hoc sensu puto locutos fuisse Authores primæ sententiæ. Secundo verò modo omnino existimo peccatorem obligari, non solùm in articulo mortis, sed etiam pro annua confessione adimplenda.

Quomodo quis teneatur per scriptum confiteri.

Fundamentum est: quia talis modus confitendi non addit specialem difficultatem supra modum confitendi propria voce. Quotiescunque autem diuersus modus implendi præceptum non addit difficultatem à modo consueto præceptum adimplendi, tenemur talem modum adhibere, vt præceptum adimpleamus: ergò tam in articulo mortis pro adimplendo præcepto diuino; quàm pro adimplendo Ecclesiastico præcepto de confitendo semel in anno, tenemur scripto confiteri, quando propria voce non possumus. Maior constat in cæteris præceptis. Si enim non possum satisfacere præcepto de sacro audiendo genuflexus, vel stans; sed tantùm sedens, teneor hoc modo illud audire. Qui in Germania non potest præceptum & vinij seruare per oua, & lacticinia, potest autem per pisces; vel contrà qui non potest per pisces, potest autem per oua, & lacticinia illud seruare, tenetur ad talem modum. Ratio est: quia quando modus non est cum ipsa substantia præcepti expressus, obseruantia præcepti non determinatur ad vnum tantùm modum, sed ad omnem, qui peculiarem difficultatem non affert; cùm mens legislatoris sit, vt lex seruetur omni eo modo, quo sine notabili incommodo seruari potest. Minor verò probatur: nam perinde ferè est, propria voce, ac scripto peccata confiteri: & ex alia parte facilè potest supra assignatum incommodum vitari, petendo statim à Sacerdote chartam, eamque lacerando.

74. Nec vrget quod aduersarij obijciunt: posse Sacerdotem chartam pœnitenti non restituere; sed illam apud se retinere, & peccata in ea contenta publicare: nam idem facere posset, si peccata ex ipsius tantùm ore exciperet. Quòd si hoc non obstante, non excusamur à præcepto confitendi, neque excusabimur, si aliter; quàm scripto, confiteri nequeamus: cùm in vtroque modo sit eadem ferè ratio. Atque ex his patet ad fundamentum oppositæ sententiæ. Nam licet scriptura ex natura sua sit publica; huic tamen periculo facilè occurri potest.

DISPVTATIO XVIII.

De præcepto Ecclesiastico annuæ Confessionis.

SECTIO PRIMA.

An sit latum præceptum Ecclesiasticum annuæ Confessionis distinctum à præcepto Communionis.

1. SVPPONO esse in summo Pontifice, tanquam in supremo animarum Pastore, potestatem leges, & præcepta ferendi circa vsus, & ritus sacramentorum, & consequenter authoritatem determinandi tempus circa frequentiam huius sacramenti. Nam licet in eo non sit authoritas instituendi sacramenta, vel ea quoad substantiam mutandi; est tamen potestas statuendi, vel mutandi, quæ, salua sacramentorum substantia, & suscipientium vtilitati, & ipsorummet sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum, & locorum varietate, magis expedire iudicauerit, vt ijsdem verbis definit Tridentinum sess. 21. cap. 2. sine qua potestate, neque Ecclesiasticum regimen, neque animarum salus, neque sacramentorum veneratio, & cultus consistere posset. Sola igitur difficultas est: An defacto in Ecclesia sit latum præceptum de annua confessione sacramentali, distinctum à præcepto annuæ communionis?

Côcil. Tridentinum.

2. PRIMA sententia, negat. Est Durandi, qui in 4. dist. 17. quæst. 14. de hac re dubitat. Cuius fundamentum est: quia non potest Ecclesia præcipere, quod sub ipsius iudicium cadere non potest. Nequit autem confessio omnium peccatorum mortalium cadere sub iudicium Ecclesiæ: nequit igitur talem confessionem præcipere. Maior constat: nam omnis lex habere debet vim coërcitiuam, vt suos transgressores punire possit. Ergo omnis lex debet esse de ijs, quæ cadere possunt sub iudicium legislatoris: nam quæ sub iudicium legislatoris cadere non possunt, puniri nequeunt, cùm omnis iusta punitio præsupponat culpæ notitiam. Minorem probat: quia vel peccata sunt merè interna: & hæc sub iudicium Ecclesiæ, quæ interna hominum secreta non noscit, cadere non possunt; vel si sunt externa, saltem Ecclesiæ constare non potest, an ea fideles confiteantur, cùm actus confessionis sit occultus, & secretus. Vnde infert, in capite, *omnis vtriusque sexus*, per se tantùm præcipi Eucharistiam: de confessione verò esse tantum salubre Consilium. *Quod si*, inquit, *non sit sola exhortatio; sed præceptum, illud quidem posset ligare conscientiam, quatenus sit ab Ecclesia authoritate Christi: sed pœna temporali illius statuti transgressor puniri non potest, cùm non possit constare de transgressione.* Hæc Durandus.

Durandus.

3. Efficaciùs hæc sententia probari potest ex capite *Et si non frequentius*, de consecratione dist. 2. vbi Fabianus Papa frequentem illum communionis vsum, qui in primitiua Ecclesia vigebat, contraxit ad tria tantùm tempora in anno, ad tempus Paschę, Pentecostes, & Natalis Domini, nulla mentione facta de confessione: *Et si non frequentiùs*, inquit, *saltem in anno ter homines communicent, in Pascha videlicet, & Pentecoste, & Natali domini.* Sed decretum Innocentij III. sancitum in Concilio Lateranensi de annua confessione, fuit quædam contractio, & limitatio præcepti, lati à Fabiano Papa: ergo si illud per se non obligabat, nisi ad communionem, & per accidens tantùm ad confessionem; neque hoc per se obligabit, nisi ad communionem, & per accidens tantùm ad confessionem. Huic sententiæ fauere videntur S. Thomas in 4. dist. 17. quæst. 3. art. 1. quæst. 4. & quodlibeto 1. art. 11. & S. Antoninus 3. p. titulo 14. cap. 19. §. 3. qui dicunt, præceptum confessionis esse per accidens propter præceptum Eucharistiæ.

Fabianus Papa.

S. Thomas.

Antoninus.

4. SECVNDA sententia reliquorum scholasticorum communis, docet, de annua confessione esse præceptum, distinctum à præcepto Eucharistiæ, obligans ad distinctum peccatum. Ita scholastici in 4. dist. 17. & recentiores omnes, quorum aliqui hanc putant de fide. Est autem hoc præceptum latum ab Innocentio III. in Cócilio Lateranēsi, his verbis, vt refertur de pœnitentijs & remiss. ca. *Omnis vtriusq; sexus fidelis, postquam ad annos discretionis peruenerit, omnia sua solus peccata saltem semel in anno, fideliter confiteatur proprio Sacerdoti, & iniunctam sibi* pœni-

Innocent. 3.

pœnitentiam proprijs viribus studeat adimplere. Vbi & præceptum de communione in Paschate statuens, sic subdit: *Suscipiens reuerenter ad minus in Pascha Eucharistiæ sacramentum.* Vbi verbum *Confiteatur*, præceptum importat: est enim verbum imperatiuum, quo legislator suum imperium subditis intimat: quod cùm sit de re grauissima, & animi salutem maximè concernente, obligat sub reatu peccati mortalis, præter pœnam temporalem, quam ibidem Pontifex transgressoribus decernit.

5. Quòd autem præceptum de confessione sit distinctum à præcepto communionis, constat primò ex textu, in quo Pontifex non minùs pro vno, quàm pro alio præcepto vtitur verbis præcipientibus: nam participium *suscipiens* æquipollet verbo imperatiuo *suscipiat*. Secundò Ex termino distributiuo, *omnis*: nam sub hoc termino comprehenduntur omnes, qui ad annos discretionis peruenerunt. Porrò si Pontifex ad confessionem non obligaret, nisi in ordine ad sumptionem Eucharistiæ, vel ad eam sumendam, obligaret etiam pueros, qui ad annos discretionis peruenerunt, vel certè, hos Pontifex in suo decreto non comprehendisset. Vtrumque autem est absurdum, vt per se patet. Tertiò. Ex Concilio Tridentino sessione 14. Canone 8. in quo anathemate damnat eos, qui dixerint, ad confessionem sacramentalem *non teneri omnes, & singulos, vtriusque sexus Christi fideles, iuxta magni Concilij Lateranensis cõstitutionem, semel in anno.* Vbi Conciliũ apertè loquitur de præcepto annuæ confessionis in Concilio Lateranensi sancito, idque independenter à præcepto Eucharistiæ, cuius nullam ibi Concilium mentionem facit.

Concil. Tridentinum.

6. Quartò constat ex communi consensu omnium fidelium: nemo enim est, qui non putet, independenter à susceptione Eucharistiæ, se teneri semel saltem in anno ad sacramentalem confessionem faciendam. Vnde qui sacram Eucharistiam sumere non possunt, vt pueri, peccati quidem mortalis capaces; nondum tamen ad sacram Eucharistiam suscipiendam idonei, cæterique legitimè impediti, non propterea arbitrantur, se à præcepto confessionis esse liberos; sed illud seruant independenter ab Eucharistia.

7. Quintò constat ex fine, propter quem hæc lex condita fuit, nempè propter maximam necessitatem, & vtilitatem, quam secum affert sacramentum pœnitentiæ, independenter à sacramento Eucharistiæ, quę est salus animarum, & iustificatio ipsa peccatoris. Qui finis non solùm militat in ijs, qui sunt ad Eucharistiam suscipiendam idonei; sed in reliquis omnibus, qui mortalis peccati post Baptismum capaces sunt. Ergo non solùm illud obligat per accidens ratione Eucharistiæ, ad quam iure diuino præmittenda est cõfessio peccati mortalis nondum confessi; sed per se ratione necessitatis, & vtilitatis, quam independenter ab Eucharistia affert suscipienti.

8. Vltimò confirmatur ex absurdis, quæ ex opposita sententia apertè sequũtur. Nam primò sequitur, non quinque contra communem sensum omnium fidelium, sed quatuor tantùm esse Ecclesię præcepta. Nam si confessio non est per se; sed tantùm per accidens ratione sacræ Eucharistiæ ab Ecclesia præcepta, non erit distinctum præceptum, à præcepto cõmunionis. Secundò. Sequitur, eum, qui multis annis esset legitimè excusatus à susceptione Eucharistię, non teneri ad confessionem sacramentalem faciendam: nam ad hanc per Durandum non tenetur, nisi ratione Eucharistiæ: ergo si ab hac suscipienda excusatur, etiam ab illa excusabitur. Vnde non poterit Ecclesia contra tales Canonicis pœnis agere.

9. Ad fundamentum Durandi, distinguenda est Minor: non potest confessio sacramentalis quoad peccata purè interna cadere sub iudicium Ecclesiæ, concedo; quoad peccata externa, & actum exterioris confessionis; nego. Nec refert, quòd actus exterioris confessionis sit occultus, & secretus: nam etiam in actus occultos, & secretos, Ecclesia habet potestatem. Non enim necessum est, vt tales actus actu cadant in iudicium Ecclesiæ, vt in illos potestatem habeat: sed sufficit, vt apti sint, vt possint cadere; apti autem sunt hoc ipso, quod in externum prodeunt. Cæterum præceptum annuæ confessionis omnium peccatorum Christi fideles obligat ex præcepto diuino modificato per præceptum Ecclesiæ. Vnde licet præceptum Ecclesiæ non obliget, nisi ad actus externos, vel ad internos, vt principia externorum: quatenus tamen includit præceptum diuinum modificatũ per ipsum pręceptum Ecclesiasticum, per se etiam obligat ad actus purè internos. Authoritas verò S. Doctoris non est, cur in dubium vertatur: nam in præcitato loco quæstiuncula 3. apertè docet, in Concilio Lateranensi latum esse præceptum de annua confessione distinctum à præcepto diuino: *Ad confessionem*, inquit, *dupliciter obligamur: vno modo iure Diuino, ex hoc ipso, quod est medicina, & secundùm hoc non omnes tenentur ad confessionem; sed illi tantùm, qui peccauerunt mortaliter post Baptismum: alio modo ex præcepto iuris positiui, & sic tenentur omnes ex institutione Ecclesiæ: & ita in Cõcilio Generali sub Innocent. III. præcipitur.* Porrò si cõfessio solùm præciperetur vt præuia dispositio ad Eucharistiam, non esset peculiari iure positiuo Ecclesiastico præcepta: quoniam vt præuia dispositio ad Eucharistiam obligat ex iure Diuino: nam iure Diuino obligamur ad pręmittendam confessionem peccati mortalis, ad sacræ Eucharistiæ susceptionem. Quod ius Tridentinum sessione 13. ca. 7. colligit ex illis verbis 1. Corinthiorum 11. *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat* &c. Cæterùm cum

Refellitur argum. Durandi.

Explicatur S. Thomas.

Cõcil. Tridentinum. 1. Ad Cor. 11.

Iterum S. Doctor explicatur.

B. Tho-

B. Thomas dicit, præceptum confessionis per accidens præcipi, per accidens non intelligit, quod tantùm præcipiatur ratione Eucharistiæ; sed quod præsupponatur ante præcepta iure Diuino, & solùm ab Ecclesia designetur tempus, quo sit tale præceptum adimplendum. Cùm verò docet, confessionem ab Ecclesia præcipi vt præparationem ad Eucharistiam dignè sumendam, intelligi debet non de præcepto annuæ confessionis simpliciter; sed de confessione facienda in quadragesima, quæ immediatè præcedit Pascha, in quo sumenda est Eucharistia, vt ex eius verbis colligitur: sic enim in citato quodlibeto scribit: *Et quia ex precepto Ecclesia omnes fideles tenentur saltem semel in anno in festo Paschæ præcipuè sacramenti communionem accipere, ideo Ecclesia ordinauit, vt semel in anno, quando imminet tempus accipiendi Eucharistiam, omnes fideles confiteantur.* Eodem modo loquitur Antoninus, vt ipsum attentè legenti patebit.

S. Antonin.

Ex authoritate Fabiani nullū duci argumentum.

10. Ad Authoritatem Fabiani Papæ, Resp. Ex ea nullum duci posse argumentum contra nostram sententiam: nam ex eo quod ibi tantùm mentionem faciat de præcepto communionis ter in anno, non sequitur, quòd ab Innocentio non fuerit latum præceptum, nisi de communione. Imò, cùm in decreto Fabiani non fiat mentio de confessione, fiat autem in decreto Innocentij, signum est, quòd hic expressè condere voluerit præceptum Confessionis, vt distinctum à præcepto communionis.

SECTIO II.

Per quam confessionem huic præcepto satisfiat?

11. Bifariam potest quis per confessionem huic præcepto satisfacere; vno modo non incurrendo pœnas Ecclesiasticas transgressoribus impositas: alio modo, vt maneat deobligatus à confessione iteranda. Quoad 1. disputabimus infra sect. vltima, vbi quæremus: an per confessionem fictam incurrantur pœnæ contra trangressores huius præcepti impositæ.

12. Quoad 2. verò certum est à fortiori, satisfacere præcepto Ecclesiastico, qui satisfacit Diuino, cùm plus requiratur ad satisfaciendum præcepto Diuino; quàm Ecclesiastico. Vnde sequitur, satisfacere præcepto Ecclesiastico, qui facit Confessionem validam, sed informem, posito quòd talis confessio detur.

In quo difficultas præcipua sita sit.

13. Tota difficultas est: an satisfaciat huic præcepto Ecclesiæ quoad deobligationem iterum confitendi, qui seruat omnia, quæ immediatè, & per se Ecclesia præcipit, esto non seruet ea, quæ in hoc eodem sacramento præscribit. Ratio dubitandi est: quoniam ad satisfaciendum præcepto Ecclesiastico, sufficit, si seruentur omnia, quæ sua authoritate præcipit Ecclesia: ergo qui in hoc sacramento seruat omnia, quæ sua authoritate præcipit Ecclesia, satisfacit præcepto Ecclesiastico de annua confessione, esto non satisfaciat præcepto Diuino. Nihilominus,

Conclusio.

14. Dicendum est, non satisfacere præcepto Ecclesiastico de annua confessione, qui non satisfacit præcepto Diuino de confessione validè facienda. Est communior sententia inter Theologos. Ratio fundamentalis est: quoniam hoc præceptum Ecclesiasticum est modificatio Diuini: ergo qui non satisfacit Diuino, non satisfacit Ecclesiastico, vt modificanti Diuinum. Antecedens constat ex supra disputatis: nam Ecclesia non condit nouum præceptum quoad substantiam ipsam confessionis; sed proponit illud idem seruandum singulis annis, quod iure Diuino vagè, & indeterminatè obligabat, solumque determinat tempus, in quo illud sit adimplendum. Consequentia verò probatur: quia quando præceptum humanum est tantùm modificatio Diuini, Diuinum est, quod obligat, vt modificatum præcepto humano: quia modificatio Ecclesiæ non proponit aliud præceptum quoad substantiam seruandum, quàm ipsum præceptum Diuinum: solùm autem Ecclesia sua authoritate declarat, & præcipit, vt præceptum Diuinum quotannis seruetur. Nec obstat, quòd Ecclesia addat nouum præceptum supra Diuinum: nam hoc præceptum Ecclesiæ, est tantùm de executione præcepti Diuini quotannis adimplenda. Vnde, in suomet præcepto Ecclesia includit præceptum Diuinum: nec est præceptum Ecclesiasticum separabile à Diuino: quia, vt supra probatum est, non potuisset Ecclesia præceptum confessionis condere, vel præcipere, si non fuisset à Christo institutum. Ex his manifestè sequitur, eum, qui validè non confitetur, teneri iterum intra eundem annum confiteri: sicut præcedente tomo diximus, qui in Paschate indignè communicat, teneri iterum intra annum communicare: eo quòd præceptum Diuinum de communione obligat ad dignè communicandum, quia obligat ad sumendum hoc sacramentum vt cibum Spiritualem animæ, qui, vt nutriat, supponit vitam in suscipiente.

Præceptum Ecclesiasticum est modificatio diuini.

SECTIO III.
Quas Personas obligat hoc præceptum?

Difficultas circa tria personarum genera.

15. TRIA sunt genera Personarum, de quibus difficultas esse potest, an hoc præcepto obligentur: Pueri rationis quidem vsum habentes, nondum tamen duodecimum annum attingentes: summus Pontifex; & qui tantùm venialia habet. Nam de reliquis Baptizatis conscientiam peccati mortalis habentibus certum est, eos singulis annis teneri omnia sua peccata tam externa; quàm interna, proprio Sacerdoti confiteri. Nam licet peccata merè interna confiteri non teneantur vi præcepti Ecclesiastici, tenentur tamen illa confiteri vi præcepti diuini, quod in Ecclesiastico includitur, tanquam modificatum in suo modificāte, vt supra explicatum est.

Sotus.

16. Quoad 1. genus Personarum. Sotus in 4. dist. 12. quæst. 1. art. 11. §. *sed si quæras*, Negat pueros ante annum duodecimum hoc præcepto obligari. Fundamentum ipsius est: quia sicut ante duodecimum annum non obligantur alijs Ecclesię præceptis; ita neque hoc, cùm maior ætas requiratur, vt quis obligetur Ecclesiæ pręceptis; quàm vt ratione vti possit, & capax sit peccati. Eandem sententiam sequitur Emmanuel Sà vebo *confessio* in impressione Coloniensi 1599.

Emmanuel Sà.

17. Communis tamen Scholasticorum sententia in 4. dist. 17. & recentiorum omnium affirmat, eos teneri. Cuius oppositam sententiam Nugnez 3. p. tomo 2. quæst. 6. art. 5. dub. 3. improbabilitatis, & temeritatis insimulat. Quin ipsemet Sotus dist. 18. quæst. 1. art. 3. ad fidem suam sententiam reuocat: nam explicans verba illa Decretalis *Postquam ad annos discretionis peruenerit*, ita scribit: *Haud enim*, inquit, *designat certum tempus, vt duodecim, aut quatuordecim annorum, sicut ad contrahendum Matrimonium: sed cùm primum puer fuerit doli capax; sic scilicet si inter bonum & malum discernere cœperit, & prudentium iudicio mortaliter peccat*. Hæc Sotus, qui apertè sententiam, quam supra docuerat, hic retractat.

Nugnez.

Sotus.

18. Ratio fundamentalis: quoniam hæc sententia, vt ipsemet Sotus aduertit, expressè continetur in præcitata. Decretali, *Omnis vtriusque sexus*: nam ibi Pontifex nullum assignat certum tempus; sed solam capacitatem peccandi, quæ est ipse rationis, ac libertatis vsus. Igitur statim ac pueri intellectus ratiocinio, & voluntatis libertate vti possunt, ad peccatum mortale sufficiente, sunt capaces huius sacramenti, ac proinde comprehendi in hoc præcepto. Et ratio id etiam demonstrat, quòd hoc præcepto sint etiam comprehensi pueri peccati mortalis capaces: tum quia hi obligantur præcepto diuino confessionis; ergo etiam Ecclesiastico. Consequentia probatur: quia præceptum Ecclesiasticum est determinatio, & modificatio diuini, vt ex præcedente sectione constat. Antecedens patet: nam hi tam in articulo; quàm in periculo mortis diuino præcepto tenentur confiteri, si conscientiam habeant peccati mortalis. Ecclesia autem suo præcepto obligare voluit omnes, qui essent præcepti diuini capaces. Tum quia, cùm hoc sacramentum sit ad salutem necessarium, ad Ecclesiæ prouidentiam pertinuit, vt statim atque homo potest de propria salute periclitari, hoc præcepto obligetur.

Sotus.

Fundamentum Soti.

Assignatur disparitas inter hoc & alia Ecclesiæ præcepta.

19. Ad fundamentum Soti Respondeo 1. negando paritatem; nam alia Ecclesiæ præcepta, vel non sunt adeo ad salutem necessaria, vel certè maiorem requirunt capacitatem & instructionem, vt est præceptum sacrę Synaxis. Respondeo 2. Negando antecedens: nam etiam pueri libertatis vsum habentes obligantur alijs Ecclesiæ præceptis, vt de sacro audiendo diebus festiuis, de abstinendo à carnibus diebus prohibitis. Tametsi, vt communiter notant Doctores, & Sotus ipse docet, pueri, ante duodecimum annum, non incurrant pœnas Ecclesiasticas, transgressoribus huius præcepti impositas.

Sotus.

Richardus.

20. Quoad 2. Richardus in 4. dist. 17. art. 2. quæst. 4. ad 3. & alij negant, summum Pontificem hoc pręcepto teneri. Fundamentum: quia nullus potest à seipso, vel ab alio potestatem in seipsum non habente, sicut est vnus Papa respectu alterius ligari. Nec refert, si dicas, summum Pontificem obligari hoc præcepto: quia est modificatio præcepti diuini, quo etiam summus Pontifex ligatur: nam cessante pręcepto Ecclesiastico, cessat diuinum quoad annuam obligationem: nam eatenus diuinum singulis annis obligat; quatenus ab Ecclesia sub præcepto declaratur, illud singulis annis obligare. Cùm igitur vnus Papa non teneatur præceptiuam declarationem alterius Papę sequi, non tenebitur hoc præceptum singulis annis seruare.

Pontifex subiacet huic præcepto.

21. Communis tamen Theologorum sententia docet: summum Pontificem, hoc præcepto, quemadmodum & alijs legibus Ecclesiasticis, obligari quoad vim directiuam, non autem quoad vim coërciuam. Etenim posito præcepto, iure naturæ tenetur superior illud seruare, cùm ius naturæ dictet, caput non debere à reliquo corpore difformari. Licet igitur summus Pontifex, non seruando hoc præceptum, pœnas Ecclesiastico iure impositas non incurrat; à præcepto tamē non deobligabitur; sed tenebitur illud, etsi non iure humano, saltem naturali, quo caput tenetur cum reliquo corpore conformitatem habere, sub peccato seruare.

22. Dubitatur: an possit Pontifex in hoc præcepto cum aliquo dispensare, vel in longinquius tempus differre, aut omnino abrogare.

Posset hoc præceptum abrogari validè, nūquam autē licitè.

rogare. Ad quod dubium, si quæratur de potestate, Respondeo omnino esse in summo Pontifice authoritatem, non solùm in hoc præcepto dispensandi, vel in longinquius tempus differendi; sed penitus abrogandi. Fundamentum est: quia Pontifex habet supremam potestatem in omnes leges, & præcepta humana. Abrogato autem præcepto Ecclesiastico, maneret tantùm præceptum diuinum, vagè & indeterminatè obligans. Si verò quæratur, an id licitè fieri possit, communis sententia est: nunquam licitè fieri posse, vt illud omninò abrogetur, cùm nulla dari possit rationabilis causa talis abrogationis. Tametsi licitum esse possit, vt cùm aliquo in illo interdum dispensetur, vel in diuturnius tempus differatur. Legendus est Sotus in 4. dist. 18. q. 1. art. 5. concl. 2. qui etiam docet, posse Pontificem rationabili ex causa secum dispensare.

Alensis Bonauent. Richardus Nugnez. Angelus.

23. Quoad 3. Affirmant Alensis 4. p. quæst. 77. memb. 1. art. 1. & 2. Bonauentura in 4. dist. 17. art. vltimo, quæst. 1. Richardus dist. 16. art. 5. quæst. 1. & dist. 17. art. 2. quæst. 4. ad primum, Nugnez 3. p. tomo 2. quæst. 6. art. 4. dub. 2. Angelus verbo *confessio* 2. num. 4. qui ait, eum, qui habet conscientiam peccati venialis, teneri ad annuam confessionem, non propter venialia; sed propter periculum mortalium, quæ culpabili ignorantia forent omissa. Vnde addit; quod si pœnitens esset certus, quòd nullum haberet peccatum mortale, non teneretur tunc confiteri. Fundamentum huius sententiæ est: quia lex semper est seruanda, quamdiu absque absurdo seruari potest. Sed lex, de semel in anno confitendo, absque absurdo seruari potest ab habente tantùm venialia. Minor patet. Maior probatur: quia lex debet esse firma, & stabilis. Confirmatur: qui esset in vtero matris iustificatus, adhuc teneretur suscipere Baptismum: ergo etiam qui non haberet conscientiam peccati mortalis obligaretur ad suscipiendum sacramentum pœnitentiæ.

24. Reliqui verò Scholastici in eadem dist. 17. & omnes fere recentiores negant. *Quæ vt communior, ita probabilior* sententia est: colligiturque ex ipsa decretali, in qua præcipitur, vt *Omnis vtriusque sexus fidelis, omnia sua peccata, saltem semel in anno, confiteatur.* Vnde S. Thomas in 4. dist. 17. q. 3. art. 1. quæst. 3. ad tertium, quæ in additione ad tertiam partem est quæstio 6. art. 3. ad tertium, ex termino distributiuo *Omnia* colligit, vi huius præcepti, nos nonnisi ad confitenda mortalia teneri, cùm venialia non teneamur omnia confiteri; etiam quando non confitemur, nisi venialia. Idem colligitur ex Tridentino sess. 14. cap. 5. vbi tantùm nos obligat ad mortalia, quorum post diligentem discussionem conscientiam habemus. Ratio fundamentalis est: quia hoc præceptum est modificatio præcepti diuini: præceptum autem diuinum nō obligat, nisi tantùm ad mortalia; ergo nec præceptum Ecclesiasticum.

S. Thomas.

Concil. Tridentinum.

Præceptum hoc Ecclesiæ est modificatio diuini.

25. DICES. Præcedente tomo disp. 26. num. 11. docuimus, ante sumptionem Eucharistiæ obligari ad sacramentalem confessionem præmittendam etiam eum, qui certa reuelatione sibi constaret, se esse per contritionem à peccato iustificatum, idque confirmauimus exemplo annuæ confessionis, quæ fideles obligat, etiamsi nullius peccati mortalis sint conscij: rationemque dedimus, quia semper præceptum est seruandum, dum seruari potest, etsi finis, propter quem datur, in particulari cesset: ergo etiamsi nullius peccati mortalis simus conscij, tenemur ad seruandum Ecclesiæ præceptum, annuam confessionem facere. Respondeo, negando consequentiam. Ratio discriminis est, quoniam præceptum de confessione præmittenda ad Eucharistiæ sumptionem, non limitatur ad illam faciendam, quamdiu certi non sumus, nos per contritionem esse iustificatos; sed absolutè præcipimur, illam præmittere, quantumcunque nos existimemus esse contritione iustificatos, vt constat ex Concilio Tridentino sessione 13. c. 7. & can. 11. vbi hoc præceptum traditur. Præceptum verò annuæ confessionis solùm est de peccatis mortalibus, vt ex forma ipsa præcepta colligitur. Cæterùm, quod ibi diximus, præceptum annuæ confessionis fideles obligare, etiamsi nullius peccati mortalis sint conscij, intelligendum est, non prout de facto hoc præceptum latum est, sed pro vt ferri potuit, quia ferri potuit absolutè, vt etiamsi nullius peccati mortalis essemus conscij, adhuc obligati essemus ad annuam confessionem sacramentalem. Non enim deest ad huiusmodi præceptū imponēdū Ecclesiæ potestas. Neque hoc esset, materiā non necessariā, cuiusmodi sūt peccata venialia, facere necessariā: nā adhuc tali præcepto stante, posset fidelis sua peccata venialia nō confiteri, sed præterita tantū mortalia confessa; vel vnum tantū peccatum veniale. Ex dictis sequitur, ad hoc præceptum annuæ confessionis, pro vt de facto latum est, non teneri confirmatos in gratia.

Ad fundamentū Angeli

26. Ex his patet ad fundamentum Angeli: quia cùm ex Concilio non teneamur confiteri, nisi sola mortalia, quorum post diligētem nostri discussionem conscientiam habemus, non tenemur propter inuincibiliter oblita confiteri: cùm inuincibiliter oblita non sint actu in conscientia pœnitentis.

Ad aliorū.

27. Ad fundamentum verò aliorum respondetur, Maiorem esse veram, quando de mente legis latoris aliunde non constat. Cæterùm in hoc præcepto mens legislatoris nobis apertè constat, qui iuxta Conciliorum & Doctorum explicationem non obligat, nisi ad annuam confessionem mortalium. Ad Confirmationem negatur consequentia: nam in præcepto de Baptismo nobis non constat, legislatorem noluisse obligare eos, qui sunt in vtero Matris iustificati: quamdiu autem legislatoris mens no-

bis

35. Confirmatur 1. deficiente in articulo, vel periculo mortis copia confessoris, eo ipso tempore succedit præceptum contritionis: ergo deficiente intra annum copia Confessoris, intra eundem annum succedit præceptum contritionis. Antecedens admittunt omnes: nam eo tempore tenetur homo iure Diuino adhibere aliquod medium ad salutem necessarium: vnde deficiente medio sacramentalis confessionis, tenetur adhibere medium contritionis. Consequentia verò probatur: quia non minùs confessio iure Diuino obligat singulis annis fideles ex interpretatione Ecclesiæ, quã obliget in articulo, vel periculo mortis. Igitur si in articulo, vel periculo mortis, deficiente copia cõfessoris, homo tenetur seruare præceptum cõtritionis, idem seruare tenebitur deficiente copia confessoris singulis annis.

36. Confirmatur 2. propter duo fuit sacramentalis confessio diuino iure præcepta, & propter iustificationem ipsius peccatoris, & propter recompensationem, quam peccator debet Deo propter offensas ei illatas. Sed deficiente copia confessoris potest hæc duo præstare contritio: ergo in eo casu in locum sacramentalis confessionis ad hæc præstanda succedit præceptum contritionis.

37. Confirmatur 3. Valde probabile est, quòd, etiamsi Ecclesia non determinasset tempus, adhuc fideles obligati fuissent ad annuam confessionem. Atqui eodem tempore, quo obligat præceptum confessionis, deficiente copia confessoris, obligat præceptum contritionis: ergo.

Negant Suarez Vasquez Coninck.

38. SECVNDA sententia negat. Est Suarez disp. 15. sect. 6. num. 13. Vasquez 3. p. quæst. 85. art. 2. dub. 6. num. 10. Coninck disp. 3 dub. 3. num. 22. *Quæ sententia probabilior est.* Fundamentum est: quia præceptum Diuinum ad annuam confessionem non obligat per se determinatè, vti obligat in articulo mortis; sed mediãte præcepto Ecclesiæ, sua authoritate determinantis tempus, quo debeat hoc præceptum Diuinum à fidelibus executioni mandari: ergo deficiente copiã confessarij intra annum, non tenentur fideles vi præcepti Diuini contritionis commutatæ in præceptum confessionis, loco confessionis eo anno contritionem elicere. Consequentia probatur: quia cùm Ecclesia suo præcepto positiuo non determinet, nisi tempus, quo debeat præceptum Diuinum confessionis adimpleri, deficiente copia confessoris, non obligabit præceptum contritionis. Nam vel hoc obligaret ratione præcepti Ecclesiastici, vel Diuini. Non ratione præcepti Ecclesiastici: quia hoc, vt dictum est, non obligat, nisi ad præceptum confessionis. Non ratione præcepti Diuini: quia præceptum Diuinum contritionis non obligat, nisi quando præceptum Diuinum confessionis obligat per se, & defectu confessarij non potest impleri: tunc enim tantum debet præceptum contritionis supplere præceptum confessionis. Cùm igitur præceptũ Diuinum confessionis per se non obliget ad annuum tempus determinatè; sed hoc habeat ex præcepto Ecclesiæ, si illud defectu confessoris impeditur, quo minùs intra annum impleatur, loco eius non obligabit præceptum contritionis: nam hoc non obligat ad supplendum præceptum confessionis, nisi quando præceptum confessionis obligat determinatè, vt in articulo, vel periculo mortis: extra quod tempus sicut præceptum Diuinum confessionis manet indeterminatum, & vagè tantum obligans; ita & præceptum contritionis illi succedens in defectum confessarij.

39. Confirmatur: nam ex eo, quòd Ecclesia per externam auditionem sacri modificat præceptum Diuinum de orando, & adorando aliquando Deum, non sequitur, quòd si fidelis die festo sacrum audire non possit, teneatur eo die, interno actu Deum orare, vel adorare: eo quòd interna adoratio, quam per internam intentionem cum ipso sacro die fasto offerimus Deo, nõn obligat iure Diuino, nisi consequenter ad præceptum Ecclesiæ audiendi sacrum. Quod si hoc præceptum Ecclesiæ cessat ob aliquam iustam causam, non tenebimur vi præcepti Diuini de orando, & adorando Deum ad aliquem actum internum adorationis: quia hoc præceptum quatenus Diuinum non obligat determinatè, & certo tempore.

40. Ex his reijcitur quorundam ratio, cur deficiente copia confessarij tempore confessionis, non teneatur fidelis contritionem elicere, quia nimirum, inquiunt, contritio, cùm sit actus merè internus, non cadit sub præceptum Ecclesiæ. Nam primò falsum est, contritionem non cadere, saltem mediatè, & consequenter sub præceptum Ecclesiæ. Etenim sicut potuit Ecclesia per externum actum confessionis determinare tempus, quo seruandum esset præceptum diuinum eiusdem confessionis: Ita posset per externum actum compunctionis determinare tempus, quo adimplendum esset præceptum Diuinum contritionis. Vnde sicut fidelis ab Ecclesia immediatè obligatur ad externam confessionem, consequenter verò ratione præcepti Diuini, modificati per Ecclesiasticum, etiam ad internos actus: ita ratione præcepti Ecclesiastici immediatè obligari posset fidelis ad externum actum compunctionis, mediatè verò, & consequenter ratione præcepti diuini per Ecclesiasticum modificati, etiam ad interiorem actum contritionis. 2. Esto deficiente copia confessarij, non teneretur fidelis ad actum contritionis ratione ipsius præcepti Ecclesiastici, teneretur saltem ratione præcepti diuini in ipso Ecclesiastico præcepto inclusi, & modificati. Ratio igitur est à nobis suprà assignata: quia cessante præcepto Ecclesiastico ob defectum confessarij, præceptum diuinum non ampliùs obligat pro eo determinato anno, cùm hanc annuam determinatio-

nationem non habeat ex se; sed à præcepto Ecclesiæ, quo cessante, cessat etiam hæc annua obligatio in præcepto.

41. Ex dictis patet Responsio ad quæsitum præcedentis sectionis: nam posito, quod qui habens cum venialibus aliquod mortale, quod iusta ex causa confiteri non potest, ad annuam confessionem non teneatur, excusabitur etiam ab actu contritionis.

Resp. ad oppositam sententiam.

42. Ad fundamentum oppositę sententiæ neganda est minor: nam præceptum diuinum non obligat ex se determinatè singulis annis; sed ex determinatione præcepti Ecclesiastici, quo ob inopiam confessarij nō obligante, non sequitur, loco ipsius obligare præceptum contritionis: quia hoc, vt probatum est, non obligat, nisi quando præceptum diuinū confessionis obligaret ex se tali determinato tempore, vt in articulo mortis, & ob defectum confessarij adimpleri non posset. Ad probationem verò Minoris, negandum est, præceptum diuinum confessionis obligare singulis annis, ex pura interpretatione Ecclesiæ; sed etiam ex præcepto, quod superaddit ad illud seruandum. Quod inde constat: quoniam si esset pura interpretatio, non obligaret nouo pręcepto Ecclesiastico, quod supra improbatum est.

43. Prima confirmatio solùm probat, præceptum contritionis aliquando obligare, deficiente copia confessoris; non autem quòd de facto obliget singulis annis, quando copia confessarij deest: quia cùm tempus præcepti contritionis, non sit ab Ecclesia determinatum, neque per se, neque consequenter ad ipsam determinationem præcepti confessionis, vt probatum est; neque id habeat ex natura sua, dici non potest, quod deficiente copia confessarij, singulis annis obliget loco præcepti confessionis. Ad 2. verò confirmationem, negatur consequentia: nam in articulo vel periculo mortis præceptum diuinum confessionis obligat determinatè, ac proinde deficiente in eo casu confessoris copia, determinatè succedit contritionis præceptum.

44. Ad 3. negatur Maior: nam si Ecclesia suo præcepto non determinasset præceptum diuinum confessionis quotannis adimplendum, nemo potuisset vt reus noui peccati mortalis argui, quòd singulis annis non confiteretur.

SECTIO V.

An hoc præceptum obliget pro aliqua determinata parte anni?

45. EX capite *omnis* certum habetur, obligati fideles, semel saltem in anno ad confessionem faciendam, si conscientiam habeant peccati mortalis. Difficultas superest: an teneantur pro determinata parte aliqua anni hoc præceptum seruare. Potissima autem difficultas est de tempore quadragesimali, ad quod, ex consuetudine fidelium, videtur hoc præceptum confessionis redactum.

Affirmat Petrus Sotus.

46. Prima sententia absolutè affirmat, hoc præceptum obligare fideles ad confitendum tempore quadragesimæ: est, Petri Soti lect. 5. de necessitate confessionis, post initium: cuius sententiæ nullam afferr rationem; sed abolutè pronuntiat, hoc tempus quadragesimale esse in citato capite *Omnis* ad confitendum definitum. Fortasse ea ratione moueri poterit, quòd cùm præceptum confitendi sit propter præceptum communicandi, cumque præceptum communicandi sit ad Paschale tempus determinatum, etiam præceptum confitendi erit ad quadragesimale tempus determinatum.

47. Secunda sententia affirmat, quantum est ex vi citati capitis *Omnis* fideles non teneri certo tempore anni hoc præceptum adimplere; ex communi tamen consuetudine, vim legis obtinente, teneri fideles hoc præceptum adimplere tempore quadragesimali: Est Medinæ codice de confessione, *de confessione semel in anno agenda*, §. *presupposito ergo*, Fagundez de 2. præcepto Ecclesiæ lib. 1. cap. 3. numero 5. Megalæ apud Dianam tract. 4. de sacramentis resol. 81.

Medina. Fagundez. Megala.

48. Probatur hęc sententia 1. Consuetudo per decennium seruata, cum tacito consensu principis, obtinet vim legis, & obligat ad sui executionem. Atqui consuetudo confitendi tempore quadragesimali incepit ab ipso tempore, quo latum fuit præceptum de confitendo semel in anno, & communicando saltem in Paschate: cui consuetudini omnes Pontifices tacitè consenserunt, hoc ipso, quòd illam videntes approbarunt: ergo obtinet vim legis, & obligat ad sui executionem.

Sixtus 4.

49. Secundò: quia id definitum videtur à Sixto IV. in extrauaganti *vices illius*, de Tregua, & pace, his verbis: *Quod etiam ipsi mendicantes desistant prædicare, quod Parochiani non sint obligati, saltem in Paschate, proprio confiteri Sacerdoti: quia de iure tenetur Parochianus saltem in Paschate proprio confiteri Sacerdoti.* Quo nihil clarius pro hac sententia videtur à Pontifice dici potuisse.

Concil. Tridentinum.

50. Tertiò. Hoc ipsum indicat Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 5. in fine his verbis: *Obseruatur mos ille salutaris confitendi sacro illo, & maximè acceptabili tempore quadragesimæ: quem morem hac sancta Synodus maximè probat, & amplectitur tanquam pium, & meritò retinendum.*

51. Quartò constat ex diligentia ipsa, quam eo tempore Pastores Ecclesiæ adhibent, vt sciant, qui sint confessi: qui verò non confessi. Quiniò quia debet assignari

certum

certum aliquod tempus; à quo confitendi obligatio incipiat: quia cùm sit lex communis lata omnibus, debet habere certum initium, quo obligare incipiat omnes: hoc autem est (vt communis Ecclesiæ praxis declarat) tempus quadragesimæ: nam hoc est commodius ad sacramentalem communionem.

52. TERTIA sententia negat, præceptum hoc obligare pro aliqua determinata parte anni, sed illi satisfieri posse quocunque tempore anni. Quæ *sententia communior* est inter Doctores, ac proinde extrinseca saltem authoritate *probabilior*: quam expressè docent Sotus in 4. dist. 18. quæst. 1. art. 4. concl. 1. Henriquez lib. 4. cap. 4. Suarez disp. 36. sect. 3. Vasquez quæst. 90. art. 3. dub. 1. Valentia disp. 7. quæst. 9. puncto 4. Toletus lib. 6. cap. 11. Coninck disp. 5. dub. 7. Nugnez 3. p. tomo 2. quæst. 6. art. 5. diff. 6. Emmanuel Sà verbo *confessio*, Laymann tract. 6. cap. 5. num. 10. Diana suprà citatus. Eaque apertè colligitur ex citato capite *omnis*: in quo pro cõmunione assignatur tempus Paschale, pro Exomologesi verò quodlibet anni tẽpus: *Vt saltem semel*, inquit, *in anno fideliter cõfiteatur*. Porrò in quouis anni tẽpore quis cõfiteatur, verè dicitur secundũ Pontificis decretum, semel in anno confiteri; ac proinde satisfacere huic præcepto. Confirmatur ex communi illo axiomate, *Præcepta non obligant, nisi vt sonant*: Atqui hoc præceptum non sonat, nisi confessionem semel in anno quocunque tandem tempore fiat.

(Sotus. Henriquez. Suarez. Vasquez. Valentia. Toletus. Coninck. Nugnez. Emmanuel Sà. Laymann. Diana.)

53. AD fundamentum primæ sententiæ, negandum est, hoc sacramentum obligare tantùm ratione Eucharistiæ, alioqui non obligarentur, qui legitimè ab Eucharistia suscipienda excusati essent: quod falsum est, vt constat ex prima sect. huius disputationis.

54. AD 1. verò secundæ sententiæ, respondeo, hanc consuetudinem introductam tantùm esse ratione Eucharistiæ, quæ debet in Paschate sumi. Cùm enim fideles teneantur ad dignam Eucharistiæ susceptionem confessionem præmittere, illam differunt ad quadragesimam, non quòd putent, eo tempore determinato se ad confessionem obligari; sed quia cùm debeant semel in anno confiteri, & in Paschate communicare, ne, si alio tempore confiterentur, deberent postea ratione sacræ Synaxis iterum confiteri, illam differunt ad tempus quadragesimæ, quo sumenda est Eucharistia. Alioqui si quis legitimè impeditus non posset in Paschate communicare, & alio tempore intra annum confessus esset, satisfaceret præcepto. Quod inde patet: quia si id Ecclesiæ Prælatis constet, contra talem non procedunt per censuras, & pœnas huius præcepti transgressoribus impositas.

55. Vnde concedendum est, consuetudinem per decennium à populo seruatam cum tacito consensu Principis obtinere vim legis: negandum autem est, certò nobis constare, hanc consuetudinem esse tacito Pontificum consensu approbatam, quoad præceptum confessionis independenter à præcepto communionis. Etenim licet interdum hanc consuetudinem confitendi in quadragesima Pontifices, & Concilia approbare videantur, vt de Sixto IV. & Concilio Tridentino satis constat; haud tamen constat, illam approbare quoad præceptum confessionis per se, id enim nunquam explicarunt; sed solùm quoad præceptum confessionis per accidens, ratione præcepti Eucharistiæ, ad quam dignè sumendam iure Diuino præmittenda est confessio sacramentalis, vbi peccati mortalis conscientia stimulat. Iuxta hanc explicationem intelligenda est citata authoritas Sixti IV. vt nolit ibi definire, fideles ratione confessionis per se teneri in quadragesima confiteri, sed ratione venerabilis Eucharistiæ, quæ ex præcepto Ecclesiæ eo tempore sumenda est. Eodem modo intelligenda est authoritas Tridentini.

(Quando consuetudo obtineat vim legis.)

56. Solùm in hac authoritate Concilij difficultatem facit, quòd non dixerit Concilium, fideles in quadragesima teneri ad confessionem peccatorum faciendam, quo pacto ostenderet, illam esse tali tempore in præcepto ratione Eucharistiæ, vti dixit Sixtus IV. sed solùm talem morem laudat tanquam pium, eumque retinendum probat. Qua ratione illum approbare videtur ratione confessionis per se independenter à præcepto Eucharistiæ. Sed neque hoc cogit ad Concilium intelligendum de præcepto confessionis per se, cùm id optimè intelligere potuerit de confessione per accidens ratione Eucharistiæ, etiamsi non dicat, illam esse tali tempore sub præcepto; sed tantùm esse piam consuetudinem fidelium: nam sæpè fideles, etiamsi nullam habeant conscientiam peccati mortalis, ob reuerentiam tanti sacramenti, solent ante Eucharistiam Sacramentalem confessionem præmittere, esto non teneantur ratione præcepti, cui ante satisfecerunt.

57. AD 4. nego, diligentiam, quæ à Pastoribus Ecclesiæ eo tempore adhibetur, esse signum, quòd tunc temporis sub præcepto facienda sit sacramentalis confessio; sed esse tantùm signum opportunioris commoditatis. Quia cùm debeant eo tempore diligentiam adhibere pro ijs, qui in Paschate communicarunt, vel non communicarunt, eodem labore, & diligentia informationem capiunt etiam de ijs, qui eo anno confessi sunt. Vnde si constaret, alio anni tempore aliquem confessum fuisse, contra eum non procederent pœnis Ecclesiasticis. Quemadmodum neque huius præcepti executionis signum erat publica pœnitentia, quam pœnitentes in quadragesima facere debeant, vt in Concilio Agathensi institutum fuit, & refertur capite, *In capite* dist.

dist. 50. nam vel illa non erat sacramentalis imposita à confessario in ipsa confessione sacramentali, sed ab Episcopo per Sacerdotes: vel etiamsi fuerit sacramentalis, potuit ad illud tempus differri pro maiori deuotione temporis quadragesimalis.

Variæ sententiæ de tẽpore obligationis huius præcepti.

58. Ad 5. Respondent aliqui, vi præcepti Ecclesiastici nullum assignari certum initium commune omnibus fidelibus pro annua confessione facienda, sed vnicuique initium esse tempus illud, in quo vltimam confessionem fecit, vt si confessus est in Augusto, non teneri nisi sequenti anno in fine Augusti confiteri.

59. Secundò alij hoc tempus assignant ab eo tempore, quo post vltimam confessionem homo mortaliter peccauit; ita, vt ab hoc tempore, quo mortaliter peccauit, non teneatur, nisi post annum confiteri. Sed neutrum tempus est conforme legi, quæ sicut fertur pro omnibus; ita habere debet communem terminum, quo omnes obliget.

60. Tertiò aliqui hoc tempus assignant à Ianuario ad Ianuarium: nã idem putant esse initiũ anni sæcularis, & Ecclesiastici. Alij verò assignant tempus à quadragesimã in quadragesimã: ita vt, licet in quacunque anni parte possit homo confitendo satisfacere huic præcepto, haud tamen licet vltra totum hoc tempus contentum inter vnam quadragesimam & aliam cõfessionem differre. Qui modus est omnium *probabilissimus*, cui fauet communis Ecclesiæ consuetudo, & praxis, quæ ita videtur præceptum interpretata.

Modus probabilissimus.

61. Sola superest difficultas: nam hinc sequitur, posse fidelem confessionem differre ad duos annos. Nam si quis confessus est in Dominica Palmarum non tenetur pro sequenti anno confiteri in Dominica Palmarum anni sequentis, sed potest confessionem differre vsque ad Sabbathum ante Dominicam Palmarum alterius anni: quia non tenetur confessionem facere initio anni, quo præceptum incipit obligare, sed eam differre potest vsque ad finem totius anni, quo obligatio durat. Sicut non tenetur quis sacrum audire initio auroræ, quo sacra incipiunt; sed illud differre potest vsque ad meridiem, quousque celebrantur sacra, & durat præceptum. Hoc autem non videtur conforme legi, & consuetudini. Sequelam nonnulli concedunt, inter quos est Vasquez. Alij verò, & meritò illam negant, vt Henriquez lib. 4. cap. 4. num. 2. Suarez suprà citatus.

Vasquez. Henriquez Suarez.

62. Ad euitandum autem propositum absurdum, Respondent citati authores, quòd in quacunque anni parte homo confessus sit, adhuc teneatur in quadragesima, qui est totius Ecclesiastici anni terminus, confiteri, si conscientiam habeat peccati mortalis. Rationem assignant: quia fidelis nõn solùm tenetur vi huius præcepti semel in anno confiteri, sed omnia peccata mortalia, quæ intra annum commisit, clauibus subijcere. Cùm igitur hic in fine anni habeat conscientiam noui peccati mortalis non confessi, tenetur illud, antequam annus exspiret, confiteri: alioqui non omnia peccata mortalia, quæ illo anno commisisset, confiteretur. Quæ responsio *probabilis est*, & fundatur tum in verbis ipsis legis, quæ dicunt, confitenda esse omnia peccata. Quæ verba non solùm intelligi possunt de omnibus peccatis mortalibus, quorum pœnitens memoriam habet, dum confitetur; sed etiam de omnibus, quæ intra totum annum commisit.

63. Confirmatur: nam si hic intra annum confessus esset tantùm venialia, eo quòd nullum haberet mortale, si postea in quadragesima incideret in aliquod mortale, teneretur vi præcepti annuæ confessionis illud confiteri: ergo etiamsi sæpè intra annum confessus sit peccata mortalia, si postea in quadragesima incidat in nouum peccatum mortale, tenetur illud confiteri: nam per accidens se habet, quòd præcedens confessio fuerit de venialibus, vel mortalibus. Tum quia hoc est conformius intentioni legislatoris, & fini præcepti, qui est, vt nullus fidelis vltra annum differat per peccatorum confessionem reconciliari Deo.

SECTIO VI.

An qui non est confessus intra annum, teneatur statim confiteri initio sequentis?

64. PRIMA sententia negat: est Antonini 3. p. titulo. 9. cap. 9. §. 3. Syluestri verbo *Eucharistia* 3. q. 17. Tabienę verbo *communicare* num. 7. quam probabilem putant Filhucius tom. 1. tract. 7. de confessione cap. 3. num. 54 Diana tract. 4. de sacramentis, resol. 130. Notat autem Tabiena, eos, qui ex legitima causa, puta ex infirmitate, consilio proprij Sacerdotis, vel ex inopia confessarij, omiserunt suo tempore confiteri, teneri statim postea confiteri, cùm primùm commoditas sese obtulerit; secus qui omiserunt confiteri ex negligentia. Ratio discriminis: quia priores, cùm non sint præceptum transgressi, semper possunt illud adimplere; & quamdiu illud non adimplent, semper manent obligati ad illud adimplendum: contrà verò, qui semel sunt præceptum transgressi, non ampliùs tenentur ad illud implendum.

Antoninus Syluester Tabiena Filliucius Diana.

65. Fundamentum huius sentent. desumitur ex natura præcepti affirmatiui, quòd etsi præscripto tempore violatũ, violatorem reddat obnoxium culpæ; eo tamen tempore elapso, non ampliùs obligat: vt inductione constat in præceptis affirmatiuis de ieiunando, audiendo sacro in die festo, recitãdis horis Canonicis, de communione in Paschate

Quæ sit natura præcepti affirmatiui.

de

de confessione in articulo, vel periculo mortis. Quæ præcepta etsi suo tempore non seruata reatum mortis inducant, eo tamen tempore transacto, non ampliùs obligant: non enim qui in perugilio S. Matthęi non ieiunauit, vel qui in ipsius festo sacrum non audiuit, vel si sacro ordine initiatus sit, Horas Canonicas non recitauit, vel in Paschate, aut in articulo, vel periculo mortis omisit communicare, vel confiteri, tenebitur postea alio die ieiunare, audire sacrum, Horas Canonicas, quas omisit, recitare, communicare, vel confiteri. Cùm igitur præceptum confessionis sit affirmatiuum, semel violatum, non ampliùs pro eo anno obligabit.

66. SECVNDA sententia communis Doctorum affirmat: quam docent Scotus in 4. dist. 18. quæst. 1. art. 4. § *grauior tamen ex postrema conclusione emergit quæstio*, Medina Codice de confessione quæstione de *confessione semel in anno agenda*, Nauarrus in summa cap. 21. num. 45. Henriquez lib. 4. cap. 4. num. 5. Valentia disp. 7. quæst. 9. punct. 4. § *tertiò notandum*, Suarez disp. 36. sect. 4. num. 2. Vasquez 3. p. q. 90. art. 3. dub. 2. Coninck disp. 5. dub. 8. Nugnez 3. p. tomo 2. quæst. 6. art. 5. diffi. 7. Layman tract. 4. de sacramento pœnitentiæ cap. 5. num. 9. Fagundez de secundo Ecclesiæ præcepto lib. 1. cap. 4. num. 15.

Scotus. Medina. Nauarrus. Henriquez. Valentia. Suarez. Vasquez. Coninck. Nugnez. Layman. Fagundez.

67. Hęc sententia non solùm est *probabilior*, vt Filliucius, & Diana fatentur; sed etiam *vera*, & praxi atque consuetudini Ecclesię conformior. Probatur 1. à posteriori. Ecclesiæ Prælati excommunicare solent eos omnes, qui intra annum non sunt confessi; nec possunt absolui, donec confiteantur. Sentiunt igitur, adhuc eos manere obligatos ad satisfaciendum præcepto de annua confessione: alioqui si solùm excommunicarentur propter violatum præceptum, absolui possent, etiamsi non confiterentur, cùm talis excommunicatio non sit reseruata, nec necessariò tollenda in confessione sacramentali, cùm tolli possit etiam extra confessionem. Cùm igitur illa non tollatur, nisi excommunicatus confiteatur, signum est, illam non ferri propter solam violationem præcepti; sed etiam propter obligationem, quę semper manet, quamdiu pręceptum non adimpletur.

Filliucius. Diana.

68. Secundò probatur à priori ex fine præcepti: nam finis huius præcepti est, ne tam salubre ac necessarium medium differatur vltra annum; ergo non adimpletum intra annum, semper obligat, donec adimpleatur. Consequentia patet: quia quando tempus non ponitur vt terminus, quo præceptum spirat; sed vltra quod differri non debeat executio præcepti, adhuc elapso tempore præceptum obligat. Vt quando præfigitur certum tempus debitori ad soluendum, adhuc eo tempore transacto, debitor manet obligatus ad debitum soluendum: quia tempus non fuit illi præfixum, vt in eo debitum spiraret; sed ne vltra illud debiti solutio differretur. Antecedens verò colligitur ex illis verbis pręcepti: *Vt saltem semel in anno confiteatur.* Quæ verba æquipollent his, *ne vltra annum confiteri differat.* Ratio autem est: quia hoc pręceptum est modificatio præcepti diuini: præceptum autem diuinum semper obligat, quamdiu non adimpletur; ergo etiam hoc præceptum Ecclesiasticum. Maior constat ex dictis. Minor probatur: nam seclusa determinatione Ecclesiæ, præceptum diuinum nunquam cessaret fideles obligare, donec adimpleretur: igitur posita determinatione Ecclesiæ, vt conditione modificante pręceptum diuinum, nunquam cessabit obligare; donec adimpleatur: nam pręceptum Ecclesiasticum non tollit à præcepto diuino vim obligandi, sed illam dumtaxat determinat intra certum tempus, vltra quod non liceat eam differre.

[...]nis præcepti confessionis quis [...]

Hoc præceptum est modificatio præcepti diuini.

69. DICES. Etiam Ecclesia per pręceptum audiendi sacrum diebus Dominicis, & recitandi Horas Canonicas quotidie, modificat pręceptum diuinum, quo tenemur aliquando Deum orare atque adorare: & tamen qui vel sacrum die Dominio, vel Horas Canonicas aliquo die omisit, non tenetur vel sacrum, vel Horas Canonicas alio die resarcire. Esto igitur Ecclesia pręcepto Ecclesiastico modificetur diuinum confessionis; haud tamen tenebitur illud intra annuum omissum adimplere.

70. Respondeo negando consequentiam: nam præceptum de audiendo sacro die Dominico est modificatio pręcepti diuini de Sabbatis sanctificandis, quod tantùm obligabat pro determinato die in honorem, & cultum illius dici: sicut si Ecclesia Ecclesiastica lege præciperet, vt vnusquisque confiteretur in articulo mortis, eo transacto, si quis non confiteretur, non teneretur postea confiteri ad præceptum adimplendum. Cęterùm præceptum de recitandis Horis Canonicis, quia ita obligat singulis diebus, vt etiamsi vna die violetur præceptum, maneat tamen eadem obligatio pro alijs diebus easdem Horas Canonicas recitandi, violato pręcepto pro vna die, non obligat ad illud adimplendum pro alia die, cùm pro ea die æquè currat obligatio: Vt si confessio obligaret singulis diebus, illa omissa vno die, non obligaret pro sequenti, pro quo æqua curreret obligatio.

Soluitur instantia de horis Canonicis.

71. Probatur 3. eadem assertio: nam hoc præceptum siue consideretur vt diuinum, siue vt Ecclesiasticum, per se fertur in bonum pœnitentis: 1. Vt à peccatis iustificetur, Deoque reconcilietur: 2. Vt pro suis offensis Deo satisfaciat. Hęc autem quamdiu non adimplentur, semper peccatorem obligant, cùm semper maneat eadem ratio & finis, propter quem præceptum hoc impositum est. Vnde non est par ratio de multis alijs pręceptis affirmatiuis, quæ obligant ob peculiarem finem tali tempore intentum, qui

quoniam cum tempore elapso cessat, cessat & præceptum ipsum obligare.

Præceptum annuæ confessionis formaliter est affirmatiuũ virtualiter negatiuum.

72. Ex his patet ad fundamentum primæ sententiæ. Nam licet præceptum annuæ confessionis sit formaliter affirmatiuum, est tamen virtualiter negatiuum, includens negationem de non differenda confessione vltra annum. Præcepta verò de ieiunio, sacro audiendo, & Horis Canonicis recitandis sunt purè affirmatiua, quæ suam obligationem limitant ad certam diem, qua elapsa, cum ea simul cessat finis, & ratio, ob quam hæc præcepta obligabant.

73. De communione verò Paschali, & confessione in articulo, vel periculo mortis controuertunt Doctores, an hæc suo tempore non seruata semper obligent, donec impleantur. De communione Paschali negant Sotus, & Medina, eum, qui sine causa omisit in Paschate communicare, teneri postea statim, sed posse absque nouo peccato communionem ad sequentem annum differre. Quorum fundamentum est: quia præceptum Eucharistiæ est addictum tempori Paschali, propter solemnitatem, & venerationem illius temporis, quo elapso, cessat causa, & finis, propter quem impositum est præceptum. Confirmat Sotus: nam confessio præcipitur vt Medicina ad vitam spiritualẽ recuperandam; Eucharistia verò vt cibus ad vitam spiritualem augendam. Homo autem quamdiu amissam vitam gratiæ per annuam confessionem non reparat, tamdiu ad illam reparandam sub pœna noui peccati mortalis tenetur: non tenetur autem, si augmentum vitæ spiritualis per Eucharistiam non accepit, statim illud accipere: quia non obligatur fidelis recuperare augmentum vitæ spiritualis, quod per omissionem Eucharistiæ perdidit, sicut tenetur vitam ipsam spiritualem per confessionem sibi reparare.

Sotus. Medina.

Communio Paschalis suo tempore non seruata obligat donec impleatur.

74. Contraria tamen sententia quoad communionem, *probabilior* est, quam cum Vasquez docui præcedente tomo, nempe præceptum communionis, non minùs quàm annuæ confessionis obligare fideles ad statim illud implendum, si non sit suo tempore impletum. Ratio est: quia etiam præceptum Ecclesiasticum de communione in Paschate est modificatio præcepti diuini: sed hoc semper obligat fideles, donec impleatur; ergo etiam illud, quatenus est modificatio huius. Maior patet: quia non minùs præceptum communionis, quàm confessionis est diuinum, vt constat ex illis verbis Christi, Ioannis 6. *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, non habebitis vitam in vobis.* Ergo non minùs præceptum diuinum communionis, quàm confessionis modificatur Ecclesiastico præcepto.

Ioan. 6.

75. Confirmatur 1. Nam ideo præceptum diuinum confessionis modificatur per præceptum Ecclesiasticum, vt semel saltem in anno adimpleatur: quia præceptum diuinum confessionis per se saltem vagè aliquando obligabat extra articulum, vel periculum mortis: sed etiam præceptum diuinum communionis, præter articulum, vel periculum mortis per se aliquando vagè obligabat: ergo etiam hoc modificatur præcepto Ecclesiastico, vt quod per se vagè obligabat, determinato tempore obliget.

Præceptum sacræ Synaxis est virtualiter negatiuum.

76. Confirmatur 2. Nam etiam præceptum sacræ Synaxis est virtualiter negatiuum, includens negationem de ea non differenda vltra annum, vt colligitur ex illis verbis præcepti: *Suscipiens ad minus in Pascha Eucharistiam:* & clariùs Concilium Tridentinum sess. 13. canone 9. *Teneri*, inquit, *fideles singulis annis, saltem in Paschate ad communicandum iuxta præceptum Sanctæ Matris Ecclesiæ.* Quibus verbis non obscurè Concilium significat, non posse fideles vltra annum præceptum communionis differre, non minùs; quàm suprà ostendimus de præcepto confessionis.

Concilium Trident.

77. Ad fundamentum verò oppositæ sententiæ, negandum est, susceptionem Eucharistiæ præcipi in Paschate solùm ob celebritatem & venerationem temporis Paschalis; sed etiam, & præcipuè ob præceptum Christi, quod independenter à tempore Paschali fideles obligat. Cæterùm Ecclesia præcepto suo vtrumque coniunxit, & obligationem præcepti diuini, & temporis, quo fuit hoc sacramentum institutum, venerationem. Ad confirmationem autem Soti, negandum est, hominem non teneri ad sumendum nutrimentum vitæ spiritualis per Eucharistiæ sacramentum. Nec refert quòd sacramentum pœnitentiæ conferat vitam, Eucharistia verò augmentum tantùm vitæ: cùm non minùs ad hoc, quàm ad illud teneamur præcepto diuino. Etenim licet Eucharistia non conferat vitam, illam tamen conseruat, ad quem effectum potissimum instituta est Eucharistia. Homo autem non minùs indiget conseruatione vitæ, quàm restitutione eiusdem.

78. De confessione verò facienda in articulo, vel periculo mortis, putat Henriquez lib. 4. cap. 4. num. 5. Si quis eo tempore neglexit confiteri, etiamsi contritionem elicuerit, teneri postea quamprimum confiteri, non secus ac qui confiteri neglexit intra annum.

Henriquez.

79. Oppositum tamen probabilius est: fundamentum est: quia in eo articulo hoc præceptum solùm obligat propter periculum non adimplendi ampliùs in hac vita hoc præceptum. nec non ratione charitatis, quam vnusquisque debet erga seipsum habere: cessante autem articulo mortis, cessat hoc periculum: ergo non ampliùs tenetur ad illud implendum.

Omittens confessionem in periculo mortis, non tenetur postea cum euasit, illam quamprimũ facere.

80. Dices. Ideo qui non confitetur intra annum, tenetur statim initio sequentis confiteri, quia hoc præceptum obligat iure diuino, quod non exspirat elapso anno: sed etiam obligat iure diuino in articulo mortis: ergo neque articulo mortis cessante, hoc præceptum exspirat. Respondeo negandum

esse,

Cur præceptum annuæ confessionis intra annum impletum statim obliget initio sequentis anni.

esse, ideò formaliter hoc præceptum intra annum non adimpletum obligare initio anni sequentis, quia obligat iure diuino præcisè; sed quia obligat simpliciter ad reconciliandum hominem cum Deo, eique pro illatis offensis satisfaciendum. Quo autem tardiùs ad confessionem accedimus; eò magis obligatio crescit ad reconciliationem, & satisfactionem exhibendam. Nam cùm hæc iure diuino obligent, vt aliquibus temporibus extra articulum, & periculum mortis à nobis præstentur; cumque hæc tempora sint ab Ecclesia determinata singulis quibusque annis, elapso anno, tantùm abest, vt eorum obligatio extinguatur, si non seruentur; vt potiùs magis crescat, cùm annus non sit assignatus vt terminus obligationis, sed vt terminus negationis vlterioris prolongationis. In articulo verò mortis confessio, eademque ratio est de communione, non obligat propter reconciliationem, & satisfactionem simpliciter; sed propter periculum, ne ingruente morte, hæc non valeamus ampliùs in hac vita adimplere: quo periculo cessante, cessant hæc obligare hoc præciso nomine, quamquam obligare possunt sub titulo annuæ confessionis, vel communionis.

Cur confessio in articulo mortis obliget.

81. Ex dictis infertur 1. Si quis intra annum, propter inopiam confessoris, confiteri non potuit, teneri initio sequentis anni, cùm primùm copiam confessarij nanciscitur, confiteri. Nec sufficit, quòd loco sacramentalis confessionis actum contritionis elicuit: nam hæc in lege Euangelica non supplet præceptum confessionis; sed potiùs præceptum confessionis supplet præceptum contritionis. Quo fit, vt confessio non iustificet in voto contritionis; sed potiùs contritio in voto confessionis, vt Tridentinum docuit sess. 14. cap. 4.

Conc. Trid.

82. Infertur 2. Teneri eum, qui vel malitia confessoris, vel quocunque alio defectu, etiam non culpabili, sacramentum confessionis non suscepit. Nam licet ignorantia excuset, ne pœnitens peccet ignoranter confessionem omittens; non tamen excusat, si postea aduertens præceptum confessionis non adimplet.

83. Infertur 3. Non teneri initio sequentis anni confiteri peccata, quæ vel ex inculpabili obliuione, vel ex iusta causa omisit in confessione præcedentis anni; sed posse illa vsque ad sequentem annum differre. Fundamentum: quia hic satisfecit præcepto annuæ confessionis, illam validè faciendo.

84. Dices, præcedente sectione docuimus, vnumquemque fidelem teneri ad confitenda omnia peccata, quæ intra annum commisit: at neque peccata inuincibiliter oblita, neque ex iusta causa omissa, sunt per confessionem præcedentis anni clauibus subiecta: ergo tenemur illa initio sequentis anni clauibus subijcere. Resp. negando consequentiam. Nam solùm tenemur confiteri omnia peccata, quæ moraliter iuxta leges validæ confessioni sconfiteri possumus.

85. Tres hic supersunt difficultates: prima, an semper nouo peccato distincto peccet, qui aduertens se ad præceptum confessionis adimplendum teneri, non adimplet. Affirmant aliqui: præsertim si huiusmodi actus interrupti multiplicentur. Fundamentum: quia sicut qui est in mora restitutionis, semper peccat n[illegible] peccato, quoties aduertit se posse restituere, & non restituit: ita qui est in mora adimplendi præceptum, & non adimplet. Negant verò Valentia disp. 7. quæst. 9. puncto 4. circa finem, Laymann tract. 6. cap. 5. num. 9. Diana tract. 4. de sacramentis Resol. 135 & alij. Pro cuius explicatione,

Valentia. Laymann. Diana.

86. Dicendum, posteriorem sententiam esse probabilem, & in conscientia tutam sola Doctorum authoritate: iuxta quam non tenetur pœnitens, se accusare de vicibus, quibus commoditatem nactus confitendi non est confessus: Priorem verò probabiliorem esse spectata ratione, quam docuit Bonacina apud Dianam loco præcitato, & docere videntur Vasquez 3. p. quæst. 90. art. 3. dub. 2. num. 8. & Coninck disp. 5. dub. 8. ad secundum, dum eodem modo philosophantur de hoc peccato, ac de peccato non restituendi, quod non solùm ipsa continuatione omissionis aggrauatur; sed etiam per vices interruptum numero multiplicatur.

Bonacina. Vasquez. Coninck.

87. Secunda difficultas est: an qui confessionem præcedentis anni omisit, possit per confessionem anni subsequentis vtrique præcepto satisfacere, & anni præcedentis elapsi, & subsequentis inchoati. Negant Suarez disp. 36. sect. 4. num. 5. Nugnez 3. p. tomo 2. q. 6. art. 5. difficul. 7. Coninck suprà citatus concl. 2. *Quæ sententia probabilior est:* & constat ex consuetudine Ecclesiæ, quæ huiusmodi confessionem exigit tanquam spectantem ad præcedentem annum: nisi, vt rectè aduertit Coninck, confessio differatur propè finem sequentis anni: nam tunc moraliter non censetur ampliùs pertinere ad annum præcedentem, sed ad subsequentem.

Suarez. Nugnez. Coninck.

88. Tertia difficultas est: an qui in Paschate legitimè impeditur sacram communionem distulit vsque ad Pentecostem, possit etiam cum communione Maioris commoditatis causa differre confessionem præcedentis anni? Affirmat Laymann tract. 6 de sacramento Pœnitentiæ cap. 5. num. 10. Addit tamen, si hic nouum peccatum mortale eo anno committeret, obligari ad nouam confessionem faciendam pro illo anno. Quæ sententia *probabilis est.*

Laymann.

SECTIO VII.

An aliquando teneatur pœnitens tempus confessionis anticipare?

89. PRIMA sententia negat teneri, saltem quando pœnitens non est causa voluntaria talis impedimenti: ita nonnulli recentiores apud Henriquez lib. 4. cap. 4. n. 7. & in textu sub lit. N. fundamentum est: quia cùm talis defectus non sit voluntarius pœnitenti, non poterit illi ad culpam imputari. Confirmatur. Ad Ecclesiam, non ad pœnitentem spectat, prouidere de sufficientibus ministris, vt suo tempore sacramenta dispensent. Igitur non tenetur pœnitens huiusmodi defectum supplere, consuetum tempus præueniendo.

Henriquez.

90. SECVNDA sententia communis omnium tam antiquorum Scholasticorum in 4. dist. 17. quàm recentiorum Theologorum affirmat. Fundamentum est: quia quando præceptum habet certam temporis latitudinem, intra quam obligat, tenemur, si non possumus intra vnam partem temporis, intra aliam illud adimplere. Sed præceptum confessionis habet totam latitudinem annui temporis, intra quam obligat: ergo quando non possumus in vna parte anni, tenemur in alia illud adimplere. Minor cum consequentia patet. Maior probatur 1. Inductione: vt quia officium diuinum obligat intra diem naturalem, tenemur quando non possumus in vna parte diei, in alia illud recitare. Quia sacrum obligat intra totum tempus, quod est inter auroram, & meridiem, tenemur, quando non possumus hora decima, vel vndecima illud audire, anticipare horam quartam vel quintam, in qua illud audire possumus. Quia votum ieiunandi semel in mense obligat intra totum mensem, tenemur, quando vna die illud seruare non possumus, alia die adimplere. Pari igitur ratione, quia præceptum confessionis obligat intra totum spatium vnius anni, tenemur, quando illud seruare non possumus in vna parte anni, adimplere in alia: proinde quando præuidemus futurum impedimentum pro reliqua parte anni, tenemur ad illud adimplendum præuenire tempus intra idem anni spatium, in quo illud adimplere valeamus.

91. Secundò probatur ratione. Nam quando à legislatore assignatur certa temporis latitudo ad præceptum adimplendum, ideo assignatur, vt in toto tempore collectiuè sumpto subditus sit obligatus ad illud adimplendum. Ergo si in toto anno collectiuè sumpto fidelis habet commoditatem confitendi, tenetur intra totum annum collectiuè sumptum confiteri. Sed qui in vna parte anni habet copiam confessarij, etiamsi non habeat in alia parte anni, habet commoditatem confitendi intra totum annum collectiuè sumptum à legislatore assignatum pro præcepto adimplendo: ergo tenetur intra eam partem anni præceptum adimplere, esto eandem commoditatem habiturus non sit in reliqua anni parte. Nam licet liberum sit subdito, in quauis assignati temporis parte præceptum exequi, quando in quauis assignati temporis parte habet commoditatem illud exequendi: non est tamen ei liberum, determinare sibi certam temporis partem, in qua, si non possit præceptum seruare, non teneatur in alia temporis parte, in qua æquè illud seruare potest. Nam hoc est contra expressam mentem legislatoris, qui intendit, sua lege velle subditos obligare pro toto eo tempore, pro quo potest lex seruari.

92. Ex dictis colligitur, idem dicendum esse de eo, qui habens aliquem casum reseruatum, præuidet sibi defuturum idoneum confessorem, qui possit illum à tali casu absoluere: is enim tenetur præuenire tempus, vt per idoneum Sacerdotem absolui possit. Eadem ratio est de eo, qui ob impotentiam præuidet se non posse præscripto tempore suo creditori soluere: nam hic tenetur anticipare tempus, quando potens est ad soluendum. Idem dicito de illo, qui intra mensem, vel annum vouit ieiunium, sacrum, peregrinationem, vel aliquid simile: nam etiam hic, si circa finem mensis, vel anni præuidet futurum impedimentum, quo minùs hæc adimplere possit, tenetur anticipare tempus, in quo hęc adimplere valeat.

Corollarium.

93. Difficultas est: an idem sit dicendum de præcepto communionis in Paschate. Negant aliqui, eo quòd hoc sit addictum tempori Paschali, non secus ac sacrum, vel ieiunium addictum est diei festo, vel peruigilio. Sed cohærentiùs ad suprà dicta dicendum est, etiam tempus Paschale communionis præueniendum esse, si probabiliter pręuideamus, defuturam nobis eo tempore communionis opportunitatem. Fundamentum est: quoniam, vt suprà ostendimus, hoc sacramentum non est tempore Paschali prȩceptum solùm ob venerationem, & celebritatem temporis; sed maximè propter Christi præceptum, quo aliquoties in vita, non minùs, quam prȩcepto confessionis, voluit fideles obligari. Vnde sicut Ecclesia vagam illam, & indeterminatam obligationem, quam sacramentum pœnitentiæ ex prȩcepto diuino habebat suo præcepto determinauit ad annuum tempus: ita vagam quoque & indeterminatam obligationem, quam sacramentum Eucharistiæ ex prȩcepto Christi habebat, ad tempus Paschale determinauit propter memoriam, qua hoc tempore fuit hoc sacramentum institutum.

Tempus Paschale communionis nonnunquam præueniendum est.

94. Maior difficultas est: an tam sacramentum pœnitentiæ, quàm Eucharistiæ obliget nos ad præueniendam earum sacramentalem

Proponitur alia difficultas.

mentalem susceptionem, quando prævidemus, probabiliter defuturum nobis copiam horum sacramentorum in articulo mortis. Ratio dubitandi est: quoniam hæc sacramenta obligant hoc tempore propter peculiares rationes, quæ non militant extra hoc tempus. Nam sacramentum pœnitentiæ obligat in articulo mortis ob periculum æternæ damnationis; Eucharistia verò, vt ea tanquam viatico ex hac vita discedentes muniamur: hæ autem rationes cessant extra mortis articulum. Ergo non videmur obligari ad anticipandam eorum susceptionem, quando ea prævidemus in articulo mortis defutura.

Ratio dubitandi.

95. Confirmatur 1. Nam suprà docuimus, si in articulo mortis non fuit à nobis adimpletum præceptum confessionis, eademque ratio est de præcepto communionis, non teneri postea nos, cessante articulo mortis, illud adimplere: eo quòd cessante tali articulo, cessant rationes, propter quas hæc sacramenta in tali articulo obligabant. Ergo neque tenemur hæc eadem anticipato adimplere, si in ipso articulo mortis prævidemus futurum impedimentum, propter eandem rationem.

96. Confirmatur 2. Nam si sacramentum Extremæ-vnctionis esset sub præcepto, vti sunt sacramentum pœnitentiæ, & Eucharistiæ, non teneremur illud anticipato suscipere ante infirmitatem; si probabiliter præuideremus, illud nobis defuturum tempore infirmitatis: ergo nec sacramentum pœnitentiæ, & Eucharistiæ. Consequentia probatur: nam ideo non teneremur sacramentum Extremæ-vnctionis, etiamsi esset sub præcepto ante infirmitatem anticipato suscipere, quia hoc sacramentum est institutum propter peculiares effectus, quos tempore infirmitatis confert infirmo: sed etiam sacramentum saltem Eucharistiæ obligat in articulo mortis ob peculiares effectus, quos tanquam cæleste viaticum confert viatori ex hac vita migranti.

97. Confirmatur 3. Si teneremur Eucharistiam per modum viatici ante infirmitatem sani anticipato suscipere, possemus etiam sani illam non ieiuni suscipere, sicut possumus ipso tempore infirmitatis. Quia quando præceptum retrotrahitur ad aliud tempus, retrotrahitur cum ijs conditionibus, cum quibus seruari poterat, vel debebat tempore proprio.

98 His tamen non obstantibus, cum communi sententia dicendum est, teneri fideles anticipare susceptionem horum sacramentorum, quando probabiliter prævidetur defutura copia ipsorum in articulo, vel periculo mortis. Fundamentum est: nam ideò hæc sacramenta in articulo, vel periculo mortis obligant, quia tenentur fideles, antequam ex hac vita discedant pœnitentiam de suis peccatis, quorum conscientiam habent, agere, & Eucharistiæ sacramentum sumere. Ergo si hæc præstare non possunt in ipso articulo, vel periculo mortis ob inopiam sacramentorum, & ministrorum, tenentur ea anticipato suscipere. Consequentia probatur: nam etiam ea anticipato suscipientes, adimplemus præceptum de susceptione horum sacramentorum ante discessum ex hac vita: ergo tenemur illa anticipare; nam semper tenemur præceptum seruare, quamdiu præceptum obligat, & seruari potest.

99. Hinc soluitur obiectio, quæ contra hoc fieri posset, cur nimirum non etiam teneamur præuenire sacrum alio die quando prævidemus illud defuturum die festo: quia nimirum sacrum non obligat, nisi in cultum & venerationem talis diei, quæ ratio non militat in alijs diebus. Sacramentum autem pœnitentiæ, & Eucharistiæ obligant in articulo mortis, ne ex hac vita sine huiusmodi sacramentis discedamus, quæ ratio militat etiam ante mortis articulum, quando in ipso mortis articulo ea suscipere non possumus.

Sacrum non obligat nisi in cultum diei festi.

100. Confirmatur. Sacramentum Pœnitentiæ obligat fideles vt, antequam ex hac vita discedant, omnia sua peccata mortalia, nunquam confessa, subijciant clauibus: ergo præuidentes defuturam in articulo mortis copiam confessarij tenentur anticipato ea clauibus subijcere. Antecedens patet. Consequentia verò probatur: quia cùm post mortem non supersit ampliùs tempus, quo ea fideles possint clauibus subijcere, tenentur anticipare tempus, vt ea ante discessum ex hac vita, clauibus subijciant.

101. Similiter sacramentum Eucharistiæ fideles obligat, ne ex hac vita discedant absque hoc cœlesti viatico: ergo præuidentes defuturum hoc sacramentum in articulo mortis, tenentur illud anticipato suscipere. Consequentia probatur: nam ideò hoc sacramentum obligat in articulo mortis, quia post mortem non possumus huic præcepto satisfacere: sed si præuideatur post hanc diem, vel hebdomadam, aut mensem defuturum hoc sacramentum toto tempore vitæ, non superest aliud tempus; in quo possimus in hac vita huic præcepto satisfacere: ergo tenemur tunc præuenire articulum mortis, vt præcepto satisfaciamus, de non discedendo ex hac vita absque huius sacramenti susceptione.

102. Ex his patet ad rationem dubitandi. Ad primam confirmationem negatur consequentia. Ratio discriminis est euidens: nam cessante articulo, vel periculo mortis, superest aliud tempus, quo possimus præceptis de confitendo, & communicando, antequam ex hac vita discedamus, satisfacere. At verò si post hoc tempus defutura nobis est copia horum sacramentorum in ipso articulo mortis, non relinquitur aliud tempus, quo hæc præcepta ante vitæ discessum implere valeamus.

103. Ad secundam confirmationem negari

gari potest, & quidem probabiliùs consequentia. Quoniam sacramentum Extremæ-Vnctionis est institutum solùm propter infirmos, vt constat ex Iacobi vltimo: vbi assignatur finis huius sacramenti: *Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum oleo in nomine Domini.* Vnde & sacramentum infirmorum appellatur. Sacramenta verò Pœnitentiæ, & Eucharistiæ non sunt instituta solùm propter infirmos; sed etiam propter sanos. Eatenus autem infirmos obligant, quatenus periculum est, ne ingruente morte, non sit ampliùs tempus illa suscipiendi. Confirmatur: nam damnati ad mortem sacramentum Extremæ-Vnctionis non suscipiunt, cùm tamen sacramenta confessionis, & communionis suscipere teneantur: quia nimirum hoc sacramentum est tantùm propter infirmos.

Sacramentum Extremæ-vnctionis est institutum solùm propter infirmos.

104. Ad tertiam confirmationem primò nego sequelam: non enim est necesse, vt præceptum Eucharistiæ retrotrahatur cum omnibus ijs conditionibus, cum quibus adimpleri potest in articulo mortis: quia in articulo mortis permittit Ecclesia ob infirmi debilitatem, vt possit hoc sacramentum non ieiunus sumere: quæ ratio non militat extra mortis articulum. Vnde damnatus ad mortem tenetur, si potest, ieiunus communicare. Secundò dico, si quis præueniendo articulum mortis non posset ieiunus communicare, teneretur communicare non ieiunus: quia tunc præceptum de communicando ante discessum ex hac vita præualet præcepto de communicando dum quis ieiunus est.

105. Ad fundamentum primæ sententiæ, negandum est, talem defectum non imputatum iri pœnitenti, dum potest, & non confitetur initio anni, si reliquo tempore probabiliter præuideat futuram inopiam confessarij: quia intra totum illud tempus collectiuè sumptum tenetur satisfacere præcepto, non minùs; quàm imputatur omissio sacri ei, qui præuidens futurum impedimentum toto tempore post auroram, illud, cùm posset, tempore auroræ non audiret. Nec adducta ratio in confirmatione de defectu Ministrorum excusat: nam sufficit, vt sit Ministrorum copia in aliqua parte temporis, intra quod præceptum obligat. Sicut non excusat à sacro audiendo, si inter auroram, & meridiem non sit nisi vnum sacrum in ipsa aurora, quod commodè audiri posset.

SECTIO VIII.

An sit aliqua pœna contra transgressores huius præcepti statuta, & an illa incurratur per fictam confessionem?

106. QVoad primum non est alia pœna iure communi statuta, quàm illa, quæ in capite *Omnis vtriusque sexus* decernitur, *vt viuens ab ingressu Ecclesiæ arceatur, & moriens Christiana careat sepultura.* Quæ tamen pœna ante Iudicis sententiam non incurritur, vt communiter docent Doctores. Solet autem in aliquibus Episcopatibus imponi pœna excommunicationis ipso facto incurrenda: in quo casu non requiritur Iudicis sententia, sed eo ipso, quod hoc præceptum violatur, incurritur: vt constat de pœna excommunicationis imposita hæreticis, quæ statim absque vlla Iudicis sententia incurritur, hoc ipso, quod hæreticus aliquo signo externo suam internam hæresim manifestat. Quia cùm hæc pœna consistat in priuatione participationis bonorum spiritualium, in quæ Ecclesia plenam habet potestatem, poterit illam Ecclesiasticorum præceptorum transgressoribus imponere, vt eam etiam ante Iudicis sententiam incurrant.

Quam iure communi pœnam incurrant transgressores huius præcepti.

107. Cæterùm dubitatur: an pœna, de qua mentio fit in citato capite *Omnis*, sit propter transgressores præcepti confessionis tantùm, an communionis tantùm, an vtriusque simul. Respondeo ex communi sententia Doctorum, esse propter transgressores alterutrius tantùm: nam non solùm qui vtrumque, sed etiam qui alterutrum tantùm præceptum violauit, est reus pœnæ, & in eum potest per Iudicis sententiam prædicta comminata pœna ferri.

108. Quoad secundum est prima sententia affirmans Suarez disp. 36. sect. vlt. Nugnez 3. parte tom. 2. quæst. 6. in fine, Coninck disp. 5. dub. 9. num. 72. Fagundez de secundo præcepto Ecclesiæ lib. 1. cap. 4. num. 5. pro qua citantur multi Authores, qui tamen hoc expresè non docent, sed solùm dicunt, per huiusmodi confessionem non satisfieri præcepto Ecclesiæ de semel in anno confitendo, non autem incurri pœnas Ecclesiasticas, quod longè diuersum est. Vnde Nauarrus in summa cap. 10. num. 4. negat, per talem confessionem satisfieri præcepto Ecclesiastico, an autem incurratur etiam excommunicatio, ibi non determinat, sed aliò quæstionem decidendam remittit.

Suarez. Nugnez. Coninck. Fagundez.

Nauarrus.

109. Fundamentum huius sententiæ est: quia Ecclesia omnes eos actus punire potest, in quos

in quos potestatem habet: habet autem potestatem in omnes actus internos, qui principia sunt externorum. Igitur Ecclesia præcipiendo sacramentalem confessionem externam, cum illa simul etiam præcipit actus internos vt principia sacramentalis confessionis externæ. Ergo censuris, & pœnis externis punire potest omnes illos, qui tales actus internos vt principia sacramentalis confessionis externæ non adhibent. Confirmatur. Hæreticus, qui signo externo quantumuis occulto suam hæresim manifestauit, statim excommunicationem incurrit: similiter & ille, qui sub pœna excommunicationis iussus esset sacramentum Baptismi ministrare, si debitam intentionem ad baptizandum non adhiberet, etiamsi omnia externa adhiberet, latam excommunicationem incurreret: ergo etiam ille, qui vel non integrè, vel sine dolore interno confiteretur.

Alensis. 110. SECVNDA sententia negat: est Alensis 4. parte quæst. 77. memb. 5. art. 7. ad obiectiones, Paludani in 4. distinct. 17. quæst. 7. *Paludanus.* *Sylvester.* Syluestri verbo *Confessio*, quæst. 4. & alij antiquiores, quos ex recentioribus sequuntur *Canus.* Melchior Canus in Relectione de pœnitentia parte 5. *Vasquez.* Vasquez 3. parte quæst. 92. art. 3. dub. 5. num. 6. & alij, quam probabilem *Fagundez.* censet Fagundez pro contraria sententia citatus. Pro cuius explicatione,

111. Dicendum est, licèt eum, qui vel sine interiori dolore, vel peccata merè interna non confiteretur, Ecclesiæ præcepto de semel in anno confitendo non satisfaceret; non tamen incursurum pœnas Ecclesiasticas transgressoribus impositas. quod non satisfaciat præcepto Ecclesiastico de annua confessione, constat ex sect. 2. quia hoc præceptum Ecclesiasticum est modificatio diuini: ergo qui non satisfacit diuino per Ecclesiasticum modificato, nec satisfacit Ecclesiastico: quia Ecclesiasticum non aliud sacramentum præcipit, quàm diuinum, idque authoritate sibi à Christo communicata.

112. Quòd autem non incurrat pœnas Ecclesiasticas, probatur: nam Ecclesia nullum actum punire potest, qui sub ipsius Iudicium cadere non potest. Sed nec defectus interioris doloris, nec omissio internorum peccatorum cadere potest sub Iudicium Ecclesiæ: igitur eos punire non potest. Minor patet: nam tales actus omitti possunt absque vllo externo signo, quo eorum omissio deprehendi possit. Nullus autem actus sub Iudicium Ecclesiæ cadere potest, nisi externo aliquo signo deprehendi valeat. Nam quòd non potest externo signo deprehendi, non potest esse notum Ecclesiæ: quòd autem non potest esse notum Ecclesiæ, non potest ab Ecclesia iudicari, ac proinde sub eius iudicium cadere. Maior verò primi Syllogismi constat tum inductione: nam neque mentalis hæreticus excommunicationem incurrit, nisi externo signo illam manifestet; neque qui sacrum audiret absque interna attentione, si sacri omissioni excommunicatio imposita esset. Tum ratione: nam Ecclesia nonnisi eos actus punire potest, qui ordinantur ad externum regimen Ecclesiasticum: actus autem merè interni non ordinantur ad externum regimen Ecclesiasticum, vt per se patet, cùm illi maneant occulti intra ipsum operantem: ergo

113. Respondent aduersarij, Ecclesiam punire posse actus internos vt principia externorum: sed tam internus dolor, quàm integritas interiorum peccatorum sunt principia externæ confessionis sacramentalis, quàm Ecclesia præcipit. Sed contrà, nam *Refellitur aduersariorum responsio.* eos tantùm actus internos Ecclesia punire potest, quorum commissio, vel omissio signo aliquo externo deprehendi possunt, vt patet in hæresi mentali, quæ nisi aliquo signo externo manifestetur, excommunicationis pœna puniri non potest. Sed neque defectus doloris interni, neque internorum peccatorum omissio, potest signo aliquo externo deprehendi; ergo.

114. DICES. Sicut Ecclesia modificando per determinationem temporis præceptum diuinum, fideles obligat ad seruandum etiam præceptum diuinum: ita imponendo pœnas ob trangressionem modificationis præcepti diuini, obligat ad pœnas incurrendàs etiam eos, qui transgrediuntur præceptum diuinum. Respondeo distinguendo antecedens. Obligat ad seruandum præceptum diuinum immediatè vi suæ authoritatis, nego; consequenter, & vi authoritatis diuinæ, quæ posito præcepto Ecclesiæ, fideles obligat, concedo. Et quia Ecclesia non potest pœnas imponere, nisi ob transgressionem eius, ad quod ipsa per se vi suæ authoritatis immediatè obligat, cùm hoc tantùm cadere possit sub iudicium ipsius, ideo qui seruat, quod Ecclesia vi suæ authoritatis immediatè præcipit non incurrit pœnas ab ipsa impositas, etiamsi non seruet præceptum diuinum quoad confessionem peccatorum internorum, & dolorem interiorem.

115. Maior difficultas est: an saltem ille qui ob solum defectum interioris dispositionis à confessario in ipsa sacramentali confessione dumtaxat deprehensum, non absolueretur, pœnas Ecclesiasticas incurreret. Negat Canus. Fundamentum autem *Canus.* esse potest, quia cùm talis defectus non fiat manifestus, nisi per testimonium confessarij, quod cùm idoneum non sit ad actum pœnitentis in publico foro Ecclesiæ manifestandum, non poterit talis defectus cadere sub iudicium Ecclesiæ, ac proinde puniri censuris, & pœnis Ecclesiasticis.

116. Affirmat autem Vasquez, ea ratione *Vasquez.* motus, quia absolutio sacramentalis est actus externus, qui ab Ecclesia præcipi potest: ergo potest ipsius negatio Ecclesiæ constare, ac proinde puniri. Sed contra hoc dici posset: quia non sufficit, vt absolutio,

eiusque omissio sit actus exterior; sed præterea requiritur, vt signo aliquo idoneo possit innotescere Ecclesiæ. Cùm igitur omissio talis absolutionis nequeat idoneo signo Ecclesiæ innotescere, non poterit ob talem defectum pœnitens ab Ecclesia puniri. Quòd autem talis omissio non possit idoneo signo Ecclesiæ constare, probatur: quia illa constare non potest, nisi testimonio confessarij. Atqui testimonium confessarij idoneum non est, ad publicandum actum pœnitentis in externo foro Ecclesiæ. Nec refert, quòd talis omissio innotescat confessario actu aliquo externo pœnitentis: quoniam omnis actus pœnitentis in sacramentali confessione explicatus obsignatur sigillo diuini secreti, nulli foro subiectus, prætterquam sacramentali foro confessionis. Sicut qui confiteretur internam hæresim absque interiori dolore, per huiusmodi confessionem non incurreret excommunicationem hæreticis impositam: nec talis confessio esset alicui foro subiecta.

117. Confirmatur: nam, vt suprà docuimus disp. de sigillo confessionis sect. prima, si pœnitens fictè confessus peteret à confessario schedam de confessione facta, deberet confessarius illam pœnitenti dare, ne manifestari posset, quòd propter peccatum fictionis non sit absolutus. Ergo nulla via posset talis omissio constare in publico iudicio: cùm neque illa constare possit per confessarium, qui diuino iure tenetur omnia, quæ in confessione audit, & aliquo modo ad pœnitentis peccata spectant, sub secreto seruare: neque per ipsum pœnitentem, cùm ille non teneatur suum peccatum prodere: neque per negationem testimonij de ipsius confessione, cum confessarius propter periculum reuelandi peccatum fictionis teneatur in tali casu testimonium dare.

Resolutio difficultatis.

118. Verùm his non obstantibus, dicendum est cum Vasquez, per huiusmodi confessionem informem incurri pœnas Ecclesiasticas. Fundamentum est: quia potest talis omissio absolutionis innotescere Ecclesiæ, saltem per negationem testimonij de ipsius confessione. Nam potest Ecclesia exigere à fidelibus testimonium suę confessionis. Atqui in tali casu, quo pœnitens fictè confiteretur, non teneretur confessarius dare pœnitenti testimonium suę confessionis: ergo posset in tali casu per negationem testimonij innotescere Ecclesiæ validę confessionis omissio. Maior patet ex vsu & praxi Ecclesię. Minor probatur: nam esto, quando periculum foret, ne fictio pœnitentis in confessione manifestata reuelaretur, deberet confessarius testimonium pœnitenti dare, quod tamen aliqui probabiliter negant, vt ibidem vidimus; quia tamen hoc nonnisi rarissimè accidit, quando nimirum notum est iudici Ecclesiastico, cui ostendendum est testimonium confessionis, quòd talis pœnitens sit tali Sacerdoti confessus, simpliciter dicendum est, posse omissionem validæ confessionis Ecclesię innotescere: ac proinde posse Ecclesiam huiusmodi pœnitentes punire.

119. Ex his patet ad rationes in oppositum adductas: nam licet talis absolutionis omissio non possit per confessorem immediatè Ecclesię innotescere, poterit tamen mediatè per negationem huius testimonij annuę confessionis, quod tenetur pœnitens, posito præcepto, Ecclesiastico iudici ostendere. Ad confirmationem Respondeo, ad summum in eo tantùm casu debere testimonium confessionis fictè confitenti dari, quando notum esset iudici, cui ostendendum esset testimouium, quòd talis pœnitens esset tali Sacerdoti confessus: qui casus, cùm sit rarissimus, communem & ordinariam legem non infringit.

120. Ad fundamentum primæ sententiæ patet ex dictis. Confirmatio quoad primum exemplum nostram potiùs confirmat sententiam. Nam ideo hæreticus externo signo suam hæresim manifestans, excommunicationem incurrit, quia tale signum est per se idoneum ad illam in publico iudicio probandam: cuiusmodi non est omissio actus merè interni. Secundum verò est falsum: quia cùm omissio talis intentionis sit merè interna, non potest cadere sub iudicium Ecclesiæ. Sicut nec posset Ecclesia excommunicare eos, qui in sacro audiendo non haberent internam attentionem.

DISPV-

DISPVTATIO XIX.

De sacramento Extremæ-vnctionis.

Concilia Florent. & Trident.

1. **P**OST Sacramentum pœnitentię disputandum hic est de sacramento Extremæ-vnctionis: tum quia hunc ordinem seruant Cōcilia Florentinum in literis vnionis, & Tridentinū sess. 14. quæ statim post sacramentum Pœnitentiæ agunt de sacramento Extremę-vnctionis: tum quia, vt idem Concilium Tridentinum ibidem testatur, hoc sacramentum non modò est sacramenti Pœnitentiæ completiuum, quia sicut illud peccata, ita hoc peccatorum reliquias abstergit: *Sed & totius Christianæ vitæ, quæ perpetua pœnitentia est, consummatiuum existimatum est à Patribus.* Tum quia ex quinque sacramentis, quę ad singulas dumtaxat personas pertinent, hoc est vltimum, quod propterea extremum, seu exeuntium sacramentum nuncupatur; quia non datur nisi proximè ex hac vita migrāturis. Explicatis igitur quatuor primis sacramentis, quę ad singulas personas spectant, Baptismo, Confirmatione, Eucharistia in præcedente tomo, & pœnitentia in hoc vltimo opere, explicandum superest in hoc eodem postremo totius Theologici Nostri cursus Tomo quintum Extremæ-vnctionis. Nam reliqua duo, Matrimonium, & Ordo non tam ad singulas personas, quàm ad totam communitatem spectant; illud ad corporalem, hoc ad spiritualem propagationem generis humani. De hoc sacramento disputant Scholastici cum Magistro in 4. dist. 23. de quo septem breuiter à nobis disputanda sunt: Primum, an sit verum sacramentum: Secundum, an fuerit à Christo immediatè institutum: Tertium, quæ sit eius materia & forma: Quartum, qui sint eius effectus: Quintum, qui ipsius Minister: Sextum, quod eius subiectum tam remotum, quàm proximum: Septimum, qui ritus, & pręcepta de hoc sacramento seruanda.

Magister.

SECTIO I.

An Extrema-vnctio sit verum Sacramentum?

Error Lutheri & Caluini.

2. **N**Egant Lutherus, & Caluinus, eorumque Asseclæ: quorum ille lib. de captiuitate Babylonica, ita in hoc sacramentum inuehitur: *Si vnquam antea deliratum est, in Extrema-vnctione nunc præcipuè deliratum est. Figmentum est, ex hac Apostoli sententia, si quis infirmatur* &c. *A nobis oportere hominem vngi, cùm non sacramentum, sed figmentum sit.* Hic verò lib. 4. Institutionum cap. 19. negat hanc vnctionem fuisse sacramentum, sed ad solam gratiam curationum pertinuisse, quæ tantùm durauit tempore Apostolorum. Eundem errorem Waldensis tomo 2. de Sacramentis cap. 163. tribuit Wicleffo, in cuius tamen 45. erroribus in Concilio Constantiensi sess. 8. notatis, hic non legitur: sicut nec legitur in erroribus Ioannis Huss discipuli Wicleffi in eodem Concilio sess. 15. de scriptis. Quanquam, vt refert Bellarminus de sacramento Extremæ-vnctionis cap. 1. hunc errorem Wicleffus insinuat in 4. lib. Trialogi cap. 25. vbi negat, hoc sacramentum fuisse à Christo, vel ab Apostolis institutum. Eandem hęresim docuerunt Waldenses, & Albigenses. Potissimum huius erroris fundamentum est, quia nullus est Scripturæ locus, ex quo hoc sacramentum efficaciter colligatur.

Waldensis. Wicleffus. Concilium Constantiense. Huss.

Bellarm.

Heresis Waldensiū est Albigensium.

3. Confirmatur 1. Quia nulla de hoc sacramento fit apud antiquos Patres mentio. Confirmatur 2. Nam hoc sacramentum ponitur non tantùm vt causatiuum salutis animæ, sed etiam corporis: sed non semper causat salutem corporis, vt in plerisque constat, qui hoc sacramento suscepto non conualescunt. Igitur non est verum sacramentum. Consequentia probatur: quia verum sacramentum ex promissione Christi infallibiliter confert suum effectum obicem non ponenti. Nec refert, quòd salus corporis sit effectus secundarius huius sacramenti: nam etiam effectus secundarios sacramenta infallibiliter conferunt, cùm vtrumque effectum contineant ex diuina promissione, quæ frustrari non potest.

4. Confirmatur 3. In quolibet sacramento, vt constat ex præcedente tomo de sacramentis in genere, est rēs tantùm, sacramentum tantùm, res & sacramentum simul: sed in hoc sacramento non potest assignari id, quod est res & sacramentum simul: igitur non est sacramentum.

5. Fides autem catholica est Extremam-Vnctionem esse verum & proprium sacramentum. Quam veritatem expressè definiunt

Extrema-vnctione esse sacr...

mentum fides docet Catholica fides. Concilia Florent. & Trid.

Conciliũ Florent. in Decreto de vnione Armenorũ, vbi assignat materiam, formã, proximum subiectum, effectus, & Ministrum huius sacramenti; & Tridentinum sess. 14 cap. & Canone 1. in quo sub pœna anathematis damnat, qui *dixerit, Extremam-vnctionem non esse verè, & propriè sacramentum à Christo institutum.*

6. Cæterùm duo sunt Scripturæ loca, ex quibus hoc sacramentum probari potest. Alter est Marci 6. vbi de Discipulis ad concionandum à Christo missis, dicitur, quod *vngebant oleo multos ægros, & sanabant.* Alter est Iacobi vltimò: *Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum oleo in nomine Domini: & oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus, & si in peccatis sit, remittentur ei.* Richardus in 4. dist. 2. art. 1. q. 3. Alphonsus à Castro lib. 14. aduersus hæreses verbo *Extrema-vnctio*, Petrus Soto lect. 1. de Extrema-vnctione, Maldonatus in sextum caput Marci, Nugnez 3. p. Tomo 2. q. 29. art. 3. difficult. 2 & alij putant, hoc sacramentum sufficienter probari primò testimonio Marci, interim non negantes, probari etiam, secundò testimonio Iacobi. Vnde consequenter docent, hoc sacramentum fuisse institutum ante resurrectionem Christi.

Marci 6. Iacobi vlt. Vnde colligatur sacramentum Extremæ-vnctionis. Richardus. Alphonsus à Castro. Petrus Soto. Maldonat. Nugnez.

7. Probant primò. Nam hoc indicat Cõcilium Tridentinum sess. 14. cap. 1. dum ait, hoc sacramentum fuisse apud Marcum insinuatum, per Iacobum autem commendatum, & promulgatum. Porrò hoc sacramentum insinuari idem significat, quòd ex ipsius vsu, cuius hoc loco fit mentio, eius institutionem subindicari. Nã insinuari propriè est, ex vno aliud significari. Ergo ex ipsius vsu hic significatur eius institutio, cùm non possit aliud ex eius vsu distinctum significari, quàm ipsius institutio.

Concilium Trident.

8. Secundò hac vnctione vtebantur Apostoli ex præscripto Christi, non tantùm ad salutem corporum; sed præcipuè ad salutem animorum: igitur erat verum sacramentum. Antecedens quoad priorem partem probatur: nam verosimile non est, hanc vnctionem infirmis adhibitam fuisse ex mero arbitrio Apostolorum: quia cùm debuisset tam miraculosos effectus causare, debuisset supernaturalem vim accipere ab ipso Christo: Quod non obscurè in hunc locum indicat Hieronymus his verbis: *Mittuntur deinde 12. Apostoli, & datur eis potestas præcepta docendi, vt comitetur verbum simul, & factum: & cum promissis inuisibilibus visibiles virtutes micent, & cùm vngebant oleo ægros infirmorum fidei virtute corroborant.* Quoad posteriorem verò constat: nam salus corporis dirigebatur ad salutem animæ, quę potissimùm per hæc miracula à Christo intendebatur. Vnde communis Patrum, & Theologorum sententia est, Christum nullum sanasse in corpore, quin etiam sanauerit in anima, vt constat ex infirmo à Christo sanato in probatica piscina Ioannis 5. cui post sanitatem corporis restitutam, *Ecce*, inquit, Christus, *sanus factus es: iam noli peccare, ne deterius tibi contingat.* Idem constat ex cœco illuminato Ioannis 9 quem postquam Christus corporaliter illuminauit in oculis, spiritualiter illuminauit in animo, dum illum induxit ad credendum in filium Dei, & ex paralytico sanato apud Matth. 9. Consequentia verò probatur: nam illa vnctio habebat omnia, quæ ad veram sacramenti naturam requiruntur. Erat enim externa cæremonia ex determinata materia, & forma constans, quam licet Euangelista distinctè non exprimat, illam tamen supponit: præterea, quod ad sacramentum est maximè necessarium, habebat infallibiliter annexam ex diuina promissione salutem animi, quę per Apostolicam vnctionem infallibiliter ægris conferebatur: nam si per illam infallibiliter conferebatur salus corporis, vt ex citato loco colligunt interpretes; quantò magis per eandem infallibiliter conferebatur salus animi, propter quam dabatur salus corporis.

Hieron. Christus nullum sanauit in corpore, quin etiam sanauerit in anima. Ioan. 5. Ioan. 9. Matth. 9.

9. Hæc sententia probabilis est: *probabilior tamen est opposita*, quæ negat ex hoc loco sufficienter hoc sacramentum probari: quam docent Ruardus in explicatione articuli 12. Iansenius in citatum locum Marci, Sotus in 4. dist. 23. q. 1. art. 1. post primam conclu. Bellarminus libro de sacramento Extremę-Vnctionis cap. 2. Henriquez lib. 3. de sacramentis cap. 7. n. 3. Suarez disp. 39. sect. 1. Valentia disp. 8. q. 1. puncto 1. Coninck disp. 19. dub. 1. ad sextum argumentum, & alij. Idque ob duplicem rationem 1. Quia cùm hoc sacramentum, vt Tridentina Synodus ex sententia Patrum docuit, sit consummatiuum sacramenti Pœnitentię, vtrumque enim est per se institutum ad peccatorum remissionem, cumque pœnitentiæ sacramentum, eodem Tridentino teste sess. 14. cap. 1. à Christo institutum sit post suam resurrectionem, quando Ioannis 20. dedit eis potestatem remittendi, ac retinendi peccata: idem quoque probabiliter dicendum erit de sacramento Extremæ-Vnctionis.

Ruardus. Iansenius. Sotus. Bellarm. Henriquez. Suarez. Valentia. Coninck. Tridentina Synodus. Sacramentum hoc est consummatiuum pœnitentiæ sacram. Ioan. 20

10. Secundò. Vnctio illa, qua Marci 6. Apostoli vtebantur ad ægros sanandos, indiscriminatim applicabatur omnibus, tam fidelibus, quàm infidelibus, quin præcipuè instituta fuisse videtur propter infideles, vt hi per miracula, quæ experiebantur in corpore, conuerterentur ad fidem: cùm tamen hoc sacramentum nequeat, nisi solis fidelibus Baptizatis ministrari vt testatur Innocentius I. infrà citandus: Et quamuis potuerit Christus vt author sacramentorum dispensare, vt initio hoc sacramentum non solùm ministraretur ab Apostolis nondum Sacerdotibus consecratis, sed etiam conferretur infidelibus, nondum Baptismali charactere insignitis; nulla tamen est ratio hanc dispensationem asserendi: præsertim cùm citatus locus non vrgeat, vt necessariò intelligi debeat de vnctione sacramentali. Confirmatur: nam tam citata Concilia Florentinum, & Tridentinum, quàm Innocentius primus & tertius, ac plerique

Marci 6. Quibus possit hoc sacramentum ministrari. Innocent. I. Concilia Florent. & Trid.

plerique Patres infrà citandi ad probandum hoc sacramentum vtuntur solo testimonio Iacobi.

11. Ad primum argumentum oppositæ sententiæ dicendum est, idem esse apud Cõcilium, hoc sacramentum fuisse apud Marcum insinuatum, atque adumbratum, seu figuratum, eo modo, quo dicitur Baptismus Christi fuisse insinuatus in Baptismo Ioannis, quia nimirum hic fuit vmbra, & figura illius.

12. Ad secundum concedo, hac vnctione vsos fuisse Apostolos ex præscripto Christi, non tamen per modum sacramenti certa materia, & forma constantis, ad animos immediatè sanctificandos; sed immediatè tantùm ad fidem excitandam, ex quà paulatim per iustificationem peccatorum ad Deum conuerterentur: ad quam iustificationem dirigebantur omnia miracula, quę Christus tam per seipsum, quàm per Apostolos operabatur. Nec aliud probat citatum testimonium Hieronymi.

13. Ad aliam autem partem probationis, cõcedo, sanitatem illam corporũ ordinatam fuisse ad sanitatem animæ, non immediatè, sed mediatè. Immediatè autem ordinabatur ad causandam euidentiam credibilitatis circa mysteria fidei. Negandum igitur est, vnctionem illam habuisse infallibilem promissionem sanitatis animæ; sed ad summum habuisse infallibilem promissionem sanitatis corporis, ad protestandam veritatem fidei circa mysterium Incarnationis, & aduentum veri Messiæ.

Sacramentum Extrema-vnct. probatur ex testimonio S. Iacobi efficaciter. Concilium Florentin. & Trident.

14. Efficaciter igitur hæc veritas probatur 2. testimonio Iacobi, quo tantùm, vt suprà dictum est, vtuntur Concilia Florentinũ, & Tridentinum, ac plerique Patres hoc pacto. Hęc verba Apostoli continent omnia, quæ ad essentiam veri sacramenti sunt necessaria: ergo efficaciter ex hoc loco sacramentum Extremæ-vnctionis probatur. Consequentia constat. Antecedens ostendo. Ad essentiam veri sacramenti requiritur, & sufficit Symbolum externum stabile, certa materia, & forma constans, infallibilem promissionem habens gratiæ sanctificantis. Hæc autẽ omnia continentur in præcitatis verbis Apostoli: ergo in pręcitatis verbis Apostoli continetur tota essentia veri sacramenti. Maior est ipsa sacramenti definitio, quam nec hęretici, vt Bellarminus fatetur citato loco cap. 2. negare audent. Minor probatur: nam vnctio Olei, & oratio Presbyteri facta super infirmum, est Symbolum externum, certa materia, & forma constans. Alleuiatio infirmi est gratia infirmum adiuuans ad molestias morbi, tentationesque peruincendas. Remissio peccatorum est gratia iustificans, qua peccatorum reliquiæ absterguntur. Stabilitas huius sacramenti colligitur ex modo, quo hęc ipsa ab Apostolo promittuntur, nimirum non ad certum tempus, sed absolutè.

Quæ ad essentiam veri sacramẽti requirãtur.

Bellarm.

15. Dices. Vt sacramenta suos effectus conferant, non pendent à fide Ministri: nam etiamsi hic sit hęreticus, modò intentionem habeat faciendi, quòd fecit Christus, sacramentum suo effectu non frustrabitur: vt autẽ hæc vnctio suum effectum conferat, requirit ex sententia Apostoli fidem Ministri, vt colligitur ex illis verbis: *Et oratio fidei saluabit infirmum.* Igitur hęc vnctio non est sacramentum.

Ad sacram. Extrema-vnct. requiritur fides ministri non subiectiua, sed obiectiua.

16. Resp. cum Bellarmino pręcitato loco cap. 3. per orationem fidei hîc nõ intelligi fidem Ministri subiectiuam, sed obiectiuam: quia nimirum oratio, quã adhibet Minister ad hoc sacramentum conficiendum, continet Verbum Dei, & Mysterium fidei, quod saltem obiectiuè debet Minister in mente præhabere, dum hoc sacramentum ministrat.

17. Verùm vt hęretici faciliùs hoc sacramentum negent, negant hanc Iacobi Epistolam, ex qua hoc sacramentum colligitur, esse Canonicam. Sed frustra ad hoc asylum confugiunt, cùm huius epistolę mentionem fecerint plurimi antiqui Patres, qui vnanimi consensu vt Canonicam acceptârunt, quos breuitatis causa omitto: legi autem possunt tũ apud Bellar. loco pręnotato; tum apud Henriq. lib. 3. c. 7. in Commentario sub litera N.

Heretici frustra reiciunt epistolam S. Iacobi.

Bellarm.

Henriquez.

18. Hanc eandem veritatem sua authoritate. Pontificia confirmat Innocentius I. qui floruit anno 402. Hic enim in Epistola ad Decentium Episcopum Eugubinum circa finem docet, hoc sacramentum, in verbis Apostoli Iacobi contentum, ministrare debere Presbyteros ægrotantibus, non quibuscunque, sed Christianis, qui tantùm huius sacramenti capaces sunt. Et paulò post ait, hoc non esse dandum pœnitentibus, quibus cętera sacramenta negantur: *Nam pœnitentibus*, inquit, *illud infundi non potest, quia genus est sacramenti: nam quibus reliqua sacramenta negantur, quomodo vnum genus putatur posse concedi?* quo quid pro hac veritate expressius? vnde hinc maxima apparet Kemnitij impudentia, qui, vt hoc sacramentum negaret, dixit, hanc infirmorum vnctionem non fuisse institutam à Christo, sed à Felice IV. Quod apertum mendacium est, tum quia nonnisi tres extant huius Pontificis Epistolæ, quæ habentur in 2. Tomo Conciliorum p. 1. in quibus ne vestigium quidem huius sacræ vnctionis: tum quia hic Pontifex sedit anno 526. centesimo vigesimo quarto anno post Innocentium I.

Innocent. I.

Kemnitij impudentia.

Felix Papa III.

19. Eadem sua Pontificia authoritate hanc veritatem roborat Innocentius III. capite *Cùm venisset*, de sacrâ vnctione: vbi docet, externam vnctionem interioris inuisibilisque vnctionis signum esse, quæ *si dignè sumatur, vel agit, vel auget, quod designat:* hoc est, vt ego interpretor, vel producit primam gratiam, si fortè illam non inuenit propter aliquod peccatum inuincibiliter oblitum; vel auget, si eam inuenit.

Innoc. III.

20. Eiusdem sacræ vnctionis meminerunt Chrysostomus libro de Sacerdotio, Augustinus serm. 215. de tempore, Author de visitatione

Chrysost.
August.

tione infirmorum lib. 2. cap. 4. qui habetur inter opera Augustini Tomo 9. Beda in 6. caput Marci, Theophilactus in eundem locum: vbi postquam hoc sacramentum ex duplici testimonio Marci, & Iacobi probauit, subdit: *Est igitur Oleum & ad labores vtile, & lucis fomentum, & hilaritatis effectiuum, significatque misericordiam Dei, & gratiam Spiritus, per quam à labore liberamur, & lucem, ac gaudium, hilaritatemque spiritualem accipimus.* Hæc Theophilactus.

Beda. Theophilactus.

21. Authoritati Scripturæ, Conciliorum, & Patrum accedit optima congruentia, ob quam expediens fuit, pro moribundis hoc sacramentum institui: tum vt virtute huius sacramenti infirmi peculiari auxilio iuuarentur ad molestias morbi patienter ferendas: tum vt fortiores fierent ad tentationes eo tempore occurrentes superandas: tum demum, vt si fortè aliqua haberent peccata inuincibiliter ignorata, efficacia huius sacramenti remitterentur.

Refellitur error hæreticorum.

22. Ex dictis patet ad fundamentum hæreticorum. Ad primam verò confirmationem, Falsum est antecedens, vt supra abundè ostensum est. Ad secundam Respondeo, hoc sacramentum non ita à Concilijs,& Patribus poni collatiuum salutis corporis, sicut ponitur collatiuum salutis animi: nam huius ponitur collatiuum absolutè; illius tantùm sub conditione, si fuerit expediens saluti animæ. Ad tertiam Respondeo primò, necessarium non esse, vt in quouis sacramento illa tria reperiantur. Secundò dico, in hoc sacramento, rem tantùm esse gratiam: sacramentum tantùm,esse ipsam externam vnctionem: rem & sacramentum simul, esse spiritualem animi hilaritatem: nam hæc & significatur ab externo Symbolo; & simul significat vlteriorem animi sanctitatem, ad quam causandam hæc spiritualis animi hilaritas ordinatur. Legantur Richardus in 4. dist. 23. art. 1. q. 5. Henriquez lib. 3. cap. 9. n. 2.

SECTIO II.

An hoc sacramentum fuerit immediatè à Christo institutum?

23. NOn defuerunt ex Catholicis, qui putarint, hoc sacramentum, sicut & sacramentum Confirmationis non fuisse immediatè à Christo, sed ab Apostolis institutum: ita Hugo de S. Victore lib. 2. de Sacramentis, quem secuti sunt Magister in 4. dist. 23. Alensis 4. p. q. 8. mem. 2. art. 1. Bonauentura eadem dist. art. 1. quæst. 2. & alij. Fundamentum est: quoniam apud nullum Euangelistam fit huius sacramenti mentio: nam vnctio illa ægrorum, cuius meminit Marcus cap. 6. non fuit, vt præcedente sectione vidimus, sacramentalis; sed figura tantùm huius sacramenti, immediatè ordinata ad miracula facienda in fidei protestationem. At probabile non est, nullum Euangelistam huius sacramenti mentionem fecisse, si illud à Christo institutum fuisset: nam sicut aliorum sacramentorum, ita & huius mentionem fecissent, si à Christo institutum fuisset. Confirmatur: quia cùm sacramenta sint prima fundamenta, & basis, cui tota Christiana religio innititur, quàm maximè debuerunt ab Euangelistis narrari.

Hugo de S. Victore. Magister. Alensis. Bonauent.

Marc. 6.

24. Verùm indubitata fide tenendum est, hoc sacramentum fuisse à Christo immediatè institutum. Quam veritatem definit Concilium Tridentinum sess. 7. de Sacramentis in genere Canone 1. & sess. 14. de Sacramento Extremæ-vnctionis Canone 1. in quo sub pœna anathematis damnat, *quicunque dixerit, Extremam-vnctionem non esse verè, & propriè sacramentum, à Christo Domino nostro institutum, & à B. Iacobo Apostolo promulgatum.* Et quamuis Concilium in definienda hac veritate non vtatur particula *Immediatè*; ex ipsius tamen verbis manifestè colligitur. Etenim dum ait, hoc sacramentum fuisse à B. Iacobo promulgatum, apertè ostendit, non fuisse ab ipso institutum. Nam si ab aliquo Apostolo fuisset institutum, maximè ab Apostolo Iacobo, qui solus in sua Canonica huius sacramenti mẽtionem facit. Ergo dum hunc Concilium excludit, à fortiori excludit etiam reliquos Apostolos.

Sacramentum Extrem. vnct. fuit à Christo immediatè institutum. Concilium Trident.

25. Probatur secundò hæc veritas ex ipsa remissione peccatorum, quæ per eundem Apostolum nomine ipsius Dei huic sacræ Vnctioni promittitur: *Et si in peccatis sit, remittentur ei.* Instituere autem Symbolum peccatorum remissiuum, est proprium Dei, qui solus vt causa principalis, & authoritatiua potest peccata remittere. Et licèt potuerit Christus Apostolis facultatem concedere, vt ad quodcunque signum ab ipsis institutum, peccatorum remissionem ipse conferret, id tamen minimè decuit: tum quia id in reliquis sacramentis Christus non fecit: tum quia sicut solus Christus fuit immediatus fundator Ecclesiæ; ita decuit, vt esset immediatus author omnium sacramentorum, quæ, vt dictum est, sunt prima Ecclesiæ fundamenta. Confirmatur: quia si debuisset hæc potestas alicui Apostolo concedi, potiùs concedi debuisset Petro, tanquam supremo, ac Generali Christi Vicario.

26. At dicet quis, remissionem peccatorum non esse in his verbis Apostoli promissam infallibiliter; sed tantùm per modum deprecationis, sicut promittitur corporis sanitas. Sed contrà: tum quia ex modo, quo peccatorum remissio promittitur absolutè, & sine vlla conditione, apertè significatur, illam promitti infallibiliter nomine Dei: tum quia diuersa est ratio de sanitate corporis, quæ non semper expedit infirmo, sicut semper expedit salus animi, & remissio peccatorum. Vnde illa sub conditione tacitè subintellecta,

Praecluditur euasio.

intellecta, *si infirmo expediens fuerit*; hæc absolutè promittitur.

27. Superest autem inuestigandum, quando fuerit hoc sacramentum institutum. Qui hoc sacramentum colligunt ex citato loco Marci, facilè ab hac difficultate se expediunt, dicentes, illud institutum fuisse ante Passionem Christi, quando Apostolos ad prædicandum misit cum potestate sanandi infirmos per sacram olei vnctionem, per eamque animos etiam à peccatis curandi. Quod inter alios expressè docet Nugnez suprà citatus.

Nugnez.

28. Verùm, cùm nos præcedente sectione oppositam sententiam tanquam probabiliorem secuti simus nempè quòd nequeat ex hoc loco sacramentum Extremæ-vnctionis colligi, dicere consequenter non possumus, hoc sacramentum institutum fuisse à Christo, quando suos Apostolos ad prædicandum misit. Quare probabile est, non fuisse hoc sacramentum à Christo institutum ante suam resurrectionem. Ratio esse potest: quia cùm hoc sacramentum supponat in Ministro potestatem remittendi peccata, & in ipsius materia consecrandi Episcopalem Benedictionem, vt sequenti sectione ostendam, tumque potestatem remittendi peccata Apostolis Christus contulerit post suam resurrectionem, Ioannis 20. illis verbis: *Quorum remiseritis peccata* &c. Satis probabile est, ante hoc tempus hoc sacramentum institutum non fuisse. Confirmatur: nam hoc sacramentum est, vt Tridentinum testaur, consummatiuum sacramenti pœnitentiæ: igitur probabile est, vnà cum illo, & consequenter ad illud institutum fuisse. Nec refert, quòd Christus potuerit hoc sacramentum ante suam passionem instituere, & cum Apostolis dispensare, vt nondum Sacerdotes consecrati potuissent hoc sacramentum ministrare: quia cùm nulla cogat necessitas hanc dispensationem admittendi, asserenda non est.

Ioann. 20.

Cōcil. Tridentinum. Sacrament. Extrem. vnct. est cōsummatiuū sacram. pœnit.

29. Ad fundamentum oppositæ sententiæ, dicendum est cum Sancto Thoma quæstione 29. in additione ad 3. partem, Articulo 3. ad 1. non fuisse necessarium ab Euangelistis huius sacramenti mentionem fieri: quia ab Euangelistis solùm narrantur, quæ vel sunt ad salutem necessaria, vel ad Ecclesiæ dispositionem, seu distinctionem à reliquis sectis faciunt. Hoc autem sacramentum neque est ad salutem necessarium, neque ad Ecclesiæ distinctionem facit, cùm sufficienter distinguatur per alia sacramenta, quæ vel sunt necessaria vnicuique vt sunt Baptismus, Eucharistia & pœnitentia, nam de Confirmatione est eadem ratio, ac de Extrema-vnctione; vel toti communitati, vt sacramenta Ordinis & Matrimonij. Hoc autem sacramentum neque est ad salutem necessarium, neque ad Ecclesiæ distinctionem facit.

S. Thomas

30. Confirmatur: nam neque materia, & forma sacramenti ordinis habentur apud Euangelistas, cùm tamen hæ tanquam à Christo institutæ accepte ntur ab Ecclesia. Multa quippe sunt, quæ Christus oretenus per Apostolos tradidit Ecclesiæ, vt colligitur ex 1. Actor. vbi dicitur Christus per quadraginta dies apparuisse Discipulis, & cum eis conuescens locutus fuisse de Regno Dei, videlicet non Triumphantis tantùm Ecclesiæ, sed etiam, & quidem potissimùm militantis: instruens, & erudiens eos de omnibus ad Ecclesiæ gubernationem pertinentibus.

Actor. 1.

SECTIO III.

Quænam sit huius sacramenti Materia?

31. HOc sacramentum, sicut & cætera Euangelica, constare debet materia, & forma determinata, vt Concilium Florentinum de omnibus nouæ legis sacramentis prænotato loco definit, ea nimirum tribus perfici, *Videlicet rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & Persona Ministri conferentis sacramentum cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia.* Hoc ergo posito, quæritur hic quænam sit huius sacramenti Materia, infrà disputaturi de forma.

Concil. Florentinum.

32. Et sanè apud omnes Catholicos, qui hoc sacramentum admittunt, indubitatum est, materiam remotam sufficientem huius sacramenti esse oleum oliuarum, quod & Apostolus Iacobus in sua Canonica indicat, & Concilia Florentinum in decreto de vnione Armenorum, & Tridentinum sessione 14. cap. 1. de Extrema-Vnctione definiunt. Et licet apud B. Iacobum non exprimatur, nisi oleum, hoc tamen vi communis locutionis intelligitur oleum commune, & vsuale, quod est solum oleum oliuarum. Quemadmodum cùm dicitur Materia Eucharistiæ esse panis, & vinum, & materia Baptismi aqua, intelligitur vi communis significationis panis triticeus, vinum ex vite, & aqua elementaris, quæ tantum sunt communia, & vsualia. Vnde Florentinum expressè in suo decreto definit, *esse oleum oliuæ.* Rationem verò congruentiæ huius institutionis assignat Theophilactus in 6. caput Marci: Quia *sicut*, inquit, *oleum & ad labores vtile, & lucis fomentum, & hilaritatis est effectiuum; ita & Dei misericordiam, & gratiam sancti Spiritus, per quam à labore liberamur, & lucem & gaudium, hilaritatemq́ Spiritualem, quam accipimus, significat.* Nam proportionales effectus hoc sacramentum causat in anima, quos in corpore causat oleum.

S. Iacob. in Canone. Concil. Florent. & Trident.

Theophil.

33. Secundò certum etiam est, simplex duntaxat oleum, sine vlla mixtura alterius liquoris, esse materiam idoneam huius sacramenti. Quod non obscurè colligitur ex verbis Apostoli, in quibus sola mentio fit olei: & declarat praxis ipsa Ecclesiæ, quæ in distinctis vasis asseruat materiam Extremæ-vnctionis, & Confirmationis, eò, quòd illa sit oleum simplex, hoc Balsamo mixtum. Et licet in distincto etiam vase asseruet oleum Catechumenorum, quod etiam est simplex absque vlla mixtura: id tamen facit propter distinctas benedictiones, quibus vtrumque oleum ab Episcopo consecratur, vt constat ex Pontificali Romano. Cæterùm si quando Pontifices, vel Concilia materiam huius sacramenti appellant chrisma, pro chrismate intelligunt simplicem vnctionem: Chrisma enim Græcè, Latinè vnctionem significat, à verbo χρίω, quod est vngo. Vnde in Pontificali Romano in Benedictione olei infirmorum, simplex oleum appellatur Chrisma: *Vt sit*, inquit, *Chrisma tuum perfectum Domine nobis*.

34. Verùm dubitatur: an saltem oleum Balsamo mixtum, sit valida materia huius sacramenti. Negant aliqui: Dubitant alij: Affirmant alij, inter quos est Suarez disp. 40. sectione 1. numero 10. Et Henriquez libro 3. capite 8. numero 2. *Quod probabilius est*, modò per talem mixtionem olei natura, vel ipsius communis vsus non corrumpatur. Sicut enim mixtio aquæ, vel alterius liquoris vini naturam non corrumpentis, materiam Calicis non tollit: ita nec mixtio Balsami, alteriúsve liquoris olei naturam non corrumpentis, materiam Extremæ-Vnctionis tollet.

Probabilius est oleum Balsamo mixtũ esse validã huius sacram. materiam. Suarez. Henriquez.

35. Ex quo deducitur contra Laymann tract. 8. capite 2. numero 3. in casu, in quo non possit haberi simplex oleum, posse Sacerdotem ad hoc sacramentum conficiendum vti Chrismate, vt docet Suarez loco præcitato, Numero 11. sicut etiam vti potest oleo veteri anni præcedentis, si non suppetat nouum benedictum: nam vtilitas quam hoc sacramentum affert infirmo, præferenda est.

Laymann.

In casu necessitatis potest loco olei Sacerdos vti Chrismate. Suarez.

36. Tertiò certum etiam est, proximam materiam huius sacramenti esse vnctionem, quod & nomen ipsum apertè ostendit, & Apostolus Iacobus in sua Epistola expressit, dum dixit, *Vngentes eum oleo*, & Concilia Florentinum, & Tridentinum, citatis locis definiunt. Vnde malè aliqui apud Bonauenturam in 4. distinctione 23. atticulo 1. quæstione 3. in corpore dixerunt, sacramentum hoc consistere in oleo ab Episcopo benedicto, vnctionemque non esse materiam, sed applicationem huius sacramenti, sicut comestio non est materia, sed applicatio sacramenti Eucharistiæ. Ratio verò est: quia hoc sacramentum consistit in ipso vsu, & applicatione materiæ, non secus ac Baptismus, Confirmatio, & cætera sacramenta, præter Eucharistiam, quæ sola est permanens. His vt certis positis, duæ supersunt difficultates: Altera est: an oleum, quod est materia remota huius sacramenti, debeat ad validitatem sacramenti esse ab Episcopo Benedictum? Altera: an vna tantùm vnctio facta in corpore infirmi sufficiat ad essentiam huius sacramenti? De priori difficultate in hac sectione, de posteriori in sequenti disputabitur.

Proxima materia huius sacramẽti est vnctio.

Concil. Florentin. & Trident.

37. PRIMA sententia negat, huiusmodi benedictionem esse de essentia sacramenti, sed tantùm de præcepto: est Victoriæ in summa de sacramentis, Emmanuelis Sà verbo *Extrema-vnctio* in antiqua impressione Coloniensi anni 1599. quæ postea mutata est in impressione Antuerpiensi anni 1622. De hac opinione dubius est Caietanus 3. p. quæstione 72. articul. 3. vbi tantùm loquitur de materia Confirmationis, sed eadem est ratio de materia Extremæ-vnctionis.

Negant benedictionem olei esse de essentia sacram. Victoria Emmanuel Sà Caietanus.

38. Potissimum huius sententiæ fundamentum est, quoniam id ex præcitato loco Iacobi, in quo hoc sacramentum promulgatur, non colligitur: nam sola ibi mentio fit olei: quidquid autem pertinet ad essentiam sacramenti, debet in sacris oraculis contineri, cùm eiusdem Authoris sit sacramenta instituere, & essentialia sacramentorum præscribere. Nec rectè aliqui hanc Episcopalem Benedictionem colligunt ex illis verbis, *In nomine Domini*; nam hæc non important præuiam aliquam materię benedictionem; sed solùm designant Deum causam principalem, virtute cuius hoc sacramentum operatur, vt constat de sacramento Baptismi, cuius verba *In nomine Patris* &c. non denotant præuiam aliquam aquę sanctificationem, sed virtutem Diuinam vt Principalem causam sacramenti.

39. Nec obstat, quòd semper Concilia materiam huius sacramenti assignent oleum ab Episcopo Benedictum: nam Concilia explicari possunt de necessitate duntaxat præcepti: quemadmodum eadem Concilia materiam calicis assignant vinum aqua mixtum, cùm tamen aquę mixtio non sit de necessitate sacramenti, sed præcepti. Confirmatur: nam si hęc benedictio materiæ requireretur, maximè requireretur in materia Eucharistiæ, quę est sacramentum omnium augustissimum: Atqui in hac non requiritur, ergo in nullius alterius materia.

40. SECVNDA sententia communis, quam omnes scholastici cum Magistro in 4. di. 23. docent, affirmat, Episcopi benedictionem essentialiter requiri ad naturam huius sacramenti, sine qua irritum esset sacramentum. Antiquioribus scholasticis consentiunt recẽtiores Theologi, præter duos pro prima sententia citatos, quorum tamen alter sententiam mutauit. Quin oppositam sententiam

Affirmant Magister Scholastici.

Censura erroris à Suarez & Nugnez. Haec sententia probabilior est prima.

ciam noster Suarez disp. 40. sectione 1. num. 6. appellat ad minimum *temerariam*, Nugnez 3. p. tom. 2. quaest. 29. art. 6. diffinit. vnica concl. 1. *Fortè temerariam*: ego verò à Censuris abstineo, solumque assero, hanc sententiam esse longè *probabiliorem*.

41. Vnicum, idque efficax fundamentum desumitur ex Concilijs, & Patribus. *Concil. Florentin. & Tridentin.* Nam tam Concilium Florentinum, & Tridentinum, dum materiam huius sacramenti assignant, expressè aiunt, esse oleum ab Episcopo benedictum, quàm suprà citati Pontifices, & Patres, dum mentionem faciunt huius sacramenti apertè dicunt, oleum ab Episcopo consecratum esse materiam ipsius. *Innocent. I.* Vnde Innocentius primus, praenotata Epistola ad Decentium de sacra vnctione loquens, *solius Episcopi*, ait, *esse Chrisma conficere*. Idem testatur *Innoc. III.* Innocentius tertius, capite *cum venisset* de sacra Vnctione. Chrisma autem apud hos Pontifices vel idem est quod oleum benedictum: vel certè eadem est ratio de Chrismate ex oleo, & balsamo confecto, quae est Materia sacramenti Confirmationis. *Beda.* Idem habet Beda in 6. Marci: *Vnde patet*, inquit, *ab ipsis Apostolis hunc sanctae Ecclesiae morem esse traditum, vt energumeni, vel alij quilibet aegroti vngantur oleo, Pontificali benedictione consecrato.*

42. Ad fundamentum oppositę sententiae, concedo, hanc Episcopi benedictionem non haberi ex scriptura; haberi tamen ex Apostolica traditione, quam citata Concilia supponunt: sicut nec omnium ordinum materia habetur ex scriptura, sed ex traditione. Caeterùm nego, Concilia explicari posse de sola necessitate praecepti: tum quia distinctè, & expressè materiam huius sacramenti contra haereticos assignant: tum quia dum materiam huius sacramenti assignant, in recto assignant oleum ab Episcopo benedictum. Contrà verò, cùm materiam calicis assignant, in recto non assignant vinum aqua mixtum, sed vinum, *cui*, inquit, Florentinum, *modicissima aqua admisceri debet*: *Concil. Florentin & Tridentin.* Tridentinum verò sess. 22. cap. 7. expressè ait, praeceptum tantùm esse Ecclesiae, *vt Sacerdotes aquam vinò in calice offerendo misceant.*

43. Nec est eadem ratio de materia Baptismi, & Eucharistiae: nam illa ob summam necessitatem, quam non habet sacramentum Extremae-vnctionis, non debuit esse consecrata, ne defectu consecrantis saepè homo priuaretur aeterna salute: haec verò cùm consistat in ipsa materiae consecratione multò minùs debuit praeconsecrari: nam quae maior consecratio, quàm immediatè vniri corpori, & sanguini Christi Domini? quorum coniunctione altiori modo consecrantur species panis, & vini.

44. Verùm adhuc superest inter Doctores non leuis controuersia: an saltem possit summus Pontifex dispensare, vt oleum à simplici Sacerdote benedictum sit apta materia huius sacramenti. *Affirman: Henriquez Valentia Sotus Nugnez Scotus.* Affirmant Henriquez libro 3. capite 8. numero 2. Valentia disputatione 8. quaestione 1. pun. 2. sub dubio asserit Sotus in 4. distinctione 2. quaestione 1. articulo 3. Probabile putat Nugnez 3. p. tom. 2. quaestione 29. articulo 6. diffic. vnica concl. 2. Idem colligitur ex Scoto in 4. distinctione 7. quęstione 1. & Caietano 3. p. quaestione 72. articulo 3. qui, dum id affirmant de chrismate materia confirmationis, idem dicerent de oleo materia Extremae-vnctionis. Probatur autem haec sententia 1. Potest summus Pontifex dispensare, vt simplex Sacerdos conferat sacramentum confirmationis, vt constat ex ijs, quae docuimus praecedente tomo de sacramento Confirmationis: ergo à fortiori dispensare poterit, vt simplex Sacerdos benedicat oleum infirmorum. 2. Qui potest maius, potest & minus. Atqui potest Sacerdos hostiam consecrare, quod est maius: ergo & oleum infirmorum benedicere. 3. Potest summus Pontifex simplici Sacerdoti committere benedictionem calicis, altaris, Ecclesiae, virginum, ergo & benedictionem olei infirmorum. 4. Haec benedictio est aliquid sacramentale: qui autem potest sacramentum conficere, potest & illius sacramentale. Atqui potest simplex Sacerdos hoc sacramentum conficere; ergo & eius sacramentale.

45. Negant verò, & quidem *probabilius* Bellarminus libro de sacramento Extremae-vnctio capite 7. Suarez disputatione 40. sectione 1. Coninck disputatione 19. dub. 2. Laymann tract. 8. de Extrema-vnctione cap. 2. num. 1. Filliucius tract. 5. cap. 4. numero 72, Nugnez, qui quamuis oppositam sententiam iudicet probabilem, hanc tamen sequitur vt probabiliorem. *Bellarmin. Suarez. Coninck Laymann Filliucius Nugnez.* Fundamentum huius sententiae est: nam eadem Concilia, quae definiunt, materiam huius sacramenti esse oleum ab Episcopo benedictum, simul probant, non posse ab alio, quàm ab Episcopo validè benedici. Quia cùm absolutè & absque vlla limitatione hoc asserunt, nullum relinquunt fundamentum contrarium opinandi. Dicere autem, quòd Concilia solùm definiant materiam, quae de facto ex vsu, & praxi Ecclesiae huic sacramento supponitur, est Conciliorum authoritatem eneruare ad materiam huius sacramenti stabiliendam. Nam pari ratione quis dicet, cùm Concilia definiunt, materiam huius sacramenti esse oleum benedictum, non definire materiam, quae essentialiter ad hoc sacramentum requiritur, sed qua de facto Ecclesia vtitur: & sic tolleretur omnis benedictio tanquam aliquid essentialiter requisitum ex parte materiae, quod nullus cordatus Theologus admittit. Confirmatur: nam dũ Concilia huius sacramenti materiam tradunt, non dicunt, illam ordinariè esse oleum ab Episcopo benedictum, vti dicunt,

cùm assignant ministrum sacramenti Confirmationis, sed absolutè pronuntiant, esse oleum ab Episcopo benedictum: quod non leue argumentum est, in secundum dispensationem cadere posse, non autem in primum.

46. Vnde ad primum oppositæ sententiæ patet ex proxima Confirmatione: quia quando Concilia assignant ministrum sacramenti Confirmationis, non dicunt absolutè, ministrum huius sacramenti esse Episcopum, sed addunt, *ordinarium*, vt significent, extraordinarium posse esse alium ab Episcopo. Cùm verò assignant materiam Extremæ-vnctionis, non dicunt, *ordinariè*, sed absolutè esse oleum ab Episcopo benedictū. Præterea in ministro sacramenti Confirmationis est aliquando in Ecclesia Dei dispensatum, vt præcedente tomo de sacramento Confirmationis notauimus: in materia autē Extremę-vnctionis nunquam legitur fuisse dispensatum, vt vel in oleo non benedicto, vel benedicto tantùm à simplici Sacerdote fuisse hoc sacramentum confectum. Quod autem semper fuit in Ecclesia seruatum, habetur pro re indispensabili.

Quando qui potest maius, potest & minus.

47. Ad secundum negatur Maior. Etenim in ijs, quæ pendent à sola voluntate institutoris, hoc argumentum non valet, qui potest maius, potest & minus, nisi quando minor potestas includitur in maiori: quod in proposito casu non est: nam potestas consecrandi oleum infirmorum per se non includitur in potestate conficiendi Corpus, & Sanguinem Christi Domini, cùm sint potestates disparatæ, & ordinatæ ad diuersa munia.

48. Ad tertium negatur consequentia: nam quoad priora legitur aliquando fuisse dispensatum, non autem quoad posterius: & quia res hæc pendet ex vsu, & traditione Ecclesiæ, ideo quoad priora dicimus posse à summo Pontifice dispensari, quia aliquando dispensatum est: non autem quoad posterius: quia in tanta temporum diuturnitate, & occurrentium occasionum varietate aliquando dispensatum fuisset, si dispensari posset.

49. Ad quartum neganda est consequētia: quoniam in responsione ad secundum dictum est, in ijs quæ pendent ex mera voluntate institutoris, non valet argumentum à concessione maioris potestatis ad minorem: cùm possit quis concedere potestatem maiorem, & negare minorem: nisi quando potestas minor per se includitur in maiori.

In nullo casu ministrandum est hoc sacramentum in oleo non benedicto ab Episcopo.

50. Ex dictis sequitur, in nullo casu ministrandum esse hoc sacramentum in oleo ab Episcopo non benedicto. Ratio: quia cùm hæc benedictio essentialiter requiratur; cumque in nullo casu ministrandum sit sacramentum absque aliquo essentialiter requisito, sequitur, in nullo casu hoc sacramentum esse ministrandum in oleo ab Episcopo non benedicto. Et esto supponatur, oleum à simplici tantùm Sacerdote benedictum, esse valida materia huius sacramenti, hoc tamen intelligitur ex dispensatione summi Pontificis sine qua, etiam in aduersariorum sententia, inualida esset omnis simplicis Sacerdotis benedictio.

Quæ Episcopi benedictio requiratur & sufficiat.

51. Sed petes, quænam Episcopi benedictio requiratur, & sufficiat ad sacramenti validitatem. Respondeo cum communi sententia Doctorum, non requiri benedictionem certo ritu, & forma verborum factam; sed quocunque modò fiat, modò ab Episcopo fiat, validam esse ad sacramentum conficiendum. Potuit enim Christus requirere Episcopi benedictionem ad materiam huius sacramenti quoad substantiam tantū: modum autem benedicendi relinquere Ecclesiæ: idque traditione constat. Vnde speciales benedictiones, quæ in Pontificali Romano tam pro materia huius sacramenti quàm sacramenti Confirmationis, nec non olei catechumenorum assignantur, non sunt à Christo, sed ab Ecclesia determinatæ. Ex quo sequitur, oleum catechumenorū, quod diuersa benedictione ab Episcopo consecratur, esse sufficientem materiam huius sacramenti: cùm non discriminetur, nisi in diuersa benedictione, quæ non variat essentialiter materiam. Quanquam id sine vrgente necessitate fieri non licet, propter Ecclesię consuetudinem, quæ quoad fieri potest in materia sacramentorum, in omnibus seruanda est.

Oleum catechumenorū est sufficiens materia huius sacram.

SECTIO IV.

Quot vnctiones sufficiant ad hoc sacramentum perficiendum?

52. POtissima ratio dubitandi desumitur ex Concilio Florentino in decreto de vnione Armenorum, vbi septem assignantur Vnctiones. *In oculis propter visum, in auribus propter auditum, in naribus propter odoratum, in ore propter gustum, vel locutionem, in manibus propter tactum, in pedibus propter gressum, in renibus propter delectationem ibidem vigentem.*

53. In oppositum verò est: quia non omnes istæ vnctiones sunt de essentia sacramenti: nam saltem vnctio renum propter modestiam non est adhibenda fœminis, vt monet Rituale Romanum Pauli V. quin neque vnctio pedum propter eandem modestiam adhiberi solet Monialibus, & Monachis. Vt autem in hac controuersia certa ab incertis seiungamus.

Rituale Romanum.

54. Supponendum est primò tanquam certum ex vsu, & praxi Ecclesiæ non omnes has septem vnctiones requiri ad validitatem sacramenti: nam saltem duæ vltimæ omitti solent in fœminis.

55. Suppo-

55. Supponendum 2. neque esse necessarium vtrumque organum inungi, sed sat esse, si vnum tantùm inungatur, exempli causa, vnus oculus, vna auris, vna manus &c.

56. Supponendum 3. non esse in his vnctionibus necessariò seruandum ordinem in Concilio descriptum, vt priùs inungantur oculi, quàm aures, & reliqui sensus; sed posse à quolibet sensu inchoari, & finiri vnctionem.

57. Supponendum 4. neque ad validitatem sacramenti esse necessarium, vt sensus infirmi inungantur in formam Crucis, sed posse simpliciter tantùm inungi. An autem hæc in formam Crucis inunctio sit necessaria in sacramento confirmationis constat ex ijs, quæ disputata sunt de sacramento confirmationis tomo præcedente, disputatione 13.

58. Quin neque est necessarium, vt vnctio immediatè fiat ipsa manu Sacerdotis, sed sufficicit, si immediatè virga aliqua lignea, vel argentea, qua Sacerdos infirmum procul vngat, vt docent rectissimè Syluius, & Chapeauilla apud Dianam tract. 4. de sacramentis resol. 162. quo ritu vngendi infirmos vtuntur in Belgio grassante peste.

Syluius Chapeauilla.

59. Cæterum hæc non ideo dicuntur, vt passim absque vlla necessitate ea in praxim redigi liceat. Nam si nulla vrgeat necessitas, seruandus est ritus, quem in hoc sacramento seruat Ecclesia Romana, vel certè illa, sub cuius ditione est infirmus; sed tantùm vt dignoscamus essentialia à non essentialibus huius sacramenti, vt si fortè vrgente necessitate adhibere non possimus, quæ sunt accidentalia; saltem ne omittamus, quæ sunt essentialia. Quando verò neque ea, quæ sunt essentialia, adhibere valemus, nullo pacto attentandum est hoc sacramentum, cùm nunquam licitum sit inualidum sacramentum attentare, cùm hoc redundet in iniuriam, & irreuerentiam sacramenti. His ergo vt certis, aut fere certis suppositis, tres supersunt in hac controuersia probabiles examinandæ sententiæ.

60. PRIMA sententia docet, vnicam sufficere vnctionem in quauis corporis parte, sub vna tantùm forma exprimente omnes corporis sensus. Hanc tradunt idem Syluius & Chapeauilla apud Dianam supra citatum resol. 168. nec non noster Becanus de sacramentis cap. 27. quæst. 3. & 7. Quam sententiam non improbant Suarez disp. 40. sect. 2. num. 8. Coninck disp. 19. dub 3 & Laymann tract. 8. cap. 3 num. 3. eamque approbant tota Vniuersitas Louaniensis anno 1588. attestante, & simul approbante Octauio Tricharicensi Nuntio Apostolico in Germania apud eundem Dianam. Quin expressè illam grassante peste proponit, & consulit duplex Pastorale Mechliniense de sacramento Vnctionis Canone 9. & Passauiense Canone 11. his verbis: *In morbis contagiosis, & peste grassante, vt periculum vitetur, sufficit inungi sensus Organum magis ad Vnctionem expositum, & detectum, dicendo: per istam sanctam Vnctionē, & suam pijssimam misericordiam, indulgeat tibi Deus, quidquid deliquisti per visum, auditum, odoratum, gustum, tactum, & gressum.* Hæc citata pastoralia, quæ simul monent, preces, quæ præmittendæ, vel subiungendæ forent, legi posse in Ecclesia coram Venerabili sacramento. Cùm igitur sensus magis expositus, ac detectus sit tactus, qui per totum corpus diffunditur; apertè sequitur, Vnctionem, cuicunque parti corporis adhibitam, esse in hac sententia sufficientem ad sacramenti validitatem.

Syluius Chapeauilla. Becanus Suarez. Coninck Laymann Vniuersitas Louanien. Octauius Tricharien. Pastorale Mechliniense & Passauiense.

61. Probatur autem hæc sententia 1. Quoniam ex Verbis Apostoli non colligitur, nisi quod debeat infirmus inungi: sed per quamcunque Vnctionem, cuicunque parti corporis adhibitam, homo verè dicitur inunctus: sicut per quamcunque ablutionem cuicunque parti corporis adhibitam dicitur ablutus. Confirmatur: nam sicut ex illis verbis Matthæi vltimo: *Baptizantes eos*, non colligitur, nisi vna ablutio ad validitatem Baptismi necessaria: ita ex illis verbis: *Vngentes eum*, colligi non debet, nisi vna vnctio ad validitatē Extremæ-vnctionis necessaria: cum vtrobique sit eadem forma, & tenor verborum.

Matth. vltimo.

62. Neque hæc multiplex vnctio colligi potest ex vsu, & praxi Ecclesiæ: nam vsus Ecclesiæ solùm ostendit, quid in praxi debeat fieri, quando nulla vrget necessitas, siue id necessarium sit necessitate sacramenti, siue præcepti: non autem declarat, quę sint essentialia, sine quibus non fieret sacramentum. Neque etiam dici potest, hanc multiplicem vnctionē colligi ex Florentino, in quo pro materia huius sacramenti septem assignantur vnctiones: quia cùm in omnium fere sententia duæ vltimæ, quę fiunt in renibus, & pedibus non sint necessariæ, dici non potest, quòd saltem reliquæ quinque sint necessariæ: cùm non sit maior ratio de reliquis quinque, ac duabus vltimis. Vnde Tridentinum sess. 14. cap. 1. nullum certum numerum vnctionum pro materia huius sacramenti assignauit; sed solùm dixit, huius sacramenti *materiam esse oleum ab Episcopo benedictum: nam vnctio,* inquit, *aptissimè Spiritus sancti gratiam, qua inuisibiliter anima ægrotantis inungitur, repræsentat.* Nullus igitur certus vnctionum numerus potest ex Concilijs colligi.

Cōcil. Tridentinum.

63. Probatur 2. nam vero simile non est, Ecclesiam Romanam, quæ est Magistra veritatis, permittere, vt Ecclesiæ particulares hanc sententiam non modò doceant, sed etiam in praxi seruent, & in suis Ritualibus tanquam Canonicam regulam ab omnibus seruandam proponant, si existimaret, illam esse falsam, & contra sacramenti validitatem: cùm ad ipsam spectat corrigere er-

Clemens 8.

tores Ecclesiarum particularium: ita Clemens VIII. anno 1601. die 19. Iulij correxit errorem, qui alicubi inualuerat de absolutione per literas absenti impendenda.

64. Probatur 3. Multi Doctores probabiliter affirmant, in singulis vnctionibus conferri gratiam sacramentalem, etiamsi non fiat integrum sacramentum, quod solùm consurgit ex omnibus vnctionibus. Sicut per quamlibet speciem Eucharistiæ confertur gratia sacramentalis, esto integrum sacramentum non consurgat nisi ex vtraque specie simul. Ergo poterit in casu necessitatis vna tantùm vnctio adhiberi, quæ gratiam sacramentalem conferat, sitque verum sacramentum, licet non integrum. Neque vlla iniuria fit sacramento; quod non integrè perficiatur: sicut nulla iniuria fit eidem met sacramento, omittendo duas vltimas vnctiones renum, & pedum, quibus etiam integratur hoc sacramentum. Neque hinc inferas, etiam in casu necessitatis ad ægrotum communicandum, posse vnam tantum speciem consecrari: nam hoc non tantùm est sacramentum, sed etiam sacrificium in Dei cultum ordinatum. Sacrificium autem necessariò vtrã que speciem postulat. At verò Extrema-vnctio est tantùm sacramentum per se solum ordinatum ad salutem, & subleuamen fidelium infirmorum. Vnde nulla fit illi iniuria, si in casu necessitatis ad subueniendum infirmo in vna tantùm vnctione ministretur.

65. Secunda sententia affirmat, ad validitatem huius sacramenti necessarias esse quinque ad minimum vnctiones, in oculis, auribus, naribus, ore, manibus; omnes tamen vnctiones adhiberi posse sub vna tantùm forma æquiualente omnibus formis partialibus: vt si quis vngendo oculum, aurem, narem, os, manum dicat: *Per istas sanctas vnctiones, & pijssimam misericordiam indulgeat tibi Deus, quidquid per visum, auditum, gustum, & tactum deliquisti.* Hanc sententiam docent Coninck suprà citatus, Laymann tract. 8. cap. 4. num. 3. Diana loco suprà notato & alij: Nec illam improbat Suarez, imò docet saltem sub conditione hoc ritu sacramentum esse ministrandum vrgente necessitate disp. 41. s. 3.

Coninck Layman Diana Suarez.

66. Fundamentum huius sententiæ est: quia talis forma æquiualet omnibus formis partialibus, cùm in sua significatione complectatur quidquid singulæ exprimunt. Nec est eadem ratio de formis partialibus Eucharistiæ, & Ordinis: nam per singulas formas partiales Eucharistiæ debent exprimi distincti termini, qui per se vi verborũ fiunt præsentes sub speciebus Eucharisticis. Per formas autem partiales ordinis exprimendæ sunt diuersæ potestates, quæ in collatione vnius cuiusque ordinis conferuntur. In sacramento verò Extremæ-vnctionis nõ sunt nisi explicanda peccata quæ per singulos sensus sunt cõmissa: hęc autem æquè explicari possunt per vnam formam totalem æquiualentem pluribus, ac per plures partiales, vt per se patet.

67. Tertia sententia docet, ad validitatem huius sacramenti necessarias esse ad minimum quinque vnctiones in quinque corporis sensibus, cum quinque partialibus formis, respondentibus singulis vnctionibus. Hæc est communior inter Doctores, quam cum Sancto Thoma quæstione 32. in additione ad 3. partem articulo 6. docent recentiores, Sotus in 4. distinctione 23. quæstione 1. articulo 1. post secundam concl. Henriquez lib. 3. de sacramentis cap. 12. Bellarminus de sacramento vnctionis cap. vlt. Valentia disputatione 8. quæstione 1. punct. 2. Suarez disputatione 40. sectione 2. Nugnez 3. p. tomo 2. quæstione 32. in explicatione articuli sexti, Coninck, & Laymann locis suprà citatis, & alij: eamque indicant Scholastici in 4. dist. 23.

S. Thomas Sotus Henriquez Bellarmin. Valentia Suarez Nugnez Coninck Laymann.

68. Fundamentum sancti Doctoris, quo reliqui ferè Theologi vtuntur, est: quia cùm hoc sacramentum institutum sit ad reliquias peccatorum abstergendas, ijs corporis partibus applicandum est, in quibus est radix peccatorum: est autem radix peccatorum in quinque corporis sensibus: nam ex his omnis notitia, quæ radix est peccatorum, originatur, cùm nihil sit in intellectu, quin prius fuerit in sensu. Notant autem huius sententiæ Auctores, vbi deest sensus Organum, inungendam esse proximiorem partem Organi.

69. Verùm contra hanc sententiam obijci potest 1. Quoniam, vt in prima sententia notauimus, non omnes Ecclesiæ hanc doctrinam sequuntur in praxi tempore necessitatis: quod signum est, hanc quintuplicem sensuum vnctionem non esse de essentia huius sacramenti. 2. In quauis corporis parte est tota anima, quæ est principalis causa peccati. Ergo sufficit quamlibet corporis partem inungere: quia per cuiuscunque corporis partis vnctionem verificatur forma, & habetur finis primarius huius sacramenti, qui est remissio peccatorum. 3. Ex allato fundamento sancti Thomæ sequeretur, nõ esse inungendos illos sensus, quibus infirmus à Natiuitate caret: quia per illos nunquam delinquere potuit.

70. Respondent ad 1. authores huius sententię: quidquid sit de Ecclesijs particularibus, semper in rebus vel ad fidem, vel ad mores vniuersales, vel ad ritus sacramentorum, sequendam esse Ecclesiam Romanam, quę est Magistra omnium Ecclesiarum. Ad 2. concedunt, in quauis parte corporis esse totam animam: negant autem, esse omnes potentias, & organa, quibus tanquam instrumentis anima interna sua peccata exequitur: & quia hoc sacramentum institutum est ad abstergendas reliquias peccatorum, quatenus originem ducunt à sensibus, non sufficit illud in quauis corporis parte applicare, sed in ijs, à quibus tanquam

animę

animę instrumentis peccata originem ducunt. Ad 3. negant sequelam, nam sufficit, vt saltem homo per illum sensum, quo caret, peccare potuerit per internum desiderium. Non enim ad veritatem formæ requiritur, vt homo per singulos sensus de facto peccauerit; nam fieri potest, vt per aliquem nunquam peccauerit: sed sufficit, vt per illum potuerit peccare. Cùm enim forma huius sacramenti sit deprecatiua, non necessariò supponit peccata actu commissa, sed sub conditione, si illa commiserit. His explicatis pro clariori doctrina.

71. DICO 1. inter has sententias, tertia est omnium tutissima, & in praxi saltem sub præcepto seruanda, quando nulla vrget grauis necessitas: quod euidenter probat vniuersalis Ecclesiæ praxis; & sentiunt ipsamet citata Pastoralia, & Doctores omnes contrariæ sententiæ, qui solùm docent, in morbis duntaxat contagiosis, & peste grassante, ad euitandum periculum infectionis, seruari posse ritum secundæ, vel primæ sententię, cæteroqui necessitate non vrgente semper seruandam esse communem praxim Ecclesiæ, iuxta tertiam sententiam explicatam.

72. DICO 2. Probabilis est 2. sententia, & in morbis contagiosis tuta conscientia in praxi seruari potest, non solùm propter authoritatem tot Doctorum, sed etiam propter rationem, in qua fundatur. Nec tantùm sub conditione seruari potest, vt Suarez putat, sed etiam absolutè, nulla conditione adhibita. Iuxta quam sententiam explicanda sunt Concilia, quæ docent, inungendos esse omnes sensus, de necessitate præcepti, & quando non vrget grauis necessitas.

73. DICO 3. etiam 1. sententia probabilis est, non modò propter authoritatem duorum Pastoralium citatorum, & Doctorum, qui illam approbant, sed etiam propter rationes à nobis allatas. Vnde si peste grassante timeatur, vt si omnia organa sensuum inungendo, contagio contrahatur, poterit Sacerdos iuxta hanc sententiam, etiam nulla conditione adhibita, vnum tantùm organum magis obuium, & expositum inungere sub forma exprimente omnes sensus, qualem prædicta Pastoralia præscribunt. Atque ita hanc sententiam obseruari ferunt tempore pestis in Belgio, & hîc in Austria, vt mihi retulerunt illi ipsi, qui ea tempore pestis vsi sunt. Curandum tamen est, quantum fieri potest ad maiorem securitatem, vt etiam tempore pestis hoc sacramentum ministretur saltem iuxta ritum 2. sententiæ, quæ tutior ac probabilior est, inungendo omnes sensus sub vna forma complectente omnes formas particulares. Quòd si Sacerdos absque probabili periculo hanc 2. sententiam seruare non possit, seruet 1. quia præstat hoc sacramentum conferre sub probabili saltem materia, quàm nullum omnino conferre. Nam fieri potest, vt, si hæc sententia vera est, infirmus suscepto sacramento saluetur, qui aliàs damnaretur. Nec vlla fit iniuria sacramento, quando propter periculum contagionis, tutior sententia in praxi seruari nequit: Quia talis actio honestatur vtilitate, quam afferre potest infirmo. Quin interdum nequit aliter hoc sacramentum ministrari, nisi vnam partem corporis inungendo, vt in casu, quo peste affectus ita pronus iaceret, vt non posset in facie inungi. Cęterùm in huiusmodi casibus, etsi Sacerdos non teneretur; posset tamen ad maiorem cautelam, & sacramenti reuerentiam hoc sacramentum ministrare sub tacita conditione.

Tempore pestis quomodo administrandū sit hoc sacramentum.

74. Ex his patet ad rationem dubitandi. Ad rationes verò 1. & 2. sententiæ non est necesse respondere, cùm huiusmodi sententias probabiles existimem: studioque illas varijs rationibus confirmaui, vt earum probabilitas magis appareret. Quanquam qui vellet illas soluere, ex iactis principijs facilè posset.

SECTIO V.

Quæ sit huius sacramenti forma?

75. EX præcedente tomo de sacramentis in genere suppono, esse aliquam certam formam huius sacramenti propriam à Christo præscriptam: aliqui non totum sacramentum esset immediatè à Christo institutum. Cùm enim omnia sacramenta nouæ legis essentialiter constent materia, & forma, nisi forma huius sacramenti immediatè esset à Christo præscripta, non totum sacramentum esset immediatè à Christo institutum. Potissima autem difficultas est: an huius sacramenti forma necessariò debeat esse deprecatiua; an sufficiat indicatiua.

76. Ratio dubitandi: quoniam, vt referunt Bonauentura, Durandus, Argentinas, & alij Scholastici in 4. distinctione 23. in Ecclesia Ambrosiana forma huius sacramēti erat indicatiua hoc pacto: *Vngo te oleo sanctificato. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, vt more militis vnctus preparatus ad certamen Aëreas possis superare potestates.* Simili forma, vt citato loco refert Palatius, vtebatur Ecclesia Veneta: *Vngo te oleo sancto, vt hac vnctione protectus, fortiter stare valeas aduersus Aëreas cateruas, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti* Quæ forma simul cum rituali dicitur approbata à Leone X. Confirmatur: nam forma huius sacramenti colligitur ex illis verbis Iacobi, *Ungentes eum.* Atqui ex his verbis non minùs colligi potest forma indicatiua, quàm deprecatiua. Sicut ex illis verbis, *Baptizantes eos*, Ecclesia colligit formam indicatiuam: Ego te Baptizo. Nec refert

Bonauent. Durandus Argentin.

Palatius.

Leo X.

quod

quod iuxta Apostolum forma huius sacramenti debeat esse per modum orationis, & constat ex illis verbis. *Et orent super eum: & oratio fidei alleuiabit infirmum:* nam interdũ Patres etiam formam absolutionis appellant supplicationem.

77 In contrarium verò est vtrumque Concilium Florentinum, & Tridentinum, nec non cætera ritualia tam Romana, quàm particularium Ecclesiarum, quæ non aliam huius sacramenti formam assignant, quàm deprecatiuam: ita enim Florentinum in Decreto de vnione Armenorum, vbi exactè, & ex professo assignantur materiæ, & formæ omnium sacramentorum: *Per istam vnctionem, & suam pijssimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid per visum &c. Et similiter in alijs membris.* Qua forma vtuntur ferè omnia ritualia, paucis variatis.

Concil. Florentin. & Tridentin.

78. Propter has difficultates Richardus in 4. distinct. 23. articul. 1. quæst. 4. ad 2. Nauarrus in summa cap. 22. num. 15. in fine, Becanus de sacramentis cap. 27. quæst. 4. probabiliter putant, indicatiuam formam esse sufficientem: pro qua etiam citantur Albertus, & Victoria, quos vt legerem ad manus non habui: Durandus quæst. 3. num. 7. in dubium vertit, quænam forma, deprecatiuáne, an indicatiua sit pro hoc sacramẽto idonea. Paludanus verò, vt refert Coninck disp. 19. dub. 4. vtramque ait esse bonam, sed conuenientiorem indicatiuam.

Richardus
Nauarrus
Becanus
Albertus
Victoria
Durandus
Paludanus
Coninck

79. Reliqui tamen Scholastici citata distinctione 23. absolutè affirmant, ad validitatem huius sacramenti requiri formam deprecatiuam: quam etiam docent Bellarminus loco suprà notato de sacramento Extremæ vnctionis cap. 7. Henriquez lib. 3. de sacramentis cap. 8. num. 3 Suarez disp. 40. sect. 3. Valentia disput. 8 quæst. 1. punct. 2. Nugnez 3. part. tomo 2 quæst. 29. art. 9. Coninck suprà citatus, Laymann tract. 8. cap. 3. Diana tract. 4. de sacramentis resol. 175. & reliqui ferè omnes recentiores. Pro cuius controuersiæ explicatione,

Bellarmin.
Henriquez
Suarez
Valentia
Nugnez
Coninck
Laymann
Diana.

80. DICO 1. De fide est, formam deprecatiuam esse sufficientem ad huius sacramenti validitatem. Constat primò ex vtroque citato Concilio Florentino & Tridentino, in quibus hæc forma assignatur. Secundò ex praxi Ecclesiæ Romanæ, quæ in materia sacramentorum errare non potest: hæc enim semper vsa est forma deprecatiua, vt legitur in omnibus Romanis Ritualibus. 3. colligitur ex illis verbis Apostoli: *Et orent super eum, & oratio fidei alleuiabit infirmum.* Quæ omnia indicant verba Sacerdotis, quibus hoc conficit sacramentum, debere esse deprecatoria. Vnde malè Durandus hoc in dubium vertit, & longè peiùs Paludanus affirmans, indicatiuam esse conuenientiorem.

Concil. Florentin. & Tridentin.

Reijcitur Durandus & Paludanus.

81. Ratio autem, cur huius sacramenti forma debeat esse deprecatiua, triplex assignatur à S. Thoma quæstione 29 in additione ad 3. partem articulo 8. 1. Quia qui hoc sacramentum suscipit est viribus corporis, & animi destitutus, ac propterea indignus aliorum precibus. 2. Quia hoc sacramentum datur tantùm ijs, qui ex foro huius Ecclesiæ commigratori sunt in forum alterius vitæ: proinde commendandi sunt Deo, in cuius forum transeunt. 3. Quia per hoc sacramentum precamur infirmo aliquem effectum, quem non semper expedit illi conferri, vt est sanitas corporis: vnde debuit deprecatiuè per hoc sacramentum à Deo peti. Reliqua verò sacramenta, quia effectus conferunt purè Spirituales, quos semper expedit suscipienti conferri, vt est gratia iustificans, vel accrementum ipsius, peculiaria auxilia ad fines sacramentorum facilius consequendo, characteres in anima indelebiles, ideo formas habent indicatiuas.

82. DICO 2. Non est probabile, formam indicatiuam esse sufficientem ad validitatem huius sacramenti. Fundamentum est: quia duæ formæ, nisi in sensu, & significatione æquiualeant, non possunt esse sufficientes ad valorem eiusdem sacramenti. Atqui forma deprecatiua, & indicatiua in sensu, & significatione non æquiualent: non igitur possunt ambæ esse sufficientes ad valorem huius sacramenti. Maior patet: quia Christus non plures, sed vnam instituit pro quouis sacramento formam, vt constat tum Inductione in reliquis sacramentis; tum communi sensu, & authoritate Ecclesiæ. Confirmatur. Sicut Christus non diuersa, sed eadem instituit prodiuersis Ecclesijs sacramenta: ita nec diuersas præscripsit pro quouis sacramento formas. Minor verò probatur: nam forma deprecatiua est per modum supplicantis, & ab alio gratiam expectantis: indicatiua verò est per modum potestatem exercentis: qui modi, vt patet, sunt valdè inter se diuersi.

83. Confirmatur. Forma deprecatiua non æquiualet indicatiuæ; ergo nec indicatiua deprecatiuæ. Consequentia clara est, cũ sit eadem vtriusque ratio. Antecedens probatur, alioqui posset Sacerdos pœnitentem à peccatis absoluere forma deprecatiua, dicendo: *Absoluat te Deus:* vel *absoluat te Christus.* Quod falsum est: alioqui Sacerdos pœnitentem non absolueret illis verbis: *absoluo te:* sed illis antecedentibus: *absoluat te Christus*, quæ ad formam sacramenti pœnitentiæ præmittuntur: quod est contra Concilium Florentinum in decreto de vnione Armenorum, & Tridentinum sess. 14 cap. 3. quæ docent, formam sacramenti pœnitentiæ sitam esse in illis verbis: *Ego te absoluo* &c. Sequela verò Maioris probatur: nam tunc absoluitur pœnitens à peccatis, cùm primum pœnitentiæ sacramentum completur. Si autem forma deprecatiua æquiualeret indicatiuæ, sacramentum pœnitentiæ completetur illis verbis antecedentibus: *absoluat te Christus*: ac proinde

Concil. Florentin. & Tridentin.

subse-

subsequentia verba indicatiua Sacerdotis nihil efficerent, cùm inuenirent sacramentum iam factum, & completum.

84. Dices. Non minùs infallibiliter per formam deprecatiuam confertur gratia in hoc sacramento, quàm per indicatiuam in cæteris: ergo forma deprecatiua non discriminatur ab indicatiua. Antecedens constat: quia non minùs hoc sacramentum, quàm reliqua, continet infallibilem promissionem gratiæ, cùm hoc sit de ratione sacramenti nouæ legis vt sic. Consequentia verò probatur: nam si qua in re deberet forma deprecatiua ab indicatiua discriminari, esset in gratia causanda non per modum effectus ex Diuina promissione infallibiliter conferendi; sed per modum doni ex Diuino beneplacito expectandi.

85. Resp. Negatur consequentia. Ad cuius probationem negandum est, discrimen inter formam deprecatiuam huius sacramenti, & indicatiuam reliquorum, esse, quòd hæc gratiam sacramentalem non conferat infallibiliter ex Diuina promissione, sed ex libero duntaxat beneplacito Dei, si illam conferre velit; cùm non minùs hoc, quàm reliqua sacramenta, vt modò dictum est, annexam habeat infallibilem promissionem Dei: sed discrimen in eo tantùm consistere, quòd Deus ad suam gratiam per hoc sacramentum infallibiliter conferendam non acceptet orationem indicatiuam Ministri, sed deprecatiuam. Sicut è conuerso, ad gratiam infallibiliter per sacramentum pœnitentiæ conferendam, non acceptat orationem deprecatiuam Ministri, sed indicatiuam tantùm: quia hanc requirit per modum sacramentalis iudicij, illam per modum sacramentalis deprecationis. Cæterùm per vtrumque sacramentum suam gratiam Deus confert infallibiliter obicem non ponenti: quia vtrumque operatur ex meritis Christi, & ad instar operis operati, non operantis.

86. Instabis. Si forma huius sacramenti sunt verba Sacerdotis prolata per modum orationis ad Deum: ergo non est valida, nisi includat, quæ sunt de essentia orationis, & consequenter nisi includat internam attentionem ad Deum, quæ est de essentia orationis. Respondeo distinguendo consequens: non est valida, nisi saltem implicitè includat, quæ sunt de essentia orationis vocalis, vt nimirum verba formę integrè proferantur, cum generali saltem attentione, & intentione obtinendi per eam, quod Ecclesia obtinere intendit, concedo: non est valida, nisi formaliter & explicitè includat, quæ sunt propria orationis, nempè subiectionem, & petitionem à Deo, & nego. Etenim cùm hæc oratio sit sacramentalis, non exauditur à Deo, vt valorem habet à Persona ipsa orante, alioqui hoc sacramentum collatum à Sacerdote peccatore non haberet suum effectum; sed vt valorem habet à meritis Christi, in cuius persona hęc oratio à Sacerdote profertur.

87. Quæ autem verba in forma huius sacramenti contenta, sint de essentia sacramenti, quæ verò tantùm de præcepto, variant Doctores. Conueniunt ferè omnes expressam inuocationem trium Diuinarum Personarum non pertinere ad essentiam sacramenti: quin Suarez putat, nec eam esse de præcepto, contra Paludanum, & Angelum. Neque est necessarium illud adiectiuum, *sacram* seu *sanctam*, quod Ritualia communiter addunt, cùm illud non addat Concilium Florentinum. Præterea necesse non est in hac forma distinctè exprimere materiam remotam huius sacramenti sed sufficit eam exercitè exprimere per ipsum nomen vnctionem, sicut exprimitur materia baptismi per verbum *abluo*. Neque etiam videntur necessaria necessitate sacramenti illa verba: *Per suam pijssimam misericordiam*, vt docent Suarez suprà citatus, Filliucius tract. 3. de sacramento Extremæ-vnctionis cap. 4. num. 85. Diana, & alij. Cuius ratio est: quia quidquid per hæc verba importatur signatè, exercitè significatur per hæc alia, *Indulgeat*, vel *parcat* vel *remittat tibi Deus*. Demùm, an necessarium sit in forma exprimere omnes sensus, aut sufficiat vnum tantùm, vel nullum, dicendo: *Per istam vnctionem Indulgeat tibi Deus quidquid deliquisti*, constat ex ijs, quæ docuimus sectione præcedente, an scilicet de essentia huius sacramenti sit, omnes sensus, an sufficiat quamcunque corporis partem inungere. Omnes tamen Doctores notant, tam verba, quæ Diuinam misericordiam, quàm quæ omnes sensus exprimunt, sub præcepto proferenda esse, vt habet communis praxis vniuersalis Ecclesiæ, à qua recedere sine vrgente necessitate, graue peccatum est.

Quæ verba in forma huius sacrament. contenta sint de essentia.

Suarez. Paludanus Angelus.

Concil. Florentinum. Non est necesse distinctè exprimere materiam remotam huius sacrament.

Suarez. Filliucius Diana.

88. Ad rationem dubitandi variæ sunt responsiones. Omnes ad duas reuocantur. Altera est, formam illam indicatiuam, quæ legitur seruata esse in Ecclesia Ambrosiana, & Veneta, fuisse tantùm præambulam ad formam ipsam deprecatiuam, quæ post indicatiuam addebatur. Nam quamuis huius formæ deprecatiuæ in prędictis Ritualibus non fiat expressa mentio; illa tamen supponenda est tanquam certa. Probabile enim est, post illa verba: *Vngo te hoc oleo sanctificato* &c. Addita fuisse aliqua verba, quibus deprecatiuè peccatorum remissio à Deo petebatur. Neque ex eo, quòd verba Indicatiua pręcedebant, impediebant, quò minùs conficeretur sacramentum, si post illa addita fuissent aliqua deprecatoria. Hæc tamen responsio mihi improbabilis est. Improbabile namque est, in ipso Rituali pro forma sacramenti non poni verba substantialia: præsertim cùm dicatur forma Veneta, quæ ferè est eadem cum Ambrosiana, vnà cum reliquis in

Rituali Veneto contentis, fuisse à Pontifice approbata.

Filliucius.

89. Altera igitur Responsio est Filliucij tract. 5. de sacramento Extremæ-vnctionis cap. 4. num. 81. docentis, eam formam fuisse deprecatoriam per illa verba, *Vt more militis vnctis superare valeas Aëreas potestates in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Quam responsionem non modò probabilem, sed omnino veram existimo. Quam ego sic amplius confirmo. Verbum *valeas*, seu *possis* est deprecatiuum, quod coniunctum cum subsequentibus, *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, reddit formam deprecatoriam, quia addit illi Diuinum numen vt principalem causam, in cuius virtute, & auxilio debet infirmus sacro oleo inunctus victoriam sperare de suis hostibus, in eo agone acriter illum impugnantibus. Vnde nihil deesse videtur ad formam deprecatiuam: est enim in sensu æquiualens huic: *Per istam sanctam Vnctionem, & pijssimam Dei misericordiam hostes tuos peruincas, & pœnas inferni euadas.* Constat autem de sacramentis in genere, validam esse illam formam, quæ sub diuersis nominibus eundem sensum retinet. Ratio est, quia Christus non instituit formas sacramentorum propter verba ipsa materialia, sed propter sensum, & significationem formalem. Confirmatur: quia vero simile non est, si huiusmodi formæ non essent validæ, illas non fuisse ab Ecclesia Romana correctas in aliquo Concilio generali, præsertim in Florentino, in quo exactè, & ex professo disputatum est cum Græcis, & Armenis de materijs, & formis omnium sacramentorum: minusque vero simile est, has formas à sede Apostolica approbatas fuisse.

Verbum valeas est deprecatiuum.

Christus instituit formas sacramentorū propter significationē formalem.

90. Ad reliqua verò patet ex dictis. Non enim formam deprecatiuam huius sacramenti colligimus ex illis verbis. *Vngentes eum*, sed ex illis alijs: *Et orent super eum: & oratio fidei saluabit infirmum.* Cæterùm appellant interdum Patres formas aliorum sacramentorum orationes, & supplicationes: vel quia semper cum formis essentialibus adduntur aliquæ preces accidentales: vel quia per illa impetratoriè, quamuis infallibiliter conferuntur nobis dona Spiritualia, non secus, ac per orationes, & supplicationes: vel quod & in idem redit, appellant orationes, & supplicationes ab effectu: quia sicut effectus orationis, & supplicationis, est bonum, quod per eas intendimus: ita effectus formarum sacramentalium, est bonum illud, quod per sacramenta intendimus.

Vnde colligatur forma deprecatiua.

SECTIO VI.

Qui & quotuplex sit effectus huius sacramenti?

91. DVPLICEM assignat Concilia huius sacramenti effectum, alterum spiritualem, quem causat in anima, alterum materialem, quem interdum causat in corpore: illum semper confert obicem non ponenti; hunc nonnisi quando animæ saluti expedit. *Effectus*, inquit, Florentinum, *est mentis sanatio: &, in quantum autem expedit, ipsius etiam corporis.* Et Tridentinum sess. 14. cap. 2. post numeratos omnes effectus Spirituales, quos virtute huius sacramenti recipit ægrotus, ita concludit: *Et sanitatem corporis interdum, vbi saluti animæ expedierit, consequitur.* Porrò effectus spiritualis huius sacramenti duplex est, alter illi communis cum reliquis sacramentis, quæ est gratia sanctificans, vel accrementum eius, cæterarumque virtutum supernaturalium; alter ipsius proprius. Non inquirimus hîc effectus, quos habet communes cum reliquis sacramentis, sed proprios ipsius, quibus à reliquis distinguitur, & propter quos primariò hoc sacramentum est à Christo institutum.

Duplex est effectus huius sacramenti.

Concil. Florentinum.

Tridentin.

Effectus spiritualis huius sacrament. duplex est.

92. PRIMA sententia docet, proprium effectum huius sacramenti esse remissionem peccatorum venialium. Et Bonauenturæ in 4. distinctione 23. articulo 1. quæstione 1. Richardi articul. 1. quæstione 5. Scoti quæstione vnica, Durandi quæstione 1. Argentinæ quæstione vnica, articulo 3. Angeli verbo *Vnctio Extrema* numero 6. & apud ipsum Aureoli, Nauarri in summa capite 22. numero 13. Emmanuelis Sà verbo *Extrema-vnctio* num. 16. & aliorum, quàm plurium. Quam sententiam Nauarrus citato loco appellat communem: cuius potissimum fundamentum est. Hoc sacramentum institutum est ad peccata remittenda, vt constat tum ex illis verbis Iacobi: *Et si in peccatis sit, remittentur ei*: tum ex forma ipsa, in qua peccatorum remissio à Deo petitur: Atqui non est hoc sacramentum institutum ad remittenda peccata mortalia, nam ad hæc instituta sunt Baptismus, & pœnitentia: ergo ad remittenda venialia. Confirmatur: nam sicut triplex est peccatum, originale, Mortale, & veniale; & sicut ad remittenda priora duo instituta sunt Baptismus, & pœnitentia; ita ad remittendum vltimum institui debuit aliquod sacramentum: non aliud, quàm Extrema-vnctio, cùm nullum aliud de facto ad hoc institutum sit.

Bonauent. Richardus Scotus Durandus Argentina Angelus Nauarrus Emmanuel Sà.

93. Verùm hanc sententiam impugnat, & meritò S. Thomas quæstione 30. in additione ad 3. partem articul. 1. & cum eo Thomistæ omnes. Summa impugnationis est:

Impugnatur à S. Thoma.

tum

tum quia ad remittenda venialia institutum est sacramentum pœnitentiæ, quod non solùm se extendit ad mortalia, sed etiam ad venialia, cùm etiam venialia sint propria, etsi non necessaria, materia pœnitentiæ, non minùs, quàm per aduersarios, eadem venialia sunt propria, non tamen necessaria materia Extremæ-vnctionis. Atqui non solent ad eundem effectum duo sacramenta per se institui. Tum quia, si proprius effectus huius sacramenti esset remissio venialium, posset illud conferri etiam sanis, cùm etiam sani egeant venialium remissione.

Reijcitur responsio Bonauenturæ.

94. Nec satisfacit Bonauentura dicens, hoc sacramentum esse institutum ad remittenda venialia in egressu tantùm viæ, non autem in via ipsa: *quia in via*, inquit, *venialia ex quadam necessitate sunt iterabilia*. Non, inquam, satisfacit: nam etiam ad huiusmodi venialia remittenda est institutum sacramentum Pœnitentiæ; & saltem hoc sacramentum conferri posset damnatis ad mortem, qui etiam sunt in egressu viæ, post quam hæc peccata non iterantur. Adde quòd sacramentum non datur pro peccatis futuris, sed pro præteritis: datur enim pro remissione eorum, quæ sunt commissa: ergo posset hoc sacramentum ministrari sanis pro remissione venialium præteritorum, etiamsi post talem remissionem alia peccata venialia committerentur.

95. Tum quia, vel hoc sacramentum remittit venialia immediatè, nulla ex parte subiecti dispositione requisita: Atqui hoc est contra consuetum modum remittendi peccata personalia, quæ sicut propria voluntate committuntur, ita absque proprio actu retractatiuo peccatoris non remittuntur: vel excitando dispositionem ad venialium remissionem sufficientem: & contrà est, quia tunc non posset hoc sacramentum conferri Phreneticis, & qui actualem vsum rationis non habent.

96. Ad fundamentum autem, quo hæc sententia nititur, patebit ex declaratione 4. sententiæ. Ad confirmationem, negatur minor: nam idem pœnitentiæ sacramentum, quod institutum est ad remittenda mortalia post Baptismum commissa, institutum etiam est ad remittenda venialia.

S. Thomas Thomistæ omnes Valentia.

97. SECVNDA sententia affirmat, proprium huius sacramenti effectum esse, sanare infirmitatem animæ, quæ ex peccato siue originali, siue actuali in nobis relinquitur; ex consequenti verò esse etiam remissionem peccatorum tam mortalium, quàm venialium, si ex parte recipientis obex non ponatur. Hanc sententiam docet S. Thomas loco præcitato, & cum eo Thomistæ omnes: quam etiam sequitur noster Valentia disputatione 8. quæstione 1. punct. 3. Cuius vnicum fundamentum est: quoniam, vt citato loco testatur Tridentinum, hoc sacramentum institutum est ad abstergendas peccatorum reliquias: ergo per se primò non est institutum ad tollenda peccata, cùm peccata non sint reliquiæ peccatorum; sed ad tollenda ea, quæ ex peccatis relinquuntur: nam hæc propriè dicuntur reliquiæ peccatorum: hæc autem est animi infirmitas, seu torpor, & difficultas ad benè operandum, quæ per hoc sacramentum tollitur: quod propterea appellatur spiritualis animæ sanatio, seu medicatio: sicut Baptismus spiritualis regeneratio, pœnitentia spiritualis resurrectio à morte peccati. Vnde colligunt, hoc sacramentum per se supponere vitam in ipso suscipiente: sicut medicina supponit vitam in infirmo. Cæterùm per accidens interdum confert vitam spiritualem gratiæ, sicut & reliqua sacramenta viuorum, si in suscipiente obicem non inueniat.

97. Sed contrà: quia explicari non potest, quænam sit hæc mentis infirmitas à peccato relicta, à qua liberat hoc sacramentum. Nam vel est Physica, vel moralis. Non Physica: quia vel hæc est aliquid positiuum, & nequeunt esse nisi habitus ipsi ex frequentatione peccatorum geniti. Atqui hi neque per hoc, neque per vllum aliud sacramentum tolluntur, sed solùm per contrarios habitus frequentatarum virtutum: quippè qui perseuerare solent etiam post hoc sacramentum susceptum. Vel est aliquid priuatiuum: & hoc aut est priuatio ipsa gratiæ sanctificantis, & specialis auxilij, quæ per proprium peccatum amisimus; aut iustitiæ originalis, potentias ad benè operandum ordinantis, & roborantis, quam per peccatum originale in protoparente perdidimus. Hoc secundum dici non potest, cùm donum iustitiæ originalis in hac vita nulli restituatur. Non primum: nam hic effectus vel non est proprius huius sacramenti, sed communis cum alijs, quæ etiam ordinantur ad gratiam, & specialia auxilia conferenda: vel si est proprius effectus huius sacramenti, incidit cum 3. sententia infrà explicanda, & cuius impugnatione impugnata manebit & hæc.

Donum iustitiæ originalis in hac vita nemini restituitur.

Valentia.

98. Neque hæc animi procliuitas ad malum, & difficultas ad bonum est aliquid morale, vt illam explicare videtur Valentia. Docet enim, illam consistere in quodam rationis respectu: nam hoc ipso, quòd quis peccauit, intelligitur magis expositus periculo peccandi, minusque posse bonum operari, quàm antè: idque propter quoddam experimentum rei vtilis, vel delectabilis, aut etiam ipsius vsus humanæ libertatis. Quod experimentum propter ipsam peccacati illecebram, quam includit, animum pronum reddit ad rursus peccandum, & difficilem ad benè operandum.

99. Contra verò hanc explicationem est: quoniam vel hæc pronitas ad malum, & difficultas ad bonum consistit in eo præcisè, quod actus peccati præcesserit: & hoc non sufficit, vt animus reddatur magis

pronus ad malum, & difficilis ad bonum, quàm antè: nam quod præcessit, & nunc non est, est, acsi nunquam fuisset in ordine ad præsentem operationem animæ. Etenim vt anima in præsenti operatione experiatur vel maiorem procliuitatem ad malum, vel difficultatem ad bonum, de præsenti debet magis allici ad malum, & retardari à bono, quàm antè. Hoc autem nequit fieri ex eo præcisè, quòd actus peccati præcesserit: quia cùm hic de præsenti nihil sit, non potest de præsenti animum vel ad malum magis allicere, vel à bono magis retardare. Vel certè hæc procliuitas ad malum, & difficultas ad bonum consistit in ipsa specie practica, & experimentali præteriti oblectamenti peccaminosi, quam præteritum peccatum reliquit in anima, quæ species magis allicit animum obiectiuè ad peccandum obijciendo illi præteritum oblectamentum, quod fuit in actu præterito peccati. Atqui hoc non est quid morale, sed Physicum, numeraturque inter ipsos habitus ex præteritis actibus genitos: nam vel est ipsemet habitus vitiosus, vt ego probabilius puto; vel complementum illius: quia sicut habitus inclinat animum ad consimiles actus, à quibus fuit genitus, ex parte subiecti: ita species relictæ ex præteritis actibus inclinant eundem animum ad consimiles actus ex parte obiecti. Sicut igitur habitus geniti ex actibus non tolluntur per gratiam sacramentalem, ita nec tales species, quæ sunt complementum habituum.

Habitus geniti ex actibus non tolluntur per gratiam sacramentalem.

100. Ad fundamentum, quod affert hæc 2. sententia, constabit ex declaratione 4. in qua explicabimus, quæ sint propriæ reliquiæ peccatorum.

101. TERTIA sententia proprium effectum huius sacramenti constituit in quibusdam specialibus auxilijs ordinatis ad roborandum animum infirmi contra difficultates, & tentationes in articulo mortis ocurrentes: consequenter verò, non quidem merè per accidens; sed aliquo modo per se, non ex primaria, sed ex secūdaria intentione, esse remissionem omnis culpæ tam mortalis, quàm venialis, nec non reatus pœnæ ex peccatis relictæ, modò in subiecto non sit obex, quod est quando ægrotus suscipit hoc sacramentum cum peccato inuincibiliter ignorato. Hanc sententiam docent Suarez disp. 41. sect. 1. Henriquez li. 3. de sacramentis cap. 9. num. 2 Coninck disp. 19. dub. 5. Becanus de sacramentis c. 27. q. 6. Laymann tract. 8. c. 5.

Suarez. Henriquez. Coninck. Becanus. Laymann.

102. Probat autem hanc sententiam Suarez 1. ex verbis B. Iacobi: *Et alleuiabit eum Dominus:* quod idem est, ac roborabit, seu confortabit eum Dominus. 2. Ex Tridentino sess. 14. in Procemio huius sacramenti, vbi hunc effectum tanquam præcipuum assignat huic sacramento. 3. Ex Concilio Coloniensi p. 7. cap. 40. cuius hæc sunt verba: *Restat Extrema-vnctio, quæ quoniam in morte quæ Extrema lucta est adhibetur, vt vel conualescat ægrotus, si Deo ita visum; vel fide, bonaq; spe obdormiat in Domino.* 4. Ratione tum à posteriori: nam propterea est hoc sacramentum pro solis infirmis institutum, vt illi in mortis articulo specialibus auxilijs iuuentur ad patienter ferendas morbi difficultates, tentationesque superandas. Tum à priori: quoniam per alia sacramenta sufficienter subuentum est hominibus pro omnibus necessitatibus in decursu huius vitæ occurrentibus. Sola autem supererat necessitas articuli mortis, in quo homo corporis viribus destitutus peculiari eget auxilio ad perseuerandum in bono, salutemque consequēdam.

B. Iacobus. Cõcil. Tridentinum. Concil. Coloniense.

103. Quòd autem etiam consequenter, & non tantùm merè per accidens sit hoc sacramentum institutum ad remissionem omnis culpæ, & reatus pœnæ, modò obex in suscipiente non sit, vllus, probatur: tum quia hoc & Apostolus in sua Canonica, & Concilia in suis Decretis, & verba ipsa formæ apertè ostendunt. Tum quia hoc sacramentum est peculiariter institutum ad disponendum hominem ad introitum gloriæ; & consequenter ad tollenda omnia obstacula, quæ hunc ingressum impedire possunt. Hæc autem sunt tam peccata mortalia inuincibiliter ignorata, quàm venialia, quàm reatus pœnæ ex peccatis relictæ: igitur ad horum omnium remissionem, si non ex primaria, saltem ex secundaria intentione videtur hoc sacramentum institutum.

Sacram. hoc peculiariter institutum est ad disponendū hominē ad introitum gloriæ.

104. Hæc sententia probabilis est. Vnum tamen obstat, quo minus illam sequar, quod pro effectu secundario, & non pro primario constituat id, quod per formam sacramenti exprimitur. Nam cùm sacramenta nouæ legis efficiant, quod significant, ille putandus est effectus primarius sacramenti, quem forma ipsa sacramentalis significat: cùm significatio in sacramentis nouæ legis recurrat cum ipsa causalitate. Cùm igitur per formam huius sacramenti exprimatur remissio peccatorum, vt apertè constat ex illis verbis: *Indulgeat, seu parcat, vel remittat tibi Deus, quidquid deliquisti:* omnia enim hæc verba vt docet Catechismus Romanus de hoc sacramento num. 6. sunt æquipollentia, non poterit hic effectus esse secundarius. Cæterùm non nego, etiam hanc animi roborationem, & confortationem esse proprium effectum huius sacramenti, vt ex sequenti sententia constabit: ac proinde argumenta ad eam probandam adducta soluere, non est necesse.

Hæc sententia est probabilis.

Catechismus Romanus.

105. QVARTA igitur sententia omnium *probabilissima* asserit, hoc sacramentum per se institutum esse ad remittenda ea peccata, siue mortalia, siue venialia sint, quæ non sunt per alia sacramenta remissa, nec non ad excitandum, & roborandum animum infirmi ad patienter tolerandas difficultates morbi, tentationesq; in mortis articulo occurrentes superandas; & si expedierit, etiam ad corporis sanitatem conferendam. Est Cardinalis Bellarmini libro de sacramento Extremæ-vnctionis cap. 8.

Sententia probabilissima.

Bellarmin.

106. Hæc

106. Hæc sententia quoad omnes suas partes apertè deducitur ex citatis verbis Iacobi: in quibus tres effectus huius sacramenti proprij indicantur, sanitas corporis in illis verbis, *Et oratio fidei saluabit infirmum*; sanitas, & robur mentis in illis, *Et alleuiabit eum Dominus*; remissio peccatorum in illis vltimis verbis, *& si in peccatis sit, remittentur ei*. Nec obstat 1. quòd remissio peccatorum ponatur vltimo loco: nam ponitur vltimo loco tanquam finis, ad quem reliqua ordinantur: sicut etiam posteriori loco numeratur mentis, quàm corporis sanitas, cùm tamen illa sit finis huius, & principaliùs intenta.

Cur vltimo loco ponatur remissio peccatorum

170. Nec obstat 2. quòd de remissione peccatorum Apostolus Iacobus loquatur conditionatè. Nam id non ideo facit, quoniam, vt aduersarij putant, remissio peccatorum est tantùm effectus secundarius huius sacramenti, sed quia non est remissio quorumcunque peccatorum, sed tantùm eorum, quæ non fuerunt ab alijs sacramentis remissa, quæque inculpabiliter ignorantur.

108. Eandem sententiam expressè docet Tridentinum sess. 14. de Extrema-vnctione cap. 2. vbi hos tres effectus tanquam proprios huius sacramenti numerat, incipiendo à remissione peccatorum: *Delicta*, inquit, *si qua sint adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit*. Tum animi robur describit illis verbis *Et ægroti animam alleuiat, & confirmat, magnam in eo diuinæ misericordiæ fiduciam excitando: qua infirmus subleuatus, & morbi incommoda, ac labores leuius fert, & tentationibus dæmonis, calcaneo insidiatis, faciliùs resistit*. Demum corporis sanitatem ibidem explicat illis verbis: *Et sanitatem corporis interdum, vbi saluti animæ expedierit, consequitur*. Demum eandem sententiam quoad peccatorum remissionem manifestè declarat forma ipsa sacramentalis, quam Concilia assignant, & qua in praxi vtitur Ecclesia Romana.

Conc. Trid.

109. Secundò probatur hæc sententia rationibus. 1. sit: proprium huius sacramenti est, vt Concilia definiunt, & Theologi omnes admittunt, peccatorum reliquias abstergere. At nulla sententia meliùs, ac probabiliùs, quàm hæc, reliquias peccatorum explicat. Nam prima non propriè reliquias peccatorum appellat omnia, & sola peccata venialia: tum quia verba Apostoli, Conciliorum, & ipsius formæ non restringuntur ad sola venialia: tum quia non omnia peccata venialia propriè dici possunt peccatorum reliquiæ; sed tantùm ea, quæ non fuerunt virtute aliorum sacramentorum remissa.

110. Nec rectè 2. sententia peccatorum reliquias explicat per pronitatem ad malum, & difficultatem ad bonum: nam ille est proprius effectus huius sacramenti, qui in eius forma exprimitur. Atqui in eius forma non exprimitur pronitas ad malum, & difficultas ad bonum, sed remissio ipsa peccatorum, vt constat ex illis verbis *Vt quidquid deliquisti, indulgeat tibi Deus*. Nec propriè dicitur remitti pronitas ad malum, & difficultas ad bonum: cùm hæ perseuerare soleant, etiam post peccata remissa.

Impugnatur secunda sententia reliquias peccatorum explicans per pronitatem ad malum.

111. Tertia verò sententia remissionem peccatorum non agnoscit vt primarium, sed solùm vt secundarium effectum huius sacramenti: cùm tamen verba Apostoli, Conciliorum, & formæ huius sacramenti apertè ostendant, hunc esse primarium effectum huius sacramenti.

112. Quod autem 4 sententia meliùs, ac probabiliùs, quàm vlla alia peccatorum reliquias explicet, constat 1. Ex confutatione aliarum sententiarum: 2. Quia reliquiæ propriè dicuntur, quæ relictæ sunt ex alijs. Præterea reliquiæ debent esse eiusdem rationis cum ijs, quorum sunt reliquiæ: nam si sint diuersæ rationis, non tam dicuntur reliquiæ, quàm effectus, vel excrementa: non enim calor à luce relictus, dicitur lucis reliquiæ, sed effectus: nec furfures ex farina relicti propriè dicuntur farinæ reliquiæ, sed excrementum. Cùm igitur hæc sententia peccatorum reliquias explicet per peccata ex alijs sacramentis relicta, quorum virtute vel non fuerunt, vel non potuerunt remitti, propriè peccatorum reliquias explicat.

Reliquiæ debent esse eiusdem rationis cũ ijs, quorum sunt reliquiæ.

112. Secunda ratio, quæ colligitur ex Tridentino citata sessione, in proœmio huius sacramenti, est. Omnia sacramenta nouæ legis instituta sunt à clementissimo Redemptore nostro, tanquam practica remedia ad tollenda omnia obstacula, quæ pro varijs temporibus, occasionibusque huius mortalitatis hominem impedire possent à consecutione æternæ gloriæ. Atqui multa sunt obstacula, quæ possunt hominem tempore mortis à consecutione æternæ gloriæ impedire, quæ per alia sacramenta tolli non possunt: igitur cùm hoc sacramentum institutum sit à Christo ad infirmum iuuandum ad consecutionem æternæ gloriæ, probabilissimum est, hoc maximè institutum esse ad huiusmodi obstacula tollenda, quæ per alia sacramenta tolli non possunt, modò nullus sit in suscipiente obex. Maior est Tridentini loco præcitato: *Primum itaque*, inquit, *circa illius institutionem declarat, & docet, quod Clementissimus Redemptor noster, qui seruis suis quouis tempore voluit de salutaribus remedijs aduersus omnia omnium hostium tela esse prospectum, quemadmodum auxilia maxima in sacramentis alijs præparauit, quibus Christiani conseruare se integros, dum viuerent, ab omni grauiore Spiritus incommodo possint: ita Extremæ-vnctionis sacramento finem vitæ, tanquam firmissimo quodam præsidio, muniuit*. Et constat etiam ratione: nam omnia sacramenta eò tendunt, vt hominem promoueant ad suum finem consequendum: ac proinde omnia instituta sunt ad tollendum aliquod obstaculum, quod hominem posset à suo fine, consequendo impedire. Sic Baptismus tollit obstaculum peccati originalis; confirmatio Christiani militis imbecillitatem, ne in defensione veræ fidei coram hostibus succumbat, Eucharistia carnalis concupiscentiæ ardorem,

Concilium Trident.

Omnia sacramenta sunt instituta ad tollendum aliquod obstaculum vitæ æternæ.

ardorem, ne spiritualem vitam gratiæ extinguat; Ordo idoneorum ministrorum egestatem, ne eorum penuria fideles patiantur: Matrimonium difficultates, quæ inter coniuges occurrere solent.

114. Minor verò probatur: nam 1. potest infirmus post vltimam confessionem, & communionem in aliquod peccatum incidere, cuius inuincibiliter obliuiscatur. In quo casu, cùm non teneatur ampliùs confiteri, cùm nullam habeat peccati conscientiam, debet aliquod remedium habere, quo possit huiusmodi peccatum remitti. 2. Potest infirmus confiteri, & communicare inualidè defectu doloris supernaturalis ad sacramentum confessionis essentialiter requisiti, inuincibiliter putans se validè, & confiteri, & communicare: ergo etiam in hoc casu habere debet aliquod remedium, quo possint peccata per talem confessionem, & communionem non remissa deleri. 3. Sæpe accidit, vt infirmus existens in peccatis cum sola attritione incidat in phrenesim, vel loquelam, & sensum amittat, vt nullum valeat dare signum confessionis. In quo casu, cùm sit valdè frequens, ad Christi clementiam pertinuit, aliquod sacramentum institui, quo possit infirmus iuuari ad æternam salutem consequendam. Cùm igitur in hoc casu iuuari non possit sacramento confessionis, vel communionis, cùm sæpe neque sit capax communionem recipere, aliquo alio sacramento iuuari debuit: hoc autem est sacramentum Extremæ-vnctionis, quod præcipuè propter huiusmodi casus frequenter occurrentes videtur à Benignissimo Christo saluatore nostro institutum. Atque hinc apparet, quanta sit vtilitas huius sacramenti: nam sæpe hoc sacramentum suscipiens saluatur, qui alioqui eo omisso damnaretur.

115. Cæterùm in secundo casu, cùm quis defectu doloris inualidè confitetur, & communicat, vt possit postea virtute huius sacramenti iustificari, debet elicere saltem attritionem supernaturalem: nam si præcedens dolor non fuit cum sacramento confessionis sufficiens ad iustificandum hominem à peccatis, à fortiori nec erit sufficiens ad iustificandum eundem cum sacramento Extremę-vnctionis; sicut nec erit sufficiens ad illum iustificandum cum sacramento Eucharistiæ.

116. In tertio verò casu, si homo aliquem habeat vsum rationis, nullumque dare possit signum confessionis, tenetur conari ad actum contritionis, vt saltem probabiliter putet se ad hoc sacramentum accedere in statu gratię, vt à peccatis iustificari possit. Ratio est: quia cùm hoc sacramentum non sit per se institutum ad remittenda peccata, quæ sunt in conscientia peccatoris, sicut institutum est sacramentum pœnitentię; sed tantùm ad remittenda occulta & inuincibiliter ignorata, per se infirmus tenetur ad hoc sacramentum accedere in statu gratiæ, probabiliter saltem putato: & consequenter tenetur de peccatis, quæ per confessionem expiare non potest, contritionem saltem putatam habere.

Hoc sacram. per se institutum est ad remittenda peccata occulta.

117. Tertia demum ratio sit: quoniam, vt ex Concilio Tridentino sess. 14. in procemio de Extrema-vnctione constat, sacramentum hoc est institutum vt completiuum, & consummatiuum sacramenti Pœnitentiæ: ergo in multis casibus, in quibus applicari non potest sacramentum Pœnitentiæ, supplet ipsius effectum, si in suscipiente obicem non inueniat: non inuenit autem obicem, quando subiectum ad hoc sacramentum non accedit cum probabili conscientia peccati mortalis.

Concilium Trident.

118. Ex his infertur discrimen inter hoc sacramentum, & alia viuorum: nam etiamsi hoc per se sit etiam sacramentum viuorum, & respectu peccatorum, quæ sunt in conscientia peccatoris, requiratur confessio, vel saltem putata contritio: est tamen per se institutum ad remittenda peccata, vel inuincibiliter ignorata, vel ab alijs sacramentis non remissa, cum solo actu attritionis, putatæ tantùm contritionis. Et licet hanc etiam vim habeant reliqua etiam sacramenta viuorum, non tamen illam habent ex vi suæ primariæ institutionis; sed tantùm secundariæ, & per accidens, neque ea certitudine, & infallibilitate, qua habet hoc sacramentum.

Discrimen inter hoc & alia viuorum sacramenta.

119. *Obijcies* 1. Aperta contradictio est, dicere, quòd hoc sacramentum remittat peccata per se, & quòd ea tantùm remittat, quæ inculpabiliter ignorantur: nam hæc semper remittuntur per accidens ratione gratię, quam vnumquodque sacramentum propria virtute confert subiecto, obicem non ponenti: vnde nullum est quoad hoc inter hoc sacramentum, & reliqua viuorum discrimen: nam etiam reliqua sacramenta viuorũ conferendo gratiam obicem non ponenti, cõsequenter etiam, & per accidens per illam remittunt peccata inculpabiliter ignorata.

120. Respondeo negando assumptum: non enim repugnant simul, remittere peccata inculpabiliter tantùm ignorata, & ea remittere per se. Nam potuit aliquod sacramentum vi suæ primarię institutionis ordinari ad hunc effectum: ergo potuit talem effectum per se conferre: nam per se aliquem effectum causare, est, vi suę primæ institutionis ad illum causandum ordinari. Vnde non est eadem ratio de cæteris sacramentis viuorum: quoniam cætera non sunt vi suæ primariæ institutionis ordinata ad huiusmodi peccata delenda; sed tantùm per accidens, quatenus vi suæ primariæ institutionis sunt ordinata ad conferendum augmentum gratiæ subiecto, obicem non ponenti: quia verò qui inuincibiliter ignorat se esse in peccato, non ponit obicem, consequenter recipit gratiam: quæ quia cum peccato consistere non potest, illud expellit: ac proinde per accidens talis gratia in tali subiecto est prima. At verò hoc sacramentum ex primaria sua institutione ordinatum

Quid sit aliquem effectum per se causare.

est ad

est ad delenda peccata inculpabiliter ignorata, quæque non potuerunt per alia sacramenta remitti. Hoc autem discrimen 1. colligitur ex verbis Iacobi, ex Concilijs, & ex forma ipsa, in qua expressa mentio fit de remissione peccatorum, quæ cùm intelligi non possint de peccatis, quæ sunt in conscientia peccatoris, nam ad hæc delenda instituta est pœnitentia, intelligenda erunt de peccatis, quę inculpabiliter ignorantur, quæque non potuerunt per alia sacramenta deleri. Tum quia hoc sacramentum, vt ex Concilijs, & vniuersali Ecclesiæ praxi constat, institutum est vt vltimum post cætera omnia sacramenta. Cùm igitur post reliqua sacramenta possint aliqua peccata latere, quæ vel non fuerunt remissa per alia sacramenta, inualidè quidem, sed inculpabiliter suscepta, vel post illa commissa, inuincibiliter tamen ignotata, vel certè ad ea remittenda nullum aliud sacramentum, præter hoc, applicari potest, dicendum est, hoc sacramentum per se ad huiusmodi peccata delenda à Christo ordinatum fuisse.

Aliud discrimen inter hoc, & cætera viuorum sacramenta.

121. Ex hoc discrimine infertur hoc aliud, quòd de reliquis sacramentis viuorum non sit ita certum, quòd remittant peccata inuincibiliter ignorata, sicut certum est de hoc sacramento. Hinc etiam sequitur, vt ipsum augmentum gratiæ, quod hoc sacramentum confert infirmo constituto in statu gratiæ, per se, & ex primaria intentione Christi sit remissiuum peccatorum inculpabiliter ignoratorum, etiamsi actu illa non remittat, quia actu illa non reperit in subiecto. Sicut augmentum gratię, quod confert sacramentum Pœnitentiæ subiecto, habenti gratiam per se, & ex prima sua institutione est remissiuum peccatorum, etiam quę sunt in conscientia pœnitents. Contrà verò augmentum gratiæ, quod reliqua sacramenta viuorum subiecto in statu gratiæ constituto conferunt, non est per se, & ex primaria Christi intentione remissiuum peccatorum inculpabiliter ignoratorum, sed tantùm per accidens, & ex secundaria dumtaxat voluntate Christi.

122. *Obijcies* 2. Si hoc sacramentum per se primò institutum est ad remittenda peccata, deberet semper, & necessariò ipsum præcedere aliquis dolor ex parte suscipientis; cùm absque dolore nulla peccata, ne inculpabiliter quidem ignorata, remittantur. Nullus autem dolor debet hoc sacramentum necessariò præcedere, vt constat, quando illud ministratur phreneticis.

123. Respondeo negando sequelam Maioris. Etenim cùm hoc sacramentum nō sit per se institutum ad delenda peccata, quę sunt in cōscientia peccatoris, sed solùm, quæ in ipsius conscientia inculpabiliter latent, non semper necessariò debet ipsum pręcedere dolor: nam tunc debet dolor de peccatis necessariò præcedere, quando quis scit se esse in peccato, vt accidit, quando pœnitens accedit ad sacramentum confessionis. Cæterùm quando infirmus cōfiteri non potest, si cognoscit se esse in peccato, debet cum dolore ad hoc sacramentum accedere: secus quando nullam habet conscientiam peccati: quantum est ex vi huius sacramenti. Quod addo, quia in fine vitæ, etiamsi homo non habeat conscientiam peccati mortalis, tenetur tamē contritionem elicere, vel saltem attritionem cū sacramento confessionis, vt ponat se in statu securo. Quæ obligatio non tā oritur ex natura huius sacramenti, quā ex pręcepto charitatis, qua vnusquisque tenetur æternā salutē sibi procurare.

In fine vitæ tenetur homo contritionem elicere, vel saltem attritionem cum confessione.

124. Ex quo infero, dolorem de peccatis in sacramento Pœnitentiæ requiri vt partem essentialem sacramenti, sine quo non fieret sacramentum. In sacramento verò Extremę-vnctionis vel nullo modo requiritur, vt quādo subiectum nullum habet peccatum, vel ad summum requiritur vt dispositio ad consequendum effectum sacramenti, quando quis accedit cum aliquo peccato inuincibiliter ignorato, vel ad cuius remissionem applicari non potest sacramentum Pœnitentię. Ex quo etiam oritur, vt sine dolore sacramentū Pœnitentiæ sit nullum; sacramentū verò Extremæ-vnctionis etiam collatum peccatori accedenti sine dolore, sit validum in ratione sacramenti, quamuis informe: quoniam essentia huius sacramenti nō pendet ex actibus suscipientis, sicut sacramentum Pœnitentiæ.

Sacramentum Extremæ-vnct. collatum peccatori accedenti sine dolore est validum in ratione sacramenti.

125. *Obijcies* 3. Peccata non sunt propriè reliquiæ peccatorum: Atqui hoc sacramentū ex Concilijs institutum est ad delendas reliquias peccatorum; ergo non propriè dicitur esse institutum ad delenda peccata, inculpabiliter ignorata. Respōdeo distinguendo maiorem: peccata quę sunt in conscientia peccatoris non sunt propriè reliquiæ peccatorum, concedo; quæ inculpabiliter latent, & quæ per alia sacramenta vel contritionem nō sunt remissa, nego. Nam, vt suprà dictum est, reliquiæ peccatorum debent aliquo modo conuenire in ratione malitiæ cum peccatis, solumque dici reliquiæ peccatorum, quia sunt relicta & non remissa per alia sacramenta, vel actum contritionis.

126. *Obijcies* 4. Hoc sacramentum, vt Florentinum, & Tridentinum definiunt, & colligitur ex illis verbis Iacobi: *Et oratio fidei saluabit infirmum:* interdum confert sanitatem corporis, si animæ saluti expedierit. Sed interdum animę saluti non expedit, vt cùm quis recuperata sanitate abutens damnatur, qui si alioqui mortuus fuisset, saluatus fuisset. Contrà verò multi moriuntur, quorum animæ saluti expediuisset, si diutius vixissent ad plura merita sibi comparanda.

Concilium Florentinū Trident. S. Iacobus.

127. Respondet ad hoc argumentum Sotus in 4. dist. 23. q. 1. art. 2. ad 5. effectum huius sacramenti non esse sanitatem, sed auxilium ad sanitatem recuperandam: quod auxilium Deus semper, & infallibiliter confert in Extremis-vncto, iuuando per illud causas naturales, & medicamenta ad faciliùs corporis sanitatem causandam. Quia tamen hoc auxilium de se non semper

Soti responsio.

est sufficiens ad morbi malignitatem superãdam: *imo potest nonnunquam*, inquit Sotus, *ars, & solertia Medici plus ad id conferre, quàm virtus sacramenti*, ideò non semper suum effectum sortitur. Hanc responsionem ad minimum temerariam censet Suarez disp. 41. sect. 4. n. 4. eò quòd sit contra expressam doctrinam Florentini, & Tridentini, quę dum dicunt, salutem corporis per hoc sacramẽtum dari, quando animæ saluti expedierit, apertè sentiunt, hoc sacramentum continere vim supernaturalem, conferendi corporis salutem, quam tamen non semper, sed quando animæ saluti expedit, inuncto confert.

Reijcitur & censetur à Suarez.

Concilia Florent. & Trident.

128. Ad argumentum igitur dicendum est primò, non semper sanitatem, quam in extremis vnctos acquirit, esse effectum huius sacramenti, sed causarum naturalium, virtute medicamẽtorum adiutarũ. secundò. Esto sit huius sacramenti effectus, *ly. si animæ saluti expedierit*, intelligendum est, non finaliter, & absolutè, sed pro hoc tempore. Nam potest pro hoc tempore animæ saluti expedire, vt infirmus conualescat: quia tamen finalis perseuerantia in bono pendet à subiecti libertate, quæ mutari potest, ideò non sequitur, vt salus, quæ pro hoc tempore fuit expediens animæ, sit absolutè expediens pro futura æternitate. Dixi, *absolutè:* quia sub conditione, quòd infirmus velit recuperata salute bene vti, esset illi expediens etiam pro futura æternitate. Ad alteram verò argumenti partem, esto interdum corporis salus esset expediens saluti animæ ipsius infirmi, haud tamen esset expediens saluti aliorum, quorum salutis habenda est etiam ratio: sæpe enim diuturnior vita vnius est occasio peccandi alteri. Vel certè *ly si animæ saluti expedierit*, intelligendum est iuxta explicationem Concilij Coloniensis celebrati anno 1536. *Si Deo ita visum fuerit:* vt non tam referatur ad maiorem profectum animæ, quàm ad diuinam prouidentiam. Ex quo sequitur, hunc effectum interdum quidem causari ab hoc sacramento, non tamen infallibiliter, etiam sub conditione, quòd ipsius animæ saluti & profectui maiori expedierit. Quam responsionem sequitur Tannerus disp. 7. de Extrema-vnctione quęst. 1. dub. 2. circa finem.

Concilium Colon.

Tannerus.

SECTIO VII.

Quando in hoc sacramento effectus conferatur?

129. Controuersia tantùm est de gratia habituali, & peccatorum, si quę sunt, remissione, quam statim ac sacramentum perfectum est, subiecto confert; non autẽ de gratia actuali auxiliante, & adiuuante infirmum ad morbi incõmoda ferenda, tentationesque superandas, quam iuxta temporum, & occasionum opportunitatem cõfert. Ratio dubitandi est: quoniam, cùm hoc sacramentum pluribus constet vnctionibus, non apparet, in qua vnctione gratiam conferat, in primáne? an in vltima? an partialiter in quauis?

Ratio dubitandi.

130. Prima sententia affirmat, produci in vltima vnctione, siue hoc sacramentum ministretur quinque vnctionibus, quæ tantùm sunt de essentia, siue septem, quę solùm sunt de integritate sacramenti. Est Soti in 4. dist. 23. q. 2. art. vlt. ad finem, Henriquez lib. 3. de Sacramentis cap. 12. n. 3. Fundamentum Soti est: quia sicut quando Ecclesia ad baptizandum adhibebat tres mersiones, gratia baptismalis non conferebatur, nisi in vltima, etiamsi duæ vltimæ non essent de essentia baptismi: ita qui ad infirmum inungendum adhibet septem vnctiones, in vltima confert gratiam, etiamsi illa non sit de essentia, sed tantùm de integritate sacramenti, modò intentio ministri referatur ad vltimam vnctionem, vti referri debet: secus si intentio Ministri non referretur ad vltimam, sed ad quintam, quia tunc in quinta conferretur gratia; non autem si referretur ad primam, vel secundam: quia cùm in hac sententia ad minimum quinque vnctiones sint de essentia; cũque vt sacramentum effectum causet, supponi debeat completum quoad essentialia, etiamsi minister intentionem habeat conferendi gratiam per primam vnctionem, illam non conferet defectu essentialis complementi.

Sotus. Henriquez.

131. Sed contrà: nam si duæ vltimæ vnctiones renum, & pedum non sunt de essentia, vti verè non sunt, alioqui erraret Romana, & vniuersalis Ecclesia, quæ non semper illas adhibet, quin monet vnctionem renum non esse propter modestiam fœminis adhibendam, sacramentum essentialiter perficitur, antequam prędictæ duæ vltimæ vnctiones adhibeantur: sacramentum autem statim atque perfectum est, effectum confert; nec pendet ab intentione priuata ministri, modo intentionem generalem habeat faciendi, quod fecit Christus, vel facit Ecclesia.

132. Confirmatur 1. nam vel in tali casu Minister nullam habet intentionem conferendi gratiam, nisi in vltima vnctione, quando iam sacramentum, quod in ipsa successiua actione vngendi consistit, quoad essentiam transijt, & tunc sacramentum nullam conferet gratiam; non quando essentialiter completur quinta vnctione, defectu intentionis Ministri: non quando adhibentur aliæ duæ vnctiones accidentales, quia tunc sacramentum quoad essentiam non est; nequit autem sacramentum gratiam conferre, quando non est, pręsertim in sententia Soti, & Thomistarum, in qua sacramenta gratiam physicè causant: alioqui posset Minister intentionem habere gratiam conferendi post centum vnctiones, & consequenter gratiam conferre in centesima vnctione: nam eodem modo hęc est

extra

extra numerum quinque vnctionum essentialium, ac septima vnctio. Vel aliquam habet intentionem saltem generalem, & tunc gratiam confert, cùm primùm sacramentum essentialiter completur, nõ exspectatis cæteris vnctionibus, ad essentiam non pertinentibus: quia cùm sacramenta gratiam conferant ad instar causarum naturalium, statim atque sunt ad causandum idonea, illam conferunt: sunt autem ad causandum idonea, statim atque sunt in sua essentia completa, non secus ac causa naturalis.

Sacramenta conferunt gratiam ad instar causarum naturalium.

133. Confirmatur 2. Nam sæpe daretur casus, in quo infirmus susciperet totum sacramentum quoad totam suam essentiam, & tamen nullam reciperet gratiam, quando nimirum absolutis primis quinque vnctionibus, quibus essentialiter hoc sacramentum perficitur, infirmus ante sextam vel septimam, ad quam Sacerdos suam referret intentionem, moreretur. Nec argumentum ductum à tribus mersionibus, quas antiquitus in Baptismo Ecclesia adhibebat, aliquid probat, cùm sit eadem ratio. Hac igitur sententia tanquam minùs probabili reiecta, recensendæ sunt aliæ probabiliores.

134. SECVNDA igitur sententia asserit, gratiam conferri in instanti, quo hoc sacramentum essentialiter completur: essentialiter autem completur in istanti, quo primum quinque vnctiones absoluuntur cum totidem formis illis correspondentibus. Hęc videtur communior inter recentiores: quam expresse docent Suarez disp. 41. sect. 2. num. 13. Valentia disp. 8. quæst. 2. punct. 2. Emmanuel Sà verbo *Extrema vnctio*, Coninck disp. 19. dub. 6. Nugnez 3. p. tomo 2. qu. 32. art. 6. dub. vnico, Filliucius tract. 3. de sacramento Extremæ-Vnctionis cap. vlt. num. 126. Diana tract. 4. de sacramentis Resol. 179. Sotus & Henriquez supra citati, qui à fortiori docent, quando hoc sacramentum conficitur quinque tantùm vnctionibus essentialibus, gratiam conferri in vltima. Fundamentum est. Nullum sacramentum suum effectum causat, nisi quando est essentialiter completum. Atqui hoc sacramentum non completur essentialiter, nisi quinta vnctione: ergo ante quintam vnctionem suum effectum non confert.

Suarez. Valentia. Emmanuel Sà. Coninck. Nugnez. Filliucius. Diana. Sotus. Henriquez.

135. TERTIA sententia opinatur, in singulis vnctionibus, & formis vnctionibus correspondentibus, partialem gratiam conferre. Hanc probabilem putant Henriquez, Suarez, & Filliucius suprà citati. Cui fauent S. Thomas q. 29. in additione ad tertiam partem art. 2. ad primum, vbi hoc sacramentum comparat sacramento Eucharistiæ, cuius singulæ species gratiam conferunt: Scotus in 4. dist. 23. qu. vnica, ad secundum, affirmans, hoc sacramentum esse vnum vnitate integritatis, non indiuisibilitatis: *sicut effectus eius*, inquit, *non est vnus indiuisibiliter, quia non remissio vnius venialis; sed vnus vnitate plenaria remissionis omnium venialium.* Medina codice de confessione tract. 2. q. 11. de integritate absolutionis, §. *Secundo idem probat Adrianus*, vbi docet, Extremam-vnctionem ex pluribus constare partibus, quarum quęlibet est sacramentum, habens suam propriam formam, non secus ac Eucharistia.

Henriquez. Suarez. Filliucius. S. Thomas. Scotus. Medina.

136. Fundamentum huius sententiæ triplex est. Primum ducitur à paritate Eucharistiæ, & ordinis. Nam sicut quęlibet species Eucharistiæ, & quiuis partialis ordo confert suum partialem effectum, ita & in hoc sacramento quæuis vnctio cum sua propria forma confert suum partialem effectum, & gratiam. Secundum quæuis vnctio cum sua forma cõstat ex partiali materia, & ex partiali forma cum significatione propria respondente proprio effectui: ergo quęuis vnctio cum sua propria forma est proprium sacramentum gratiam conferens: nam sacramentum ex diuina institutione efficit, quod significat: ergo si quęuis vnctio cum sua propria forma habet proprium significatum partiale, distinctum ab alijs, habebit etiam suum effectum proprium partialem, condistinctum ab alijs. Tertium fundamentum est: quia iuxta hanc sententiam melius prouisum est casibus, qui possunt in hoc sacramento suscipiendo occurrere infirmo, vt si moriatur ante omnes quinque vnctiones expletas: nam in hac sententia infirmus accipit gratiam saltem partialem in prima vnctione; vnde etiamsi moriatur antequam accipiat reliquas, moritur cum gratia sacramentali. Præterea fieri potest, vt per talem gratiam inunctus ex attrito fiat contritus, & saluetur, qui iuxta aliam sententiam gratiam non acciperet, & consequenter, si in peccatis esset, etiamsi esset attritus, damnaretur.

137. QVARTA sententia censet, totam gratiam in hoc sacramento statim conferri, cùm primùm prima vnctio cum sufficienti Verborum forma applicata fuerit: Cæterùm reliquas vnctiones cum suis formulis docet addendas esse ex sola Ecclesiæ consuetudine, non autem ex sacramenti, aut effectus necessitate. Hanc expresse docet Becanus, & sequitur ex sententia eorum, qui docent, vnicam tantùm vnctionem in quauis corporis parte adhibitam, esse sufficientem ad essentiam huius sacramenti. Quam sententiam suprà probabilem censuimus, eamque vrgente necessitate posse ad praxim redigi, propter authoritatem duorum Ritualium multorumque Theologorum, quos ibi citauimus.

Becanus.

138. Iuxta aliam verò sententiam asserentem, hoc sacramentum essentialiter constare quinque vnctionibus, expressis quinque formulis, tam secunda, quàm tertia sententia est probabilis ob rationes pro vtraque allatas. Notandum tamen est iuxta tertiam sententiam, dicendum esse, per primam gratiam partialem, quę in prima vnctione confertur, remitti omnia peccata mortalia, si quę in subiecto sunt, inuincibiliter ignorata, cùm nequeat vnum peccatum mortale absque alio remitti: repugnat namque, saltem de poten-

tia ordinaria, quamcunque gratiam habitualem consistere cum peccato mortali. Quo etiam fit, vt si in prima vnctione infirmus nō sit sufficienter dispositus ad remissionem peccatorum recipiendam, sit autem dispositus in secunda, tertia vel quinta vnctione, non in prima, sed in secunda, tertia, vel quinta vnctione gratiam peccatorum remissiuam consequatur.

SECTIO VIII.

Quisnam sit necessarius minister huius sacramenti?

Concilium Florentin. & Trident.

139. DOgma fidei est à Concilio Florentino, & Tridentino sess. 14. de Extrema-vnctione cap. 3. & Canone 4. contra hæreticos huius temporis definitum, solum Sacerdotem esse Ministrum huius sacramenti: quod perpetua Ecclesiæ praxis ostendit, quæ nunquam huius sacramenti administrationem alteri, quàm Sacerdoti, commisit: colligiturque ex illis verbis B. Iacobi: *Inducant Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum oleo.* Quibus verbis, iisdem Presbyteris tribuitur oratio, & vnctio simul: nomine autem Sacerdotis à fortiori intelligitur Episcopus, qui superior est Sacerdote dignitate, idque expresſè docuit Innocentius primus Epistola ad Decentium Episcopum Eugubinum. Porrò per Presbyteros hoc loco non intelligi seniores ætate, vt hæretici contendunt, sed officio & dignitate, constat, tum quia apud Ecclesiasticos scriptores *Presbyter* absolutè prolatus stat pro Sacerdote, tanquam pro principali significato, vt colligitur ex prima ad Timotheū 4. *Cum impositione manuum Presbyteri.* Tum quia si hoc loco Iacobus intellexisset seniores ætate, non fuisset ad rem, cùm potiùs hortari debuisset, vt ad infirmos inducerentur celebriores sanctitate, quorum oratio efficacior est apud Deum.

B. Iacobus. *Qui nomine Presbyteri intelligantur.* *Innocent. I.* *1. ad Tim. 4*

Occurritur obiectioni.

140. Nec obstat, quòd ab Apostolo dicantur Presbyteri numero multitudinis: tum quia sæpè hic numerus in sacra Scriptura accipitur pro numero singulari, vt alibi cum Augustino notauimus. Tum quia, cùm hoc sacramentum ministretur infirmis, qui maximè indigent precibus Ecclesiæ, cumque officium Presbyterorum sit orare pro fidelibus, præter Presbyterum, qui sacramentum ministret, hortatur Apostolus, vt alij etiam inducantur ad orandum pro infirmo. Demum vsus est Apostolus numero plurali, vt insinuaret, posse hoc sacramentum à pluribus Sacerdotibus simul ministrari, vt infrà declarabo.

Innocent. I.

141. DICES. Innocentius I. citata Epistola ad Decentium ait, non solùm Sacerdotibus, sed omnibus Christianis licitum esse vti hac vnctione: ergo non est solius Sacerdotis hoc sacramentum ministrare. Propter hanc authoritatem Thomas Waldensis putauit, posse laicum in absentia Sacerdotis hoc sacramentum ministrare. Sed hoc est plusquam falsum. Sotus in 4. dist. 23. q. 2. art. 1. censet, hoc loco Pontificem non loqui de vnctione sacramentali, sed de vnctione, qua deuotionis causa ad infirmitatem curandam antiquitus vtebantur etiam laici. Verùm hęc Soti responsio vix textui accommodari potest.

Reijcitur Thomas VValdensis & Soti opinio.

142. Dicendum igitur est, citata verba Pontificis non esse intelligenda de vsu actiuo, sed passiuo huius sacramenti: constat ex textu, in quo de hoc vsu passiuo immediatè ante locutus fuerat Pontifex. Explicans enim verba Iacobi, ita scribit: *quod non est dubium de fidelibus ægrotantibus accipi, vel intelligi debere, qui sancto oleo chrismatis perungi possunt.* Post quæ verba statim subiungit *Quo*, nempe chrismate, *ab Episcopo confecto, non solùm Sacerdotibus, sed omnibus vti christianis licet in sua, aut suorum necessitate.* Quæ verba cùm sint declaratiua pręcedentium, referunt eundem sensum.

An possit hoc sacramentum à pluribus Sacerdotibus validè confici.

143. Aliqua controuersia est, an possit hoc sacramentum à pluribus Sacerdotibus validè confici. Trifariam autem posset hoc sacramentum à pluribus Sacerdotibus confici 1. vt vnus solam subministret materiam vngendo, altero formam tantùm proferente. 2. vt dum vnus vngit vnum sensum, enuntiatque suam partialem formam, alter alterum sensum vngat, & suam proferat partialem formam. 3. vt dum vnus vnum sensum vnxit, protulitque suam partialem formam, alter non quidem simul, sed successiuè alium sensum vngat, aliamque proferat partialem formam. His adnotatis,

Suarez. Nugnez.

144. DICO 1. Nequit hoc sacramentum validè confici à pluribus Sacerdotibus iuxta primum modum. Est Suarez disp. 43. sect. 2. Nugnez 3. p. tomo 2. q. 31. art. 2. insinuaturque in illis verbis Iacobi: *Orent super eum, vngentes eum oleo:* quibus significat, eundem debere esse, qui formam profert orando, & qui materiam ministrat vngendo. Ratio verò est: quia sacramenta, quę in ipsa actione ministri consistunt, determinari debent per verba ab ipsomet ministro prolata: non enim valeret Baptismus, si ab vno materia, ab alio forma adhiberetur. Nec refert, quòd forma Baptismi sit indicatiua, & expresſè referat eundem, qui lauat, & qui verba profert: nam etiamsi forma Extremæ-Vnctionis sit deprecatiua, adhuc ex communi vsu locutionis refert eundem vngentem, & verba proferentem.

Henriquez. Suarez. Emmanuel Sà. Coninck.

145. DICO 2. Potest hoc sacramentum à pluribus Sacerdotibus validè confici, non solùm successiuè, sed etiam simul. Prior pars est communis inter Scholasticos in 4. dist. 23. & inter summistas verbo *Extrema Vnctio.* Posteriorem verò docent Henriquez lib. 3. de sacramentis cap. 13. num. 3. Suarez disp. 43. sect. 2. n. 8. Emmanuel Sà verbo *Extrema-vnctio*, Coninck disp. 19. dub. 9. concl. 3.

Nugnez

Nugnez.

Nugnez loco prçcitato, & alij recentiores, qui hanc sententiam communiter sequuntur.

146. Assertio hæc insinuatur à B. Iacobo, dum in plurali ait, inducendos esse Ecclesiæ Presbyteros, qui orent, & vngant infirmum. Et probatur à paritate ordinis, & Eucharistiæ. Etenim si Episcopus qui Sacerdotem consecrauit, deficiat, antequam eidem potestatem conferat remittendi peccata, posset & deberet alter Episcopus huiusmodi potestatem conferre, non repetendo, quod præcedens Episcopus fecit: quia supponitur à prçcedente Episcopo validè collatam fuisse potestatem in corpus Christi verum. Item si Sacerdos, qui hostiam consecrauit, deficiat, vt non possit secundam speciem consecrare, posset alter Sacerdos calicem dumtaxat consecrare, non consecrata alia hostia: quin posset, dum vnus hostiam consecrat, validè alter calicem consecrare. Cæterùm etsi validè possent duo Sacerdotes simul hoc sacramentum conficere, haud tamen possent licitè, cùm sit contra vniuersalem Ecclesiæ praxim, à qua recedere non licet sine vrgente necessitate, qualis esset, si periculum foret, ne antequam omnes quinque vnctiones ab vno Sacerdote absoluerentur, infirmus deficeret.

Instantia contra prædicta.

147. Dices. Dispar est ratio de Eucharistia, & ordine: quia nec secundus Sacerdos tenetur consecrare hostiam, sed tantùm calicem, quia hostia supponitur ab alio consecrata: nec secundus Episcopus debet iterare sacramentum, conferendo potestatem in corpus Christi verum, quia illa supponitur collata à præcedéte Episcopo. At verò per vnam vnctionem à primo Sacerdote adhibitam, nihil omnino effectum est, cùm hoc sacramentum non conficiatur, nisi quinque vnctionibus. Potest igitur & debet secundus Sacerdos repetere primam vnctionem ab alio Sacerdote factam; non potest autem repetere consecrationem hostiæ, vel secundus Episcopus collationem potestatis in corpus Christi verum: quia per primam vnctionem nihil effectum est, sicut per consecrationem hostię, & collationem potestatis in corpus Christi verum, aliquid sacramenti confectum est.

148. Confirmatur. Ita se habet vna vnctio ad reliquas in hoc sacramento, sicut prima verba calicis, *Hic est calix*, ad reliqua subsequentia: sed si quis tantùm protulisset hæc verba, secundus Sacerdos, non deberet tantùm supplere verba subsequentia, quæ prçcedens non protulit, sed omnia, etiam quę præcedens protulit: ergo si quis vnam tantùm adhibuit vnctionem, debet sequens non tantùm supplere reliquas, quas præcedens non adhibuit, sed etiam primam, quam adhibuit: nam eodem modo nihil per primam vnctionem effectum est, sicut per prima verba calicis.

Satisfit instantia.

149. Respondeo 1. Etiam per primam vnctionem collatus est aliquis effectus sacramentalis, iuxta probabilem sententiam, de qua supra sectione prçcedente. Respondeo 2. Esto nullus effectus gratiæ sacramentalis sit collatus per primam vnctionem, est tamen sacramentum ipsum inchoatum per propriam partialem materiam, & propriam partialem formam: quod sat est, vt non teneatur secundus Sacerdos repetere vnctionem ab alio factam nisi fortè illa non fuisset completa per omnia verba formæ: nam tunc repetenda esset talis vnctio cum tota partiali forma illi correspondente. Nec est par ratio de primis verbis calicis: quia illa non sunt integra forma partialis calicis: sicut vna vnctio cum sua propria forma est integra pars sacramenti. Cçterùm, an possit secundus Sacerdos, non obstante, quòd primus vnam, vel alteram vnctionem adhibuit, omnes quinque adhibere, non dubito, quin licitè possit, vt constat exemplo Eucharistiæ, in qua etiamsi vna species supponatur consecrata, adhuc licitè potest secundus Sacerdos vel simul cum calice nouam hostiam consecrare, vel tantùm supplere, quod primus Sacerdos omisit, vt notatur in Rubricis communibus Missalis.

150. Dico 3. Etsi validè hoc sacramentum à quouis Sacerdote administrari possit, non tamen licitè, nisi vel in extrema necessitate, vel de proprij pastoris tacita saltem licentia. Vnde in Clementina I. de priuilegijs ipso facto excommunicantur Religiosi, qui clericis, aut laicis præsumpserint absque Parochi licentia in articulo mortis tam hoc, quàm Eucharistię sacramentum ministrare. Dicitur, qui *præsumpserint*, nam qui vel ignorantia, vel sub ratihabitione id fecerit, excõmunicationẽ nõ incurrit, quę soli Papę reseruata est. Dicitur *Clericis*, nempe secularibus, *& laicis*: nam si hoc sacramentum à Religiosis ministretur alijs Religiosis, non incurritur excommunicatio. Dicitur, *nisi in extrema necessitate*: quoniam in eo casu Ecclesia non censetur, cum tanto damno infirmi velle Sacerdotem excommunicationis vinculo innodare. Quin, si constet, Parochum iniustè hanc licentiam negare, posse quemcunque Sacerdotem sacramentum hoc in extremis constituto ministrare, quemadmodum & sacramentum Eucharistiæ. Neque ad hoc sacramentum ministrandum requiritur, vt Sacerdos sit expositus, & ad confessiones audiendas iuxta Tridentini decretum approbatus: cùm hoc nullam requirat in administrante iurisdictionem, cùm non sit sacramentum iudiciale, vti est sacramentum Pœnitentiæ. An autem possit Parochus publicè excommunicatus licentiam concedere Sacerdoti ad hoc sacramentum administrandum: Negat Suarez disp. 44. sect. 2. num. 5. Affirmant verò communiter alij, & quidem *probabiliùs*, eo quòd licentiam concedere ad hoc sacramentum ministrandum, non sit actus iurisdictionis, qua publicè excommunicatus priuatur.

Clementina prima.

Suarez.

Probabilius est Parochũ publicè excommunicatum posse licentiam concedere ad hoc sacram. administrãdum.

SECTIO IX.

Quodnam sit remotum subiectum huius sacramenti?

Duplex est huius sacra. subiectum.

151. DVplex distinguitur huius sacramenti subiectum; Alterum proximum, suntque ipsa sensuum organa immediatè inungenda: Alterum remotum, qui est totus homo, diciturque subiectum denominationis, qui ex vna tantùm vnctione in vna corporis parte totus denominatur inunctus. De priori subiecto egimus sect. 4. vbi iuxta varias sententias docuimus, quænam partes, & quot sint necessariò inungendæ ad validitatem huius sacramenti. In hac agendum erit de posteriori.

Subiectum remotum huius sacra. est solus homo viator.

152. Et primò certum est, subiectum remotum huius sacramenti esse solum hominem viatorem Baptizatum: Tum quia omnia sacramenta sunt media gratiæ, instituta pro viuis, qui tantùm sunt capaces nouæ gratiæ eiusque accrementi: vnde quando de vita inungendi dubitatur, inungendus est sub conditione, saltem tacita, si est viuus. Tum quia Baptismus est ianua ad reliqua sacramenta. Quo fit, vt si hoc sacramentum attentetur non baptizato, etiamsi sit catechumenus, & in gratia existens, irritum sit, & inualidum.

Quodnam subiectum capax huius sacram.

153. Secundò certum est, subiectum huius sacramenti capax esse hominem graui ac periculosa infirmitate laborantem, ita vt infirmitas non solùm sit conditio requisita ad effectum, sed etiam ad valorem sacramenti. Ita ferè omnes Doctores: idque colligitur tum ex verbis Apostoli Iacobi: *Infirmatur quis in vobis &c.* Tum ex Concilijs Florentino, & Tridentino, quę præcipiunt, nonnisi infirmis, de quorum morte timetur, vel vt Tridentinum ait, qui *in exitu vitæ constituti videantur*, esse ministrandum.

Infirmitas est conditio ad valorem Concilia Florent. & Trid.

Sotus.

154. Notat autem Sotus in 4. distinct. 23. quæst. 2. art. 2. post secundam conclusionem, non esse expectandum supremum mortis articulum, quo infirmus, sensibus destitutus, nullum possit deuotionis actum in susceptione huius sacramenti elicere: quod passim etiam aduertunt Ritualia. Ratio verò est: quia cùm hoc sacramentum institutum sit tum ad animi hilaritatem, tum ad corporis sanitatem, si expedierit, causandam, non expedit illud ad extremum vsque vitę tempus differre, quo infirmus nec vllam possit piam animi cogitationem exercere, eiusque corporis salus penitus desperata sit. Nam licet corporis salus, quando animę saluti expedierit, supernaturali virtute ab hoc sacramento causetur, haud tamen expectandum est tempus, quo hęc extraordinario miraculo causanda sit. Adde, quòd aliqua irreuerentia fit sacramento, illud ministrando, quando infirmus non valet debita cum deuotione ad illud accedere. Cęterùm etsi per negligentiam non sit hoc sacramentum opportuno tempore ministratum; non tamen illud omitti debet, etiamsi infirmus nullum possit elicere deuotionis affectum: quin etiamsi non sit sui compos, vt infrà docebimus.

Obijcitur contra prædicta.

155. DICES. Hoc sacramentum non constat ex subiecto infirmo tanquam ex materia componente: ergo non potest quoad sui validitatem pendere ex infirmitate subiecti. Antecedens patet, quia subiectum est tantùm materia extrinseca, circa quam versatur hoc sacramentum. Consequentia verò probatur: quia si in sua essentia hoc sacramentum non includit tanquam partem componentem ipsum subiectum infirmum, poterit totam suam essentiam habere in subiecto non infirmo.

Subiectum supponitur vt conditio essentialis.

156. Respondeo negando consequentiam, eiusque probationem. Nam etsi sacramentum hoc in sua essentia non includat subiectum infirmum vt partem constituentem, supponit tamen illud vt conditionem essentialiter ad sui valorem requisitam. Sicut sacramentum ordinis non includit subiectum, cui confertur, vt partem constituentem sui, necessariò tamen supponit illud vt conditionem ad sui valorem essentialiter requisitam. Vnde defectu capacitatis subiecti non imprimitur character ordinis fœminę.

Non potest ministrari nisi infirmis.

157. Ex dictis infertur, non posse hoc sacramentum ministrari constituto in articulo mortis, si talis infirmus non sit, vt qui mox rapiendus est ad patibulum, vel iturus ad bellum, in quo certò sit moriturus, vel maris tempestate iactatus mox sit submergendus. Potest tamen vel qui pestem contraxit, vel qui venenum accepit, aut præ nimia senectute deficere incipiat, etiamsi non decumbat, hoc sacramentum suscipere. Concedunt etiam illud multi Doctores fœminis partui proximis: quanquam vt refert Emmanuel Sà verbo *Extrema-vnctio* in fine, id vetat Synodus Mediolanensis. Explicandi tamen sunt hi Doctores, vt tunc sit hoc sacramentum ministrandum fœminis partui proximis, quando ex nimio dolore partus, ita corporis viribus debilitantur, vt de morte earum timeatur.

Senectute nimia deficienter sunt capaces huius sacram

Emmanuel Sà.

Concil. Mediolanens.

Item fœminæ partui vicinæ.

158. Dubitatur, an ad validitatem huius sacramenti pertineat, vt infirmus versetur in vero periculo vitæ, an sufficiat, vt tantùm sit in periculo probabiliter putato. Nam quòd ad validitatem saltem requiratur, vt infirmitas sit grauis, & ex natura sua periculosa, docet Suarez disp. 43. sect. 2. colligiturque ex pręcitatis Concilijs, quę dum docent, hoc sacramentum nonnisi infirmis esse ministrandum, simul declarant, qua infirmitate laborare debeant, vt hoc illis ministrandum sit. Igitur si ex eo quod Concilia docent, hoc nonnisi infirmis ministrandum esse, colligimus, infirmitatem esse conditionem ad sacramenti valorem requisitam: pari modo ex eo, quòd eadem Concilia docent, non esse hoc sacramentum ministrandum, nisi periculoso

Ad validitatem huius sacram. requirit vt infirmitas sit grauis, opinio est Suarez.

morbo

morbo laborantibus, colligere debemus, periculosum morbum esse conditionem ad validitatem eiusdem necessariò requisitam.

159. Ratio igitur dubitandi pro proposita quæstione est: quoniam sicut ea materia necessaria est ad valorem sacramenti, quam Christus reipsa instituit, non quam quisque probabiliter iudicat: ita ea infirmitas erit necessaria conditio ad valorem huius sacramenti, quam Christus reipsa instituit, non quam quisque probabiliter putat. Vnde sicut non valeret sacramentum ordinis collatum fœminę probabiliter putato viro: ita nec sacramentum Extremæ-vnctionis collatum infirmo probabiliter tantùm putato in periculo vitæ. His tamen non obstantibus,

160. Dicendum est, ad valorem huius sacramenti sat esse, vt morbus probabiliter putetur periculosus: quod docuit Coninck disp. 19. dub. 7. & non obscurè colligitur ex illis verbis Tridentini: *Vt in exitu vitæ constituti videantur:* non enim dixit *Sint*, quod designat periculum in reipsa; sed *Videantur*, quod ad prudens iudicium refertur. Ratio verò est: quia cùm non semper possit moraliter sciri, quando sit verum periculum mortis, cùm hoc sæpe pendeat ex causis nobis occultis, plerumque fuisset hoc sacramentum suo effectu frustratum, si ad sui valorem requireret verum periculum vitæ in reipsa. Vnde ne valor sacramenti esset dubius, semper illud ministrandum foret, quando nulla esset de infirmo spes salutis: quod est contra praxim Ecclesiæ, & Ritualia, quæ præcipiunt propter maiorem fructum huius sacramenti, non esse expectandum extremum articulum mortis.

Coninck.

Con. Trid.

161. Ad rationem verò dubitandi Respondeo, disparem esse rationem de materia: quia de materia non est tanta difficultas dignoscendi eam ipsam, quam Christus reipsa instituit; quanta difficultas est dignoscendi verum periculum mortis: nam hoc sæpe pendet à causis occultis, illa verò à causis patentibus, & notis omnibus. Pari ratione inter virum, & fœminam aperta intercedit differentia omnibus nota.

162. Tertiò certum est, nec pueros rationis vsum nondum habentes, nec perpetuò amentes, esse huius sacramenti capaces: quia in his nequit verificari forma, & principalis finis, propter quem hoc sacramentum est institutum, qui est tum remissio peccatorum, quæ per alia sacramenta remitti non potuerunt, si obicem in subiecto non inueniat: tum animi roboratio ad morbi molestias patienter ferendas, tentationesque dæmonis superandas. Cæterùm in ea ætate ministrandum est hoc sacramentum pueris, in qua illis ministratur Eucharistia, vt passim Ritualia docent. Addo ego cum omnibus ferè Doctoribus ijs ministrari posse, quando sunt capaces sacramenti Pœnitentiæ: cùm hoc sit completiuum, & consummatiuum sacramenti Pœnitentiæ: imò ministrari posse saltem sub conditione ijs, quibus etiam sub conditione si fuerint capaces, ministratur sacramentum Pœnitentiæ. Legatur Diana tract. 4. de sacramentis Resol. 169. His vt certis positis,

Nec pueri, nec perpetuò amentes sunt huius sacram. capaces.

In qua ætate pueris sit ministrandum hoc sacramentum.

Diana.

163. Duæ supersunt difficultates apud Doctores controuersę; Altera, an hoc sacramentum ad sui validitatem postulet, vt subiectum aliquando peccauerit actualiter: Altera, an licitè ministrari possit ijs, qui nullum de facto ostendunt rationis vsum, esto illum antea habuerint.

164. Quoad priorem difficultatem: Negant Henriquez lib. 3. de sacramentis cap. 11. num. 3. Suarez disp. 42. sect. 2. num. 8. Coninck disp. 19. dub. 7. Filliucius tract. 3. de sacramento Extremæ-vnctionis cap. 5. q. 8. Diana tract. 4. de sacramentis Resol. 181. & manifestè sequitur ex illorum sententia, qui docent, Beatam Virginem suscepisse hoc sacramentum.

Henriquez. Suarez. Coninck. Filliucius. Diana.

165. Probant autem 1. Quia neque ex verbis Iacobi, neque ex aliquo Concilio, neque ex forma, aut materia, neque ex fine huius sacramenti, necessitas talis conditionis colligi potest: igitur asserenda non est. Antecedens probatur: nam verba illa Iacobi, *Et si in peccatis sit, dimittentur ei*, cùm sint conditionalia, nihil ponunt in esse: vnde etiamsi nulla sint, conficitur nihilominus sacramentum. Concilium autem Florentinum, & Tridentinum, nihil addunt, nisi solam explicationem verbis Iacobi. Forma verò intelligenda est iuxta verba Apostoli, ex quibus desumpta est, nempe conditionatè, & potentialiter, non absolutè & actualiter: sicut intelligitur de illo, qui aliquo sensu semper caruit, & per illum peccare nunquam potuit. Neque ex materia hęc conditio colligi potest: nam licet vnctio importet curationem spiritualem, quæ animi ægritudinem supponit; hæc tamen non est sola ægritudo ex peccatis actualibus in anima relicta, sed etiam debilitas ad resistendum tentationibus dæmonis, ex peccato originali, & corporis sensuumque imbecillitate causata. Demum neque hæc necessitas ex fine huius sacramenti colligi potest: nam principalis finis huius sacramenti est, roborare infirmum ad tentationes dæmonis superandas, quo subsidio indiget etiam, qui nunquam actualiter peccauit. Pręterea potest hoc sacramentum in tali subiecto abstergere reliquias relictas à peccato originali, quæ sunt ipsa animi, corporisque infirmitas.

Concilia Florent. & Trid.

166. Probant 2. Si quis in mortis articulo constitutus baptizetur, & viaticum sumat, potest hoc etiam sacramentum suscipere, etiamsi nullum peccatum post Baptismum commiserit: ergo actualiter peccasse non est conditio ad validitatem huius sacramenti necessariò requisita. Consequentia probatur: quia iste nullum habet peccatum actuale, & si quæ habuit, omnia sunt per Baptismum extincta.

167. Tertiò. Si quis post peccata actualia sanctissimè vixerit absque vllo peccato, etiam veniali, ex speciali priuilegio Dei, talis esset capax huius sacramenti; ergo esset capax,

pax, etiamsi nullum commisisset peccatum: nam si peccata actualia; vel ipsorum reliquiæ non sunt de præsenti necessaria ad sacramenti validitatem, non erunt necessaria præterita iam remissa: nam quod actu præcesserit, impertinenter se habet ad præsens sacramentum.

168. Quartò. Peccatum actuale non est materia huius sacramenti, sicut est materia sacramenti Pœnitentiæ: ergo licet non præcesserit, possunt omnia essentialia, ad hoc sacramentum conficiendum applicari. Quintò. Validum est sacramentum Baptismi collatum subiecto, quod nunquam peccauit: ergo etiam sacramentum Extremæ-vnctionis. Consequentia probatur, quia vtrumque sacramentum est remissiuum peccati, quod inuenit in subiecto sine obice.

Affirmant Nugnez. Ioan. Sanctius. Diana. S. Thomas.

169. Affirmant verò Nugnez 3. p. tomo 2. quæst. 32. art. 2. difficul. 2. Ioannes Sanctius apud Dianam loco præcitato, idque expresse docet S. Thomas q. 32. in supplemento ad tertiam partem art. 4. ad secundum; vbi propterea negat, pueris non habentibus rationis vsum esse hoc sacramentum ministrandnm, quia hi non habent reliquias peccati actualis, ad quas abstergendas principaliter est hoc sacramentum institutum. Idem sentiunt, qui putant, hoc sacramentum esse institutum ad delenda peccata venialia. Vnde

Bonauent.

Bonauentura in 4. dist. 23. art. 2. quæst. 3. ad vltimum, obijciens sibi, falsam esse formam huius sacramenti prolatam super organum sensus, quo semper caruit infirmus, Respondet, negando sequelam: nam etiamsi per illud infirmus nunquam actu peccauit, actu tamen peccauit interno appetitu, desiderando per tale organum externum actum inordinatè exercere. Si autem hic Author iudicasset, ad valorem huius sacramenti sufficere peccatum tantùm in potentia, ad propositam obiectionem soluendam non recurrisset ad actum appetitus interni, sed ad potentiam, qua potuit per tale organum peccare. Vnde cùm quæstione secunda dicit, hoc sacramentum dandum esse *solis infirmis, qui peccare potuerunt venialiter*, ly *peccare potuerunt*, non intelligitur de sola potentia antecedente, sed etiam de consequente. Eodem modo intelli-

Richardus.

gendus est Richardus art. 2. quæst. 4. dum ait, hoc sacramentum non esse conferendum, nisi *habentibus, vel habere potentibus de communi lege veniale peccatum.*

Probabilius.

170. Hæc sententia probabilior est, iactisque nostris principijs conformior: cuius potissimum fundamentum est: quoniam hoc sacramentum est per se primò institutum ad remittenda peccata, quæ per alia sacramenta non fuerunt remissa, si obicem non inueniat: ergo necessariò supponit subiectum aliquando peccasse. Antecedens probatum est supra sect. 6. ex verbis Iacobi, ex Concilijs, & ex forma ipsa, ex qua maximè nobis innotescit principalis effectus sacramenti. Consequentia verò probatur: nam alioqui non posset verificari forma. Cùm enim forma huius sacramenti expressè importet remissionem peccatorum, verificari non posset de subiecto, quod nullum vnquam peccatum commisit: sicut non verificaretur forma absolutionis de subiecto, quod nunquam peccauit. Nam esto neutra forma necessariò supponat actuale peccatum in subiecto, quia fieri potest, vt omnia peccata actualia supponantur remissa, vel per actum contritionis, vel per sacramentum Pœnitentiæ, & Eucharistiæ; necessariò tamen supponere debet, aliquod actuale peccatum in tali subiecto præcessisse, vt capax sit gratiæ peccatorum remissiuæ, quam confert sacramentum Pœnitentiæ, & Extremæ-vnctionis: alioqui, vt dictum est, neutra forma verificari posset. Confirmatur: nam sacramentum Extremæ-vnctionis ex Concilio Tridentino est completiuum, & consummatiuum sacramenti Pœnitentiæ: ergo supponit subiectum capax sacramenti Pœnitentiæ, cùm debeat supplere id, quod sacramentum Pœnitentiæ, vel non potuit, vel omisit.

Concilium Tridem.

171. Dices, posse hoc sacramentum in tali subiecto habere effectum tum roborationis animi, contra morbi molestias, tentationesque dæmonis; tum sanationis corporis: ergo non omninò suo fine frustraretur. Respondeo negando antecedens; quia cùm quodlibet sacramentum principaliter sit institutum propter suum primarium finem in forma expressum, vbi principalem suum finem habere nequit, nec secundarium habere poterit: quia secundarius est quid accessorium, & propter primarium.

Sacramentum quod nequit habere suum finem primarium nõ potest etiam habere secundarium.

172. Ad primum oppositæ sententiæ, negatur antecedens, vt constat ex suprà disputatis sect. 6. vbi explicauimus, quare verba Apostoli Iacobi de remissione peccatorum sint conditionalia. Ad secundum, negatur consequentia: nam sufficit, vt aliquando actu peccauerit. Eodem modo respondetur ad tertium. Ad quartum negatur consequentia: quia licet peccatum actuale non sit materia, ex qua componatur hoc sacramentum, est tamen materia, circa quam hoc sacramentum versatur. Vnde negandum est, posse omnia essentialia huius sacramenti applicari subiecto, quod nunquam peccauit: quia non potest applicari forma quoad suum formale significatum, quæ est gratia peccatorum remissiua. Ad quintum negatur etiam consequentia: quoniam in forma Baptismi nullum exprimitur peccatum, vti exprimitur in forma Extremæ-vnctionis. Quo fit, vt illa verificari possit etiam in subiecto; quod nunquam peccauit; nõ autem hæc ex his sequitur B. Virginem non fuisse capacem huius sacramenti, vti fuit capax baptismi.

173. Quoad secundam difficultatem negat Sanctus Thomas quæst. 32. art. 3. in supplemento ad 3. partem, hoc sacramentum esse conferendum ijs, *qui non possunt recognoscere, & cum deuotione suscipere hoc sacramentum.* Ex quo infert, non debere hoc sacramentum dari furiosis, & amentibus, nisi habeant lucida interualla, quibus hoc sacramentum

S. Thomas negat.

mentum recognoscerent. Probatur: quia non debet hoc sacramentum dari, cui non potest suum primarium effectum conferre: nequit autem hoc sacramentum suum primarium effectum conferre, nisi rationis vsum habenti: igitur nonnisi rationis vsum habentibus conferri debet. Minor probatur: nam primarius effectus huius sacramenti est, animum roborare ad molestias morbi patienter ferendas, tentationesque dæmonis peruincendas.

Sententia affirmans probabilior.

174. Cæteri verò Theologi *probabiliùs* affirmant, hoc sacramentum conferendum esse cuicunque adulto, qui aliquando rationis vsum habuit, etiamsi de facto nullum rationis indicium ostendat; modò certò non constet, eum, antequam rationis vsum amisit, fuisse in peccato, & de illo non doluisse: velut si quis blasphamans statim in amentiam incideret. Eandem doctrinam ferè omnia Ritualia tradunt, & sua authoritate confirmant. Catechismus Romanus de hoc sacramento num. 9. in fine. Quanquam curandum est Parochis, vt ibidem Catechismus aduertit, eo potissimùm tempore hanc cœlestem medicinam adhibere, quando maior ex ea speratur fructus futurus: quod est, quando infirmus est sui compos, proprioque actu potest se ad hoc sacramentum meliùs præparare.

Catechis. mus Rom.

175. Fundamentum communis huius doctrinę est: quoniam primarius effectus huius sacramenti non solùm est animi roboratio contra morbi difficultates, dæmonisque oppugnationes, sed etiam peccatorum remissio, si quę per alia sacramenta vel non fuerunt remissa, vel non potuerunt remitti. Fieri enim potest, vt quis in peccato existens cum sola attritione in amentiam incidat: tunc enim virtute huius sacramenti amens gratiam accipiet, & de attrito fiet contritus, qui aliequi damnaretur.

176. Ex his patet ad fundamentum oppositæ sententiæ: nam licet hic non sit capax vnius effectus primarij, qui est actualis animi roboratio ad tentationes vincendas; est saltem capax alterius effectus primarij, qui est remissio peccatorum, quæ ab alijs sacramentis remissa non fuêre. Hinc apertum infertur discrimen inter adultos, qui aliquando vsum rationis habuerunt, & perpetuò amentes: quoniam hi nullius effectus primarij sunt capaces: nec debet hoc sacramentum propter solum effectum secundarium, qui est corporis sanitas, huiusmodi hominibus administrari, vt communiter Theologi docent.

Propter effectum secundarium solū non debet hoc sacram. administrari.

177. *Obijcies* 1. Non debet hoc sacramentum ministrari, nisi illud petentibus, sed huiusmodi homines non possunt hoc sacramentum petere: ergo non debet illis administrari. Maior constat ex illis verbis Iacobi: *Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros.* Quibus significat, eundem qui infirmatur, debere Presbyteros inducere. Respondeo 1. Necessarium non esse, vt hoc sacramentum actu petatur, quando confertur, sed sat esse, vt aliquando ab infirmo petitum fuerit: nam si hoc certum est de sacramento Baptismi, Pœnitentiæ, & Eucharistię, à fortiori certum erit de sacramento Extremæ-vnctionis, quod minùs in suo effectu conferendo pendet ab actibus subiecti. Respondeo 2. Non esse necessariam petitionem expressam, & formalem, sed sufficere interpretatiuam, & virtualem, inclusam in ipsa voluntate, quam vnusquisque habet de propria salute: quia nimirum, vt Ritualia notant, si interrogatus fuisset, petiuisset: vel certè petiuisset, si aduertisset.

178. *Obijcies* 2. Non licet infirmo existenti in peccato cum sola attritione cognita ad hoc sacramentum accedere: ergo neque licebit Sacerdoti hoc sacramentum ministrare infirmo peccatori, si cognoscat illum non habere, nisi solam attritionem. Respondeo negando consequentiam: nam infirmus existens in peccato, si cum sola attritione cognita ad hoc sacramentum accedit, ponit obicem in ipsa susceptione sacramenti: quia cùm sit sacramentum viuorum, supponit saltem in conscientia suscipientis vitam gratiæ. Quo fit, vt si infirmus attritionem probabiliter putet contritionem, vel non esse maiorem dispositionem ad hoc sacramentum necessariam, nullum ponit obicem, ac proinde gratiam recipit. Cùm igitur, quę ministro nota est attritio, potuerit infirmo probabiliter videri contritio, potest & debet attrito existenti in peccato, hoc sacramentum Sacerdos conferre.

Mouetur alia difficultas.

179. Quid si inquies, quando infirmus fuit compos sui, attritionem elicuit, & cum attritione cognita hoc sacramentum petiuit, post quam statim in amentiam incidit? an tali dandum sit hoc sacramentum? & an in tali casu infirmus fieret ex attrito contritus? Ratio dubitandi est: quia hic censetur moraliter in ea dispositione perseuerare, in qua fuit, antequam in amentiam incideret. Atqui ea dispositio non erat sufficiens ad effectum huius sacramenti recipiendum, quia non potuisset tunc sit attritus hoc sacramentum suscipere: ergo nec poterit postea, cùm idem perseueret obex.

Ratio dubitandi.

Conclusio bimembris.

180. Pro quo distinguendum est. Nam vel iste petendo hoc sacramentum cum sola attritione cognita, peccauit, quia nimirum cum ea sola volebat ad hoc sacramentum accedere cum conscientia peccati mortalis: vel non peccauit, saltem mortaliter, vel defectu perfectæ aduertentiæ, vel quia habebat animum ad actum contritionis conari, antequam ad hoc sacramentum accederet. Si peccauit; non poterit per susceptionem huius sacramenti ex attrito fieri contritus. Ratio est, quia talis attritio non potuit se extendere ad peccatum commissum per ipsam iniquam petitionem & animum hoc sacramentum suscipiendi cum conscientia peccati mortalis: nullum autem peccatum potest remitti, extra, vel in sacramento, nisi sit ab ipso peccatore, saltem per attritionem retractatum. Mi-

nor

nor supponitur ex 3. tomo, & saltem de potentia ordinaria admittitur ab omnibus. Maior probatur: nam illa attritio ad summum tantùm est de peccatis præteritis, non de præsenti, quod peccator de nouo committit, dum deliberatè proponit ad hoc sacramentum accedere cum conscientia peccati mortalis. Repugnat enim, vt quis efficaciter de peccato atteratur, & simul illud actu committat. At hoc ipso quòd quis deliberatè proponit ad hoc sacramentum accedere cum sola attritione cognita de suis peccatis, actu peccat peccato indignę dispositionis & sacrilegij: igitur non potest de illo attritionem habere. Confirmatur: nam si de illo attritionem haberet, deberet conari ad eliciendum actum contritionis saltem putatum, qui ad minimum necessarius est ad dignam dispositionem huius sacramenti. Si verò non peccauit, hoc sacramentum petendo cum sola attritione cognita, accipiendo hoc sacramentum in amentia, statim fiet ex attrito contritus. Ratio est: quia hic in tali euentu haberet sufficientem dispositionem ad recipiendam gratiam iustificantem per hoc sacramentum. Quod sic ostendo. Primò à posteriori: nam si hic postquam hoc sacramentum petiuit cum sola attritione cognita, inuincibiliter oblitus fuisset suorum peccatorum, de quibus solam habebat attritionem, suscipiens hoc sacramentum iustificatus fuisset: ergo etiamsi postquam hoc sacramentum petiuit cum sola attritione cognita, incidisset in amentiam, suscipiens hoc sacramentum, iustificatus esset: quippe cùm amentia comparetur obliuioni inuincibili: secundò à priori. Etenim eatenus in peccatore sola attritio non est sufficiens dispositio ad recipiendam gratiam iustificantem, in hoc & reliquis sacramentis viuorum, quatenus illa est ab ipso peccatore cognita vt attritio. Quo fit, vt si reipsa maneat attritio, modò non sit ab ipso peccatore cognita vt attritio, erit sufficiens dispositio ad recipiendam gratiam iustificantem in hoc, & in reliquis sacramentis viuorum. Atqui in amente maneret in reipsa attritio, & non cognosceretur ab ipso vt attritio: ergo in eo esset sufficiens dispositio ad recipiendam gratiam iustificantem per hoc sacramentum.

Instatur.

181. Dices. Sufficiens dispositio ad hoc, & reliqua sacramenta viuorum est attritio saltem ab ipso peccatore putata contritio: atqui talis attritio numquam fuit ab ipso peccatore putata contritio, cùm supponatur statim atque illam cognouit vt attritionem, in amentiam incidisse.

Respōdetur.

Respondeo distinguendo maiorem: est attritio vt putata contritio reipsa necessaria ad gratiam per hoc, & reliqua sacramenta viuorum recipiendam, negò: est necessaria in conscientia peccatoris, ne actu peccet, scienter accedendo ad sacramenta viuorum cum conscientia peccati mortalis, concedo. Est igitur hoc tantùm necessarium, ne peccator actu peccet, dum cum sola attritione ad hoc sacramentum accedit in peccato mortali. Vnde si fieri posset, vt ad hoc, vel reliqua sacramenta viuorum accederet cum sola attritione in re, nunquam ab ipso cognita, neque vt attritione, neque vt contritione, & cum nulla conscientia peccati mortalis; accederet sufficienter dispositus ad gratiam per hoc sacramentum recipiendam. Nam hoc ipso quòd accederet sine conscientia peccati mortalis, accederet sine obice in conscientia: ergo si ex alia parte haberet attritionem in re, accederet cum sufficiente retractatione peccati: ergo iustificaretur, cùm ad iustificationem per sacramentum nil aliud requiratur, quàm ad sacramentum accedere sine obice in conscientia, & cum sufficiente retractatione peccati. Confirmatur. Nam si quis habuit solam attritionem de peccatis, cognitam tantùm vt attritionem, si postea inuincibiliter suorum peccatorum oblitus ad aliquòd sacramentum viuorum accederet, accederet sufficienter dispositus. Atqui eadem ratio est de amentia, quę æquiualet inuincibili obliuioni.

Soluitur ratio dubitandi.

Ex his patet ad rationem dubitandi. Cuius distinguenda est maior: censetur moraliter perseuerare in ea dispositione, in qua antea fuit, quoad peccatum, concedo; quoad dispositionem in ordine ad præsens sacramentum impediendum, nego: nam in ordine ad præsens sacramentum pręterita dispositio, est, ac si non esset, quia se habet vt inuincibiliter ignorata. Non enim in causando pendet à dispositione præterita, quæ per subsequens impedimentum phrenesis, vel inuincibilis ignorantię sublata est, sed à dispositione præsenti, quæ est attritio de peccato, hic, & nunc ab infirmo non cognita vt attritio, licet fuerit ab ipso antea cognita. Et ratio est. Nam non ideo attritio cognita vt attritio ab ipso peccatore impedit effectum huius sacramenti, quia de se insufficiens est, si absit obex à conscientia peccatoris: sed quia accedendo cum attritione cognita, accedit cùm nouo peccato indignę dispositionis. Ergo si accedat cum attritione in reipsa, & sine obice peccati mortalis in conscientia, accedet sufficienter dispositus, quia accedit sine obice, & cum sufficiente retractatione in reipsa, ac sine nouo peccato: nam hoc non committitur, nisi attritio cognoscatur vt attritio: in proposito autem casu attritio, quæ moraliter perseuerat in amente, non cognoscitur ab ipso vt attritio: ergo.

SECTIO X.

An hoc sacramentum sit natura sua iterabile?

Posse iterari est de fide.

182. Certum fidei dogma est, hoc sacramentum posse in eadem persona in varijs infirmitatibus constituta iterari. Definitur hæc veritas 1. in Concilio Florentino ab Eugenio IV. in decreto de sacra-

Concilium Florentin.

mentis §. *Quinto*, in fine: vbi postquam docuerat tria tantùm sacramenta, Baptismum, Confirmationem, & Ordinem, characterem imprimere, adeoque in eadem persona iterari non posse, ita concludit: *Reliqua verò quatuor characterem non imprimunt, & reiterationem admittunt.* 2. In Concilio Tridentino tum sess. 7. Canone 9 de sacramentis in genere, in quo, ex eo quo Baptismus, Confirmatio, & Ordo characterem imprimunt, infert, ea in eadem persona iterari non posse: Igitur reliqua, quæ characterem non imprimunt, in eadem persona iterari possunt: cùm adæquata caula interabilitatis Baptismi, Confirmationis, & Ordinis, sit, quia characterem imprimunt: igitur quodcunque aliud sacramentum characterem non imprimens, erit natura sua iterabile. Tum sessione 14. De hoc sacramento Extremæ-vnctionis cap. 3. definit, *quòd si infirmi post susceptam hanc vnctionem conualuerint, iterùm huius sacramenti subsidio iuuari poterunt, cùm in aliud simile vitæ discrimen inciderint.* Estque communis sententia Scholasticorum cum Magistro in 4. dist. 23.

Concil. Tridentinum.

Magister.

183. Controuersia tamen est: an aliquando licitum sit, in eadem infirmitate hoc sacramentum iterare. Ratio dubitandi oritur ex præcitatis verbis Concilij, quibus insinuatur, non posse infirmum in eodem morbo, sed in alio, hoc sacramentum suscipere: cùm requirat, vt infirmus ex morbo conualescens, in alium similem incidat, vbi iterum possit hoc sacramentum suscipere. Ergo perseuerante eodem morbo, non poterit iterum sacramentaliter inungi. In contrarium est, quia sæpè morbus natura sua est diuturnus, & molestus, durans duobus, tribusque annis. Vnde magno subsidio priuaretur infirmus, si in tā diuturno ac difficili morbo nonnisi semel posset hoc sacramentum suscipere.

Licitâne in eadem infirmitate aliquando hoc sacram. iterare.

184. Quare dicendum est 1. durante eadem necessitate, & eodem morbi statu, non posse hoc sacramentum iterari. Nam hoc ad minimum probāt citata verba Concilij. Et confirmat Catechismus Romanus de hoc sacramento num. 11. cuius hæc sunt verba: *Illud hic obseruari oportet, in vna eademque agrotatione, cum ager in eodem vitæ periculo positus est, semel tantùm vngendum esse.* Idque obseruat vniuersalis praxis Ecclesiæ. Ratio verò est, quia pro eadem morbi necessitate sufficiens censetur adhiberi remedium, tam pro animi, quàm pro corporis salute, si expedierit, per vnam dumtaxat sacri Olei Vnctionem.

185. Dicendum 2. Quoties variatur morbi status, vt de periculoso fiat non periculosus, & rursus de non periculoso fiat periculosus, toties iterari potest hoc sacramentum. Fundamentum: quia cùm hoc sacramentū institutum sit pro infirmis periculoso morbo laborantibus, vt Concilia definiunt, non tam attendenda est in longioribus morbis temporis diuturnitas, quàm status mutatio, variatioque periculi, vt in eadem persona iterari possit. Quare si infirmus grauiter laborans hoc sacramentum suscepit, si postea periculum euasit, non tamen perfectè conualuit, poterit, si iterum in simile vitæ periculum incidat, hoc sacramentum repetere: quia in tali casu nouus censetur morbus, nouaque necessitas. Nam sicut causa suscipiendi hoc sacramentum non est morbus simpliciter, sed morbus periculosus: ita quotiescunque idem morbus de non periculoso mutatur in periculosum, constituit infirmum sub noua necessitate hoc sacramentum iterandi.

186. Ex dictis infero, si quis hoc sacramentum suscepit tempore, quo morbus non censebatur periculosus, posse postea hoc sacramentum repetere, quando idem morbus euadit periculosus: tum quia, vt supra ex Concilijs ostendimus, hoc sacramentum collatū infirmo graui, ac periculoso morbo non laboranti est inualidum: tum quia, esto fuerit validum, quia tamen mutatus de non periculoso in periculosum constituit infirmum sub noua necessitate, potest iterari.

SECTIO XI.

An teneantur fideles sub præcepto hoc sacramentum suscipere?

187. PRIMA sententia affirmat, omnes fideles adultos teneri sub præcepto ad mortale obligante hoc sacramentū suscipere. Est Petri Soti lect. 2. de Extrema vnctione, eamque colligit ex Magistro in 4. dist. 23. cap. 1. in fine, vbi ait, periculosum esse, & damnabile hoc sacramentū prætermittere ex contemptu, vel negligentia. Neque hic Author admittere vult explicationem Bonauenturæ, & S. Thomæ, qui particulam *Vel* hoc loco interpretantur non disiunctiuè, sed copulatiuè, vt nimirum non de quacunque negligentia, sed de negligentia orta ex contemptu intelligenda sit.

Petrus Sotus Magister.

188. Probatur hæc sententia 1. Ex Concilio Senonensi celebrato anno 1528. sub Clemente VII. Hoc enim in decretis fidei decreto 10 §. penultimo de Extrema vnctione sic habet: *Sed ne hic noster vngendi infirmos ritus, Christi præceptum, non tamen sacramentum esse videretur: Si quis infirmatur,* &c. 2. Ex Concilio Coloniensi celebrato anno 1536. sub Paulo III. & Carolo V. Imperatore pro reformatione Clericorum & Cæremoniarum Ecclesiæ: hoc enim 7. p. cap. 50. ita scribit: *est autem Vnctio impendenda cum expositione Vnctionis, & mādati Apostolici, quod sic habet: Infirmatur aliquis in vobis,* &c. Vbi vides ab vtroque Concilio appellari *præceptum Christi, mandatum Apostolicum.* 3. Probatur ratione: quia cùm hoc sacramētum sit per se institutū ad remittēda peccata multipliciter ignorata, vt suprà probauimus,

Concil. Senonense.

Concil. Coloniense.

mus; cumque nunquam infirmus certus sit, se liberum esse ab omni peccato, tenetur in articulo mortis, in quo adhibenda sunt omnia media salutis, hoc sacramentum suscipere: alioqui deficeret à præcepto Charitatis, quo erga seipsum tenetur.

Sententia communis & vera.

189. Verùm opposita sententia communis est apud omnes Scholasticos in 4. dist. 23. & summulistas verbo *Extrema-vnctio*. Fundamentum huius communis, & veræ sententiæ est: quia nullum extat de hoc sacramento præceptum, neque positiuum, neque naturale. Non positiuum: nam vel hoc esset diuinum, vel humanum. Neutrum autem est, cum nullibi tale præceptum extet. Atqui nullum præceptum positiuum asserendum est, nisi manifesta ostendatur authoritas, à qua tale præceptum conditum sit. Neque est præceptum naturale: quia cùm non sit medium ad salutem necessariū, quod solùm obligat sub præcepto naturali, nequit esse sub præcepto naturali. Quòd autem non sit medium ad salutem necessarium, constat tum à posteriori; nam hoc sacramentum prohibetur tempore interdicti, quo tamen non prohibentur media ad salutem necessaria. Tum à priori; nam illud medium dicitur ex natura sua ad salutem necessarium, quod institutum est ad primam gratiam conferendam, vt ex præcedente tomo suppono; atqui hoc sacramentum non est per se institutum ad conferendam primam gratiam, ad quam duo tantùm sacramenta, Baptismus, & Pœnitentia, instituta sunt: ergo non est medium ad salutem necessarium.

190. Atque hæc vera sunt spectata sola institutione, & natura huius sacramenti. Cęterùm ratione scandali, vel contemptus posset infirmus grauiter peccare hoc sacramentum omittendo. Secluso verò contemptu, & scandalo, si nulla subsit causa illud omittendi, peccabit quidem venialiter, vt Coninck disp. 19. cap. vlt. & Laymann cap. 7. num. 1. sentiunt, non autem mortaliter. Ex his infertur, neque sub præcepto obligante ad mortale teneri eos, qui infirmi curam gerunt, vti sunt parentes, coniuges &c.

Coninck Layman.

191. Ad 1. primæ sententiæ Respond. Concilium Senonense citato loco non agere de præcepto, suscipiendi sed administrandi hoc sacramentum. Comparat enim præceptum vngendi infirmos præcepto, quo Apostoli ex instituto Christi missi ad prædicandum vngebant infirmos, Marci 6. Atqui illud non obligabat infirmos, vt Vnctionem susciperent, sed Apostolos, vt illam infirmis administrarent. Igitur neque hoc obligat infirmos, sed Pastores. Ita enim ibidē Concilium scribit: *Ad Vnctionis autem Extremæ sacramētum Christus manu duxisse primum videtur, cùm Apostoli oleo vngerent multos infirmos, & sanarentur. Neque enim id suo sensu, sed præceptoris instituto fecisse putandi sunt, sed ne hic noster vngendi infirmos ritus, Christi præceptum, non tamen sacramentum videretur: Si quis infirmatur*, &c. Vbi eodem modo loquitur de præcepto sacramentaliter vngendi infirmos, ac de præcepto, quo Apostoli sanitatis causa ægrotos vngebant. Ad Concilium verò Coloniense dicendum est, *mandatum* ibi non accipi pro præcepto, sed pro quacunque monitione.

Concil. Senonense.

Marci 6.

Concil. Coloniense.

192. Ad tertium. Esto hoc sacramentum institutum sit ad remittenda peccata inuincibiliter ignorata, vt & nos suprà docuimus, negandum tamen est, infirmum sub præcepto teneri ad illud suscipiendum, cùm sint alia media ad hæc peccata remittenda instituta, nempè Confessio, Contritio, Eucharistia cum attritione peccati inuincibiliter ignorati suscepta. Vnde vix moraliter dari potest casus, quo infirmus defectu aliorum mediorum obligetur ad hoc sacramentum suscipiendum: quia cùm hoc sacramentum necessariò ministrari debeat à Sacerdote, poterit loco huius sacramenti infirmus suscipere sacramentum pœnitentiæ, vi cuius directè absolueretur à peccatis confessis, indirectè verò ab oblitis.

193. Solus fingi posset casus, quo Sacerdos vel nollet, vel non posset, quia absolutionem ignoraret, infirmi confessionem excipere; vellet autem, & posset sacramentum Vnctionis ministrare, an tunc infirmus teneretur hoc sacramentum suscipere. In quo casu distinguendum est: nam vel infirmus est conscius alicuius peccati mortalis: & tunc tenetur conari ad eliciendam contritionem, & post illam hoc sacramentum suscipere: quia cùm non possit esse certus de vera Contritione, tenetur adhibere certius medium ad suam iustificationem: hoc autem in eo casu aliud esse non posset, quàm hoc sacramentum (suppono enim neque Eucharistiam eum sumere posse) quod inueniens subiectum attritum, redderet illud contritum. Quanquam in hoc casu dubitare videtur Suarez disp. 44. sect. 1. nu. 7. Mihi tamen res certa videtur, quia nunquam potest infirmus ita de sua Contritione esse certus, vt dubius non maneat. Vel infirmus nullius mortalis peccati sibi conscius est: & tunc non puto, illum obligari ad hoc sacramentum suscipiendum, sed solùm ad conandum, ad actum contritionis, vel dilectionis erga Deum, quo in illo mortis articulo se præparet ad transitum ex hac vita in aliam. Nam cùm ex vna parte non vrgeat conscientia peccati mortalis, ex alia hoc sacramentum non sit necessarium ad salutem, non apparet, vnde hæc obligatio oriri possit: cùm ad consequendam remissionem peccatorum inuincibiliter ignoratorum sufficiat contritio, vel dilectio Dei.

Suarez.

194. Dicas. Eodem modo in hoc secundo casu infirmus manet dubius de sua contritione, vel dilectione erga Deum, sicut in primo: ergò si in primo non obstante actu contritionis, tenetur hoc sacramentum suscipere, tenebitur etiam in hoc secundo. Respondeo, negando esse

eandem

eandem paritatem: nam in primo casu infirmus est certus de suo peccato, ad cuius remissionem tenetur certa adhibere media: in secundo verò, cùm nullius peccati sit conscius, quin nec vllum habeat dubium (nam hoc etiam obligaret ad hoc sacramentum suscipiendum) non tenebitur certiora adhibere media, quàm sit ipsa contritio, vel dilectio Dei supernaturalis.

SECTIO XII.

An saltem Ministri sub præcepto teneantur hoc sacramentum infirmis ministrare.

195. HACTENVS de obligatione suscipientis, vlteriùs explicandum superest, an saltem ad hoc sacramentum Ministrādum obligentur Ministri. Duplex autem est Minister; Alter, cui ex officio incumbit, vt sunt Episcopi, Parochi, Superiores Religionum erga suos subditos: Alter in defectum proprij Ministri ac Pastoris, vt sunt omnes Sacerdotes, etiam curam animarum non habentes. De vtroque Ministro hic agendum est.

Duplex est Minister huius sacram.

196. Communis igitur & constans Doctorum sententia est, teneri sub præcepto ad mortale obligante, omnes superiores hoc sacramentum suis subditis ministrare. Quod expressè docuit Catechismus Romanus de hoc sacramento numero 9. affirmans, *grauissimè* peccare non modò, qui hoc sacramentum ministrare negligunt, sed etiam qui non opportuno tempore, quando infirmus est sui compos, illud administrant. Fundamentum est: quia Pastor ex proprio officio tenetur oues sibi commissas omnibus ijs medijs pascere, quæ Christus pro illis Ecclesiæ reliquit: nam ad hoc munus obeundum dignitatem Pastoralem accipit, & à subditis stipendia.

Catechism. Romanus.

197. Nonnulli tamen Doctores discrimen constituunt inter Parochos, & Prælatos Religionum: quoniam licet vterque sub præcepto teneatur suis subditis hoc sacramentum ministrare: illi tamen ex Iustitia, hi verò ex sola charitate tenentur. Cuius discriminis rationem assignant: quoniam illi ad hoc ministrandum stipendium à subditis accipiunt; quod tamen non accipiunt Religionum Prælati. Verùm *probabilior sententia est*, quam docet Suarez disput. 44. sectione 3. num. 7. vtrosque ex Iustitia teneri: tum quia etiam Religionum Prælati ab ipsa Religione, vel à Fundatoribus Religionis, qui hoc fine Religionem fundarunt, vt in ea debita sacramenta suo tempore subditis à Prælatis ministrarentur, aluntur. Tum quia licet hi à subditis pro stipendio suæ administrationis, & gubernationis pecuniam non accipiant, accipiunt tamen obsequia obedientiæ, & reuerentiæ, quæ altioris honoris sunt, quàm pecuniarium stipendium.

Tum Religiosi Prælati, quàm Parochus ex Iustitia ad hoc sacram. ministrandum suis subditis teneri probabilius est. Suarez.

198. Vna hic superest difficultas, an tempore interdicti, in quo hoc Sacramentum prohibetur, illud ministrari possit à Parocho moribundo, qui nullum aliud sacramentum suscipere potuit. Negat Petrus Ledesma apud Dianam tractat. 4. de sacramentis resolut. 171. nisi peculiari priuilegio Bullæ Cruciatæ muniatur. Affirmant verò cum ipso Diana alij. Quæ sententia vti animabus fauorabilior, ita *longè probabilior censenda est*. Neque enim Iura & Pontifices in suo interdicto hunc extraordinarium casum comprehendere censentur: imò dum eadem Iura, & Pontifices tempore interdicti concedunt Baptismum, Pœnitentiam, & Eucharistiam, propter salutis necessitatem; tacitè etiam dispensare videntur in hoc sacramento cum eo, qui aliud suscipere non potuit: quia fieri potest, vt sit eadem necessitas, idemque periculum æternæ damnationis, si hoc in tali euentu omittatur.

Negat Ledesma

Affirmant Diana.

199. De Ministro autem, qui in casu necessitatis succedit in defectum proprij Pastoris, difficultas est, an teneatur sub mortali, saltem ratione Charitatis hoc sacramētum ministrare, quando ab infirmo petitur. Affirmat Suarez disp. 44. sect. 2. num. 2. Negant vero Coninck disput. 19 dub. vlt. Laymann tract. 8. de sacramentis cap. 7. num. 3. Excipiunt verò casum, quando infirmus grauiter indigere videtur. Semper autem grauiter indigere censendus, si absque vllo sacramento ex hac vita decederet: quia tunc exponeretur morali periculo æternæ mortis, si hoc sacramentum non susciperet. Vnde in tali casu simplex Sacerdos etiam non petitus ab infirmo, tenetur ex præcepto Charitatis hoc sacramentum administrare, præsertim si absit alius, qui illud conferre possit, aut velit. In cæteris verò casibus, in quibus moribundus non censeretur hoc sacramento grauiter indigere, solùm putant hi Authores, talem Sacerdotem, qui hoc sacramentum nollet administrare, venialiter peccaturum. *Quæ sententia probabilior est.*

Difficultas de Ministro succedente in defectum proprij Pastoris.

Suarez. Coninck Laymann.

200. Dubitari solet inter Doctores, an Sacerdos excommunicatus possit hoc sacramentum, solùm propter infirmi vtilitatem, ne sine fructu illius moriatur, ministrare. Negat Suarez disputatione præcitata sectione 2. num. 6. quia sicut, inquit, Ecclesia prohibet hoc sacramentum administrari tempore interdicti: ita probabile est, illud non permittere vt administretur ab excommunicato. Affirmat verò Nugnez 3. p. tom. 2. quæst. 33. articul. 2. difficult. 2. §. *ad quod. Pater Suarez*. Vtramque sententiam Filliucius probabilem putat, probabiliorem tamen primam Suarez.

Dubium de Sacerdote excommunicato.

Suarez.

Nugnez.

201. Mihi verò distinguendum est; nam si nulla alia necessitas sit, quàm vt infir-

mus sine fructu huius sacramenti ex hac vita decedat, probabilior est Patris Suarez sententia, ob assignatam rationis paritatem. Si verò dubium aliquod sit, ne si infirmus hoc sacramento priuetur, de sua æterna salute periclitetur, puto non solum posse, sed etiam debere hoc Sacramentum ab excommunicato administrari. Posset tamen Parochus Excommunicatus alteri suas vices dare.

Suarez.

Parochus excommunicatus posset alteri suas vices dare.

SECTIO XIII.

An tempore pestis teneatur Parochus cum periculo Vitæ hoc sacramentum administrare?

201. PRIMA sententia affirmat. Est Nugnez 3. p. tom. 2. quæst. 35. art. 2. concl. 3. Syluij apud Dianam tract. 4. de sacramentis resol. 174. Probat eam Nugnez 1. Parochus ex iustitia tenetur suis subditis sacramenta ministrare; ergo maximè tempore necessitatis: nam in ordine ad hoc tempus præcipuè stipendia accipit à subditis, interceditque inter ipsum, & subditos virtualis quædam conuentio, vt hoc potissimùm tempore spiritualibus alimentis non deserantur. 2. Parochus ex iustitia tenetur sacramenta suis Parochianis ministrare, quoties illi petiuerint: ergò etiamsi illa petant tempore pestis, tenetur ea conferre. 3. Duces militares ex officio tenentur pro Republica vitam exponere, etiam extra casum necessitatis: ergo etiam Duces spirituales pro ouibus sibi commissis. Atqui arctiori iure tenentur Parochi, quam reliqui Sacerdotes, ad quos animarum cura non spectat: sed reliqui Sacerdotes tenentur, saltem quando non est periculum, hoc sacramentum moribundis ministrare: ergo Parochi tenentur etiam cum periculo vitæ. Eandem obligationem extendit ad Prælatos Religionum respectu suorum subitorum, inter quos est etiam virtualis conuentio de sacramentis tempore necessitatis administrandis.

Affirmant Nugnez Syluius.

203. SECVNDA verò sententia negat: Est communio inter Theologos, & summulistas. Quam docent Armilla verbo *Episcopus* num. 6. Tabiena eodem verbo num. 5. concl. 4. Suarez disp. 44. sect. 3. num. 20. Filliucius tract. 3. de sacramento Extremæ-vnctionis cap. 5. quæst. 5. Diana tract. 4. de sacramentis resol. 174. & alij apud ipsum. *Quæ sententia probabilior est.* Cuius fundamentum est, quoniam hoc sacramentum non est ad salutem necessarium, neque necessitate medij, vt Baptismus & pœnitentia; neque necessitate præcepti, vt Eucharistia.

Negant Armilla Tabiena Suarez Filliucius. Diana.

Hoc sacramentũ neque est necessarium necessitate præcepti, neque medij ad salutẽ.

204. DICES. Ex hac sententia sequeretur, neque Parochum aliosue Superiores in periculo vitæ teneri ministrare sacramentũ Eucharistiæ, quia neq; hoc est necessariũ ad salutem, ad quam sufficit sacramentum pœnitentiæ. Imò neque hoc est simpliciter ad salutem necessarium, ad quam sufficit contritio cum voto tantum suscipiendi sacramentum pœnitentiæ, quando dabitur commoditas.

205. Resp. 1. Quoad sacramentum Eucharistiæ non deesse, qui putent, ad illud administrandum cum morali periculo vitæ non teneri Parochum, aliosue Superiores. Resp. 2. Disparem esse rationem de sacramento Eucharistiæ, & Extremæ-vnctionis: nam illud saltem est sub præcepto Diuino, sub quo non est sacramentum Extremæ-vnctionis.

Disparitas inter sacr. Eucharist. & Extrem vnction.

206. Quoad sacramentum verò confessionis, omnino negandum est, ad illud administrandum tempore necessitatis non teneri Parochum, vel quemcunque alium Superiorem, etiam cum morali periculo vitæ, suis subditis: cùm hoc sacramentum non solùm sit necessarium necessitate præcepti, vti sacramentum Eucharistiæ; sed etiam necessitate medij, cùm sit per se institutum ad conferendam primam gratiam, quæ est medium necessarium ad salutem, sine quo nulli contingit salus. Et licèt deficiente copia confessarij, sola contritio cum voto hoc sacramentum suscipiendi sufficiat, quia tamen hanc elicere, difficile est, censeretur moraliter proximus esse in periculo salutis, si hoc sacramento destitueretur.

Parochus tempore necessitatis sub mortali peccato tenetur ad ministrandũ sacram. pœnit. subditis.

207. Non inficior tamen, posse in aliquo casu Parochum, vel quemcunque alium Superiorem, etiam à sacramento confessionis administrando tempore necessitatis excusari: quod prudenter aduertit Suarez loco prçcitato num. 15. Casus autem esset, si Parochus, vel alius Superior esset moraliter certus de bono statu subditi: & ex alia parte vehemens esset periculum vitę. Nam tunc non censeretur subditus versari in periculo salutis, in quo tantùm cum morali periculo propriæ vitæ tenentur Superiores suis subditis necessaria sacramenta ministrare. Confirmatur: quia sicut in tali euentu non teneretur pœnitens cum morali periculo vitæ confiteri: ita nec Parochus, aut quiuis alius Superior cum eodem morali periculo vitæ confessionem excipere.

Suarez. Quando Parochus excusaretur à dicta obligatione.

208. Ex dictis patet ad argumenta primæ sententię. Ad 1. concedo, Parochum, cæterosque Superiores teneri etiam cum morali periculo vitæ tempore necessitatis suis subditis sacramenta ministrare, sed illa tantùm, quæ sunt ad salutem necessaria, vti sunt Baptismus, confessio, & Eucharistia, quę saltem est sub præcepto Diuino; non autem teneri, quæ tantùm sunt vtilia. Atque de his tantùm administrandis etiam cum periculo vitæ interuenit virtuale pactum inter Parochum & Parochianos, Superiorem, & subditos

209. Ad

209. Ad 2. negatur consequentia, si intelligatur de sacramentis tantùm vtilibus, & ad salutem non necessarijs. Etenim Superior solùm cum periculo vitæ tenetur suis subditis subuenire de rebus ad salutem animæ necessarijs, non autem de vtilibus tantùm.

210. Ad 3. Eodem modo concedendum est teneri Duces spirituales ad subueniendum cum periculo vitæ suis ouibus tempore necessitatis, sicut tenentur Duces temporales ad subueniendum cum periculo vitæ tempore necessitatis publico bono: nego tamen, Duces temporales semper cum periculo vitæ teneri ad subueniendum Reipubl. sed solùm quando est in graui, ac probabili periculo alicuius ruinæ; non autem quando vel publicum bonum non est in probabili periculo grauis ruinæ; vel licet periculum sit probabile, damnum tamen, quod timetur, non est graue, vt possit præualere vitæ Ducis.

211. Ad 4. Resp. maiorem obligationem, quam Parochus, vel alius Superior erga suos subditos habet, in eo consistere, quod etsi in extrema necessitate, etiā alij simplices Sacerdotes, saltem ex præcepto Charitatis teneantur cum periculo vitæ proximo de remedijs ad salutem necessarijs subuenire: Parochi tamen, & reliqui Prælati ex Iustitia tenentur, etiam extra casum necessitatis, sacramenta suis subditis ministrare, ad quod non tenentur reliqui Sacerdotes, ad quos animarum cura non spectat.

SECTIO XIV.

Qui ritus seruandus sit in hoc sacramento administrando?

Duplex est ritus.

212. **D**VPLEX est ritus; Alter substantialis consistens in materia, forma, Ministro, subiecto, & intentione, de quo supra disputatum est: alter accidentalis consistens in certis quibusdam cæremonijs, cum quibus iuxta morem Ecclesiæ hoc sacramentum administratur. De quo ritu in hac vltima sectione breuiter agendum est; vt animarum Pastores non solùm in hoc nostro Theologico opere habeant, quæ ad speculatiuam veritatem pertinent, sed etiam quæ ad praxim necessaria sunt.

Aliud præcedit, alius in administratione seruandus.

213. Duplex autem ritus considerari potest in hoc sacramento administrando, alter præcedens sacramenti administrationem; alter seruandus in ipsa sacramenti ministratione. Primus adhuc est duplex, remotus vnus, Proximus alter. Remotus principaliter consistit in ipsa præparatione materiæ, quæ est oleum oliuæ vnius anni ab Episcopo benedictum feria quinta Maioris hebdomadæ. Nam licet oleum ab Episcopo benedictum spectet ad ritum substantialem huius sacramenti: tamen quod sit benedictum illo anno, & feria quinta Maioris hebdomadæ solùm spectat ad ritum accidentalem. Vnde poterit Sacerdos, in defectu olei eiusdem anni, vti oleo veteri alterius anni. Quin etiam putat Henriquez lib. 2. de sacramentis cap. 29. num. 3. nullo præcepto Sacerdotem prohiberi, infirmos vngere oleo veteri. Ad quod confirmandum affert in sua Glossa sub L. V. authoritatem tam Theologorum, quàm vtriusque Iurisperitorum Salmanticensium, qui post longam consultationē id determinarunt. Vnde idem Author lib. 3. cap. 8. num. 2. in fine docet, neque esse de præcepto, singulis annis oleum infirmorum renouari.

Sacerdos poterit vti oleo alterius anni. Henriquez.

Laymann Non est repetendum sacram. si Sacerdos per errorem infirmū vnxit Chrismate.

214. Notat autem Paulus Laymann tract. 8. de Extrema-vnctione cap. 2. num. 3. Si Sacerdos per errorem infirmum vnxit sacro Chrismate, non esse repetendum sacramentum: tum quia sæpè id sine scandalo repeti non posset: tum quia probabile est, chrisma sufficere ad hoc sacramentum substantialiter perficiendum, præsertim quando tam parum est de Balsamo oleo mixtum, vt oleum suam naturam non amiserit.

Adhibendus est Sacerdoti vnus saltem Clericus si haberi possit. Alexander III.

215. Adhibendus est Sacerdoti vnus saltem Clericus, si haberi possit, qui illum iuuet in orationibus, quæ ad hoc sacramentum præmitti solent, recitandis: alioquī solus Sacerdos poterit omnia peragere, vt expressè definit Alexander III. capite *Quæsiuit* de verborum significatione, his verbis: *Sacerdos vno præsente Clerico, & etiam solus potest infirmum vngere.*

Primus ritus huius sacram.

216. Proximus ritus, qui sacramenti collationem immediatè præcedit, sunt preces, quæ ante ipsam sacramenti confectionem de more Ecclesiæ præmitti solent. Primùm *Confiteor* ex parte inungendi saltem per alium: quo absoluto subiungat Sacerdos generalem illam absolutionem: *Misereatur tui* &c. Et *Indulgentiam, Absolutionem* &c. Et post hæc breuem oratiunculam, quam ritualia apponere solent. Quæ præmitti solent, etiamsi infirmus nolit sacramentaliter confiteri. Secundo recitandi sunt septem Psalmi pœnitentiales. Quod si breuitas temporis non patitur, recitetur saltem Psalmus *Miserere*, vt ritualia ipsa monent. Hæc tamen tempore necessitatis in morbis contagiosis omitti possunt, & in templo, vel alio pio loco suppleri.

217. In ipsa verò sacramenti collatione seruanda sunt hæc 1. Vt nonnisi superpellicio, & sacra stola indutus Sacerdos hoc sacramentum administret. Quæ ornamenta adeo necessaria putat Suarez disp. 44. sect. 2. in fine, vt sine ijs nunquam censeat licere hoc sacramentum administrari: quia semper, inquit, præferenda est reuerentia sacra-

menti vtilitati infirmi; præsertim cum non sit hoc sacramentum necessitatis: nisi fortè sine illo censeretur infirmus in aliquo periculo æternæ damnationis. Vt si infirmus alterius sacramenti capax non esset: tunc enim probabiliter posset Sacerdos etiam sine superpellicio & stola hoc sacramentum conferre. Nec est eadem ratio de sacro faciendo: tum quia in hoc maior est adhibenda propter Christi corporis reuerentiam: tum quia qui est capax Eucharistiæ, moraliter etiam est capax sacramenti pœnitentiæ: proinde non erit tanta necessitas faciendi sacrum sine sacris vestibus, ad subueniendum moribundo de sacro viatico.

218. Secundum, vt Sacerdos ipse propria manu in modum crucis infirmum vngat: quamuis vrgente causa, & sine cruce, & argentea virgula, vt notat duplex Pastorale Mechliniense & Passauiense, vngere poterit. 3. Ad singulas Vnctiones adhibenda est noua stupa, quæ omnes in fine comburendæ sunt. Posset tamen in casu necessitatis, in quo plures haberi non possent, vna deseruire pro omnibus. 4. Vbi mos est, omnes septem corporis partes inungendæ sunt, præterquam in fœminis, quibus Rituale Romanum Pauli V. prohibet adhibendam esse vnctioné in renibus propter modestiam. Non sunt Sacerdotibus inungendę manus interiùs, quia ibi inunctæ sunt sacro chrismate in susceptione Presbyteratus, sed exteriùs. 5. Inungendus est vterque oculus, vtraque auris, vtraque manus, & pes, quando per tempus licet.

Pastoralia Mechliniense, est Passauiense.

Rituale Romanum.

219. Sextum. Obseruandus est ordo, vt hoc sacramentum non conferatur, nisi postremo loco post sacramentum confessionis, & Eucharistiæ. Quem ordinem seruandum monet Catechismus Romanus de hoc sacramento num. 12. *Seruanda est*, inquit, *Catholicæ Ecclesiæ perpetua consuetudo, vt ante Extremam-vnctionem pœnitentia & Eucharistia sacramentum administretur.* Cæterùm putat Suarez disp. 44. sect. 1. num. 8. non esse graue peccatum, hunc ordinem immutare. Quin addit, antiquum morem fuisse, qui nunc etiam alicubi seruatur, viaticum postremo loco dari, tanquam quid perfectissimum, ad quod reliqua sacramenta, tanquam ad finem ordinantur. Seruanda tamen est Ecclesiæ consuetudo, & nonnisi graui vrgente causa hic ordo immutandus erit.

Sacramen. hoc conferendum est post sacramen. confession. & Eucharist. Catechism Romanus.

Suarez.

220. Porrò causæ, quæ suaderent, hunc ordinem fore immutandum, prima esset, si infirmus non posset Viaticum sumere propter periculum vomitus: nam tunc poterit inungi, & cessante periculo vomitus, post vnctionem viaticum accipere. Secunda, si infirmus haberet vnum peccatum mortale, quod non posset, nec deberet confiteri Sacerdoti Extremam-vnctionem ministranti: tunc posset contritus hoc sacramentum suscipere, & postea alteri Sacerdoti peccatum confiteri. Et quanquam posset in eo casu infirmus aliquod peccatum veniale confiteri, vt indirectè saltem absolueretur à mortali non confesso; nulla tamen ad id obligatione teneretur: cùm neque ad hoc sacramẽtum dignè suscipiendum per se requiratur confessio, sed sufficiat contritio probabiliter putata: nec si requireretur, vti requiritur ad Eucharistię sacramẽtum suscipiendum, adhuc in eo euentu non teneretur infirmus illam præmittere: quia cùm non posset confiteri peccatum mortale, cuius conscientiam haberet, non teneretur confiteri veniale: quia tunc esset, ac si copiam confessarij non haberet. An autem teneretur aliquod veniale confiteri, si nullam haberet spem alium confessarium habendi, cui posset mortale confiteri: affirmatiuam partem probabiliorem censeo: quia in eo casu teneretur certiora media adhibere pro salute consequenda. Cùm igitur non sit infirmus certus de contritione; nec tam certum sit sacramentum Extremæ-vnctionis peccatorem facere de attrito contritum, sicut certum est, hoc facere sacramentum pœnitentiæ, adhoc dubium tollendum teneretur in tali casu infirmus saltem confiteri aliquod veniale, & in communi se accusare de omnibus peccatis. Vnde si tale peccatum saltem secundùm genericam rationem confiteri posset, teneretur iuxta regulas suprà datas de integritate confessionis.

Quas ob causas dictus ordo mutari possit.

Ad hoc per se non requiritur confessio.

221. Vltimò obseruandum, quando dubitatur, an infirmus viuat, dandum esse sacramentum sub conditione tacita vel expressa, si non est mortuus, vel si periculum sit, ne moriatur, antequam omnes vnctiones absoluantur, poterit tunc Minister sub vna formula complectente omnes celeriter inungere omnes quinque partes sensuum. Aut si plures sint Sacerdotes, poterunt singuli singula organa cum suis proprijs formis inungere. Si verò inungendus sit phreneticus, qui ante phrenesim excommunicationem habebat, si is probabiliter censeretur, antequam in phrenesim incidisset, de suo peccato doluisse, nec posset à peccatis absolui, eo quòd non ostenderet sufficientia signa confessionis, saltem deberet absolui ab excommunicatione, & postea sacramentum Extremæ vnctionis illi conferri.

Quando infirmus sub conditione sit vngendus.

DISPVTATIO XX.

De Indulgentijs.

1. ANNECTAM huic vltimo tomo totius mei Theologici cursus postremo disputationem de Indulgentijs, tanquam complementum sacramenti pœnitentiæ. Nam sicut hoc se extendit ad remissionem culpæ, & pœnæ æternæ: ita Indulgentia ad remissionem pœnæ temporalis, ex condonatis culpis relictæ. Vtriusq; enim claues habent vim soluendi hominem, in diuerso tamen foro: nam illius claues nonnisi in ipso sacramento vim habent soluendi à culpa, & pœna æterna; huius verò in foro externo extra sacramentum soluunt à pœna ex condonatis peccatis relicta, quo fit, vt à plerisque de Indulgentijs disputetur immediatè post sacramentum pœnitentiæ: nobis tamen commodius visum est de his agere post sacramentum Extremæ-vnctionis.

2. Quod attinet ad nomen ipsum *Indulgentia*, etsi multa tam apud sacros, quàm apud prophanos scriptores significet, iuxta præsentem tamen materiam solam pœnæ temporalis ex condonatis peccatis relictæ remissionem, per dispensationem Ecclesiastici thesauri factam, importat. In qua significatione hac voce Scholastici vtuntur, cùm de indulgentijs disputant. Disputant autem de illis in 4. distinct. 19. 20. & 45. in quorum prima Magister agit de clauibus, in 2. de Confessione, in 3. de suffragijs, quibus defunctorum animæ iuuantur.

Magister.

3. Qui primi indulgentias impugnarũt, teste Alphonso de Castro lib. 8. verbo *Indulgentia*, fuerunt Waldenses qui dicebant, Papam nullam habere potestatem Indulgẽtias concedendi: quas si concesserit nullius fore momenti. Hos secutus est Wicleffus, qui, vt citato loco ait Castro, nunquam à Waldensibus deficit: cuius error notatus, & damnatus fuit in Concilio generali Constantiensi sess. 8. & vltima, qui inter 45. qui illi adscribuntur, hic est quadragesimus secundus: *Fatuum*, inquit, *est credere Indulgentijs Papæ & Episcoporum.* Wicleffum secutus est Lutherus, qui suam Hæresim auspicatus est ab indulgentiarum impugnatione, vt testatur Bellarminus lib. 1. de Indulgentijs cap. 1. ad finem. Easdem indulgentias acerrimè impugnat Caluinus lib. 3. Institutionum cap. 5.

Alphonsus de Castro primi Indulgentias impugnarũt Waldenses. Wicleffus. Concil generale Constantiense. Lutherus Bellarmin Caluinus.

4. Porrò ad ostendendum esse in Ecclesia Dei indulgentias, quibus fideles iuuantur ad pœnas ex cõdonatis peccatis relictas soluendas; duo potissimum demonstranda sunt; alterum, extare in Ecclesia thesaurum, satisfactionum, Christi & sanctorum, quæ applicari possint ijs, qui post remissam cum peccato pœnam, aliquam habent pœnam temporalem luendam: alterum, esse in summo Pontifice, cæterisque Episcopis potestatem hũc spiritualem thesaurum fidelibus dispensandi.

SECTIO I.

An sit in Ecclesia spiritualis thesaurus Christi, & sanctorum satisfactiones recondens?

5. EX Scholasticis Mayronus in 4. dist. 19. ausus est negare hunc spiritualem thesaurum constantem ex Christi, & sanctorum meritis. Cuius fundamentum negandi fuit: quia tam merita Christi, quàm sanctorum fuerunt à Deo sufficienter remunerata: proinde non est, cur illa debeant vlteriùs remunerari. Durandus vero in 4. distinct. 20. quæst. 3. num. 7. in dubium vertit, an saltem hic Thesaurus constet ex meritis sanctorum, eo quòd hæc sint à Deo sufficienter remunerata condigno premio æternæ gloriæ. Cæterùm vtriusque fundamentum falsum est, vt mox constabit.

1. Sentent. Mayronus. Durandus.

6. Constans igitur & communis Catholicorum Doctorum sententia est, esse in Ecclesia spiritualem quendam thesaurum constantem ex Christi, & sanctorum satisfactionibus. Hanc veritatem expressè tradit Clemens VI. in extrauagante, *Vnigenitus* de pœnitentijs, & remissionibus, vbi Pontifex de Christo loquens. *Thesaurum*, inquit, *militanti Ecclesiæ acquisiuit, volens suis thesaurizare filijs pius Pater, vt sic sit infinitus thesaurus hominibus, quo qui vsi sunt, Dei amicitiæ participes sunt effecti. Quem quidem thesaurum non in sudario repositum, non in agro absconditum, sed per Beatum Petrum Cœli Clauigerum, eiusq; successores, suos in terris Vicarios,*

Sedtentia communis.

rios, commisit fidelibus salubriter dispensandum. Hæc Pontifex, qui paulò post declarans quorum meritis hic thesaurus constet: *ad cuius quidem thesauri*, inquit, *cumulum Beatæ Dei Genitricis, omniumq́, Electorum à primo iusto vsque ad vltimum merita adminiculum præstare noscuntur: de cuius consumptione seu minutione non est aliquatenus formidandum, tam propter infinita Christi, vt prædictũ est, meritoria, quàm pro eo quòd quantò plures ex eius applicatione trahuntur ad iustitiam, tantò magis accrescit ipsorum cumulus meritorum.* Eiusdem thesauri mentionem facit Tridentina Synodus sess. 21. cap. 9. de reformatione in fine.

Synodus Tridentina

7. Assertio hæc ex tribus potissimum pendet principijs. 1. est, nec Christi passiones, nec multorum sanctorum satisfactiones sufficienter fuisse à Deo remuneratas, proinde adhuc illas dignas esse vlteriori remuneratione. 2. est, has easdem passiones & satisfactiones, quatenus vlteriori remuneratione dignæ sunt, manere sub potestate & Dominio Ecclesiæ illas dispensandi. 3. hanc potestatem dispensandi hunc spiritualem thesaurum residere in summo Pontifice, tanquam in supremo capite totius Ecclesiæ.

8. Primum facilè probatur: & quidem quoad passiones Christi Domini, supposita ipsius personę infirmitatæ, res est clara. Nam quoduis opus satisfactorium Christi, propter vnionem cum persona verbi, habet infinitam vim satisfaciendi. Nullum autem opus satisfactorium Christi de facto fuit infinitè remuneratum: igitur nullum opus satisfactorium Christi de facto est à Deo sufficienter remuneratum. Maiorem docet citato loco Clemens VI. eamque suppono ex sexto tomo de incarnatione: cuius potissima ratio est: quia satisfactio dignitatem sumit à persona satisfaciente, quæ tanquam forma intrinseca seipsa moraliter dignificat quamcunque actionem naturæ, cuius est personalitas: proinde cùm persona verbi sit infinitæ dignitatis, infinito valore dignificat quamcunque operationem assumptæ naturæ. Minor probatur: quoniam omnis remuneratio, quam Christi opera habuerunt, fuit finita: quia vel fuit remuneratio, quã ipsemet per suam passionem est consecutus: atqui hæc non fuit, nisi sola nominis exaltatio. & gloriosi corporis dotes: nam reliqua non habuit ex meritis, sed vel merè gratis, vt vnionem hypostaticam; vel vt sibi debita iure naturalis filiationis diuinæ, vt gloriam animæ, cæterosque habitus & virtutes infusas. Vel fuit remuneratio, quæ propter ipsius merita collata est alijs: & hæc, vt per se patet, finita est, vti finita est omnis gratia, & gloria hactenus propter merita Christi collata creaturis. Igitur de facto opera Christi nullum habuerunt præmium infinitum, cùm tamen ipsa propter dignitatem personæ digna sint præmio, & remuneratione infinita. Igitur adhuc manent in conspectu Dei vlteriore remuneratione digna.

Opera satisfactoria Christi habent infinitam vim satisfaciendi.

Clemens VI

Omnis remuneratio, quã Christi opera habuerunt fuit finita.

9. Dices. Tam gloria, quam Deus propter merita Christi tribuit electis, quàm pœna, quam propter merita eiusdem condonat peccatoribus, est æterna: ergo sufficienter Christi merita supponuntur remunerata: cùm tam gloria collata beatis, quàm pœna condonata peccatoribus sit quoad durationem infinita. Respondeo negando consequentiam: nam adhuc satisfactio Christi est dignior ratione personæ, vnde accipit suum valorem, vt ex præcitato tomo sexto suppono.

Obiectio.

Soluitur.

10. Quoad opera verò sanctorum, etsi ea supponantur sufficienter remunerata in ratione meriti, per condignum præmium gratiæ, & gloriæ; non tamen omnium sanctorum opera supponuntur sufficienter remunerata in ratione satisfactionis: duo quippè habet opus honestum à iusto factum, & rationem meriti, cui respondet proportionatum accrementum gratiæ, & gloriæ; & rationem satisfactionis, cui aliqua respondet pœnæ temporalis ex condonato peccato relictæ remissio. Quamuis igitur omnium sanctorum opera supponantur condignè remunerata in ratione meriti, per condignum gratiæ, & gloriæ præmium; non tamen supponuntur condignè remunerata in ratione satisfactionis, per condignam pœnæ temporalis ex peccatis condonatis relictæ relaxationem: cùm multò plures, acerbioresq́; fuerint passiones, quas multi sancti Martyres, ac confessores passi sunt; quàm fuerit pœna, quam ipsi pro suis peccatis luere debebant: quin imo aliqui nullam pro se pœnam soluere tenebantur, vt fuit Beata Virgo, & nonnulli etiam opinantur de Sancto Ioanne Baptista. His accedunt omnes illæ satisfactiones, quæ vel ex aliorum operibus, vel ex missis specialiter oblatis offeruntur pro ijs viatoribus, qui huiusmodi satisfactionum non sunt capaces, vel quia nihil debent, vel quia sunt in statu peccati mortalis: Tales enim satisfactiones cedunt in thesaurum Ecclesiæ, vt per indulgentias valeant alijs applicari.

Duo habet opus honestum à iusto factum.

11. Dices. Saltem qui semel mortaliter peccauit, etiamsi multa opera bona satisfactoria fecerit, non poterunt ipsius opera manere in thesauro Ecclesiæ, vt remunerabilia vlteriori præmio, cùm omnia absorbeantur ab vno peccato mortali: quod sicut ob sui grauitatem meretur pœnam ęternam, ita infinitam requirit satisfactionem, vt ei condignè satisfiat. Respondeo negando assumptum: nam pœna debita peccato mortali gratis condonatur peccatori ex meritis Christi, non ex proprijs. Vnde solùm ipse satisfacit pro ea pœna temporali, in quam commutata fuit æterna, quando remissa est illi culpa.

Instantia.

Soluitur.

12. Ex his satis, vt arbitror, probatum manet primum principium: probandum superest secundum, videlicet hæc omnia opera tam Christi; quàm sanctorum, quæ non

fuerunt

fuerunt condignè remunerata, manere sub potestate & dominio Ecclesiæ fidelibus dispensanda. Et sanè quoad opera Christi tam certum est, vt nulla videatur opus probatione. Nam & hoc demonstrat paritas meritorum eiusdem Christi, quæ per sacramenta relicta sunt in thesauro, Ecclesiæ, cum plena potestate ea viatoribus dispensandi; & ratio ipsa: nam quidquid Christus meruit, aut satisfecit, totum cessit in nostrum meritum, & satisfactionem, cùm ipse nec merito, nec satisfactione indiguerit. Ad quam veritatem confirmandam faciunt omnia illa Scripturæ oracula in quibus Christus dicitur *datus nobis, natus nobis: factus iustitia, sanctificatio, & redemptio nostra*, Isaiæ 9. 1. Corinth. 1. in fine.

Isaiæ 9. 1. Corinth 1.

Quis fuerit finis Dominicæ Incarnationis.

13. Confirmatur: nam finis Dominicæ Incarnationis fuit, hominem perfectè redimere non solùm à peccato; sed etiam à pœna peccati; ergo Christus non solum dedit pro nobis condignum pretium pro peccato, sed etiam pro pœna relicta ex peccato. Cùm igitur huiusmodi pretium absumptum non sit, quippe quod ex dignitate personæ, ex qua procedit, infinitum accipit valorem, & æstimabilitatem, adhuc manet nobis applicabile per suum vicarium in terris.

14. Probatur idem principium quoad opera satisfactoria sanctorum. Etenim cùm sancti sint nobilissima membra Ecclesiæ, pertineantque ad ipsam strictiori iure ac vinculo, quàm pertineant ciues temporales ad Rempublicam, omnia bona spiritualia ipsorum, quæ non fuerunt condigno præmio in ipsis à Deo remunerata, relinquuntur in communi thesauro Ecclesiæ, alijs membris, quæ indigent, applicanda. Nam sicut in bona temporalia ciuium succedit respublica, quando ex familia non est, qui possit legitimè succedere; ita in bona spiritualia sanctorum succedit Ecclesia, quando non est, qui ad illa iure succedere possit. Tunc autem nullus iure ad talia bona succedere potest, quando de ijs sancti ipsi in vita non disposuerunt, applicando, vel donando ea alijs: quia cùm sint suorum operum perfecti domini, potuerunt illa quoad valorem satisfaciendi in alios transferre. Dixi, *quoad valorem satisfaciendi*: nam quoad rationem meriti non possunt sancti sua opera alijs applicare: hoc enim est solius Christi priuilegium.

15. Accedit in huius rei confirmationem, quod cùm corpus Ecclesiæ non solùm constet ex Christo tanquam capite; sed etiam ex sanctis tanquam membris, non solùm bona opera Christi, sed etiam sanctorum computanda sunt inter bona Ecclesiæ. Quod non obscurè indicauit Paulus ad Colossenses 1. illis verbis: *Gaudeo in passionibus pro vobis, & adimpleo ea, quæ desunt passionum Christi in carne mea, pro corpore eius, quod est Ecclesia.* Quibus verbis Apostolus communes facit suas passiones cum passionibus Christi, quas pro Ecclesiæ corpore patitur.

Ad Coloss. 1.

Vnde Beda hùc locum explicans: *vnus enim*, inquit, *homo cum capite, & corpore suo Iesus Christus, saluator corporis & membra corporis, duo in carne vna, & in voce vna & in passione vna, & cùm transierit iniquitas, in requie vna, passiones itaq; Christi non in solo Christo: imò passiones Christi nonnisi in Christo. Si enim Christum intelligas caput & corpus, passiones Christi nonnisi in Christo. Si autem Christum intelligas solum caput, passiones Christi non in solo Christo. Si enim passiones Christi in solo Christo, imò in solo capite, vnde dicit quoddam membrum eius Paulus Apostolus: Vt suppleam, quæ desunt pressurarum Christi, in carne mea?* Et paulò post hoc ipsum magis explicans: *Ad communem hanc*, inquit, *quasi rempublicam nostram quisq; pro modulo nostro ex soluimus quod debemus; & pro posse virium nostrarum quasi canonem passionum inferimus paratoria plenaria passionum omnium: non erit finis, nisi cùm sæculum finitum erit.* Vnde tandem in persona Apostoli loquens sic hanc sententiam concludit: *Vt suppleam quæ desunt pressurarum, non mearum, sed Christi, in carne; non iam Christi, sed mea. Patitur inquit Christus adhuc pressuram non in carne sua, in qua ascendit in cœlum, sed in carne mea, quæ adhuc laborat in terra.* Hæc Beda, quo nihil pro hac sententia luculentius atque illustrius. Nam vt passiones sanctorum faciat passiones Ecclesiæ, illas facit passiones Christi, constituentis vnum corpus cum sanctis suis.

Beda.

16. Confirmatur: quia sicut nullum opus malum relinquit Deus absque condigna pœna impunitum; ita nullum opus bonum absque condigno præmio irremuneratum. Cùm igitur bona opera multorum sanctorum non habuerint condignam remunerationem quoad valorem satisfaciendi, non debent quoad hunc valorem manere perpetuò irremunerata.

17. Tertium principium facilè deducitur ex primis duobus iam demonstratis. Cùm enim demonstratum sit, omnia opera satisfactoria Christi, & sanctorum, quæ non fuerunt condignè remunerata, adhuc manere in Ecclesia, tanquam bona ipsius Ecclesiæ ad vtilitatem suorum membrorum, cum iure ea dispensandi, tum ex interpretatiua voluntate ipsorummet sanctorum, quorum sunt opera: tum ex hæreditaria successione, qua Ecclesia ad huiusmodi bona succedit, non obscurè sequitur, hanc potestatem residere in eadem singulari persona, cui diuino iure demandatum est supremum regimen totius Ecclesiæ militantis. Vnde eidem singulari personæ Petri, eiusque successoribus dictum est, Matthæi 16. *Tu es Petrus, & super hāc Petrā ædificabo Ecclesiā meā: & tibi dabo claues regni cœlorū: & quodcunq; ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcunque solueris super terram, erit solutū & in cœlis.* Et Ioannis vltimo: *Pasce oues meas.* Quę authoritates, cùm sint generales, & non limitatæ ad certum genus vinculi, vel

Tertium principium roboratur.

Matth. 16.

Ioan. vlt.

vel pabuli, censentur comprehendere etiam claues soluendi fideles à vinculo pœnæ temporalis ex condonatis peccatis relictæ, eosque pascendi non solùm sacramentorum; sed etiam Indulgentiarum fructu: cùm ad idem supremum caput Ecclesiæ spectet, tanquam instrumentum Christi & viatores dirigere ad consecutionem æternæ gloriæ, & omnia impedimenta, quæ ab ea retardare possunt, submouere. Inter cætera autem impedimenta, quæ hominem viatorem à consecutione æternæ gloriæ retardant, sunt pœnæ temporales ex condonatis peccatis relictæ, quæ indulgentiarum virtute remittuntur.

18. Ex his tribus principijs sufficienter videtur hæc veritas à priori confirmata, superest confirmanda à posteriori, argumento ducto ex perpetua praxi Ecclesiæ, in qua hic Indulgentiarum vsus semper viguit. Nam quod semper in Ecclesia seruatum est, cuius initium nescitur, censetur promanasse à Christo, vt est Augustini regula lib. 4. de Baptismo capite 24. ab omnibus Theologis admissa. Et licet vox ipsa *Indulgentia* non sit ita antiqua; res tamen ipsa per hanc vocem significata, antiquissima est. Eamque Doctores colligunt ex Paulo 2. ad Corinthios 2. vbi Apostolus cuidam incestuoso, quem 1. ad Corinthios 5. excommunicauerat, ex persona Christi aliquid de pœna remisit, ne à nimia tristitia absorberetur. Quòd autem Apostolus loquatur de remissione pœnæ coram Deo, colligunt ex eo, quod id in persona Christi fecit. Idem indulgentiarũ vsus apud Christianos viguit post Apostolorum tempora, quarum fructus sæpè per Episcopos applicabatur publicè pœnitentibus. Cuius generis applicationis meminerunt Tertullianus libro ad Martyres, Cyprianus libro de lapsis, & alibi.

Regula certa traditionis diuinæ. S. August.

2. Ad Cor. 2

1. Ad Cor. 5

Tertullian. Cyprianus.

19. Ex Romanis verò Pontificibus, qui hunc indulgentiarum vsum exercuerunt, primus censetur fuisse B. Gregorius anno 590. is enim putatur indulgentias concessisse sanctorum Basilicas visitantibus. Post Gregorium apertè Indulgentias concessit Leo III. qui floruit anno 804. vt eodem anno Baronius refert. Post Leonem III. anno 847. eadem Indulgentiarum potestate vsus est Sergius Pontifex. Vt enim refert idem Baronius eodem Christi anno numero 2. in quadam Ecclesia tituli sanctorum Syluestri, & Martini, ad quam hic Pontifex multas transtulit reliquias, adhuc extat marmorea tabula, in qua statuta est, *Indulgentia trium annorum, & trium quadragenarum*; omnibus ad eas certis diebus deuotè accedentibus. Post Sergium anno 878. Indulgentias concessit Ioannes VIII. ijs omnibus, qui pro defensione sanctæ Dei Ecclesiæ in bello occumberent. Post hunc Indulgentiarum potestatem exercuit anno 1071. Alexander II. qui occasione Dedicationis cuiusdam nouæ Basilicę in honorem sancti Benedicti in Cassinensi monte erectæ, plenariam Indulgentiam concessit omnibus præsentibus, vt idem Baronius eodem anno Christi numero 2. refert eundem Indulgentiarum vsum ad praxim redegit. Vrbanus II. anno 1095. Paschasius secundus anno 1116. Pœnitentiam quadraginta dierum indulsit ijs, qui sanctorum Apostolorum limina visitarent. Gelasius II. anno 1118. Indulgentias concessit ijs, qui in bello contra Saracenos morerentur. Easdem Indulgentias concessit anno 1122. Calistus II. Hyerosolimam proficiscentibus in subsidium Christianorum illis militantium. Easdem anno 1127. concessit Honorius II. pugnantibus contra Rogerium Siciliæ Comitem, & reliquos Romanæ Ecclesiæ rebelles. Eandem Indulgentiarum potestatem declarauit anno 1179. Alexander III. qui vt refertur capite *Quòd autem* de pœnitentijs & remissionibus, consultus ab Archiepiscopo Cantuariensi, *Vtrum remissiones, quæ fiunt in Dedicationibus Ecclesiarum, aut conferentibus ad ædificationem pontium, alijs prosint, quàm his, qui remittentibus subsunt*, respondet, *remissiones prædictas prodesse illis tantummodo, quibus vt prosint, proprij Iudices specialiter indulserunt.* Innocentius III. qui electus est 1198. prohibet in capite *cùm ex eo* de pœnit. & remissione in Dedicatione Basilicæ Indulgentia extendatur vltra annum. Vrbanus IV. qui primus solemnitatem corporis Christi celebrandum instituit post festum sanctissimæ Trinitatis, simul Indulgentias impertijt, omnibus ijs, qui huiusmodi solemnitati per totam octauam interessent anno 1261. Quas Indulgentias simul cum ipsa corporis Christi solemnitate confirmauit anno 1311. Clemens V. vt habetur in Clementina *si Dominum in sanctis eius*, de reliquijs & veneratione sanctorum in fine. Ante Clementem V. anno 1300. Bonifacius VIII. peculiari Bulla, quæ habetur in Extrauagante *antiquorum* de pœnit. & remissione tanquam antiquissimam consuetudinem refert, concessas fuisse Indulgentias visitantibus Basilicam Principis Apostolorum de vrbe, easque Apostolica authoritate denuo confirmat, approbat, & innouat anno 1342. Clemens VI. vt habetur in Extrauagante *Vnigenitus*, de pœnitentijs & remissionibus, non modò vsus est spirituali claue Indulgentiarum; sed efficacibus etiam rationibus probare conatus, est extare in Ecclesia spiritualem thesaurum constantem ex meritis Christi & sanctorum, vt suprà vidimus: Qui & Iubilæum, quod antè centesimo quoque anno recurrebat ad quinquagesimum contraxit postea ad 25. Martinus V. plenariam Indulgentiam concessit, qui fuerunt præsentes in Concilio Constantiensi.

S. Gregorius Indulgentiarũ vsum primus censetur exercuisse, & post illum. Leo 3.

Sergius Pontifex.

Ioannes 8.

Alexander 2.

Vrbanus 2.

Paschasius 2.

Gelasius 2.

Calistus 2.

Honorius 2.

Alexand. 3.

Innocent. 3.

Vrbanus 4.

Clemens 5.

Bonifac. 8.

Clem. 6.

Martinus 5.

20. Eandem veritatem contra Hæreticos defendunt duo Concilia generalia, Constantiense sessione 8. in qua damnat

Wicleffi

Wicleffi errores, inter quos vnus est, quòd Pontifex non habeat potestatem Indulgentias concedendi & Tridentinum sessione vltima peculiari decreto de Indulgentijs, in quo definit, esse in Ecclesia potestatem Indulgentias concedendi à Christo concessam, eamque antiquissimam fuisse in Ecclesia. Tandem anathemate damnat contrarium sentientes. Eandem veritatem particularibus bullis contra Lutherum, & Petrum Osomensem defendunt Leo X. & Sixtus IV. qui annum Iubilæum à 50 contraxit ad 25.

Leo X. Sixtus IV.

21. Ex his principijs satis efficaciter, vt arbitror, & à priori, & à posteriori probatum manet, esse in Ecclesia spiritualem potestatem concedenti Indulgentias à Christo concessam. Quæ veritas tanquam certum fidei Dogma habenda est: contraria verò vt manifesta Hæresis reijcienda. Multa solent contra hanc veritatem Hæretici objicere, quæ quoniam leuioris sunt momenti, ea digna non putauimus peculiari confutatione.

Proponitur difficultas.

22. Vna tamen superest hic difficultas, an super abundantes satisfactiones eorum iustorum, qui post multa opera satisfactoria in peccatum inciderunt, aut etiam damnati sunt, reseruentur in thesauro Ecclesiæ. Affirmat Henriquez libro 7. de Indulgentijs capite 1. numero 3. *quia valor*, inquit, *satisfactionis non videtur pendere in conseruatione à gratia personæ operantis, sicut pendet ratio meriti. Quod probabile est*: cuius discriminis ratio inter meritum, & satisfactionem est: quia cùm meritum non prosit, nisi personæ operanti, si illa non est in statu gratiæ, nulli alteri poterit prodesse: satisfactio verò, cùm non solùm prosit ipsi personæ satisfacienti, sed alijs, quibus applicari potest, etiamsi persona ipsa, à qua satisfactio processit non sit capax, poterunt esse capaces aliæ personæ. Vnde sicut bona temporalia ciuium rebellium seruantur in communi Reipublicæ ærario dispensanda alijs ciuibus: ita bona spiritualia Rebellium Ecclesiæ membrorum seruantur in communi thesauro, alijs membris applicanda. Nec refert, quòd persona, cuius fuit satisfactio, quando satisfactio ipsa applicatur, non sit grata Deo: quia Deus non respicit talem satisfactionem prout dicit ordinem ad personam, quæ est in peccato, sed prout dicit ordinem ad Christi satisfactionem, à qua tanquam à causa vniuersali valorem habet omnis satisfactio personæ particularis.

Adstruitur Henriquez.

Discrimen inter meritum & satisfactionem.

SECTIO II.

Cuius potestatis actus sit Indulgentias concedere?

23. DVRANDVS in 4. distinctione 20. quæstione 5. sententiam refert, quam & ipse probabilem censet, asserentem esse actum tam ordinis, quàm Iurisdictionis, extendétis se supra totam Ecclesiam. Quòd sit actus ordinis probatur: nam per indulgétias eæ pœnæ remittuntur, quæ à Sacerdote in foro pœnitentiæ fuerunt iniunctæ: Sed nemo potest has pœnas remittere, vel relaxare, nisi solus Sacerdos, qui eas tantùm iudicare potest: igitur solus Sacerdos potest Indulgentias concedere. Maior constat ex formula ipsa concedendi Indulgentias, in qua dicitur: *Tantum vel tantum de iniunctis pœnitentijs misericorditer relaxamus.* Minor probatur: quia nemo potest pœnam per alium Iudicem impositam remittere, vel relaxare, nisi sit superior, qui de ea iudicare potest. Quòd sit etiam actus Iurisdictionis extendentis se supra totam Ecclesiam, probatur: nam eius actus est Indulgentias concedere, cuius est de communi Ecclesiæ thesauro dispensare. Solius autem summi Pontificis est, de communi Ecclesiæ thesauro dispensare: nam ipse solus habet potestatem dispensandi bona communia Ecclesię.

Esse actum tã ordinis, quàm iurisdictionis censet Durandus.

24. Verùm hæc opinio, quatenus asserit concessionem Indulgentiarum esse actum ordinis, vel illum supponere, est contra communem sententiam fere omnium Scholasticorum, qui vnanimi consensu negant, concessionem Indulgentiarum esse actum ordinis, sed tantùm Iurisdictionis. Vnde sequitur, posse Pontificem, etiamsi Sacerdos consecratus non sit, Indulgentias concedere. Ratio verò est: quia potestas concedendi Indulgentias, est tantùm potestas applicandi satisfactiones Christi, & sanctorum pro pœnis temporalibus ex condonatis peccatis relictis extra sacramentum pœnitentiæ. Hæc autem potestas per se nullum requirit ordinem, sed tantùm Iurisdictionem in eos, quibus relaxandæ sunt pœnę per Indulgentias. Minor probatur: nam si aliquem ordinem hæc potestas requireret, maximè esset Presbyteratus. Atqui hic non est, nam Presbyteratus per se tantùm ordinatur ad conficiendum corpus Christi, & ad remittenda peccata, & pœnas illis debitas in foro tantùm sacramentali. Hæc autem potestas nec remitti peccata, nec pœnas debitas peccatis in foro sacramentali, sed extra illud per modum cuiusdam Iuridicę absolutionis. Confirmatur: nam potestas ordinis non est capax limitationis, vti est potestas Indulgentiarum, quæ limitari potest iuxta voluntatem concedentis.

Esse actum iurisdictionis tantùm est consensus Scholasticorum.

Quid sit potestas cõcedendi indulgentias.

25. Est igitur concessio Indulgentiarum actus solius Iurisdictionis supponens in concedente ius supra eos, quibus Indulgentiæ conceduntur, vt expresse definit Alexander III. capite *Quod autem*, de pœnitentijs & remissionibus, vbi Pontifex docet, non prodesse Indulgentias ijs, qui eas concedentibus non subsunt. Et rationem ibidē reddit: quia *nullus*, inquit, *à non suo Iudice ligari, vel absolui valet*. Eandem sententiam Scholastici docent in 4. dist. 20 & 21. Hinc aliqui deducunt, ideo applicationem Indulgentiarum factam pro defunctis, dici per modū suffragij, quia Pontifex non habet Iurisdictionem in defunctos. Sed de hac difficultate infrà.

Alexand. 3.

26. *Obijcies* 1. Si concessio Indulgentiarum esset actus Iurisdictionis, posset exerceri in inuitum: nam actus Iurisdictionis exerceri potest etiam in inuitum; vt constat de absolutione ab Excommunicatione, à qua absolui potest etiam inuitus. Resp. Negando sequelam. Ad cuius probationem, negandum est, omnem actum Iurisdictionis exerceri posse in inuitum, sed solùm illum, qui nullū requirit consensum ex parte eius, in quem exercēdus est. Cùm igitur applicatio Indulgentiarū requirat aliquē consensum ex parte eius, cui Indulgentiæ applicandæ sunt, non poterit talis applicatio fieri inuito. Nec est eadem ratio de absolutione ab Excommunicatione: nam hæc pendet à sola voluntate absoluentis, nullo requisito consensu ex parte absoluendi. An autem possit Pontifex aliquando Indulgentias concedere etiam inuito, patebit ex infra dicendis.

Quis actus iurisdictionis exerceri possit in inuitum.

27. *Obijcies*. 2. Si concessio Indulgentiarū esset actus Iurisdictionis, non posset summus Pontifex eas sibi applicare: quia nemo potest in se ipsum Iurisdictionem exercere. Resp. 1. Non defuisse, qui propter hoc argumentū negarunt, summum Pontificem posse esse indulgentiarum participē, vt refert Bellarminus lib. 1. de Indulgentijs, cap 6. Resp 2. Negando sequelam. Ad cuius probationem, distinguendum est; neminē posse in seipsum secundùm eandem rationem consideratum Iurisdictionem exercere, concedo: neminem posse consideratum secundùm diuersas rationes in seipsum Iurisdictionem exercere, nego. Porrò Pontifex, qui Indulgentias concedit, dupliciter consideratur, & quatenus caput Ecclesiæ, cui à Christo demandata est hæc indulgentiarum potestas, & quatenus membrum est in eadem Ecclesia contentum; seu quod cum eodem recurrit, & quatenus persona publica, & quatenus persona priuata est. Potest igitur Pōtifex vt caput Ecclesiæ & persona publica à Christo constituta Indulgētias cōcedere sibi vt personæ priuatæ sub eodē corpore Ecclesiæ cōtentæ. Idq; nō directè, & immediatè in seipsum Iurisdictionem exercendo, sed indirectè tantum & mediate, quatenus seruando conditiones ad Indulgentias lucrandas à se definitas, ipse etiam tanquam membrum eiusdem communitatis illas participat. Cæterùm an etiam directè & immediate valeat sibi Indulgentias concedere pendet ex ijs quæ de dispensatione legis humanæ doceo tomo 4. de iustitia & iure disp. 6.

Bellarmin.

Pontifex vt persona publica potest sibi indulgentias cōcedere vt persona priuata.

28. Vnde ad fundamentum oppositæ sententiæ, quidquid sit de Maiore, de qua infrà: neganda est Minor: nam saltem indirectè per subtractionem debiti remitti potest pœna in sacramentali foro iniuncta, etiam ab eo, qui Sacerdos non est: vt si constaret, aliquem satisfecisse pro ea pœna pro qua mihi iniuncta fuit sacramentalis pœnitentia, obligatio talis pœnæ cessaret.

29. Ex dictis infertur 1. non posse Episcopos extra suam diœcesim Indulgentias concedere: colligitur ex capite *nostro* de pœnit. & remiss. Ratio est: quia cùm nequeat Episcopus extra suā diœcesim actum Iurisdictionis exercere, consequenter nec poterit Indulgentias concedere, qui, vt probatum est, est actus Iurisdictionis. Nec refert, quòd Archiepiscopus toti Prouinciæ Indulgentias concedere possit, vt colligitur ex citato capite *nostro*, etiamsi non sit totius Prouinciæ ordinarius Iudex: nam sufficit, vt aliquando, & in certis casibus possit esse illorum Iudex.

Episcopi nō possunt extra suas diœceses indulgentias concedere.

Archiepiscopus toti Prouinciæ indulgētias cōcedere potest.

30. Infertur 2. Actum concedendi Indulgentias neque esse puram pœnæ solutionem, nec puram absolutionem, sed absolutionem secum annexā habentē solutionē. 1. constat: quoniā pura pœnæ solutio nullam requirit in soluēte Iurisdictionem, sed tantùm oblationem æqualis satisfactionis pro altero: vt cùm vnus suam satisfactionem offert pro altero, soluit pro illo, non tamen absoluit illum: quia absoluere est actus iuridicus iudiciariam potestatem supponens in absoluēte. 2. Probatur: nam pura absolutio nullam offert pro pœna solutionem, sed merè gratis illam remittit. Non potest autem Pontifex merè gratis remittere pœnam temporalem, quam homo ratione peccati sibi remissi debet Deo: igitur non potest ab illa merè absoluere. Confirmatur: quia si posset Pontifex mere gratis absque vlla solutione pœnas temporales fidelibus remittere, omnino frustra esset thesaurus Ecclesiæ. 3. Manifestè sequitur ex dictis: nam si concessio Indulgentiarum nec est pura solutio, nec pura absolutio, erit absolutio coniunctam habens solutionem. Nam quatenus est actus remissiuus pœnæ ex gratia, quę fit debitori, dum illi pœna remittetur ex satisfactione alterius, dicitur absolutio: quatenus verò talis remissio non fit absque aliqua solutione non est pura absolutio, sed simul annexam habens solutionem. Quo fit, vt Indulgentia respectu hominis, cui applicatur, habeat rationem puræ misericordiæ, quia illi misericordia fit, quòd ex thesauro Ecclesiæ satisfactio applicetur; secundùm se verò, & respectu Dei includat actum iustitiæ: quia secundùm se, & respectu Dei non est pura pœnæ remissio, sed cum æquiualente solutione.

Actus concedendi indulgentias nec est pura pœnæ solutio, nec pura absolutio.

Sed actus absolutionis coniunctam habens solutionem.

SECTIO

SECTIO III.

A quo vinculo Indulgentiæ fideles absoluant?

Vinculum, alterum culpæ, alterum pœnæ.

31. Duplex est vinculum, quo ligatur homo; alterum culpæ, alterum pœnæ. 1. certum est, indulgentias non absoluere fideles à vinculo mortalis culpæ. Est communis omnium Theologorum, de qua, vt Bellarminus lib. 1. de Indulgentijs cap. 7. propositione 1. testatur, nulla dubitatio esse potest. Quin eam Suarez disp. 50. sect. 1. num. 2. & 3. censet de fide. Fundamentum verò est: quoniam de facto nulla culpa mortalis remittitur absque infusione gratiæ: per indulgentias autem non infunditur gratia; sed solùm remittitur pœna, ex condonatis peccatis relicta: igitur per indulgentias non remittitur culpa mortalis. Maior est de fide ex Tridentino sess. 6. cap. 7. vbi definitur peccatoris iustificatio non esse *sola peccatorum remissio, sed & sanctificatio & renouatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ, & donorum.* Et infrà assignans formalem causam nostrę iustificationis, ait esse iustitiam nobis inhærentem. Minor probatur: nam de facto gratia iustificans, qua sola à peccato mundamur, per se non infunditur; nisi vel per sacramentum Baptismi, & pœnitentiæ, vel per actum contritionis cum voto ad hęc sacramenta. Dixi *per se:* quia per accidens interdum potest etiam per alia sacramenta gratia iustificans infundi, vt ex pręcedente tomo de sacramentis in genere constat. Assumptum colligitur ex eodem Tridentino sess. 7. canone 4. de sacramentis in genere, vbi damnatur, qui dixerit, sine sacramentis, aut eorum voto homines à Deo gratiam iustificationis adipisci.

Bellarm. *Suarez.* *Concilium Trident.* *Conc. Trid.*

32. Confirmatur: nam vel indulgentię mortale remittunt, nulla subiecti dispositione prærequisita: at hoc saltem de lege ordinata repugnat, in qua nullum peccatum remittitur absque propria peccatoris retractatione: Vel supposita aliqua subiecti dispositione: & contrà est: nam vel hæc est contritio: atqui hæc antecedenter ad indulgentias peccatum remittit. Nec dici potest, illud remittere in voto indulgentiarum: tum quia id repugnat Tridentino non agnoscenti in alterius rei voto peccatorem iustificari, quàm vel Baptismi sess. 6. cap. 4 vel pœnitentiæ sess. 14. cap. 4. tum quia hinc sequeretur, non posse hominem saluari, nisi Indulgētias sibi procuraret: sicut non posset homo in voto pœnitentiæ iustificatus saluari, nisi reipsa sacramentum pœnitentiæ suscipiendum procuraret. Vel demum hęc dispositio esset attritio, quæ virtute Indulgentiarum redderet hominem ex attrito contritum. At hoc aduersatur eidem Concilio citata sess. 14. cap. 4. vbi docet, attritionem, sine sacramento pœnitentiæ per se ad iustificationem peccatorem perducere non posse.

Conc. Trid. *Conc. Trid.*

33. Secundò ferè certum etiam est, Indulgentias non absoluere à vinculo peccati venialis: nam etiam remissio peccati venialis de lege ordinata fit per infusionem alicuius gratiæ, supposita aliqua ex parte subiecti dispositione. Contra hoc tamen sentit Paludanus in 4. dist. 20. q 4. qui probabile putat, per Indulgentias remitti peccata venialia: cum quo ex parte consensit Henriquez lib. 4. de sacramentis cap. 15. num. 1. quatenus docet, per Indulgentias per se & immediatè remitti reatum peccati venialis, quo toto sublato ex consequenti tolli etiam culpam, cùm nequeat consistere culpa absque vllo debito, & reatu. Sed fallitur: nam per Indulgentias non remittitur pœna peccati venialis nondum quoad culpam remissi; sed tantùm pœna, ex peccato remisso relicta: sicut nec remittitur pœna peccati mortalis nondum condonati, sed tantùm pœna, ex condonato peccato relicta. Nec obstat, quòd interdum per Indulgentias Pontifices dicant, se fideles à culpa, & pœna absoluere: nam vel ly *à culpa* idem significat, quod ab effectu & reatu culpę: vel non consideratur sola Indulgentia, sed simul cum sacramento pœnitentiæ, quod sæpe à Pontificibus tanquam præuia dispositio præmittendum præscribitur ad fructum Indulgentiarum percipiendum.

Paludanus. *Henriquez.*

34. Ergo à solo vinculo pœnæ, non quidem æternæ mortali debitę, nam hæc remittitur cum ipso peccato mortali virtute sacramenti, aut contritionis in voto sacramenti, sed temporalis relictæ ex peccatis iam condonatis, Indulgentiæ absoluunt. Quod si Indulgentiæ concessę essent propter ipsum actum contritionis, vel sacramentum pœnitentiæ, adhuc remissio pœnæ æternę, eiusque in temporalem commutatio, non esset effectus Indulgentiarum, sed contritionis, aut sacramenti pœnitentiæ. Ratio, quia in hoc casu contritio, vel sacramentum pœnitentiæ esset vt præuia dispositio ad fructum Indulgentiarum consequendum à Pontifice impositum: Vnde antequam fructus Indulgentiarum tali subiecto applicaretur, supponeretur per contritionem, vel sacramentum pœnitentiæ, tanquam per pręuiam dispositionem in eo remissa pœna æterna, eaque in temporalem, ad quam tantùm remittendam applicarentur Indulgentiæ, commutata.

35. Duplex autem pœna temporalis considerari potest in homine ex condonatis peccatis relicta; Altera, ad quam persoluendam homo accepit sacramentalem pœnitentiam: Altera, ad quam vel nondum accepit sacramentalem pœnitentiam, vt est pœna eorum peccatorum, quæ sunt extra sacramentum sola contritione remissa, & nondum confessa; vel ad quam sacramentalem pœnitentiam accepit, ea tamen sufficiens non fuit pro tota pœna soluenda. His suppositis triplex insurgit difficultas.

Duplex pœna considerari potest in homine ex condonatis peccatis relicta.

Triplex proponitur difficultas.

36. PRIMA est: An possit Pontifex per Indulgentias remittere pœnitentias, quas pœnitens virtute clauium in ipso foro sacramentali à Sacerdote accepit ad persoluendas pœnas ex peccatis confessis relictas. 2. An Indulgentiæ, quæ sub hac formula conceduntur: *De iniunctis pœnitentijs Indulgemus:* extendantur solùm ad remittendas eas pœnas, ad quas iniunctæ sunt sacramentales pœnitentiæ, vel ad alias etiam pœnas. 3. An saltem quando Indulgentiæ sine vlla restrictione conceduntur, extendantur ad omnes pœnas, quas homo ex peccatis contraxit.

Discutitur prima difficultas.

37. PRIMA difficultas oritur ex dictis suprà de sacramētali satisfactione: ibi enim diximus, non posse vnum Sacerdotem extra sacramentum mutare pœnitentiam sacramentalem ab alio Sacerdote impositam: ergo multò minùs id poterit non Sacerdos, qui posset Indulgentias extra sacramentum concedere.

38. Conueniunt omnes, posse Pontificem, etiamsi Sacerdos non sit, per Indulgentias remittere pœnitentias sacramentales à confessario pro peccatis iniunctas, non quà medicinales, & præseruatiuæ; sed quà merè peccatorum vindicatiuæ sunt. Idque constat tum ex formula earum Indulgentiarum, in quibus expressa mentio fit de pœnitentijs in foro sacramentali iniunctis: tum ex eo, quòd sępe canones, & Concilia prohibent nimiam facilitatem Indulgentias concedendi, *ne pœnitentialis satisfactio eneruetur;* vt loquitur caput, *Cùm ex eo* de Pœnit. & Remiss. & Concilium Tridentinum sess. vlt. in decreto de Indulgentijs ita scribit: *In his,* nempe Indulgentijs, *concedendis moderationem iuxta veterem, & probatam Ecclesia consuetudinem adhiberi cupit, ne nimia facilitate Ecclesiastica disciplina eneruetur.* Quæ verba manifestè supponunt, per Indulgentias tolli ac relaxari sacramentales pœnitentias, quarum sublatione, ac relaxatione Ecclesiastica disciplina eneruatur.

Conc. Trid.

39. Discrepant verò in eo, An per Indulgentias sacramentales pœnitentiæ tollantur directè, & immediatè, An tantùm indirectè, & mediatè; directè, & immediatè remittendo pœnas relictas ex peccatis confessis & condonatis, mediatè verò & indirectè pœnitentias ipsas, quæ ad huiusmodi pœnas persoluendas à confessario in foro sacramentali impositæ fuerunt.

Per Indulgentias pœnitentiæ sacramentales tolli tantùm indirectè, & mediatè Suarez opinatur.

40. Suarez disp. 50. de effectu indulgentiarum sect. 2. opinatur, per Indulgentias pœnitentias sacramentales tolli solùm mediatè, & indirectè, quatenus sublato reatu pœnæ, tollitur debitum pro ea satisfaciendi, vndecunque tale debitum prouenerit, cùm repugnet, manere debitum soluendi pœnam, sublata tota pœna. Fundamentum eius est: quia pœnitentia sacramentalis est per modum vltimæ, ac definitiuę sententiæ nulli homini, ne ipsi quidem summo Pontifici subiectæ, ac subordinatę, cùm illa proferatur in persona Christi, cuius vices gerit Sacerdos in hoc sacramento. Porrò causa semel cognita, & definita in vno supremo tribunali, non potest ad aliud reuocari. Cùm igitur sacramentum pœnitentię sit supremum tribunal, vtpote in quo principalis iudex est Christus, qui per Sacerdotem tanquam per suum ministrum sententiam fert, non poterit sententia in eo semel lata, ab alio extra illud, ne quidem à summo Pontifice per Indulgentias reuocari. Confirmat: nam potestas soluendi est proportionata potestati ligandi. Nullus autem extra hoc sacramentum ligare potest; ergo nec soluere. Cùm igitur Indulgentiæ non attingant hoc internum forum sacramentale, soluere non poterunt ea, quæ in hoc foro imponuntur.

Tolli directè, & immediatè probabilius est. Coninck. Henriquez.

41. Coninck disp. 12. de Indulgentijs dub. 3. concl. 2. Henriquez lib. 5. de sacramentis cap. 22. num. 5. putant, per Indulgentias non tantùm indirectè, & mediatè, sed etiam directè, & immediatè tolli sacramentales pœnitentias. *Quæ sententia probabilior est.* Quia verò tota difficultas est, quo pacto possit in hac sententia simul stare, quòd sacramentum pœnitentię sit supremum tribunal, in quo Sacerdos vice Christi sententiam fert, & nihilominus Pontifex per thesaurum Indulgentiarum relaxare valeat, ac tollere pœnitentiam in eo tribunali à Sacerdote impositam, ideo adnitendum nobis erit, hæc duo inter se conciliare. Nam cæteroquin, si hæc duo simul inter se non repugnant, nemo est, qui non affirmet, ea forè concedenda: cùm magis hoc faueat vniuersali authoritati, quam Christus promisit Petro tanquam supremo Ecclesiæ capiti, eiusque successoribus Matthæi 16. *Quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cœlis:* & Ioannis vltimo: *Pasce oues meas.*

Matth. 16.

Ioan. vlt.

42. Hoc autem sic declaro. Potuit Christus instituere sacramentum pœnitentiæ, tanquam supremum tribunal in ferenda sententia de peccatis, & offensis contra se commissis, & nihilominus retinere potestatem relaxandi pœnas in eo latas: quam potestatem potuit per Indulgentias suo vicario communicare. Ex eo enim quòd Pontifex nomine Christi misericorditer per Indulgentiarum thesaurum relaxat pœnitentiam à Sacerdote vice Christi in foro sacramentali iniunctam, non retractat aut reuocat sententiam Sacerdotis: nam hæc à Sacerdote lata fuit sub tacita conditione, si Christus, in cuius honoris defensionem lata fuit, noluerit talem pœnitentiam remittere. Quod illustrari potest exemplo è rebus humanis ducto. Nam si offensus gratis remittat pœnam, quam offendens ex iudicis sententia accepit ad satisfaciendum iniuriæ contra offensum irrogatæ, non dicitur sententiam iudicis reuocare, aut retractare: nam hęc lata fuit sub tacita conditione, si offensus ipse noluerit gratis eam condonare. Pari modo Christus, remittendo per Indulgentias pœnas, quas pœnitens ex sententia Sacerdotis accepit ad satisfaciendum iniuriæ contra se commissę, non dicitur retractare aut re-

uocare

uocare sententiam à Sacerdote latam: quia illa non fuit lata, nisi sub tacita conditione, si Christus noluerit illam per se, vel per suum vicarium gratis remittere: qua potestate Christus non se priuauit, erigendo supremum tribunal pœnitentiæ.

43. Cęterùm dicitur hoc supremum tribunal respectu eorum, qui authoritatem non habent pœnitentias in eo impositas nomine Christi remittendi, aut relaxandi. Vnde nulli homini est hoc tribunal subordinatum in ratione sacramentalis iudicij, quod fertur de peccatis in eo cognitis, & iudicatis; non autem in ratione liberalis condonationis nomine Christi impendendæ. Cuius duplicis potestatis hoc interest, quòd prior nequeat suum actum exercere, nisi causa in particulari cognita, vt constat ex Tridentino sess. 14. cap. 5. Posterior verò suum actum exercere potest, cognita causa tantùm in communi, nempe quòd fideles propter pœnas ex condonatis peccatis relictas, egeant satisfactione Christi, & sanctorum, illis per thesaurum Indulgentiarum applicanda.

Concilium Triden.

44. Ex his patet ad fundamentum Suarez. Etenim concedo, sententiam Sacerdotis in foro pœnitentiæ latam esse definitiuam, & à nemine mutari posse in ratione sacramentalis iudicij de peccatis in eo iudicatis, nisi fortè pœnitens iterum voluerit sua peccata ab vno iudicata, alteri iudicanda subijcere, vt suprà disputatione de satisfactione ostendimus. Nego autem, manente eadem sententia definitiua de peccatis ex parte iudicis, non posse pœnitentiam, per talem sententiam decretam, nomine Christi liberaliter remitti: sicut, manente eadem sententia definitiua in iudicio humano, potest pœna per talem sententiam lata gratis remitti ab offenso, ad cuius recompensandam iniuriam imposita fuit. Ad confirmationem, similiter concedo, pœnitentem semel sacramentaliter ligatum in hoc foro, à nemine eodem iudicij genere, incognita causa, absolui posse: nego autem, absolui non posse alio absolutionis genere nempe liberalis remissionis nomine Christi factæ.

Responde- tur ad arg. Suarez.

45. Neque hinc inferas: ergo actus concedendi Indulgentias, non est iuridicus: sicut non est iuridicus actus, quo offensus remittit offendenti pœnam iudicis sententia impositam: nam ideo actus, quo offensus remittit offendenti pœnam, non est iuridicus, quia authoritatem remittendi talem pœnam non habet communicatam ab alio, sed à seipso, quatenus à seipso habet, vt proprio iuri cedere possit. Pontifex autem authoritatem remittendi per Indulgentias fidelibus pœnas, quas propter offensas in Deum patratas iustè meruerunt, non habet à se, sed à Christo, nomine cuius pœnas remittit: proinde ab eodem Christo iurisdictionem in eosdem accipit, quibus tanquam superior subditis valeat pœnas ex peccatis contractas indulgere.

46. Ex dictis infertur primò. Non teneri pœnitentem ad seruandam pœnitentiam, quam in vindictam suorum peccatorum in foro sacramentali accepit, si probabiliter Indulgentias lucratus est: quamuis optimum consilium sit, adhuc lucratis Indulgentijs, eam adimplere. Corollarium hoc est commune Doctorum, vno reclamante Valentia disput. 7. de Indulgentijs, quæst. 20. puncto 3. §. *Sunt autem circa hanc Indulgentiæ formam.* Ratio verò Corollarij est, quia non tenetur pœnitens bis pro eodem debito soluere: igitur si pro eadem pœna adæquatè soluit per Indulgentias, non tenetur iterum pro eadem per propriam satisfactionem soluere. Dixi, *quam in vindictam suorum peccatorum:* nam si eandem pœnitentiam accepit, vt morbi etiam præseruatiuam, tenetur illam seruare; nec per Indulgentias potest ab illa absolui. Vltima pars Corollarij patet: tum quia nunquam est pœnitens certus, se consecutum fuisse effectum Indulgentiarum: tum quia satisfactio virtute clauium iniuncta non solùm ex opere operato remittit pœnam ex peccatis relictam; sed etiam confert gratiam, si in statu gratiæ adimpleatur.

Valentia. Non tenetur pœnitentia pro eodem debito bis soluere.

47. Dices. Nunquam licet sacramentum pœnitentiæ mutilare: mutilaretur autem, si omitteretur pœnitentia, quæ est pars integrans hoc sacramentum. Respondeo, maiorem esse veram de mutilatione quoad partem essentialem, non autem quoad partem integralem, cuiusmodi est satisfactio, quæ in multis casibus licitè omitti potest, inter quos est, quando constat, pœnitentem adæquatè satisfecisse pro tota pœna peccatis debita, vt prænotata disputione de sacramentali satisfactione docuimus.

Nunquam licet sacramentum mutilare quoad partem essentialem.

48. Infertur secundò. Vt Indulgentia tollat sacramentalem pœnitentiam, remittendo loco ipsius pœnam, ad quam persoluendam pœnitentia ipsa fuit imposita, opus non est, vt sub hac conditione talis pœnitentia fuerit à confessario iniuncta, vt nimirum illa posset per Indulgentiam tolli, aut relaxari. Ratio est: quia potestas Indulgentiarum non pendet in suo actu exercendo à iudicio confessarij, cùm sit potestas diuersæ rationis, vt probatum est.

49. Quoad secundam difficultatem Suarez disput. 50. de effectu Indulgentiarum. sect. 3. Assert. 3. Coninck disput. 12. dubio 5. conclus. 4. Filliucius tract. 8. de causa finali Indulgentiarum cap. 7. quæst. 1. & alij putant, cùm conceditur Indulgentia de *iniunctis pœnitentijs*, eam non solùm extendi ad pœnam, pro qua iniuncta est pœnitentia sacramentalis; sed etiam ad alias, pro quibus nulla pœnitentia iniuncta est. Fundamentum Suarez est: quoniam hæc

Suarez.

Coninck. Filliucius.

Fundam. Suarez.

hæc verba *de iniunctis pœnitentijs* non sunt restrictiua, sed ampliatiua: habent enim hunc sensum, vt non solùm Indulgentia extendatur ad pœnas, quibus nulla iniuncta est pœnitentia; sed etiam ad eas, quibus pœnitentia iniuncta est. Igitur cui conceditur Indulgentia de pœnitentijs iniunctis, à fortiori conceditur etiam de pœnis, quibus nulla est pœnitentia iniuncta. Antecedens probat: tum quia maius est remittere pœnam pluribus, quàm paucioribus titulis debitam: sed pœna, cui imposita est sacramentalis pœnitentia, non solùm est debita lege naturali, & diuina, sed etiam humana Sacerdotis illam imponentis. Tum quia in iudicio humano facilius est remittere pœnam ante sententiam à iudice decretam, quàm post sententiam latam; ergo etiam in hoc iudicio. Tum quia probabile est, per voluntarias pœnitentias, quas pro nostris peccatis exoluimus, priùs nobis remitti pœnas eorum peccatorum, ad quas persoluendas non habemus sacramentales pœnitentias, quàm eorum, ad quas persoluendas iniunctas habemus pœnitentias: nam harum remissio quantum fieri potest reseruatur facienda per pœnitentiam à confessario iniunctam.

50. Consequentiam verò primi Enthymematis probat primò ex regula desumpta ex capite *ex parte* de decimis, in qua statuitur: *Vbi maius conceditur, minus concessum esse videtur*. Quæ regula maximè locum habet in ijs, quæ sunt eiusdem generis, ac rationis, pertinentque ad idem priuilegium, & potestatem, cuiusmodi sunt, de quibus hic disputamus. 2. *Beneficia principum largissimè interpretanda sunt*, vt definit Innocentius III. capite *Olim* de verborum significatione. Quod maximè verum est, quando beneficium ita prodest vni, vt nulli alteri noceat. Pertinet autem ad largissimam interpretationem, vt quando verbum in concessione beneficij positum intelligi potest positum ad beneficium ampliandum quod ita debeat interpretari. In re autem proposita rectè verba illa *De iniunctis pœnitentijs*, intelligi possunt addita ad ampliandam Indulgentiam, vt non solùm intelligatur de pœnis, pro quibus nullę iniunctæ sunt pœnitentiæ; sed etiam de ijs, pro quibus iniunctæ sunt pœnitentiæ. Tertiò. Si quis facultatem concederet absoluendi à reseruatis, censeretur facultatem concedere absoluendi etiam à non reseruatis. Ergo qui Indulgentiam concedit, vt absoluatur à pœna, cui iniuncta est pœnitentia, censetur Indulgentiam concedere, vt absoluatur etiam à pœna, cui nulla iniuncta est pœnitentia. Quartò. Si per huiusmodi verba Pontifex intenderet solùm remittere pœnam, pro qua imposita est pœnitentia, sequeretur, interdum fideles nullam per Indulgentias consequi remissionem pœnæ, quando nimirum pœna illa, pro qua imposita esset sacramentalis pœnitentia, persoluta esset. Vnde in eo casu, etiamsi qui Indulgentias acciperet, multas haberet pœnas soluendas, quibus nulla imposita esset pœnitentia, nullam de ijs consequeretur remissionem.

Beneficia Principum largissimè sunt interpretanda. Innoc. III.

51. Cæteri verò Doctores communiter negant, huiusmodi Indulgentias extendi vltra pœnas, pro quibus iniuncta est sacramentalis pœnitentia. Hanc expresè docent Durandus in 4. distinct. 20. quæstione 4. numero 9. Caietanus tomo 1. opusculorum tract. 15. de Indulgentijs quęstione 7. Sotus in 4. distinct. 21. quęstione 2. articulo 1. conclusione 3. Petrus Sotus lectione 2. de Indulgentijs ad finem: Angelus verbo *Indulgentia* 1. circa finem: Nauarrus tractatu de Indulgentijs: Bellarminus lib. 1. de Indulgentijs cap. 7. Propositione 5. Henriquez lib. 7. de Indulgentijs cap. 6. & 3. p. numero 8. Valentia suprà citatus: Nugnez 3. p. tomo 2. quæst. 25. art. 1. difficultate 3. conclus. 4. Licet iste author etiam oppositam sententiam probabilem censeat. Colligitur hæc sententia ex capite *Cùm ex eo* de Pœnit. & Remiss. vbi Innocentius III. ne *per indiscretas & superfluas Indulgentias pœnitentialis satisfactio eneruetur*, præcipit Episcopis, ne in dedicatione Basilicæ Indulgentia excedat 40. dies de iniunctis pœnitentijs. Fundamentum verò est: quia Indulgentiæ, vt est commune Theologorum, & Canonistarum proloquium, tantùm valent, quantùm sonant: Totus enim effectus earum pendet ex voluntate concedentis. Voluntas autem concedentis non se extendit vltra verba in ipsa concessione posita: quando igitur in concessione ponitur verbum, *de iniunctis pœnitentijs*, Indulgentiæ non se extendunt vltra pœnam, pro qua iniuncta est pœnitentia. Pro huius difficultatis resolutione,

Durandus. Caietanus. Sotus. Petrus Sotus. Angelus. Nauarrus. Bellarm. Henriquez. Valentia. Nugnez. Innoc. III. Indulgentiæ tantùm valent, quantùm sonant.

52. Dicendum est, nunc de facto omnes Indulgentias extendi ad quascunque pœnas, etiam pro quibus nulla est iniuncta pœnitentia: antiquitus verò saltem illæ Indulgentię, in quarum concessione exprimebatur sola remissio *de iniunctis pœnitentijs* nonnisi ad eas pœnas extendebantur, pro quibus iniuncta erat pœnitentia. Hanc docet Laymann tract. 7. de Indulgentijs cap. 3. n. 2.

Laymann.

53. Fundamentum prioris assertionis partis est, quoniam nunc pœnitentiæ, quæ à confessarijs pro peccatis confessis iniunguntur, sunt adeo exiles, vt parum vtilitatis pœnitentibus afferrent Indulgentiæ, si tantùm eas pœnas remitterent, pro quibus illę iniunctę sunt. Quare etiam quando Pontifices addunt prædictam adiectionem *de iniunctis pœnitentijs*, intelliguntur ex benigna interpretatione, Indulgentias extendere etiam ad pœnas, pro quibus nulla iniuncta est pœnitentia: cùm non præsumantur velle tam exiguum fructum per Indulgentias fidelibus concedere. Atque in confirmationem huius partis faciunt argumenta à Suarez adducta.

Suarez.

54. Posterioris verò assertionis partis funda-

fundamentum est duplex; Alterum, quod antiquitus ferè omnes Indulgentiæ erant de pœnitentijs iniunctis. Vnde semper concessio Pontificis præsumebatur esse iuxta morem, & consuetudinem illius temporis, vt nonnisi ad relaxandas pœnas, pro quibus iniunctę erant pœnitentiæ, extenderetur. Alterum fundamentum est: quoniam antiquitus pro quouis peccato mortali graui imponebatur pœnitentia septem annorum, & pro grauissimo adhuc plurium: *Ecclesiastica* enim *consuetudine* vsurpatum erat, vt habetur 33. quæst. 2. canone *hoc ipsum, vt maiorum criminum pœnitentia septem annorum spatio concluderetur, nisi criminum magnitudo, vulgarem consuetudinem excedens, præmissum spatium transcendere cogeret:* quo fit, vt etiamsi indulgentia ad solas pœnas, pro quibus iniuncta erat pœnitentia, extenderetur, magnum afferret lucrantibus fructum.

55. Quoad tertiam difficultatem Caietanus, Petrus Soto locis supra notatis, & alij authores negant, Indulgentiam etiam sine vlla restrictione, imò etiam plenariè concessam, extendi ad non iniunctas, sed solùm ad iniunctas pœnitentias. Fundamentum Caietani est: quoniam verba iudicis intelligenda sunt secundùm formam iuris: in iure autem sola mentio fit de iniunctis pœnitentijs: igitur de solis iniunctis intelligenda est omnis Indulgentia, etiam simpliciter & absolutè concessa. Confirmatur: quia cùm Pontifices Indulgentias concedunt, non præsumuntur concedere nisi iuxta canones, in quibus semper Indulgentiæ conceduntur pro iniunctis pœnitentijs.

Caietanus. Petrus Soto.

Cum Pontifices Indulgentias concedunt, non præsumuntur concedere nisi iuxta canones. Sententia probabilior.

56. Affirmant verò cęteri Scholastici in 4. dist. 20. & summulistæ verbo *Indulgentia*, Indulgentias absque restrictione concessas extendi ad omnes pœnas, etiam quibus pœnitentia iniuncta non est. *Quæ sententia probabilior est*, non solùm iuxta præsentem; sed etiam iuxta antiquum Ecclesiæ morem. Et quidem iuxta præsentem à fortiori constat ex dictis in 2. difficultate. Iuxta antiquum verò probatur: nam aliquando Pontifices in ipsa concessione Indulgentiæ expressè ponebant prædictam restrictionem *de iniunctis pœnitentijs*, aliquando verò non ponebant: ergo quando illam non ponebant, significare volebant, se Indulgentiam concedere amplè, & vniuersaliter in ordine ad omnes pœnas: alioqui si tantùm illam extendere voluissent ad solas pœnitentias iniunctas, restrictionem apposuissent, sicuti apponebant, quando illam limitare volebant ad solas pœnitentias iniunctas.

57. Dices, idem argumentum fieri posse contra nos, qui dicimus iuxta præsentem Ecclesię consuetudinem Indulgentiam, etiam cum restrictione *ad iniunctas pœnitentias* concessam, extendi etiam ad non iniunctas: quia aliquando Pontifices in concessione Indulgentiæ hanc restrictionem ponunt, aliquando non ponunt. Respondeo negando paritatem: quia, iuxta præsentem Ecclesię consuetudinem, possunt verba *de adiunctis pœnitentijs*, intelligi cum ampliatione, vt sensus sit, etiam de adiunctis pœnitentijs. At verò in omissione restrictionis *de adiunctis*, non potest intelligi restrictio ipsa *de adiunctis*: quia in omissione non potest intelligi affirmatio: potest autem in vna affirmatione implicitè intelligi alia affirmatio.

In vna affirmatione implicitè potest intelligi alia.

58. Probatur 2. Quoniam in opposita sententia nulla foret Indulgentia plenaria: quia in opposita sententia omnis Indulgentia etiam plenaria restringitur ad solas pœnitentias iniunctas. Vnde nulla Indulgentia plenaria remitteret omnem pœnam, quam fidelis ex condonatis peccatis relictas persoluere tenetur. Hoc autem videtur etiam contra antiquam consuetudinem Ecclesiæ, iuxta quam interdum concedebatur indulgentia plena, interdum plenior, interdum plenissima, vt constat ex extrauagante *Antiquorum*. de Pœnit. & Remiss. in qua Bonifacius VIII. ait, se concedere, *non solùm plenam, & largiorem; sed etiam plenissimam omnium peccatorum veniam*. Nec dici potest plenissima Indulgentia respectu iniunctarum: nam hanc interpretationem non admittit signum vniuersale *Omnium:* quod non solùm cadit supra pœnitentias iniunctas; sed etiam supra non iniunctas.

59. Ex dictis infertur 1. Indulgentias non remittere pœnas iniunctas ab Ecclesia persoluendas in foro externo; sed solùm pœnas persoluendas in foro interno Dei. Est communis sententia, quam ferè omnes Theologi docent cum S. Thoma quæst. 27. in additione ad tertiam partem art. 2. ad secundum. Ratio est: quia Indulgentia remittit, tantùm pœnas in foro pœnitentiali conscientię, non autem in foro contentioso iudiciali. Cùm igitur hęc duo fora sint diuersa, non sequitur, quòd solutus in vno foro maneat etiam solutus in alio. Quòd autem Indulgentia solùm remittat pœnam coram Deo, probatur: quia Indulgentia est quædam liberalis remissio facta nomine Christi ad relaxandam pœnam, quam homo ex præteritis peccatis condonatis soluere debebat eidem Christo: igitur solam hanc per se remittit Indulgentia.

Indulgentia non remittunt pœnas iniunctas ab Ecclesia, persoluendas in foro externo. S. Thomas.

60. Infertur 2. Indulgentiam non solùm remittere pœnitentias in foro sacramentali à confessario iniunctas; sed etiam pœnas ipsas, pro quibus sacramentales pœnitentiæ sunt iniunctę. Alioqui si Indulgentia solùm liberaret à pœnitentijs sacramentaliter iniunctis, & non à pœnis, pro quibus illæ iniunguntur, nullum afferret pœnitenti lucrum, sed potius damnum, quatenus tolleret pœnitentias quibus homo satisfaceret pœnis propter peccata contractis, & simul relinqueret pœnas ex condonatis peccatis relictas.

61. Infertur 3. Cùm conceditur Indulgentia 40. vel 100. dierum, aut annorum, non intelliguntur dies, vel anni pœnarum, quas in Purgatorio eramus soluturi, cùm vix putet

putet Sotus in 4. dist. 21. quæst. 2. art. 1. post secundam conclusionem, maximam Purgatorij pœnam excedere 20. aut 10. annos, quod an sit verum, nunc non disputo; sed solùm cum communi Doctorum sententia aio, intelligi dies, vel annos earum pœnitentiarum, quæ iuxta antiquam Ecclesiæ consuetudinem imponebantur pœnitentibus. Vt enim supra vidimus, propter vnum peccatum mortale graue imponebatur pœnitentia septem annorum, vt videlicet pœnitens semel, aut bis in hebdomada ieiunaret, se flagellaret, aut Psalmos recitaret, vel quid simile. Vnde quadragena erat pœnitentia continua 40. dierum, sicut septena erat pœnitentia continuata per septem dies continuos, vel vt alij volunt per septem annos. Indulgentia igitur 40. aut 100. dierum, vel annorum liberat ab illa pœna, pro qua satisfecisset pœnitens, si adimpleuisset iniunctam pœnitentiam 40. aut 100. dierum, vel annorum. Quo fit, vt non tanta respondeat remissio pœnæ vnius anni in Purgatorio, quanta remittitur hîc per pœnitentiam vnius anni: quia cùm pœna Purgatorij sit longè acerbior quacunque pœna huius vitæ, vix ad soluendam pœnam vnius diei in Purgatorio sufficit pœnitentia vnius anni in hac vita facta: ac proinde per Indulgentiam septem annorum vix fortasse remittitur pœna septem dierum Purgatorij.

Quid fuerit quadragena, quid septena.

SECTIO IV.

An sint necessaria aliqua verba ad Indulgentias concedendas, & quo pacto illa sint interpretanda?

Ratio dubitandi.

62. Ratio dubitandi pro priori difficultate est, quoniam Pontifex habet amplam à Christo potestatem, nulla verborum restrictione limitatam, dispensandi fidelibus spiritualem thesaurum satisfactionum ipsius, & Sanctorum. Ergo ad Indulgentias validè concedendas nulla requiruntur verba, vel signa, sed sufficit interna voluntas concedentis, cum practica intentione illas certæ personæ, vel loco applicandi. Confirmatur 1. Indulgentiam concedere, est gratiam facere: ad quam sicut non requiritur consensus eius, cui fit: ita nec vllum signum, quo gratia manifestetur; sed sufficit sola voluntas gratiam facientis, cum non repugnantia eius, in quem confertur. Confirmatur 2. Posset Pontifex sola sua interiori voluntate, absque vllo signo sensibili externo, per modum suffragij Indulgentiam applicere defunctis; ergo etiam viuis. Consequentia constat à paritate rationis. Antecedens probatur: quoniam vt Indulgentia per modum suffragij prosit defunctis, non est necesse, vt innotescat, nisi Deo, qui illam pro pœna Purgatorij acceptare debet. Confirmatur 3. Potest Pontifex, ex thesauro Ecclesiæ applicare Indulgentiam sibi ipsi: sed vt Indulgentiam sibi ipsi applicet, non est opus, vt suam voluntatem verbo, vel signo externo sibi manifestet, cùm absque vllo signo illam sciat.

Sententia communis Theologorū.

63. Communis tamen Theologorum sententia est, ad Indulgentias validè concedendas necessarium esse aliquod externum signum sufficienter declaratiuum Indulgentiarum, quæ conceduntur. Id 1. colligitur ex perpetua praxi Ecclesiæ, qua semper Pontifices consueuerunt Indulgentias per aliqua signa externa sensibilia sufficienter declaratiua concedere. 2. Probatur ex modo, quo potestas hæc Indulgentias concedendi concessa est Ecclesiæ. Cùm enim debeat Pontifex, tanquam visibile Ecclesiæ caput, humano modo Ecclesiam gubernare; cumque humanus modus gubernandi sit, per externa, ac sensibilia signa interna animi sensa, ac voluntates alteri communicare, hoc modo, & non aliter putandum est, hanc potestatem concessam esse Pontifici, tanquam visibili Ecclesiæ capiti. Non est autem necesse, vt sint verba determinata, sed sufficit verbum, vel scriptum, aut quodcunque aliud signum sensibile sufficienter manifestatiuum voluntatis Pontificis Indulgentiam concedentis.

Bifariam Indulgentiā posse concedi.

64. Cæterùm notandum, bifariam posse Indulgentiam concedi; Vno modo immediatè, vt cùm Pontifex Indulgentiam concedit per seipsum, nullius alterius actu requisito, quo eadem Indulgentia vlteriùs applicetur: Alio modo mediatè, vt cùm concedit alicui indultum, vt possit per confessarium, vel alium, à se eligendum à pœnis absolui. In priori concessionis modo sufficit illud signum, quo Pontifex suam voluntatem manifestat de qualitate, vel quantitate Indulgentiæ concessæ. In posteriori verò præter signum, quo Pontifex declarat suam voluntatem de indulto concesso, requiritur præterea actus illius personæ, à qua talis Indulgentia est applicanda: qui procul dubio debet esse sensibilis per aliquod verbum, aut signum externum explicatiuum voluntatis, & intentionis internæ, qua prædicta Indulgentia applicetur personæ, cui est concessa. Ad quam consequendam non requiritur, vt vel ipse, cui Indulgentia applicatur vel ille, qui Indulgentiam applicat, sit conscius de Indulgentia concessa: Quod rectè adnotauit Suarez disp. 56. de Indulgentijs sect. 1. num. 7. & 8. sed sufficit, si absoluens habeat intentionem absoluendi ab omni vinculo, quo absoluere potest, & subiectum ipsum est capax. Quo fit, vt si confessarius hac intentione absoluat pœnitentem, cuius Bullæ Indulgentiarum sint impetratæ, & expeditæ ante absolutionem, etiamsi illæ nondum venerint ad notitiam pœnitentis, vel absoluentis, valida sit absolutio:

Suarez.

solutio: quia priuilegium, cuius notitia non est necessaria ad actum honestè exercendum, vti foret priuilegium de contrahendo matrimonio in gradu prohibitio, vel de non ieiunando tempore præcepti, operatur à die ipsa concessionis, etiamsi ipsius notitia nondum peruenerit ad ipsum priuilegiatum. Ex quo infertur, lucrari Indulgentiam eum, qui nesciens Indulgentiam, præstat omnia quæ ad Indulgentiam lucrandam necessaria sunt.

Resp. ad rationem dubitandi.

65. Ad rationem dubitandi concedo, potestatem Indulgentiarum concessam esse Ecclesiæ absque restrictione certorum verborum, non autem absque restrictione alicuius signi sensibilis proportionati modo agendi humano, secundùm quem concessa est hæc potestas Ecclesiæ. Vnde ad primam confirmationem; neganda est parritas: nam esto ad gratiam concedendam non requiratur consensus eius, in quem confertur; requiritur tamen consensus eius qui illam confert, modo humano manifestatus: cùm actus merè interni nihil operentur apud homines, qui sensibus ducuntur. Ad 2. negatur antecedens. Ad cuius probationem, esto talis Indulgentia soli Deo innotescere debeat, Deus tamen illam non acceptat, nisi humano modo defunctis applicatam, cùm tali modo illam concesserit Ecclesiæ per ipsius caput applicandam. Ad 3. Non ideò in casu proposito requiri actum externum, vt Pontifici suamet voluntas innotescat de Indulgentia sibi applicanda; nam etiamsi alij scirent internam voluntatem Pontificis Indulgentiam concedentis, adhuc sine externo signo illam non consequerentur; sed vt actus ipse Indulgentiæ dispensatiuus habeat eam conditionem, quam ad sui validitatem à Christo requirit. Siue igitur Pontifex Indulgentiam applicet sibi, siue alijs, semper illam applicare debet iuxta formam, qua potestas applicandi est sibi à Christo concessa.

66. Pro posteriori difficultate, quę grauior est, ac difficilior, notandum 1. Propositam quæstionem locum tantùm habere, quando aliunde non constat de mente concedentis, nam quando de illius mente constat, interpretatione opus non est; sed iuxta ipsius mentem mensuranda est quantitas, qualitasque Indulgentiæ, cùm nequeat Indulgentia vltra voluntatem concedentis se extendere. Tunc autem de mente concedentis non constat, quando verba in concessione Indulgentiæ posita sunt obscura, & ambigua, quæ diuersos sensus admittere possunt.

67. Notandum 2. Cùm dicuntur verba legis ampliari, sensus non est, quòd illa extendi debeant vltra significationem, quam ipsorum proprietas patitur. Extensio enim verbi non debet excedere sphæram propriæ significationis. Nam cùm verba suam significationem habeant à publica authoritate, non possunt vltra illam aliam significationem à priuato interprete admittere. Sed sensus est, quòd illa extendi possint ad significandum aliquid, quod eorum significationi non repugnat, iuxta sapientum impositionem. Idem quippe verbum ex communi sapientum vsu in vna materia vnum, in alia aliud significare consueuit. Vt hoc nomen *Clericus* in materia odiosa, in qua verba sunt restringenda, vsurpatur pro solis clericis, vt condistinguuntur ab Episcopis, & Religiosis: in materia verò fauorabili, in qua verba sunt amplè interpretanda, extenditur etiam ad Episcopos & Religiosos: idque non ex priuata interpretum authoritate; sed ex communi, & publica iuris vsurpatione, quod ita consueuit tale nomen in diuersis materijs vsupare.

68. Ex qua regula sequitur; quòd quando verbum vsurpatur in stricta significatione, aliquid demendum sit de eius significatione, ad quam adhuc spectata ipsius proprietate extendi posset, quod rectè notauit Sanchez lib. 8. de Matrimonio disp. 1. num. 10. Vt hoc nomen *Ordo* vi suæ proprietatis extenditur etiam ad ordines sacros, cùm tamen in dispensatione cum illegitimis, in qua strictè interpretandum est, non extendatur nisi ad minores. Ratio verò est: quia si nihil de propria significatione demeretur; eodem modo sumeretur, quando strictè, ac quando amplè vsurparetur: vel certè quando amplè vsurparetur, extenderetur vltra significationem, quam ipsius proprietas patitur. His igitur adnotatis pro solutione posterioris difficultatis,

Sanchez.

69. PRIMA sententia affirmat, verba in concessione Indulgentię posita interpretanda esse strictè. Est Nauarri tract. de Indulgentijs: & sequitur ex eorum sententia, qui aiunt, Indulgentiam simpliciter concessam, restringendam esse ad solas pœnitentias iniunctas. Fundamentum est: quia concessio Indulgentiæ est dispensatio in iure communi diuino. Omnis autem dispensatio facta in iure communi strictè interpretanda est; ergo & Indulgentia. Maior patet: nam per Indulgentia cum pœnitente dispensatur in satisfactione, quam propter offensas in Deum commissas, iure diuino persoluere debet. Minor probatur, nam omnis dispensatio à lege communi est odiosa: Odiosum quippe est, per priuatum principis fauorem à communi lege discordare. Confirmatur: nam Canones, & Concilia, vt suprà notauimus, monent, Indulgentias esse restringendas, ne pœnitentialis satisfactio, vel Ecclesiastica disciplina eneruetur. Igitur Canones, & Concilia sentiunt, Indulgentias strictè esse interpretandas.

Nauarrus.

70. SECVNDA sententia docet, Indulgentias amplè esse interpretandas. Ita Glossa in Clementina vnica de reliquijs, & veneratione Sanctorum circa finem in explicatione verbi *Confessis*. Eandem sequuntur Angelus verbo *Indulgentia* num. 2. vbi: *Verba*, inquit, *in potiori significatione sunt intelligenda, & latissimè in beneficio principis:* Syluester eodem verbo, Henriquez lib. 7. de Indulgentijs cap. 30.

Glossa Clementina.

Syluester.

Henriquez.

Valentia. cap. 30. num. 1. Valentia disp. 7. quæst. 20. punct. 3. & alij. Fundamentum est: quia Indulgentia est fauor: fauor autem latissimè interpretandus est iuxta caput *Olim* de verborum significatione, & lege *beneficium* ff. de constitutionibus principum.

71. Tertia sententia distinguit inter potestatem concedendi Indulgentiam, & actum ipsum concessionis: affirmatque potestatem strictè esse interpretandam, concessionem verò amplissimè. Ita Suarez disp. 56. sect. 2. quem sequitur Coninck disp. 12. dub. 4. *Suarez. Coninck.* Peiorem partem probat fundamentum primę sententiæ: quia cùm potestas dispensandi sit odiosa, vtpote contra ius commune diuinum, semper strictè intepretanda est. Posteriorem verò probat fundamentum secundæ sententiæ: quia cùm concessio Indulgentiarum sit actus ex liberali, & benigna Pontificis voluntate proficiscens, & nulli iuri repugnans, tanquam principis beneficium est latissimè interpretandum.

72. Dico 1. Potestas Indulgentiam concedendi est amplè interpretanda. Ita Henriquez lib. 7. cap. 30. in fine, & Sanchez l. 8. de Matrimonio disp. 2. n. 1. vbi vniuersaliter docet, omnem potestatem dispensandi, cuiusmodi est potestas Indulgentiam concedendi, esse tanquam fauorem principis latè interpretandam. *Henriquez. Sanchez.* Potissimum fundamentum est: quoniam potestas Indulgentiam concedendi est beneficium à Christo Ecclesiæ collatum, nulli præiudicium afferens, nisi soli Christo illud concedenti. Quotiescunque autem beneficium principis nulli præiudicium affert, nisi soli principi concedenti, est amplissimè interpretandum: ergo potestas Indulgentiam concedendi est latissimè interpretanda. Minor expressè habetur in capite *Olim* de verborum significatione; & lege *Beneficium* ff. de constitutionibus principum. *Quid sit beneficium.* Cuius ratio est: quia cùm beneficium sit quidam fauor procedens ex liberali, & benigna voluntate principis ad honorandam personam, cui confertur, semper pręsumitur amplissimè dimanare ex gratiosa voluntate principis, cùm non coactè & inuitè; sed sponte, & liberaliter ex ipso promanet. Vnde si nulli præiudicet, interpretandum erit, quantum intra propriam significationem verborum amplè interpretari possumus. Maior probatur: nam potestas Indulgentiam concedendi est potestas applicandi satisfactionem Christi loco satisfactionis, quam fideles ipsi eidem Christo soluere debent pro pœnis, quas contraxerunt propter offensas in Christum commissas. Totum autem hoc, nemini vt patet pręiudicat, nisi soli Christo, qui suo iuri cedit in exigendo à pœnitente satisfactionem sibi propter remissa peccata debitam; & loco eius contentus est sua propria satisfactione, ab Ecclesia applicata.

Henriquez. 73. Confirmatur, quoniam, vt optimè probat Henriquez lib. 7. de Indulgentijs c. 24. n. 4. priuilegium concessum in bonum animarum toti alicui Religioni, vel communitati, æquiparatur iuri communi: vnde est amplè interpretandum, sicut ius ipsum commune: habeturque tanquam insertum in ipso corpore iuris. Atqui potestas concedendi Indulgentias est priuilegium concessum in bonum animarum vniuersæ Religioni Christianę; ergo latè interpretanda est, non minùs quàm ius ipsum commune.

74. *Obijcies* 1. Hæc potestas præiudicat fidelibus, quatenus per Indulgentias eximuntur à proprijs pœnitentijs, quibus non solùm possent seipsos à pœnis liberare; sed etiam magnum incrementum gratiæ, & gloriæ acquirere: ergo non est amplè, sed strictè interpretanda. Resp. negando antecedens. Nam ex eo, quòd conceditur Ecclesiæ potestas Indulgentias concedendi, non tollitur à fidelibus facultas agendi pœnitentias, eisque gratiæ, & gloriæ accrementum sibi acquirere.

75. *Obijcies* 2. Potestas concessa Ecclesiæ in iure diuino dispensandi, non est latè, sed strictè interpretanda; ergo etiam potestas Indulgentias concedendi. Antecedens constat in potestate dispensandi in votis, & iuramentis, à quibus nequit Pontifex sine causa dispēsare. Resp. negatur antecedens, quoad potestatem dispensandi in iure diuino, absque præiudicio tertij, cuiusmodi est potestas dispensandi in votis, & iuramentis factis Deo, absque præiudicio tertij: secus quando dispensatio voti, vel iuramenti est in præiudicium tertij, nam tunc potestas concessa non est tantùm in præiudicium concedentis, sed etiam tertij. *Potestas dispensandi à iure diuino absque præiudicio tertij latè est interpretanda.*

76. Nec obstat, quod nequeat Pontifex à votis, vel iuramentis dispensare sine causa: nam omnis potestas dispensandi requirit iustam causam. Quia cùm non sit potestas dispensandi de re propria, quæ pręter voluntatem concedentis nullam aliam requirit causam; sed de re aliena, quę semper conceditur alteri rationabiliter dispensanda, ad validitatem sui actus iustam requirit causam. Intra ipsam tamen sphæram iustę dispensationis latè est interpretanda, vt nimirum non limitetur ad vnum, vel alterum genus voti, aut iuramenti. Vnde cum causa potest Pontifex etiā à solemni voto Religionis dispensare, vt communis fert Theologorum opinio. *Cur nequeat Pontifex à votis vel iuramentis dispensare sine causa.* *Pontifex cū causa etiam à solemni voto Religionis potest dispensare.*

77. Dico 2. Concessio ipsa Indulgentię, si sit de solis pœnitentijs iniunctis, strictè, si de pœnitentijs non iniunctis, latè est interpretanda. Hanc docet Henriquez lib. 7. c. 30. n. 8. & 9. & Coninck loco præcitato. *Henriquez. Coninck.* Cuius priorem partem probant Concilia & canones, qui monent, restringendas esse Indulgentias, ne *pœnitentialis satisfactio*, vel *Ecclesiastica disciplina eneruetur*. Et ratio est: quia licet talis concessio respectu Christi proprio iuri cedentis, non sit strictè interpretanda, est tamen strictè interpretanda respectu boni cōmunis, & Ecclesiasticę disciplinæ, quæ occasione talium Indulgentiarum valde relaxatur. Posterior verò pars probatur: nam talis Indulgentia est merus fauor, in nullius præiudicium cedens, nisi in solius concedentis ius: quia cùm non relaxet pœnitentias iniun-

ctas,

ctas, sed solùm se extendat ad non iniunctas, non præiudicat Ecclesiasticæ disciplinæ de pœnitentijs iniunctis explendis.

78. *Obijcies* 1. Ergo saltem talis Indulgentia præiudicat Ecclesiasticæ disciplinæ, quoad pœnitentias iniungendas, à quibus hæc Indulgentia fideles eximit. Respondeo negando consequentiam: quoniam, vt suppono, talis Indulgentia non impedit, quò minùs confessarius possit pœnitentiam imponere: sed solùm relaxat illas pœnas, pro quibus pœnitens accepit pœnitentiam, sed per eam non integrè satisfecit.

79. *Obijcies* 2. Hinc sequeretur, etiam potestatem concedendi Indulgentias, saltem ex ea parte, quæ respicit relaxationem pœnitentiæ iniunctæ, esse strictè interpretandam. Respondeo negando sequelam. Etenim, vt rectè Sanchez suprà citatus, etiamsi dispensatio, tanquam odiosa, sit strictè interpretanda; non est tamen strictè interpretanda potestas ipsa. Ratio discriminis est: quia dispensatio per se immediatè tendit ad vulnerandum ius commune, potestas verò dispensandi ad benefaciendum ei, cui conceditur.

Sanchez.

Dispensatio est strictè interpretanda, non tamen potestas ipsa.

80. Ex dictis infertur, eodem modo amplè interpretandam esse potestatem Indulgentiam concedendi per delegationem alteri communicatam, nisi aliunde constet, illam limitari voluntate Pontificis. Quod addo propter iura, in quibus de facto potestas Indulgentias concedendi limitatur Episcopis. Ratio corollarij est eadem, quæ primæ assertionis. Nam etiam potestas Indulgentias concedendi est fauor, & gratia, qua Pontifex intendit afficere eum, cui illam concedit, præsertim quando illam concedit proprio motu. Vnde, quod est valde notandum, in reliquis etiam materijs, omnes fauores, & priuilegia motu proprio à principe concessa, amplè sunt interpretanda, quantum sine præiudicio tertij fieri potest: Secus quando conceduntur ad preces alterius: nam tunc mensuranda sunt iuxta intentionem petentis in supplicatione expressam: nisi, non obstantibus petentis precibus princeps in concessione declaret, se illa concedere motu proprio. Quia tunc causa concedendi beneficium non fuerunt preces petentis, quæ tantùm se habuerunt vt conditio proponens; sed liberalis, & gratiosa voluntas principis, iuxta quam beneficium latè est interpretandum.

Omnes fauores & priuilegia motu proprio à Principe concessa, amplè sunt interpretanda.

81. Ex dictis patet ad fundamentum aliarum sententiarum. Nam quæ probant, indulgentias esse latè interpretandas, partim confirmant priorem nostram assertionem, partim secundam partem posterioris assertionis. Quæ verò ostendunt, strictè esse intelligendas, confirmant priorem partem eiusdem secundæ assertionis.

SECTIO V.

Quotuplex sit Indulgentia?

82. TRifariam Indulgentia diuidi potest: Primò quoad quantitatem pœnæ, pro qua remittenda conceditur: Secundò quoad durationem temporis, pro quo durat: Tertiò quoad subiectum, in quo, vel cui conceditur. Quoad primum diuiditur in plenariam seu totalem, & non plenariam seu partialem. Huius diuisionis mentio fit in Extrauagante *Vnigenitus* de pœnit. & remiss. in qua omnis Indulgentia diuiditur in totalem, & partialem: illa est remissiua totius pœnæ; hæc partis tantùm; iuxta voluntatem concedentis in forma concessionis expressam. Totalis alio nomine in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. nuncupatur *Plena*: in Extrauagante *Antiquorum*, de pœnit. & remiss. *Plena, Plenior, & Plenissima*: demum in Concilio Constantiensi sess. vltima in fine, appellatur *Plenaria*. Quo nomine nunc dicitur omnis Indulgentia totalis. Quæ à Iubilæo non differt, nisi quoad singularia priuilegia, & fauores, qui in eo conceduntur Indulgentiam lucrantibus.

Trifariam Indulgentia diuidi potest.

Concilium Lateranense.

83. Intelligitur autem Pontifex plenariam Indulgentiam concedere, quotiescunque concedit Indulgentiam simpliciter; etiamsi in forma concessionis illam non exprimat, sed sufficit, si peculiari termino eam non limitet, & restringat ad non plenariam. Quia cùm sit fauor, & nulli præiudicet, amplè est intelligendus. A fortiori, cùm Pontifex in forma concessionis exprimit Indulgentiam plenam, vel Indulgentiam omnium peccatorum, hoc ipso intelligitur plenaria, quia censetur cadere supra omnes pœnas ex condonatis peccatis relictas.

84. Quoad secundam diuisionem, Indulgentia distinguitur in perpetuam, & temporalem. Perpetua est, quæ semper durat, nec expirat expirante concedente: quia cùm sit priuilegium, non expirat cum morte concedentis. Temporalis est limitata ad certum tempus, quo elapso cessat. Pro qua diuisione notandum, quando absolutè conceditur Indulgentia alicui loco, intelligitur perpetua: tum quia cùm sit beneficium, est amplè interpretandum: tum quia non est maior ratio, cur potiùs indefinitè concessa intelligenda sit prò tanto tempore, & non pro maiori. Nisi stylus curiæ aliter declaret, quia tunc præsumitur Pontifex Indulgentiam concedere iuxta consuetum stylum curiæ, vt tractatu de Indulgentijs notauit Nauarrus, & Henriquez lib. 7. de Indulgentijs cap. 30. num. 8. Indulgentiam alicui templo pro singulis annis concessam iuxta curiæ stylum restringi ad 20. annos, sicut nunc ad septem.

Indulgentia aliter distinguitur in perpetuã & temporalem.

Nauarrus. Henriquez.

85. Quoad

Indulgentia iterum diuiditur in personalem localem, & realem.

85. Quoad tertiam diuisionem, Indulgentia diuiditur in personalem, localem, & realem. Personalis est, quę conceditur personæ, aut indiuiduæ, & particulari, aut communi & Generali, vt toti Religioni vel communitati; idque vel in perpetuum, vel ad tempus, vno vel altero actu finienda. Porrò quæ Religioni, vel communitati conceditur, nisi expressè limitetur, iuxta ordinarium stylum intelligitur perpetua. Quia Religio, & communitas æquiparantur Iuri, & Legi, quę ex natura sua est perpetua. Ita Henriquez lib. 7. de Indulgentijs cap. 24. n. 4. Præterea quando Indulgentia indefinitè conceditur personis, non exprimendo certum genus personarum, extenditur ad omnes tam sæculares, quàm regulares, imò ad ipsummet concedentem, vt docent Suarez disp. 52. sect. 1. à numero 12. Henriquez lib. citato cap. 30. n. 9. qui eam etiam extendit ad catechumenos, de quibus infrà.

Henriquez.

Suarez. Henriquez

Indulgentia concessa templo extenditur ad cemeterium.

86. Localis Indulgentia est, quæ conceditur alicui pio loco, ad eius deuotionem, & celebritatem augendam. Quando Indulgentia conceditur Templo, extenditur etiam ad eius Cemeterium, quòd semper in fauorabilibus comprehenditur sub nomine Templi; & Ecclesiæ. Cùm autem conceditur visitanti, vel oranti in Ecclesia, non est necesse ad eam lucrandam Ecclesiam ingredi, sed sufficit, si ante, vel propè ipsam oretur: ita Suarez disp. 52. sect. 1. num. 7. Diana tract. 11. de Bulla Cruciatæ Resol. 103. & alij permulti. Est tamen contra Glossam in Clementina vnica de Reliquijs, & veneratione Sanctorum ad finem, in explicatione vocabuli *In Ecclesia*. Cæterùm etsi talis visitatio sufficiat, quando Indulgentia conceditur Ecclesiam visitanti, vel in ea oranti, haud tamen sufficit, quod notauit Nugnez tertia parte tom. 2. tract. circa intelligentiam Bullarum Pontificalium §. 10. quando Indulgentia conceditur visitantibus quinque Altaria: quia tunc moraliter non potest dici, quòd huiusmodi existens extra Ecclesiam, visitet quinque Altaria existentia intra Ecclesiam. Vnde in tali casu, quando non potest Indulgentiam lucraturus Ecclesiam ingredi, vt in ea quinque Altaria visitet, visitare debet quinque Ecclesias, quæ æquiualent quinque Altaribus. Non est autem necesse, vt cùm quis quinque Altaria in eâdem Ecclesia visitat, locali motu singula Altaria lustret: sed sufficit ex vno vertere se ad reliqua, quibus moraliter fiat præsens, ita Emmanuel Sâ verbo *Indulgentia*, n. 6. Eadem ratio est, si ea visitet ex choro.

Suarez. Diana.

Nugnez.

Emmanuel Sà.

87. Maior difficultas est, quando in Pago est vnicum Templum, habens duo vel tria tantùm Altaria, an debeat omnia visitare, & vnum ex illis bis vel ter: an sufficiat vnum tantùm ex illis quinquies visitare. Hoc dubium proponit prænotato loco Nugnez. Ad quod respondet, vtroque modo sufficere ad Indulgentiam lucrandam; iuxta Bullæ tamen literam melius esse visitare vnum quinquies. Sed oppositum mihi videtur tutius, cùm Indulgentia simpliciter conceditur quinque Altaria visitantibus: quia tunc visitans magis accedit ad mentem concedentis.

Nugnez.

88. Vlterior difficultas est, an cùm in Bulla conceditur Indulgentia Ecclesiam visitantibus, sufficiat Religiosis propriam Ecclesiam visitare? Affirmant Nugnez præcitatus, & Diana Resol. 102. Quod verum est, quando in Bulla Ecclesia ponitur indefinitè, secus quando ponitur determinatè, vel determinanda per Ordinarium. Nam tunc visitanda erit vel ea, quæ in Bulla nominatur, vel quæ ab Ordinario designatur.

Nugnez. Diana.

89. Demum de hac locali Indulgentia dubitari solet, an diruto Templo, vel loco, cui erat Indulgentia concessa, illa perseueret. Affirmat Suarez disp. 52. sect. 1. num. 8. & 9. quando templum dirutum in eodem loco reædificatur, secus quando aliò transfertur, etiam cum authoritate superioris. Ratio est: quia Indulgentia videtur concessa huic numero Ecclesiæ, quæ indiuiduatur ex hoc numero solo, quo mutato, censetur moraliter mutari hęc numero Ecclesia. Sed *opposita sententia videtur probabilior*, pręsertim quando translatio fit authoritate superioris. Quam sententiam multi docent apud ipsum, num. 8. Ratio verò est: quia principalis causa concedendi talem Indulgentiam, est ad colendum, & honorandum Sanctum, cui Ecclesia dedicata est. Cùm igitur translata Ecclesia, adhuc maneat eadem causa, manebit etiam eadem Indulgentia. Confirmatur: quia cùm hæc Indulgentia sit fauor, & gratia concessa populo in honorem Sancti, est amplè interpretanda.

An diruto templo, vel loco cui erat Indulgentia concessa illa perseueret. Suarez.

Sententia probabilior.

90. Indulgentia Realis est, quæ conceditur granis, numismatis, imaginibus, agnis Dei, Rosarijs. Pro qua notandum, hanc Indulgentiam bifariam concedi posse; Vno modo, vt ipse Pontifex immediatè Indulgentiam applicet huiusmodi rebus. Et tunc solùm illæ, quibus Pontifex Indulgentiam applicat, & non aliæ Indulgentiam continebunt. Vnde non licebit priuata authoritate eius, cui Indulgentia conceditur, illam ad alias imagines, vel numismata transferre. Sicut non licet, priuata authoritate Indulgentiam, vni Templo concessam, in aliud eidem Sancto dicatum transferre.

Quando sit Indulgentia Realis. Indulgentia Realis bifariam concedi potest.

91. Solùm dubium esse potest, an destructa, vel perdita imagine, Rosario, vel numismate, cui applicata fuit Indulgentia à Pontifice, posset in aliam imaginem, Rosarium, vel numisma Indulgentia transferri, vti de Templo diruto suprà dictum est, cùm videatur esse eadem ratio. Nam causa, propter quam Indulgentia huiusmodi rebus conceditur, est ad excitandam deuotionem erga Sanctos, qui in huiusmodi imaginibus,

Proponitur dubium aliud.

Resoluitur.

ginibus, & numismatis coluntur. Nihilominus, nisi id in ipsa concessione exprimatur, non arbitror, sola authoritate eius, cui in talibus rebus Indulgentia conceditur, id fieri posse. Alioqui non foret maior ratio de vna imagine, vel numismate, ac de pluribus: atque adeò semel in vna imagine, vel numismate Indulgentia obtenta, posset, illa destructa vel perdita, in aliam, & aliam eadem Indulgentia transferri: quod non videtur iuxta mentem concedentis. Nec est par ratio de Templo diruto: tum quia illud supponitur transferri aliò cum authoritate superioris: tum maximè, quoniam templum natura sua est perpetuum, nec facilè destrui, vel amitti potest, sicut grana, imagines, & numismata. Vnde voluntas concedentis præsumitur accommodata rebus, quibus Indulgentiam applicat: vt sicut templum ex natura sua perpetuum est amittique non potest; contrà verò imagines, grana, & numismata, natura sua amissibilia sunt; ita Indulgentia his rebus concedi præsumitur amissibiliter; contrà verò templo inamissibiliter. Aduertendum autem est, vt res illa, cui applicata est Indulgentia, Indulgentiam amittat, ita debere destrui, vt moraliter amittat esse eadem, quę antea: alioqui si vel refici possit, vel maior pars ipsius integra maneat, manebit cum ipsa Indulgentia.

92. Alio modo potest talis Indulgentia concedi, vt applicanda ab ipsomet, cui Indulgentia conceditur. Et tunc cauendum est 1. Ne talis Indulgentia applicetur imaginibus, vel numismatis, quæ sanctos, vel saltem beatos non exprimant. Ratio, quia mens concedentis est, vt per huiusmodi Indulgentiam colantur sancti, vel beati in huiusmodi imaginibus, & numismatis expressi. Dixi *vel saltem beatos:* quia nisi hi expressè in ipsa concessione prohibeantur, intelliguntur comprehendi sub imaginibus, & numismatis, quibus applicari solet Indulgentia: præsertim si illi sint Apostolico breui declarati: secus si nondum sint ab Apostolica sede declarati, sed tantùm fama & voce populi: quia nunc sicut sancti, ita & beati non declarantur, nisi iuridica sedis Apostolicę sententia.

Beati nunc non declarantur nisi iuridica sedis Apostolica sententia.

93. Cauendum 2. Ne in applicatione Indulgentiæ excedatur numerus in concessione expressus. Nam si quis obtinuit mille Indulgentias, non poterit nisi mille, & non pluribus imaginibus, vel numismatis illam applicare. Nec poterit, nisi in forma concessionis exprimatur, vna imagine, vel numismate deperdito, aliud loco deperditi substituere: alioqui Indulgentia non tam esset pro mille, quàm pro duobus millibus, contra concessionis formam.

94. Vltimò de hac Indulgentia quęri potest, an sit aliquis actus deuotionis erga huiusmodi res, quibus Indulgentia applicatur, ad Indulgentiam lucrandam necessarius. Et quidem quando aliquis determinatus actus exprimitur, nulli dubium est, illum ad Indulgentiam lucrandam necessariò esse seruandum. Dubium tantùm esse potest, an si Pontifex huiusmodi rebus Indulgentiam concedat, nullo assignato actu exercendo erga illas, lucremur Indulgentiam, solùm has res gestando.

Proponitur aliud dubium.

95. Ad quod dubium Respondeo 1. hoc pendere ex alio dubio infrà sect. 8. decidendo, an possit Pontifex Indulgentiam concedere, nullo pio opere requisito ab eo, qui Indulgentiam lucraturus est. Respondeo 2. etiamsi Pontifex huiusmodi rebus Indulgentiam concedat, nullo expresso actu erga eas exercendo, semper tamen pręsumi, illam concedere sub conditione alicuius actus honesti erga tales imagines, vel numismata exercendi. Ratio est, quia finis extrinsecus talis Indulgentiæ, est honor, & cultus illius sancti, qui per tales imagines vel numismata repræsentatur. Sicut cùm Indulgentiam concedit Ecclesiam visitantibus, etiamsi nullum exprimat actum in ea exercendum, semper tamen pręsumitur illam concedere sub conditione alicuius actus deuotionis in tali templo exercendi.

Resoluitur.

SECTIO VI.

Quis possit Ordinaria potestate Indulgentiam concedere?

96. Bifariam potest quis Indulgentiam concedere; vno modo potestate ordinaria, quæ ordinario Iure connexa est cum officio: & absque alia distincta concessione communicatur cum officio ipso: Alio modo potestate delegata, quæ communicatur ab eo, qui ordinario iure illam possidet, eiusque vice exercetur. De vtraque potestate hic disputabimus.

Bifariam potest quis indulgentiā concedere.

97. Et sanè de summo Pontifice absque controuersia certum est, illum ordinaria potestate Indulgentias toti Ecclesię concedere posse; idque iure diuino ab ipso Christo immediatè deriuato. Nam cùm certum sit, vt sect. 1. demonstratum est, esse in Ecclesia talem potestatem; cumque talis potestas ordinario iure connexa sit cum supremo regimine Ecclesiæ, cùm ad supremum regimen Ecclesię pertineat, non solùm ligare, & soluere in sacramentis, & extra illa per censuras, sed etiam extraordinarios fauores, & gratias concedere, cui demandata est cura totius Ecclesiastici regiminis, simul commissa est hæc potestas Indulgentias concedendi. Cùm autem vniuersalis cura Ecclesiastici regiminis demandata sit summo Pontifici ab ipso Christo, cùm alium superiorem Pontifex in terris, à quo hanc potestatem acci-

Summus Pontifex ordinaria potestate indulgentias toti Ecclesiā concedere potest.

Summo Pōtifici diuino iure hæc potestas communicata. Ioan. vlt.

cipere possit, non agnoscat, ipsi cum officio supremi Pastoris diuino iure hęc potestas communicata est, vt colligitur ex illis verbis Ioannis vltimo: *Pasce oues meas.*

98. Sola superest difficultas de reliquis Ecclesiæ Pastoribus, summo Pontifice inferioribus, an hanc potestatem habeant, & quo iure. Et quidem de Parochis, cæterisque Sacerdotibus, etiam plenam iurisdictionem in foro pœnitentiæ habentibus, indubitatum esse debet, eos nullo ordinario iure, neque diuino, neque humano hanc potestatem habere. Quidquid dicant Armilla verbo *Indulgentia* num. 2. & Angelus eodem verbo num. 5. qui pro se citat multas Glossas, & canonistas asserentes, quemlibet Sacerdotem, qui pœnitentem in foro sacramentali à peccatis absoluere potest, eidem in eodem foro Indulgentias tot annorum, vel dierum concedere posse, quot sibi videbitur, modò id discretè faciat. Ratio verò est: quia vel hęc potestas competit Sacerdoti iure humano à Pontifice deriuato, vel diuino immediatè à Christo communicato cum ipsa potestate absoluendi fideles à peccatis, quam, vt suprà ostendimus, quiuis Sacerdos in susceptione sui ordinis accipit, dependenter tamen quoad exercitium à supremo Ecclesiæ capite. Non 1. cùm nullum sit ius Pontificium, quod hanc potestatem Sacerdotibus concedat. Non 2. vti asserere videntur authores contrariæ sententię, fundati fortasse in illis verbis Christi Ioannis 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Quæ non solùm videntur extendi ad clauem remittendi peccata in sacramento pœnitentiæ; sed etiam ad clauem remittendi pœnas ex confessis peccatis relictas per Indulgentias. Non, inquam, hoc dici potest: nam potestas remittendi pœnas ex condonatis peccatis relictas per Indulgentias non est per se annexa cum potestate remittendi peccata virtute sacramenti, cùm sint diuersæ potestates ordinatæ ad actus diuersos. Igitur non potest vna sufficienter inferri ex alia. Quare negandum est, citata verba extendi ad clauem Indulgentiarum: quia, cùm hæc sit quædam potestas gratiosè remittendi pœnas fidelibus ex condonatis peccatis relictas, nulla ab ipsis satisfactione requisita, non est per se connexa cum potestate remittendi pœnas in foro pœnitentiali, in quo pœnæ ex confessis, & absolutis peccatis relictæ non remittuntur ex gratia, sed ex iustitia, librata satisfactione pœnitentis cum grauitate pœnę, peccatis debitę, vt Tridentinum docet sess. 14. cap. 8. Potestas autem fauores & gratias concedendi non ad ordinarios iudices, sed ad supremum principem, & Pastorem spectat. Cùm igitur Sacerdotes sint ordinarij tantùm iudices animarum à Christo instituti in hoc secreto tribunali conscientiæ, Pontifex autem sit supremus princeps, & Pastor totius Christianæ reipublicę, ad ipsum, non ad inferiores Sacerdotes spectabit hæc potestas, per Indulgentias, pœnas ex condonatis peccatis relictas, fidelibus remittendi.

Armilla. Angelus. Ioan. 20. Conc. Trid.

Non est eadē ratio de iurisdictione absoluendi à peccatis, & concedendi indulgentias.

99. Nec est eadem ratio de iurisdictione absoluendi à peccatis, quam suprà iure diuino diximus annexam esse cum potestate Sacerdotali, licet dependenter quoad exercitium à supremo capite Ecclesię: nam hęc est intrinsecum complementum illius: hoc ipso enim, quòd vi characteris Sacerdotalis presbyter accipit potestatem in corpus verum Christi, debita est ei potestas in corpus mysticum eiusdem.

100. Ad solos igitur Ecclesię Pręlatos inferiores Pontifice, superiores Parocho, cæterisque Sacerdotibus restringitur præsens quæstio. Hi autem sunt Episcopi, Archiepiscopi, primates, legati Pontificis, summus pœnitentiarius, Cardinales, Abbates exempti Episcopalem iurisdictionem exercentes, Generales, & Prouinciales Religionum, Concilium Generale, & Prouinciale, Capitulum Diœcesanum sede vacante. De quibus omnibus singillatim disputandum est.

An Episcopi, Archiepiscopi & primates ordinariam potestatem habeant Indulgentias concedendi, & quo iure?

101. Durandus in 4. dist. 20. quæst. 5. Affirmat, soli Papæ ex proprio munere, & ordinario iure competere potestatem Indulgentias concedendi, Episcopis verò solùm ex commissione seu delegatione summi Pontificis. Mouetur: quia soli Papæ conuenit vniuersalis cura totius Ecclesiæ, cui tantùm est annexa ordinaria potestas Indulgentias concedendi. Maior patet. Minor probatur: nam illi muneri tantùm est annexa potestas Indulgentias concedendi, cui annexa est authoritas spiritualem Ecclesiæ thesaurum dispensandi: hæc autem annexa est tantùm muneri supremi Pastoris. Nam sicut vnus est sponsus Ecclesię Christus Dominus; ita vnus est thesaurus eiusdem, vnusque thesauri dispensator summus Pontifex vicarius Christi.

Durandus.

102. Dominicus Sotus in 4. dist. 21. q. 1. art. 4. concl. 2. Petrus Soto lect. 3. de Indulgentijs, non multò post initium: Valentia disp. 7. de Indulgentijs q. 20. pun. 3. Initio, & alij censent, non solùm Papæ; sed etiam Episcopis iure diuino competere ex proprio officio, & ordinaria potestate Indulgentias concedere: licet hanc potestatem quoad vsum Episcopi dependentem habeant à summo Pontifice, qui eam ad libitum limitare potest, sicut de facto eam limitauit, vt constat ex capite *Cum ex eo*, de Pœnit. & Remiss. Fundamentum horum authorum est: quia Episcopi in omnibus succedunt Apostolis. Apostolis autem

Dominicus Sotus. Petrus Soto. Valentia.

autem viro diuino concessa fuit potestas indulgentias concedendi, vt ex Apostolo Paulo sect. 1. ostendimus.

Richardus. Henriquez. Coninck. Layman. Fillucius. Bellarmin.

103. Richardus in 4. dist. 20. art. & q. vltima, Henriquez lib. 7. de Indulgentijs cap. 31. n. 3 Bellarminus lib. 1. de indulgentijs ca. 11. Suarez disp. 55. sect. 3. Copinck disp. 12. dub. 1. concl. 4. Layman tract. 7. de Indulgentijs cap. 4. Fillucius tract. 8. de satisfactione sacramenti pœnitentiæ cap. 4. q. 5. Affirmant, tam Episcopis, quam Archiepiscopis, & consequenter Primatibus ex proprio munere, & ordinaria potestate competere Indulgentias concedere; illis quidem in propria Diœcesi; his autem in tota Prouincia, non Diuino, sed humano iure à summo Pontifice taxato, & limitato ad 40. dies, in dedicatione verò Basilicæ ad vnum annum. Huius sententiæ videtur esse S. Thomas in supplemento ad 3. partem q. 26. art. 3. vbi ait, hanc potestatem in Episcopis esse taxatam secundum ordinationem Papæ. Quam etiam docet summa Tabiena verbo *Indulgentia* nu. 8. eandem supponere videtur Toletus in summa lib. 6. cap. 25.

S. Thomas. Tabiena. Toletus.

104. Quæ sententia *probabilior est*: cuius singulæ partes ordine putandæ sunt. 1. quòd hæc potestas conueniat Episcopis, Archiepiscopis, & primatibus ex proprio munere & officio, probatur: quoniam eam delegare possunt, vt colligitur ex capite, *Quod autem*: de pœnit. & remiss. quod est signum ordinariæ potestatis: nam ordinariè nequit delegatus subdelegare, nisi id specialiter à delegante sibi committatur, vt communis opinio Doctorum asserit.

Sententia probabilior. *Prima pars probatur.*

105. Secundò, quòd Episcopi in propria Diœcesi indulgentiam concedere valeant, constat ex precitato capite, *Quod autem*: vbi dicitur Indulgentia non prodesse, nisi à proprio iudice fuerit concessa. Cùm enim Indulgentia sit actus iurisdictionis, vt sect. 2. probatum est, non erit valida, nisi à proprio superiore concessa fuerit.

Roboratur 2. pars.

106. Tertiò, quòd Archiepiscopi Indulgentiam concedere possint, non tantùm in propria Diœcesi, de qua est eadem ratio, ac de Episcopis; sed etiam in tota prouincia, etiam extra tempus visitationis, colligitur ex capite *Nostro*, de pœnit. & Remiss. adiuncta Glossa, quæ ait: *Archiepiscopus per totam Prouinciam suam potest facere remissiones, licet Archiepiscopus non sit Iudex ordinarius omnium de prouincia sua, & iurisdictionem contentiosam non habeat in sua prouincia, nisi in certis casibus, vt dicitur in decretali Pastoralis; sed voluntariam: sicut Proconsul, cùm vrbem egressus fuerit, iurisdictionem habet non contentiosam, sed voluntariam ff. de officio Proconsulis l. 11.* Hæc Glossa.

Probatur pars 3.

107. Quartò, quòd non Diuino iure hæc potestas eis competat, constat ex allata nostra ratione: quia cùm authoritas concedendi Indulgentias sit quædam potestas gratiosè liberandi à pœna eos, qui propter propria delicta Iuridica sententia fuerunt ad illam damnati, est propria supremi principis, cuius tantùm est huiusmodi gratias, & fauores concedere, dispensando in lege, & iure communi. Similis enim potestas præsidet in supremo principe sæculari, qui solus ex supremo officio, quo fungitur, gratiosè dispensare potest cum ijs, qui iuxta leges communes ex sententia iudicis pœnam subire debebant.

Probatur pars 4.

108. Quintò, quòd hanc potestatem Episcopi & Archiepiscopi habeant iure humano à summo Pontifice taxatam ad dies duntaxat 40. in dedicatione verò Basilicæ ad annum, constat ex capite, *Cùm ex eo:* & capite *Nostro*, de pœnit. & remiss. & capite *Indulgentiæ* in 6. In quorum primo conceditur facultas Episcopis, vt in dedicatione Basilicæ possint Indulgentiam vnius anni, in Anniuersario autem dedicationis quadraginta dierum: quem eundem dierum numerum concedit Pontifex Episcopis cum moderamine tamen, in alijs casibus. In 2. Eadem potestas conceditur Archiepiscopis in tota sua prouincia; eademque ratio est de Primate. In 3. statuitur, si Indulgentiæ ab Episcopo concessæ statutum generalis Concilij excedant, vires non obtineant.

Probatur pars 5.

109. Notat autem præcitata q. art. 4. S. Thomas, peccatum mortale in concedente non impedire Indulgentiæ valorem, cùm hæc valorem non accipiat ex virtute concedentis; sed ex virtute satisfactionum Christi, & Sanctorum, quem per peccatum concedentis non amittit. Contrà verò non est valida Indulgentia ab Episcopo excommunicato, vel suspenso concessa: Quod intelligitur de excommunicato & suspenso ab Ecclesia non tolerato, vt rectè aduertit Suarez disp. 55. sect. 3. nu. 18. Ratio est: quia concessio Indulgentiæ est actus iurisdictionis, quo priuantur excommunicati, & suspensi. Ex quo sequitur, nec posse illam alteri delegare, cùm etiam delegatio sit actus iurisdictionis.

S. Thomas. *Peccatum mortale à concedente non impedit Indulgentiæ valorem.* Suarez. *Delegatio est actus iurisdictionis.*

110. Ex his infertur 1. Quis Episcopus, vel Archiepiscopus Indulgentiam concedere possit. Certum enim est, illam concedere non posse Episcopum tantùm electum, & non confirmatum: quia hic nondum habet iurisdictionem, quæ formaliter confertur per ipsam confirmationem: neque tantùm consecratum, & nondum confirmatum: quia neque hic habet iurisdictionem: sed solùm electum, & confirmatum, etiamsi non sit consecratus: quia concessio Indulgentiæ non est actus ordinis, sed iurisdictionis. Hinc fit, vt Episcopus, qui Episcopatui renuntiauit, nequeat indulgentiam ordinaria potestate concedere.

Solus electus, & confirmatus Episcopus Indulgentiam potest concedere.

111. Infertur 2. Posse Episcopum suis subditis, etiam extra propriam Diœcesim existentibus, indulgentiam concedere: nam etiam extra Diœcesim retinet iurisdictionem in personas sibi subiectas, quas tantùm respicit Indulgentiæ concessio.

112. Infertur 3. Posse vnum Episcopum licentiam concedere suis subditis, vt Indulgentiam lucrentur ab alio Episcopo: quia potest suam iurisdictionem alteri Episcopo delegare. An autem possit illam delegare simplici

Vnus Episcopus potest suam Iurisdictionem alteri delegare.

simplici Sacerdoti, vel cuicunque clerico, affirmant Suarez disp. 55. præcitata sect. 6. nu. 5. & Emmanuel Sà. Verbo *Indulgentia* num. 16. *Quod probabile est:* nam simplex Sacerdos, & quicunque Clericus est capax talis delegationis, & aliunde nullo iure contrarium prohibetur.

Suarez. Emmanuel Sà.

Episcopus non potest Indulgentiã concedere pro defunctis.

113. Infertur 4. Non posse Episcopum Indulgentiam concedere pro defunctis. Ratio: quia potestas concedendi Indulgentias in Episcopis non potest se extendere vltra proprios subditos: extenderet autem se vltra proprios subditos, si possent illas defunctis concedere: cùm defuncti non sint sub iurisdictione Episcopi: & ex alia parte cùm Episcopus non habeat vniuersalem authoritatem dispensandi thesaurum satisfactionum Christi non potest illam applicare non subditis. Dices. Cur non potest Episcopus eandem Indulgentiam, quam potest pro subditis suæ Diœcesis, applicare pro defunctis eiusdem Diœcesis? Resp. rationem esse: quia cum defuncti desinant esse subditi Episcopi, in ordine ad quos ille tantùm à Pontifice authoritatem habet, vt colligitur ex capite *Quod autem* de pœnit. & remiss. non poterit validè illis Indulgentiam applicare, quia adhoc requiritur iuridica authoritas, vt ex sect. sequenti constabit.

114. Infertur 5. Si Episcopus, vel Archiepiscopus in concedendis Indulgentijs excedat potestatem sibi à iure concessam, eius concessionem esse irritam, solùm quoad excessum, non autem quoad quãtitatem Indulgentię, quam concedere potest: nam iuxta regulam 37. iuris, *Vtile non debet per inutile vitiari:* igitur per excessum vitiosum non debet tolli, quod iustum, & vtile est. Nec obstat caput *Indulgentia* de pœnit. & remiss. in 6. vbi Indulgentię, quæ statum generalis Concilij excesserint, dicuntur vires non obtinere: nam id tantùm intelligitur quoad excessum.

Vtile nõ debet per inutile vitiari.

Valentia.

115. Infertur 6. contra Valentiam disp. 7. de Indulgentijs q. 20. pun. 3. §. *Innocentius*, Episcopos præter Indulgentias vnius anni in dedicatione Basilicæ, & 40. dierum alijs temporibus, non posse in foro pœnitentiali plures concedere. Ratio est: quia hanc potestatem Indulgentias concedendi Episcopi non habent, nisi iure humano à summo Pontifice communicatam, vt suprà probatum est; cumque à summo Pontifice non habeant, nisi vnius anni in dedicatione Basilicæ, & 40. dierum alijs temporibus, sequitur, præter has nullas alias concedere posse. Valentia autem contrario nititur fundamento, nempe Episcopos potestatem hanc habere iure Diuino: quod ius est tantùm illis limitatum à summis Pontificibus in foro publico, non autem in foro secreto pœnitentiæ.

Ad fundamenta aliarum.

116. Ex dictis patet ad fundamenta aliarum Sententiarum. Ad fundamentum primæ, concedo, soli muneri supremi Pastoris annexam esse potestatem concedendi Indulgentias iure Diuino, & cum tota plenitudine. Ceterùm non repugnat, vt alijs etiam pars eiusdem potestatis communicetur ab ipso summo Pastore, sicut ab eodem cæteris Ecclesiæ prælatis communicatur pars eiusdem muneris Pastoralis. Eadem ratione respondetur ad probationem minoris: Concedendum enim est, eidem muneri annexam esse potestatem Indulgentias concedendi, cui annexa est authoritas thesaurum Ecclesiæ dispensandi: negandum verò est, soli muneri supremi Pastoris annexam esse authoritatem thesaurum Ecclesiæ dispensandi, nisi tantùm plenitudinaliter, & originaliter: nam ab ipso tanquam à fonte deriuatur in cæteros. Concedendum quoque est, vnum esse Ecclesiæ sponsum, vnum Ecclesiæ thesaurum, vnumque supremum dispensatorem cum plenipotenti authoritate; haud tamen repugnare sub eodem supremo dispensatore plures alios esse subordinatos, qui ab ipso potestatem habeant partem eiusdem thesauri dispensandi.

117. Ad fundamentum secundę sententiæ, negandum est, Episcopos quoad omnia succedere Apostolis: multa enim Apostoli habuerunt ex peculiari concessione Christi, quæ Episcopis nõn communicantur.

An legatus Apostolicus in sua legatione, & summus pœnitentiarius potestate ordinaria Indulgentias concedere possit?

118. Dixi, *potestate ordinaria*: nam ex speciali commissione Pontificis, dubium non est, hanc potestatem exercere posse, non modò Apostolicum legatum, & summum pœnitentiarium, sed quemcúnque alium Ecclesiæ Prælatum. De potestate igitur ordinaria negat præcitato loco Suarez disp. 55. sect. 3. nu. 22. Quod etiam docere videtur Bellarminus lib. 1. de Indulgentijs cap. 11. Ratio: quia nulli in iure hæc potestas conceditur, nisi Episcopis, & Archiepiscopis. Nec vllum duci potest argumentum à paritate Episcopalis dignitatis, quæ diuersa est à dignitate legati, & summi pœnitentiarij.

Suarez. Bellarmin.

119. Affirmant verò Nauarrus apud Suarez, Toletus in summa lib. 6. cap. 25. Felinus apud eundem, Henriquez lib. 7. de Indulgentijs cap. 32. nu. 1. quibus 100. dies Indulgentiarum conceduntur secundùm Henriquez. *Quæ sententia probabilior est*, præsertim de legato Apostolico, qui Episcopalem dignitatem participat, eamque in multis casibus in sua legatione exercere debet. De summo verò pœnitentiario testatur Paludan. in 4. dist. 20. q. 4. se audiuisse, illum authoritate ordinaria 100. dies Indulgentiæ concessisse. Ad fundamentum oppositę sententiæ Resp. ex ijsdem iuribus, ex quibus colligitur hęc potestas tanquam ordinaria, communicata Episcopis,

Nauarrus. Toletus. Felinus. Henriquez.

Paludanus.

scopis.& Archiepiscopis, colligi etiam tanquã ordinariam communicari Legatis,& Nuntijs Apostolicis: cùm etiam hi sint Iudices ordinarij in sua legatione.

An Cardinalibus, & Abbatibus exemptis Episcopalem iurisdictionem exercentibus competat ordinaria potestas Indulgentias concedendi?

Immen. Sà.

120. AFfirmat de Cardinalibus Sà. Verbo *Indulgentia* nu. 16. cæteris negantibus, qui tantùm ex consuetudine aiunt, hanc potestatem conuenire Cardinalibus non Episcopis. De Abbatibus verò reseft definita capite *Accedentibus*, de excessibus Prælatorum; vbi omnibus Abbatibus prohibetur, literas Indulgentiarum concedere. Et ratio ibidem assignatur: quia hoc est dignitatis Episcopalis. De Cardinalibus id etiam probatur: quia in nullo iure legitur hæc potestas connexa cum Cardinalitia dignitate. Nec duci potest argumentum à dignitate Episcopali: cùm officium Cardinalis tantùm sit, esse Consiliarium Papæ, in eoque eligendo ius suffragij habere.

Nec Abbates, nec Cardinales possunt Indulgentias concedere.

Quodnam sit officium Cardinalis.

Possitne hæc potestas præscribi. Affirmat Glossa.

121. Dubitari potest, an hæc potestas præscribi possit. Affirmat Glossa præcitato capite *Accedentibus*: idq; colligi videtur ex ipso textu, in quo dicitur: *Nisi forsan quisquam eorum speciali concessione, vel alia legitima causa super huiusmodi valeat se tueri*: nam per aliam legitimam causam non potest Pontifex intelligere, nisi legitimam præscriptionem.

122. Negant verò communiter Theologi. Quod si quando hæc potestas in aliquibus Abbatibus reperitur, illud non tam est signum præscripti iuris, quàm antiqui Priuilegij, vt docuit Sotus in 4. dist. 21. q. 1. art. 4. §. *de Abbatibus*. Ratio verò est: quia nullus potest ius diuinum, cuiusmodi est potestas Indulgentiam concedendi, præscribere. Quia præscribere, est authoritate publica rem alienam bona fide possessam facere suam. Supponit igitur præscriptio publicam authoritatem, quæ ad lites tollendas potestatem habet transferendi rem ex vno in alium. Nulla autem humana authoritas potestatem habet transferendi ius Diuinum ex vno in alium: cùm nulla humana authoritas disponere valeat de voluntate Dei, à qua sola pendet ius Diuinum.

Sotus.

Nullus potest ius diuinum præscribere.

Quid sit præscribere.

An superiores Religionum ordinariam potestatem habeant Indulgentias concedendi?

Ratio dubitandi.

123. RAtio dubitandi, quoniam Superiores Religionum, præsertim Generales, & Prouinciales habent omnem iurisdictionem in suos subditos, quam habent Episcopi in suos. Vnde possunt illos excommunicare; proprios confessarios assignare; à casibus sedi Apostolicæ reseruatis absoluere, si occulti illi sint. Confirmatur 1. Nã prouinciales, & visitatores ordinaria visitatione absoluta in Domibus,& Collegijs suæ Prouinciæ authoritatem habent plenariam Indulgentiam concedendi omnibus eiusdem domus, vel Collegij visitati, vt habetur in compendio Priuilegiorum nostræ Societatis sub verbo *Indulgentia §*, 10.

124. Confirmatur 2. Possunt superiores Religionum alios, qui suę Religionis non sunt, participes efficere bonorum Spiritualium suæ Religionis, applicando illis satisfactiones suorum subditorum, vt legitur in eodem compendio priuilegiorum verbo *Generalis* §. 7. Atqui hoc est Indulgentias concedere: nam per applicationem talium satisfactionum remittitur pœna ijs, quibus Religionis satisfactiones applicantur. Quapropter Medina apud Suarez disp. citata sect. 5. nu. 1. docet, Prælatos Religionum iure Diuino, sicut & Episcopos hanc potestatem Indulgentias suis subditis concedendi habere: licet, quia illam quoad vsum dependentem habent à summo Pontifice, nunquam exercere possint.

Medina.

Sententia communis inter Theologos.

125. Verùm opposita sententia communis est inter Theologos, nullo scilicet iure potestatem Indulgentias concedendi Religionum Prælatis competere. Idque colligitur ex prænotato capite *Accedentibus*, in quo sub nomine Abbatum intelliguntur omnes Religionum superiores, vt patet ex titulo, qui est, *De excessibus Prælatorum*. Nec minùs in eo capite falsitatis conuincitur opinio Medinæ, in quo dicitur potestas concedendi Indulgentias esse dignitatis Episcopalis, eamque Abbates vsurpando, excedere suos fines. Quòd si iure Diuino illis competeret, nec dici posset esse tantùm dignitatis Episcopalis, nec extra fines Abbatum iurisdictionis.

126. Confirmatur: nam si expediens est, vt nunquam hac potestate superiores Religionum vtantur, alioqui si expediret aliquando illa vti, non rectè Pontifices eos tali potestate perpetuò priuassent, expediens potiùs fuisset, illam à Christo Religionum superioribus non concedi: aliàs concessisset potestatem, quæ obfutura fuisset recto Ecclesię Regimini: ob hanc enim causam in sententia Medinæ Pontifices hanc potestatem quoad vsum prohibent Prælatis Religionum.

127. Nec est eadem ratio de Iurisdictione, quam iuxta nostram sententiam Christus cuilibet Sacerdoti contulit in ordine ad pœnitentes absoluendos à peccatis in foro pœnitentiali, dependentem quoad vsum à summo Pontifice. nam & hac aliquando Sacerdotes vsi sunt, vt in primitiua Ecclesia: & nūc etiam in quibusdam casibus vtuntur, vt ex suprà disputatis constat.

Respōdetur ad rationē dubitandi.

128. Ad rationem dubitandi 1. negandū est, Prælatos Religionum habere eandem iurisdictionem in suos subditos, quam habent Episcopi in suos. 2. Esto eandem habeant iurisdictionem, quia tamen potestas concedēdi indulgentias in iure concessa tantùm est Episcopis, & negata Religionum Prælatis, vt ex præcitatis Iuribus constat, dici non potest illa conuenire Prælatis Religionum: præsertim cùm hanc Prælati Religionum habere non possint, nisi iure humano à summo Pontifice deriuato, vt suprà ostensum est.

129. Ad priorem confirmationem Resp. hanc potestatem concessam esse Prouincialibus, & visitatoribus Religionum ex speciali commissione Leonis X. qui eam primò concessit Minoritis, vt constat ex eorum supplemento, & postea per participationē facta est alijs etiam Religionibus communis.

Leo X.

130. Ad posteriorem, neganda est minor. Etenim Indulgentias concedere, propriè est, applicare eas satisfactiones, quę quando elicitę fuerunt, non habuerūt effectum, sed remanserunt in thesauro Ecclesiæ applicandæ pro pœnis ex condonatis fidelium peccatis relictis authoritate summi Pontificis ipsi à Christo communicata. Prælati autem Religionum solùm possunt applicare satisfactiones suorum subditorum per modum suffragij, dum illæ à suis subditis actu exercentur: non autem possunt ex illis thesaurum conficere, easque applicare non solùm pro peccatis præteritis; sed etiam applicandas conseruare pro peccatis futuris: cùm nullus purus homo potestatem habeat disponendi de suis satisfactionibus, nisi quando illas actu exercet: postquam verò exercitæ fuerunt, si effectum non habuerunt, cadunt sub dominium, & potestatem Christi. Vnde etiam satisfactiones Sanctorum reconduntur in thesauro Ecclesiæ applicandę fidelibus authoritate Christi, quam suo Vicario communicat.

Duplex bonum possunt prælati Religionum alijs applicare.

131. Cæterùm duplex bonum possunt Prælati Religionum alijs applicare; Vnum per modum impetrationis, & meriti tantùm de cōgruo, quatenus bona opera, quæ in Religione fiunt, offeruntur Deo, vt ea dignetur acceptare ad auxilia gratiæ impartienda ijs, pro quibus ea offeruntur: Alterum per modum operis satisfactorij, quatenus opera satisfactoria, quæ à subditis fiunt, per modum suffragij applicantur ijs, qui peculiari vinculo admissi sunt ad vnionem cum membris eiusdem Religionis. Ad hoc autem bonū participandum non sat est sola voluntas Prælati, sed necessaria etiam est voluntas subditi applicantis sua opera satisfactoria alijs, iuxta Prælati intentionem. Quia cùm hæc opera sint propria ipsius operantis, vtpote essentialiter libera, nequeunt absque libero consensu saltem virtuali ipsius operantis transferri ad alios. An autem Prælatus potestatem habeat præcipiendi suis subditis, vt opera satisfactoria pro alijs offerant, quæstio est alterius speculationis, quæ multa inuoluit aliena à præsenti materia. Illud tamen certum est, quòd etiamsi Prælatus id possit præcipere, & de facto præcipiat, si tamen subditus suas satisfactiones non applicet pro ijs, pro quibus eas applicare præcipitur, nihil eis prodesse, defectu consensus operantis.

An Concilium Generale Ordinariam potestatem habeat Indulgentias concedendi?

132. Affirmat Panormitanus apud Bellarminum lib. 1. de Indulgentijs cap. 11. qui, eodem Bellarmino teste, primus fuit, qui hanc sententiam docuit, quam secuti sunt Felinus, Sotus in 4. dist. 21. q. 1. a. 4. post secundam Concl. Henriquez lib. 7. de Indulgentijs cap. 31. nu. 3. Toletus in Summa lib. 6. cap. 25. Nugnez 3. p. tom. 2. q. 26 art. 1. difficul. 2. concl. 2. & alij, qui eandem potestatem concedunt Concilio Generali, quam concedunt Summo Pontifici, eò, quòd vterque illam immediatè habeat à Deo. Probāt 1. quia de facto & Concilium Lateranense plenariam Indulgentiam concessit proficiscentibus in terram sanctam, vel subsidium conferentibus, vt constat ex fine Concilij; & Basileense in fauorem subsidij pro reductione Græcorum procuranda sess. 24. & Constantiense ijs, qui in ipso Concilio interfuerunt, vt in fine vltimæ sess. legitur.

Panormit. Felinus. Sotus. Henriquez. Toletus. Nugnez.

Concilia Lateranense, & Basileense, & Constantiense.

133. Secundò probant ratione, quam assignat idem Concilium Basileense: quia Concilium Generale repræsentat totam Ecclesiā, cui concessa est à Christo potestas dispensandi indulgentiarum thesaurum. Confirmatur 1. quia sicut communitatis est, dispensare bona temporalia Reipublicę: ita Ecclesiæ erit, per Generale Concilium repræsentatę, dispēsare bona Spiritualia. Confirmatur 2. Penes Concilium Generale est condere leges vniuersales pro tota Ecclesia; ergo & indulgentias concedere.

134. Negant verò Bellarminus loco pręcitato. Suarez disp. 55. à numero 3. qui putat, illam suspecto niti fundamento, nempe Ecclesiam vt condistinctam à capite aliquam iurisdictionem habere à Christo: Valētia disp. 7. q. 20. punc. 3. Fillucius supracitatus qu. 4. & reliqui ferè Theologi, in 4 distinct. 20. qui dum soli Pontifici hanc potestatem tribuunt, virtute Generale Concilium excludunt. *Quæ sententia probabilior est*, & nostris dictis conformior. Ostensum est enim suprà, hanc potestatem soli personæ Petri

Bellarmin. Suarez. Valentia. Fillucius.

eius-

eiusque in officio successoribus à Christo collatam esse. Neque expediens erat, vt illa conferretur etiam Concilio Generali, vt à capite condistincto: tum quia non expedit, eandem supremam potestatem pluribus communicari, cùm hoc repugnet Monarchico Regimini, quo Christus suam Ecclesiam gubernat. Tum quia vel hæc potestas communicata est vtrique dependenter ab altero, vel indepēdenter: & tunc vel illa communicata est capiti dependenter à Concilio, vel Concilio dependenter à capite. Primum nemo dicet, cùm rectæ atque ordinatæ Gubernationi repugnent duo suprema capita à se inuicem independentia. Nec dici potest secundum, quoad primum membrum: aliàs Concilium esset supra Pontificem, ab eoque impediri posset, quò minùs hanc potestatem exerceret. Quæ omnia falsa suppono ex 4. tomo disp. de authoritate Pontificis. Secundum verò membrum, quod tantùm apparenter dici potest, facilè etiam falsitatis conuincitur. Nam si expediens fuit, vt hanc potestatem Concilium Generale nō haberet independēter à capite, expediens quoque fuit, vt illam non haberet, nisi deriuatam à capite, ob maiorem cum capite subordinationem.

135. Nec est eadem ratio de iurisdictione absoluendi à peccatis in foro Pœnitentię, collata Sacerdotibus cum dependentia quoad vsum à capite: nam cùm hæc sit de re ad salutem necessaria, magis expediēs fuit, vt omnibus Sacerdotibus communicaretur. Præterea cùm hæc non resideat in aliqua communitate, sed in singulis Sacerdotibus, absque vllo periculo poterat quoad exercitium prohiberi. Illa verò cùm sit supererogationis, resideatque in communitate, expediens non fuit, etiam cum dependentia à capite Generali Concilio cōmunicari, cùm non leue periculum esse potuerit, illam quoad exercitium toti communitati prohibere.

Soluuntur argumenta 1. sent.

136. Ad 1. argumentum oppositæ sententię Resp. citata Concilia Indulgentias concessisse non authoritate propria à capite condistincta, sed authoritate Summi Pontificis per se, vel per suos Legatos Concilio Generali præsidentis. Quanquam de Concilio Basileensi non multum est laborandum: nam sicut in eo, postquam reuocati fuerunt ab Eugenio IV. Apostolici Legati, Basileæque indicta Concilij dissolutio, Schismaticè conclusum est, *Papam Concilio, non Concilium Papæ subijci*, vt habetur in quadam responsione Epistolæ Synodalis in eodem Concilio insertæ: ita mirum esse non debet, si idem Concilium hanc authoritatem plenarias Indulgentias concedendi sibi vsurpauerit. Omnia enim, quæ in hoc Concilio post reuocationem Legatorum conclusa fuerunt, nullius roboris atque authoritatis æstimanda sunt, vt Concilium Generale Lateranense sub Leone X. celebratum sess. 11. versus finem testatur.

Generale Concilium Lateranense

137. Ad 2. negandum est, Concilium Generale, vt à capite condistinctum, repræsentare totam Ecclesiam, cùm non repræsentet caput, potissimum Ecclesiæ membrum, ex cuius influxu totum Ecclesiæ corpus regitur. Falsum etiam est, vt suprà ostendi, potestatē dispensandi thesaurum indulgentiarum concessam esse Ecclesię, vt condistinctæ à capite, sed solùm capiti: sicut soli Petro à Christo datæ fuerunt claues regendi, & pascendi oues.

138. Ad primam confirmationem negatur paritas: quia cùm bona temporalia sint ipsius communitatis, mirum non est, si ad ipsam, vel ad Principem, in quem suam authoritatem transtulit, spectet illa inter Ciues distribuere. Bona autem Spiritualia in Ecclesiæ thesauro recondita, cùm non sint propria Ecclesiæ, sed Christi, ad illum spectabit, ea distribuere, in quem Christus suam authoritatem transtulit. Porrò Christus suam authoritatem non transtulit in communitatem, sed in singularem personam Petri, eiusque successores.

139. Ad 2. distinguendum est antecedens: penes Concilium Generale est vt coniunctum capiti, à quo authoritatem habet, condere leges vniuersales pro tota Ecclesia, concedo: penes Concilium generale est vt condistinctum à capite, nego. Quo fit, vt neque leges, quas Ecclesia condit, quando legitimè congregatur ad eligendum sibi caput, authoritatem habeant, nisi à Pontifice confirmatæ; præsertim, si sint vniuersales spectantes ad vniuersales mores totius Ecclesiæ.

140. Ex his infertur, neque Concilium Prouinciale habere potestatem Indulgentias concedendi, nisi ratione Episcoporum in eo inclusorum. A fortiori neque hanc potestatem habet Capitulum Diœcesanum sede vacante. Nam esto Capitulum succedat in ordinariam iurisdictionem Episcopi, non tamen succedit in dignitatem Episcopalem, cuius proprium est, indulgentias concedere. Confirmatur: quoniam, vt docet Glossa in caput *Etsi Capitulum*, de institutionibus in 6. quod est meræ Iurisdictionis voluntarię, cuiusmodi est Indulgentiam concedere, & beneficia conferre, non transit in capitulum. Contra hanc communem sententiam sentit Emmanuel Sà verbo *Capitulum* nu. 1.

Glossa.

Emmanuel Sà.

141. Ex dictis soluitur altera propositę quęstionis pars, Quis & cui possit hæc potestas delegari? quoad 1. certum est, eam delegari posse ab omnibus, qui illam ordinario iure possident, vt sunt summus Pontifex, Episcopi, Primates seu Patriarchæ, & iuxta nostram sententiam etiam Legati, & Nuncij Apostolici; nec non summus Pœnitentiarius ex sententia Paludani. Ratio: quia omnis potestas iurisdictionis delegabilis est ab eo, qui illam ordinario iure possidet. Atqui hæc est potestas iurisdictionis, vt ex sect. 1. constat: ergo delegabilis est ab omnibus, qui illā ordinario iure possident. Maior patet inductione: nam tam potestas in foro interno &

Quis, & cui possit hæc potestas delegari.

Sacramentali, quàm in foro externo & contentioso delegabilis est ab eo, qui illam ordinario iure possidet; ergo etiam hæc, cùm nulla adferri possit discriminis ratio.

142. Hinc sequitur, non posse Parochum suo Parochiano licentiam concedere, vt ab Episcopo non suo indulgentiam lucretur, quia cum Parochus non habeat potestatem indulgentiam concedendi; cumque dare licentiam, vt ab Episcopo non suo indulgentiam lucretur, sit suam potestatem alteri delegare, non poterit Parochus suo Parochiano licentiam concedere, vt ab Episcopo non suo indulgentiam lucretur. Poterunt tamen Religiosi ab Episcopis Indulgentias lucrari, etiamsi illis subiecti non sint, quia in fauorabilibus Religiosi subdûtur Episcopis. Præterea ex mutuo consensu tacito Episcoporum possunt subditi vnius Diœcesis, visitantes templum alterius Diœcesis, cui ab Episcopo concessa est indulgentia, illam lucrari, vt docent Henriquez lib. 7. de Indulgentijs cap. 32. nu. 2. & Emmanuel Sà verbo *Indulgentia* nu. 16.

In fauorabilibus Religiosi subduntur Episcopis.

Henriquez. Emman. Sà.

143. Quoad 2. verò, si loquamur de potentia absoluta, illa delegabilis est cuicunque viro, etiam Laico, non tamen fœminæ, aut nô baptizato, quoniam hi Spiritualis iurisdictionis capaces non sunt, vt docet Henriquez lib. 6. de Sacramentis cap. 2. nu. 3. & 5. & lib. 7. de Indulgentijs cap. 31. nu. 2. De potentia verò ordinaria delegabilis est cuicunque Clerico, modò primam tonsuram habeat. Vnde in articulo mortis posset moribundus à Clerico tantùm tonsurato ab excommunicatione absolui: quia cùm soleat Ecclesia interdum talibus Clericis potestatem absoluendi ab excommunicatione committere, credendum est, in articulo mortis talem potestatem huiusmodi tonsuratis concedere, vt suprà cum Henriquez docuimus.

Feminæ spiritalis iurisdictionis non sunt capaces. Henriquez.

144. Dices. Sæpe Laicus indulgentiam sibi à Pontifice concessam alteri communicat: non posset autem illam alteri communicare, nisi cum illa simul à Pontifice acciperet potestatem eam communicandi: ergo de facto hæc potestas delegatur Laico. Resp. distinguendo Maiorem: communicat illam authoritatiuè, nego; per modum cuiusdam conditionis, qua posita, Pontifex ipse indulgentiam applicat, concedo. Quando igitur Laicus indulgentias à Pontifice obtinet, vt eas possit alijs etiam communicare, non accipit à Pontifice authoritatem indulgentias concedendi; sed solùm se habet vt conditio, qua posita Pontifex easdem indulgentias ad alios etiam extendit. Quo pacto nostri Prouinciales Procuratores cùm à Pontifice Indulgentias accipiunt, alijs communicant.

SECTIO VII.

Quinam sint Indulgentiæ capaces?

145. Cvm Indulgentia sit remissio pœnæ temporalis ex condonatis peccatis personalibus relictæ, non poterunt esse Indulgentiæ capaces, qui vel hanc pœnam non habent, vel habere non possunt. Vnde excluduntur 1. Beati, qui nec pœnam aliquam luendam habent, nec habere possunt, cùm nec vllum reatum habeant, nec peccare possint, vt saltem ob pœnam ex remissione talis peccati relictam indulgentiæ capaces esse possint. Cum Beatis excluditur B. Virgo, & siquis alius fuit ab omni peccato præseruatus: quia sicut illa semper fuit à peccato libera, ita & reatu peccati immunis.

Beati non sunt capaces Indulgentiæ.

Nec etiam Baptisma Virgo.

146. Secundò excluduntur damnati, qui sicut peccati remissionis capaces non sunt, ita nec remissionis pœnæ. Nam etiamsi multi damnati præter pœnam æternam, contractam ex peccatis commissis, & non condonatis, habeant etiam aliquam pœnam temporalem, quæ relicta fuit ex peccatis in hac vita condonatis, pro qua dignam Pœnitentiam non egerunt, illa tamen, per coniunctionem cum peccato irremissibili, fit per accidens irremissibilis, & æterna: aliàs in inferno foret aliquis redemptionis locus contra illud, quod Ecclesia docet: *In inferno nulla est redemptio.*

Nec damnati.

147. Contra hanc communem doctrinam de damnatis senserunt aliqui Antiqui Scholastici, vt videre est apud Magistrum in 4. dist. 46. opinantes, suffragia viuorum prodesse damnatis per modum mitigationis, & remissionis pœnarum, quas patiuntur: inter quos fuit Præpositiuus, vt refert S. Thomas supplemento ad 3. partem q. 71. art. 5.

Magister.

Præpositiuus. S. Thomas.

148. Tertiò demum excluduntur infantes, & reliqui omnes rationis vsum nô habentes: quia sicut isti proprium peccatum habere non possunt; ita nec pœnam ex proprio peccato condonato relictam, quam tantùm indulgentia remittit. Non enim indulgentia se extendit ad remittendas pœnas ex peccato originali contractas, vt experientia constat.

149. Superest igitur, vt soli homines ratione vtentes, & in vltimo termino non constituti possint esse indulgentiæ capaces. Qui in tres classes diuiduntur, in viatores Baptizatos, viatores non Baptizatos, & animas purgantes. Et quidem de primis certum est, eos in omni proprietate capaces esse indulgentiæ: quia vel habent aliquam pœnam temporalem, ex proprijs peccatis condonatis relictam; vel certè illam habere possunt: quia possunt peccare, & de peccatis pœnitere, deque

Qui possint esse indulgentiæ capaces.

eorum

eorum reatu non sufficienter satisfacere, ac proinde pro eius satisfactione, ac remissione indulgentia egere.

150. Contra hanc veritatem coherenter sentire debent ij, qui putant, esse in hac vita aliqua peccata, vel multitudinem peccatorum, quem cumulum appellant, ad quem cùm peruenerit peccator, non est ampliùs capax Pœnitentiæ, ac proinde nec Indulgentiæ, quæ loco pœnitentiæ in satisfactionem pœnæ ex peccato condonato relictæ succedit. Quem errorem supra refutauimus disp. 5. sect. 2. vbi efficacissimis, validissimisque Sacræ scripturæ, ac Patrum testimonijs, nec non rationibus ex principijs Theologicis deductis demonstrauimus, nullum esse peccatum ita enorme, aut cumulum peccatorum adeo ingentem, cuius peccator, dum hanc mortalem vitam viuit, cum auxilio Diuinę gratię, quod semper illi presto est, pœnitere non possit. Sola controuersia remanet de adultis non Baptizatis, proprio actu contritionis iustificatis, & animabus purgantibus.

An Catechumeni sint Indulgentiæ capaces?

151. Affirmant Henriquez lib. 7. de Indulgentijs ca. 28. n. 3. pro qua sententia in suo commentario citat Nauarrum. Eandem quoad Catechumenos defunctos probabilem censent Suarez disp. 53. Sect. 4. nu. 8. Layman de Indulgentijs cap. 6. num. 1. quamuis ille probabiliorem patet oppositā. Fundatur hæc sententia: quoniam Catechumeni iustificati in voto Baptismi fiunt viua membra Ecclesiæ fidei & charitatis glutine ei coniuncta: igitur possunt ipsius Spiritualium bonorum fieri participes.

Affirmant. Henriquez. Nauarrus. Suarez. Layman.

152. Confirmatur 1. Catechumeni merito vnionis, quam per vinculum charitatis habent cum Ecclesia, sunt capaces satisfactionis per modum suffragij à priuata persona sibi oblatæ: ergo ratione eiusdem vnionis erunt capaces satisfactionis, per modum absolutionis à publica persona legitimam potestatem habente ex communi Thesauro Ecclesię sibi applicatę. Confirmatur 2. Catechumeni sunt quasi Religionis Christianæ nouitij: sed nouitij Religionum sunt participes bonorum suæ Religionis: ergo etiam Catechumeni erunt participes bonorum Religionis Christianæ, cuius sunt nouitij.

153. Negant verò citato loco Suarez, Coninck disp. 12. de Indulgentijs dub. 7. Sanchez lib. 4. moralium cap. 37. nu. 37. Layman quoad Catechumenos viatores, & alij authores apud eosdem. *Quæ sententia quoad Catechumenos viatores videtur certa.* quia nullus potest esse indulgentiæ capax, qui non sit Ecclesiasticæ iurisdictioni subiectus. Atqui Catechumenus viator non est Ecclesiasticæ iurisdictioni subiectus; ergo neque Indulgentiæ capax. Maior constat ex dictis, & colligitur ex capite *Quod autem*, de Pœnit. & Remiss. vbi definitur indulgentia non prodesse, nisi subditis. Et ratio id etiam suadet: quia cùm concessio Indulgentiæ sit actus Ecclesiasticæ iurisdictionis, non prodest, nisi subditis. Minor colligitur ex Tridentino sess. 14. cap. 2. vbi docet, Ecclesiam in neminem actum iurisdictionis exercere posse, qui non priùs in ipsam per Baptismi ianuam fuerit ingressus, citans illud Apost. 1. ad Corinth. 12. *Quid mihi de ijs, qui foris sunt, iudicare?*

Suarez. Coninck. Sanchez. Layman.

Conc. Trid.

1. Cor. 12.

154. Confirmatur 1. Non potest Episcopus indulgentias concedere sibi non subditis: ergo nec summus Pontifex Catechumenis. Consequētia probatur: nam ita se habet summus Pontifex erga Catechumenos quoad Spiritualem iurisdictionem; sicut Episcopus quoad eandem Spiritualem iurisdictionem erga Baptizatos sibi non subiectos. Confirmatur 2. Catechumeni ante Baptismum non sunt capaces gratię Sacramentalis; ergo nec effectus Indulgentiarum. Consequentia probatur: quia vterque effectus cōfertur ex opere operato Christi: igitur si Catechumenus nō est capax vnius, neque erit capax alterius.

155. Ex dictis infertur, nec posse Ecclesiam cum Catechumenis dispensare in votis: cùm etiam talis dispensatio sit actus Spiritualis iurisdictionis, qui superioritatem in dispensante, & subiectionē in dispensabili supponit. Legatur citato loco Sanchez.

Sanchez.

156. Infertur 2. non esse Indulgentiæ capaces animas, quę vel cum solo originali, vel cum originali & veniali tantùm ex hac vita discedunt. Neutri enim habent pœnam temporalem ex proprio peccato condonato relictam. Sed primi habent tantùm pœnam damni ex peccato originali contractam: Secundi etsi habent pœnam temporalem sensus, peccato veniali debitam, illam tamen non habent ex veniali condonato relictam: indulgentia autem non remittit pœnam, nisi ex proprio peccato condonato relictam. Perseuerante autem peccato originali, homo nō est capax remissionis peccati venialis: sicut nec, perseuerante mortali, homo est capax remissionis peccati venialis. Quoniā, vt ex disp. de remissione venialium constat, veniale non remittitur, nisi per auxilium constituens hominem familiarem Deo: Quę familiaritas supponit amicitiam cum eodem Deo: amicitia autem cum Deo esse non potest in homine habituali gratia priuato.

Indulgētia non remittit pœnam nisi ex proprio peccato condonato relictā.

157. Cæterùm quoad Catechumenos defunctos *probabilius* existimo, eis per modū suffragij prodesse indulgentias. Moueor: quia Catechumeni defuncti non sunt ampliùs sub potestate Ecclesiæ, cui limitatè concessa est potestas indulgentiarū, vt non nisi sibi subiectis eas concedere valeat; sed sunt sub potestate Christi, qui sua Passione omnibus profuit. Vnde sicut est ipsorum Redemptor quoad culpæ condonationem, & gratię infusionem: ita & perfectus Redemptor quoad pœnę remissionem.

Catechumenis defunctis per modum suffragij prosunt indulgentiæ.

158. Ad 1. oppositæ sententiæ negatur consequentia: quoniam ad fructum Indulgentiæ

Soluuntur argumenta opposita sententiæ.

dulgentia percipiendum non solùm requiritur mystica vnio membri cum Ecclesia, sed etiam subiectio, quoad spiritualem iurisdictionem, quam Catechumeni non habent.

159. Ad 1. Confirmationem, negatur consequentia: nam ad participandam satisfactionem per modū suffragij à priuata persona oblatam, non requiritur subiectio, cùm non sit actus iurisdictionis, sed purę Eleemosynæ Spiritualis, quam vnusquisque de suis bonis operibus, quorum est absolutus Dominus, alijs elargiri potest.

160. Ad 2. Confirmationem, negandum est, Catechumenos quoad hoc assimilari nouitijs Religionis: nam hi quoad Spiritualem iurisdictionem sunt perfectè subiecti Ecclesiæ, quæ eos participes reddere potest Spiritualium bonorum Religionis, cui subiecti nō sunt Catechumeni; defectu cuius subiectionis nequeunt esse participes per Indulgentiarum fructus.

An excommunicatus sit capax Indulgentiæ?

161. QVæstio non est de excommunicato perseuerante in peccato, propter quod imposita illi fuit excommunicatio: nam hunc ex sequenti sect. à fortiori constabit, nō esse Indulgentiæ capacem, propter statum peccati. Sed quęstio tantùm est de excommunicato iustificato per contritionem, ab excommunicatione nondum absoluto.

Sà. Henriquez. Suarez.

162. Affirmant aliqui apud Sà verbo *Indulgentia* nu. 2. Negant Henriquez lib. 7. de Indulgentijs cap. 18. num. 2. Suarez disp. 52. sect. 2. num. 3. & meritò. Ratio verò est: quoniam excōmunicatio priuat subiectum participatione communium bonorum Ecclesiæ: ergo quamdiu quis manet excommunicatus, non est capax participationis Spiritualis thesauri Ecclesiæ, qui per indulgentiam dispensatur.

163. Confirmatur: Si excommunicatus statim per gratiam iustificatus participaret communia bona spiritualia Ecclesiæ, non esset quoad hunc effectum necessaria absolutio ab excommunicatione. Nam eatenus hæc necessaria est quatenus excommunicatio priuat subiectum huiusmodi participatione Ecclesiasticorum bonorum. Notat autem Henriquez, excommunicatum accipientem Bullam Cruciatæ, consequi fructum Indulgentiæ, quia talis Bulla simul absoluit ab excommunicatione, ac proinde priusquam effectum Indulgentiæ conferat, reddit subiectum capax.

Excommunicatus accipiens Bullam Cruciatæ, consequitur fructum Indulgentiæ. Henriquez.

An, & quo pacto prosint defunctis Indulgentiæ?

164. NOn defuerunt Catholici, qui negarunt, Indulgentias prodesse defunctis, vt legere est apud Bellarminum lib. 1. de Indulgentijs cap. 14. & Suarez disp. 53. sect. 1. Quæ sententia, Iudice Patre Suarez, sine errore defendi non potest.

Bellarmin. Suarez.

165. Est igitur certa, & indubitata veritas, Indulgentias prodesse defunctis. Cuius oppositam sententiam Toletus lib. 6. cap. 26. appellat Hęresim. Constat 1. hęc veritas ex communi vsu, & praxi Ecclesiæ: nihil enim tam vsitatum in Ecclesia, quàm applicare Indulgentias pro defunctis. 2. Illam multi Romani Pontifices facto simul, & Doctrina confirmarunt, vt refert Bellarminus ex sententia Gabrielis: qui 1. negauit, Indulgentias prodesse defunctis, postea suum errorem correxit, cùm legit multos Pontifices pro defunctis Indulgentias concessisse: vt peculiari Bulla illas concessit Leo X. in qua Pontifex contra Lutherum Apostolica authoritate declarat, Indulgentias prodesse Defunctis. Quam veritatem antea peculiari etiam Bulla declarauerat Sixtus IV. Et postea Pius IV. viuæ vocis Oraculo, vt testatur Toletus in summa lib. 6. cap. 26.

Certa veritas est in dulgentias prodesse defunctis. Toletus. Bellarmin. Leo X. Sixtus 4. Pius 4.

166. In eandem veritatem conspirant omnes Scholastici in 4. dist. 20. Ratio verò est: quoniam animæ purgantes, propter vnionem Charitatis cum Ecclesia militante, sunt capaces suffragij pro ipsis à viuis oblati: ergo etiam fructus Indulgentiarum. Antecedens expressè definit Pius IV. in Bulla de forma iuramenti professionis, quæ habetur in Concilio Tridentino, his verbis: *Constanter teneo Purgatorium esse, animasq; ibi detentas fidelium suffragijs iuuari*. Colligiturque ex Concilio Tridentino sess. 22. cap. 2. & Canone 3. in quibus definit, Sacrificium Missæ non solùm pro viuis; sed etiam pro defunctis nondum ad plenum purgatis ritè iuxta Apostolorum traditionem offerri. Quod etiam ponitur in ipsa forma, qua presbyteratus confertur traditurque à Concilio Florentino. *Accipe potestatem offerendi Sacrificium in Ecclesia pro viuis & defunctis*. Consequentia verò probatur: quia non est maior ratio, cur sint capaces suffragij per Sacrificiū Missæ, & alia pia opera oblati, & non etiam per Indulgentias à Pontifice concessas.

Pius 4. Conc. Trid. Concilium Florent.

167. DICES. Catechumeni viatores sunt capaces suffragij à priuata persona oblati; cū tamen non sint capaces suffragij per Indulgentias applicati. Esto igitur animę purgātes sint capaces suffragij à priuatis personis oblati; haud tamen sequitur, eos fore capaces fructus Indulgentię à Pontifice concessæ. Resp. disparitatem esse: quoniam viuentibus Indulgentiæ immediatè applicantur à Pontifice per modum absolutionis, quæ iurisdictionem requirit in concedente, & subiectionem in suscipiente: Pontifex autem nullam habet Iurisdictionem in Catechumenos nondum Baptizatos. Defunctis verò Indulgentiæ à Pontifice applicantur dependenter à voluntate Christi, qui supremam Iurisdictionem habet in animas purgantes: ac proinde ratio, quæ impedit, quò minùs Pontifex validè Indulgentias applicare possit Catechumenis viuentibus, non impedit,

pedit, quò minùs eas validè applicare possit Defunctis: quia Defunctis non ipse immediatè applicat, sed Christus, qui plenam iurisdictionem habet in omnes.

168. Hac igitur veritate vt certa posita, grauis controuersia superest de modo, quo Defunctis Indulgētiæ prodesse possint. Omnes conueniunt, vno excepto Michaële Medina apud Bellarminum proximè citatum, illis non prodesse per modum absolutionis, sed per modum suffragij: tum quia, cùm Pōtifices Indulgentias concedunt Defunctis, expressè addunt, *per modum suffragij*: tum quia Pontifices nullam habent authoritatem in animas purgantes, cùm iam sint extra iurisdictionem ipsorum, qui potestatē à Christo acceperunt tantùm in oues in terris pascendas, iuxta illud Matthæi 16. *Quodcunq; solueris super terram, erit solutum & in Cœlis.* Quibus verbis potestas concessa Petro, eiusque successoribus limitatur tantùm ad homines super terram degentes. Non enim *Ly super terram* referri debet ad eos tantùm, qui soluunt, vt quidam putant; sed etiam ad eos, qui soluuntur, vt Gelasius Papa declarat Canone *Legatur* 24 q. 2. & patet: quia nullum actum Iurisdictionis in eos Ecclesia exercere potest: cùm omnis actus iurisdictionis requirat aliquam notitiam, quam de animabus purgantibus Ecclesia habere nequit.

Michael Medina.

Defunctis Indulgētias prodesse per modū suffragij communis est sentent.

Matth. 16.

Gelasius Papa.

169. Nec refert, quòd interdum Ecclesia defunctos excommunicet, eosque ab excommunicatione absoluat: nam hoc tantùm facit obligando viuentes, ne, vel pro illis orent, debitæq; sepulturæ mandent; vel vt liberentur à prohibitione, qua prohibebantur, ne pro illis orarent, debitoque honore prosequerentur. Cæterùm difficultas non parua est in explicando, in quo differat Indulgentia per modum suffragij ab Indulgentia per modum absolutionis. De quo tres reperio potissimas sententias.

In quo differat Indulgentia per modum suffragij, ab Indulg. per modum absolutionis.

170. Prima sententia affirmat differre: quia Indulgentia per modum suffragij applicatur Defunctis solùm mediatè, & indirectè, mediante scilicet aliquo fideli viatore, cui immediatè conceditur sub conditione, vt eam offerat animæ purganti. Indulgentia per modum absolutionis est, quæ directè, & immediatè conceditur. Ita S. Thomas supplemento ad tertiam partem quæst. 71. art. 10. Bonauentura in 4. distinct. 20. artic. vltimo q. penultima: Richardus artic. 3. quæst. 3. Durandus quęst. 4. num. 12. Fundamentum est: quia animæ purgantes non sunt subiectę iurisdictioni Pontificis: ergo non potest Pōtifex eas immediatè, & directè per Indulgentias à pœnis Purgatorij liberare: quia hic actus, vt suprà probatum est, nonnisi in subditum exerceri potest.

S. Thomas Bonauent. Richardus. Durandus.

171. Sed contrà: nam hæc sententia virtute negat Indulgentias prodesse Defunctis: quoniam in hac sententia non ipsa Christi satisfactio per Indulgentiam concessa; sed opus, sub cuius conditione Indulgentia conceditur viuis, pro Defunctis oblatum, Defunctis prodesset. Aut certè si non tantùm opus à viuente pręstitum, sed Indulgentia ipsa prodest Defunctis: interrogo, cur illa applicata à viuente prodest Defunctis, & non prodest applicata ab ipso Pontifice? cùm non sit essentiale Indulgentię, vt ea applicetur mediante aliquo opere pio, sed applicari possit absque vllo opere, si sufficiens causa subsit, vt sequenti sect. constabit. Aut cur poterit priuata persona directè, & immediatè per sua opera satisfactoria Defunctos iuuare, & non poterit Pontifex per opera satisfactoria Christi, & Sanctorum ex communi Ecclesię thesauro eruta? Ad fundamentum huius sententiæ constabit ex declaratione 3. sententię.

172. Secunda sententia in eo inter suffragium, & absolutionem discrimen constituit: quod per absolutionem Pontifex ipse immediatè tāquam Christi minister absoluit à pœna, cui Indulgentiam concedit: per suffragium verò non ipse Pontifex immediatè, sed Deus, cui Pontifex æquiualens pretium offert ex thesauro satisfactionum Christi, & Sanctorum: Quod pretium Deus ex pacto, & promissione tenetur à suo Vicario oblatum acceptare. Quo fit, vt Indulgentia non minus pro Defunctis, quàm pro viuis concessa, quoad suum effectum sit infallibilis: cùm vtraque fundetur in pacto, & promissione Christi. Nam illa verba Matthæi 16. *Quodcunque solueris super terram, erit solutum & in Cœlis:* non minùs se extendunt ad defunctos, quàm ad viuos. Hanc docent Sotus in 4. dist. 21. q. 2. a. 3. *§. est tamen hic dubium*: Nauarrus Tract. de Indulgentijs: Suarez disp. 53. sect. 3. Valentia disp. 7. de Indulgentijs q. 20. pun. 5. Coninck disp. 12. dubio 10. Nugnez in 3. partem tom. 2. q. 20. art. 3. in sua peculiari quæstione de satisfactione pro pœnis Purgatorij difficul. 4. concl. 3. Tannerus tom. 4. disp. 6 q 8. à numero 91.

Matth. 16.

Sotus. Nauarrus. Suarez. Valentia. Coninck. Nugnez. Tannerus.

173. Fundamentum huius sententiæ est: quia potestas applicandi per Indulgentias satisfactiones Christi, & sanctorum ex communi thesauro Ecclesiæ non minùs concessa est Vicario Christi pro defunctis, quàm pro viuentibus: ergo non minùs Indulgentia applicata illis, quàm istis erit infallibilis. Antecedens probatur ex præcitatis verbis Matthæi 16. quę cùm sint generalia, restringi non debent ad solos viuentes.

174. Non parum roboris huic sententię addit authoritas Leonis X. qui in Bulla ad Caietanum, suum in Germania Legatum missa ita scribit. *Per præsentes tibi significandum duximus, Romanam Ecclesiam: quam reliquæ tanquam matrem sequi tenentur, tradidisse Romanum Pontificem Petri clauigeri Successorem, & Iesu Christi in terris Vicarium, potestate clauium, quarum est aperire regnum Cælorum, tollendo illius in Christi fidelibus impedimenta (culpam, scilicet & pœnam pro actualibus peccatis debitam, culpam quidem mediante Sacramento pœnitentiæ; pœnam verò temporalem pro actualibus peccatis secundùm Diuinam iustitiam*

tiam

dulgentia percipiendum non solùm requiritur mystica vnio membri cum Ecclesia, sed etiam subiectio, quoad spiritualem iurisdictionem, quam Catechumeni non habent.

159. Ad 1. Confirmationem, negatur consequentia: nam ad participandam satisfactionem per modū suffragij à priuata persona oblatam, non requiritur subiectio, cùm non sit actus iurisdictionis, sed purę Eleemosynæ Spiritualis, quam vnusquisque de suis bonis operibus, quorum est absolutus Dominus, alijs elargiri potest.

160. Ad 2. Confirmationem, negandum est, Catechumenos quoad hoc assimilari nouitijs Religionis: nam hi quoad Spiritualem iurisdictionem sunt perfectè subiecti Ecclesiæ, quæ eos participes reddere potest Spiritualium bonorum Religionis, cui subiecti nō sunt Catechumeni; defectu cuius subiectionis nequeunt esse participes per Indulgentiarum fructus.

An excommunicatus sit capax Indulgentiæ?

161. Quæstio non est de excommunicato perseuerante in peccato, propter quod imposita illi fuit excommunicatio: nam hunc ex sequenti sect. à fortiori constabit, nō esse Indulgentiæ capacem, propter statum peccati. Sed quęstio tantùm est de excommunicato iustificato per contritionem, ab excommunicatione nondum absoluto.

162. Affirmant aliqui apud Sà verbo *Indulgentia* nu. 2. Negant Henriquez lib. 7. de Indulgentijs cap. 18. num. 2. Suarez disp. 52. sect. 2. num. 3. & merito. Ratio verò est: quoniam excōmunicatio priuat subiectum participatione communium bonorum Ecclesiæ: ergo quamdiu quis manet excommunicatus, non est capax participationis Spiritualis thesauri Ecclesiæ, qui per indulgentiam dispensatur.

Sà. Henriquez. Suarez.

163. Confirmatur: Si excommunicatus statim per gratiam iustificatus participaret communia bona spiritualia Ecclesiæ, non esset quoad hunc effectum necessaria absolutio ab excommunicatione. Nam eatenus hæc necessaria est quatenus excommunicatio priuat subiectum huiusmodi participatione Ecclesiasticorum bonorum. Notat autem Henriquez, excommunicatum accipientem Bullam Cruciatæ, consequi fructum Indulgentiæ, quia talis Bulla simul absoluit ab excommunicatione, ac proinde priusquam effectum Indulgentiæ conferat, reddit subiectum capax.

Excommunicatus accipiens Bullam Cruciatæ, consequitur fructum Indulgentiæ. Henriquez.

An, & quo pacto prosint defunctis Indulgentiæ?

164. Non defuerunt Catholici, qui negarunt, Indulgentias prodesse defunctis, vt legere est apud Bellarminum lib. 1. de Indulgentijs cap. 14. & Suarez disp. 53. sect. 1. Quæ sententia, Iudice Patre Suarez, sine errore defendi non potest.

Bellarmin. Suarez.

165. Est igitur certa, & indubitata veritas, Indulgentias prodesse defunctis. Cuius oppositam sententiam Toletus lib. 6. cap. 26. appellat Hęresim. Constat. 1. hęc veritas ex communi vsu, & praxi Ecclesiæ: nihil enim tam vsitatum in Ecclesia, quàm applicare Indulgentias pro defunctis. 2. Illam multi Romani Pontifices facto simul, & Doctrina confirmarunt, vt refert Bellarminus ex sententia Gabrielis: qui 1. negauit, Indulgentias prodesse defunctis, postea suum errorem correxit, cùm legit multos Pontifices pro defunctis Indulgentias concessisse: vt peculiari Bulla illas concessit Leo X. in qua Pontifex contra Lutherum Apostolica authoritate declarat, Indulgentias prodesse Defunctis. Quam veritatem antea peculiari etiam Bulla declarauerat Sixtus IV. Et postea Pius IV. viuæ vocis Oraculo, vt testatur Toletus in summa lib. 6. cap. 26.

Certa veritas est in dulgentias prodesse defunctis. Toletus. Bellarmin. Leo X. Sixtus 4. Pius 4.

166. In eandem veritatem conspirant omnes Scholastici in 4. dist. 20. Ratio verò est: quoniam animæ purgantes, propter vnionem Charitatis cum Ecclesia militante, sunt capaces suffragij pro ipsis à viuis oblati: ergo etiam fructus Indulgentiarum. Antecedens expressè definit Pius IV. in Bulla de forma iuramenti professionis, quæ habetur in Concilio Tridentino, his verbis: *Constanter teneo Purgatorium esse, animasq́ue ibi detentas fidelium suffragijs iuuari*. Colligiturque ex Concilio Tridentino sess. 22. cap. 2. & Canone 3. in quibus definit, Sacrificium Missæ non solùm pro viuis; sed etiam pro defunctis nondum ad plenum purgatis ritè iuxta Apostolorum traditionem offerri. Quod etiam ponitur in ipsa forma, qua presbyteratus confertur traditurque à Concilio Florentino. *Accipe potestatem offerendi Sacrificium in Ecclesia pro viuis & defunctis*. Consequentia verò probatur: quia non est maior ratio, cur sint capaces suffragij per Sacrificiū Missæ, & alia pia opera oblati, & non etiam per Indulgentias à Pontifice concessas.

Pius 4. Conc. Trid. Concilium Florent.

167. Dices. Catechumeni viatores sunt capaces suffragij à priuata persona oblati; cū tamen non sint capaces suffragij per Indulgentias applicati. Esto igitur animę purgātes sint capaces suffragij à priuatis personis oblati, haud tamen sequitur, eos fore capaces fructus Indulgentię à Pontifice concessæ. Resp. disparitatem esse: quoniam viuentibus Indulgentiæ immediatè applicantur à Pontifice per modum absolutionis, quæ iurisdictionem requirit in concedente, & subiectionem in suscipiente: Pontifex autem nullam habet Iurisdictionem in Catechumenos nondum Baptizatos. Defunctis verò Indulgentiæ à Pontifice applicantur dependenter à voluntate Christi, qui supremam Iurisdictionem habet in animas purgantes: ac proinde ratio, quæ impedit, quò minùs Pontifex validè Indulgentias applicare possit Catechumenis viuentibus, non impedit,

pedit, quò minùs eas validè applicare possit Defunctis: quia Defunctis non ipse immediatè applicat, sed Christus, qui plenam iurisdictionem habet in omnes.

168. Hac igitur veritate vt certa posita, grauis controuersia superest de modo, quo Defunctis Indulgētiæ prodesse possint. Omnes conueniunt, vno excepto Michaële Medina apud Bellarminum proximè citatum, illis non prodesse per modum absolutionis, sed per modum suffragij: tum quia, cùm Pōtifices Indulgentias concedunt Defunctis, expresè addunt, *per modum suffragij*: tum quia Pontifices nullam habent authoritatem in animas purgantes, cùm iam sint extra iurisdictionem ipsorum, qui potestatē à Christo acceperunt tantùm in oues in terris pascendas, iuxta illud Matthæi 16. *Quodcunq; solueris super terram, erit solutum & in Cælis.* Quibus verbis potestas concessa Petro, eiusque successoribus limitatur tantùm ad homines super terram degentes. Non enim *Ly super terram* referri debet ad eos tantùm, qui soluunt, vt quidam putant; sed etiam ad eos, qui soluuntur, vt Gelasius Papa declarat Canone *Legatur* 24 q. 2. & patet: quia nullum actum iurisdictionis in eos Ecclesia exercere potest: cùm omnis actus iurisdictionis requirat aliquam notitiam, quam de animabus purgantibus Ecclesia habere nequit.

Michael Medina.

Defunctis Indulgētias prodesse per modū suffragij communis est sentent.

Matth. 16.

Gelasius Papa.

169. Nec refert, quòd interdum Ecclesia defunctos excommunicet, eosque ab excommunicatione absoluat: nam hoc tantùm facit obligando viuentes, ne, vel pro illis orent, debitæq; sepulturæ mandent; vel vt liberentur à prohibitione, qua prohibebantur, ne pro illis orarent, debitoque honore prosequerentur. Cæterùm difficultas non parua est in explicando, in quo differat Indulgentia per modum suffragij ab Indulgentia per modum absolutionis. De quo tres reperio potissimas sententias.

In quo differat Indulgētia per modum suffragij, ab Indulg. per modum absolutionis.

170. PRIMA sententia affirmat differre: quia Indulgentia per modum suffragij applicatur Defunctis solùm mediatè, & indirectè, mediante scilicet aliquo fideli viatore, cui immediatè conceditur sub conditione, vt eam offerat animæ purganti. Indulgentia per modum absolutionis est, quæ directè, & immediatè conceditur. Ita S. Thomas supplemento ad tertiam partem quæst. 71. art. 10. Bonauentura in 4. distinct. 20. artic. vltimo q. penultima: Richardus artic. 3. quæst. 3. Durandus quęst. 4. num. 12. Fundamentum est: quia animæ purgantes non sunt subiectę iurisdictioni Pontificis: ergo non potest Pōtifex eas immediatè, & directè per Indulgentias à pœnis Purgatorij liberare: quia hic actus, vt suprà probatum est, nonnisi in subditum exerceri potest.

S. Thomas Bonauent. Richardus. Durandus.

171. Sed contrà: nam hæc sententia virtute negat Indulgentias prodesse Defunctis: quoniam in hac sententia non ipsa Christi satisfactio per Indulgentiam concessa; sed opus, sub cuius conditione Indulgentia conceditur viuis, pro Defunctis oblatum, Defunctis prodesset. Aut certè si non tantùm opus à viuente pręstitum, sed Indulgentia ipsa prodest Defunctis: interrogo, cur illa applicata à viuente prodest Defunctis, & non prodest applicata ab ipso Pontifice? cùm non sit essentiale Indulgentię, vt ea applicetur mediante aliquo opere pio, sed applicari possit absque vllo opere, si sufficiens causa subsit, vt sequenti sect. constabit. Aut cur poterit priuata persona directè, & immediatè per sua opera satisfactoria Defunctos iuuare, & non poterit Pontifex per opera satisfactoria Christi, & Sanctorum ex communi Ecclesię thesauro eruta? Ad fundamentum huius sententiæ constabit ex declaratione 3. sententię.

172. SECVNDA sententia in eo inter suffragium, & absolutionem discrimen constituit: quod per absolutionem Pontifex ipse immediatè tāquam Christi minister absoluit à pœna, cui Indulgentiam concedit: per suffragium verò non ipse Pontifex immediatè, sed Deus, cui Pontifex æquiualens pretium offert ex thesauro satisfactionum Christi, & Sanctorum: Quod pretium Deus ex pacto, & promissione tenetur à suo Vicario oblatum acceptare. Quo fit, vt Indulgentia non minus pro Defunctis, quàm pro viuis concessa, quoad suum effectum sit infallibilis: cùm vtraque fundetur in pacto, & promissione Christi. Nam illa verba Matthæi 16. *Quodcunque solueris super terram, erit solutum & in Cælis* non minùs se extendunt ad defunctos, quàm ad viuos. Hanc docent Sotus in 4. dist. 21. q. 2. a. 3. *§. est tamen hic dubium*: Nauarrus Tract. de Indulgentijs: Suarez disp. 53. sect. 3. Valentia disp. 7. de Indulgentijs q. 20. pun. 5. Coninck disp. 12. dubio 10. Nugnez in 3. partem tom. 2. q. 20. art. 3. in sua peculiari quæstione de satisfactione pro pœnis Purgatorij difficul. 4. concl. 3. Tannerus tom. 4. disp. 6 q 8. à numero 91.

Matth. 16.

Sotus. Nauarrus. Suarez. Valentia. Coninck. Nugnez. Tannerus.

173. Fundamentum huius sententiæ est: quia potestas applicandi per Indulgentias satisfactiones Christi, & sanctorum ex communi thesauro Ecclesiæ non minùs concessa est Vicario Christi pro defunctis, quàm pro viuentibus: ergo non minùs Indulgentia applicata illis, quàm istis erit infallibilis. Antecedens probatur ex præcitatis verbis Matthæi 16. quę cùm sint generalia, restringi non debent ad solos viuentes.

174. Non parum roboris huic sententię addit authoritas Leonis X. qui in Bulla ad Caietanum, suum in Germania Legatum missa ita scribit. *Per præsentes tibi significandum duximus, Romanam Ecclesiam: quam reliqua tanquam matrem sequi tenentur, tradidisse Romanum Pontificem Petri clauigeri Successorem, & Iesu Christi in terris Vicarium, potestate clauium, quarum est aperire regnum Cælorum, tollendo illius in Christi fidelibus impedimenta (culpam scilicet & pœnam pro actualibus peccatis debitam, culpam quidem mediante Sacramento pœnitentiæ; pœnam verò temporalem pro actualibus peccatis secundùm Diuinam iustitiam*

dulgentia percipiendum non solùm requiritur mystica vnio membri cum Ecclesia, sed etiam subiectio, quoad spiritualem iurisdictionem, quam Catechumeni non habent.

159. Ad 1. Confirmationem, negatur consequentia: nam ad participandam satisfactionem per modũ suffragij à priuata persona oblatam, non requiritur subiectio, cùm non sit actus iurisdictionis, sed purę Eleemosynæ Spiritualis, quam vnusquisque de suis bonis operibus, quorum est absolutus Dominus, alijs elargiri potest.

160. Ad 2. Confirmationem, negandum est, Catechumenos quoad hoc assimilari nouitijs Religionis: nam hi quoad Spiritualem iurisdictionem sunt perfectè subiecti Ecclesiæ, quæ eos participes reddere potest Spiritualium bonorum Religionis, cui subiecti nõ sunt Catechumeni; defectu cuius subiectionis nequeunt esse participes per Indulgentiarum fructus.

An excommunicatus sit capax Indulgentiæ?

161. QVæstio non est de excommunicato perseuerante in peccato, propter quod imposita illi fuit excommunicatio: nam hunc ex sequenti sect. à fortiori constabit, nõ esse Indulgentiæ capacem, propter statum peccati. Sed quęstio tantùm est de excommunicato iustificato per contritionem, ab excommunicatione nondum absoluto.

Sà. Henriquez. Suarez.

162. Affirmant aliqui apud Sà verbo *Indulgentia* nu. 2. Negant Henriquez lib. 7. de Indulgentijs cap. 18. num. 2. Suarez disp. 52. sect. 2. num. 3. & merito. Ratio verò est: quoniam excõmunicatio priuat subiectum participatione communium bonorum Ecclesiæ: ergo quamdiu quis manet excommunicatus, non est capax participationis Spiritualis thesauri Ecclesiæ, qui per indulgentiam dispensatur.

163. Confirmatur: Si excommunicatus statim per gratiam iustificatus participaret communia bona spiritualia Ecclesiæ, non esset quoad hunc effectum necessaria absolutio ab excommunicatione. Nam eatenus hæc necessaria est quatenus excommunicatio priuat subiectum huiusmodi participatione Ecclesiasticorum bonorum. Notat autem Henriquez, excommunicatum accipientem Bullam Cruciatæ, consequi fructum Indulgentiæ, quia talis Bulla simul absoluit ab excommunicatione, ac proinde priusquam effectum Indulgentiæ conferat, reddit subiectum capax.

Excommunicatus accipiens Bullam Cruciatæ, consequitur fructum Indulgentiæ. Henriquez.

An, & quo pacto prosint defunctis Indulgentiæ?

164. NOn defuerunt Catholici, qui negarunt, Indulgentias prodesse defunctis, vt legere est apud Bellarminum lib. 1. de Indulgentijs cap. 14. & Suarez disp. 53. sect. 1. Quæ sententia, Iudice Patre Suarez, sine errore defendi non potest.

Bellarmin. Suarez.

165. Est igitur certa, & indubitata veritas, Indulgentias prodesse defunctis. Cuius oppositam sententiam Toletus lib. 6. cap. 26. appellat Hęresim. Constat 1. hęc veritas ex communi vsu, & praxi Ecclesiæ: nihil enim tam vsitatum in Ecclesia, quàm applicare Indulgentias pro defunctis. 2. Illam multi Romani Pontifices facto simul, & Doctrina confirmarunt, vt refert Bellarminus ex sententia Gabrielis: qui 1. negauit, Indulgentias prodesse defunctis, postea suum errorem correxit, cùm legit multos Pontifices pro defunctis Indulgentias concessisse: vt peculiari Bulla illas concessit Leo X. in qua Pontifex contra Lutherum Apostolica authoritate declarat, Indulgentias prodesse Defunctis. Quam veritatem antea peculiari etiam Bulla declarauerat Sixtus IV. Et postea Pius IV. viuæ vocis Oraculo, vt testatur Toletus in summa lib. 6. cap. 26.

Certa veritas est indulgentias prodesse defunctis. Toletus. Bellarmin. Leo X. Sixtus 4. Pius 4.

166. In eandem veritatem conspirant omnes Scholastici in 4. dist. 20. Ratio verò est: quoniam animæ purgantes, propter vnionem Charitatis cum Ecclesia militante, sunt capaces suffragij pro ipsis à viuis oblati: ergo etiam fructus Indulgentiarum. Antecedens expressè definit Pius IV. in Bulla de forma iuramenti professionis, quæ habetur in Concilio Tridentino, his verbis: *Constanter teneo Purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragijs iuuari.* Colligiturque ex Concilio Tridentino sess. 22. cap. 2. & Canone 3. in quibus definit, Sacrificium Missæ non solùm pro viuis; sed etiam pro defunctis nondum ad plenum purgatis ritè iuxta Apostolorum traditionem offerri. Quod etiam ponitur in ipsa forma, qua presbyteratus confertur traditurque à Concilio Florentino. *Accipe potestatem offerendi Sacrificium in Ecclesia pro viuis & defunctis.* Consequentia verò probatur: quia non est maior ratio, cur sint capaces suffragij per Sacrificiũ Missæ, & alia pia opera oblati, & non etiam per Indulgentias à Pontifice concessas.

Pius 4. Conc. Trid. Concilium Florent.

167. Dices. Catechumeni viatores sunt capaces suffragij à priuata persona oblati; cũ tamen non sint capaces suffragij per Indulgentias applicati. Esto igitur animę purgãtes sint capaces suffragij à priuatis personis oblati; haud tamen sequitur, eos fore capaces fructus Indulgentię à Pontifice concessæ. Resp. disparitatem esse: quoniam viuentibus Indulgentiæ immediatè applicantur à Pontifice per modum absolutionis, quæ iurisdictionem requirit in concedente, & subiectionem in suscipiente: Pontifex autem nullam habet Iurisdictionem in Catechumenos nondum Baptizatos. Defunctis verò Indulgentiæ à Pontifice applicantur dependenter à voluntate Christi, qui supremam Iurisdictionem habet in animas purgantes: ac proinde ratio, quæ impedit, quò minùs Pontifex validè Indulgentias applicare possit Catechumenis viuentibus, non impedit,

pedit, quò minùs eas validè applicare possit Defunctis: quia Defunctis non ipse immediatè applicat, sed Christus, qui plenam iurisdictionem habet in omnes.

168. Hac igitur veritate vt certa posita, grauis controuersia superest de modo, quo Defunctis Indulgētiæ prodesse possint. Omnes conueniunt, vno excepto Michaële Medina apud Bellarminum proximè citatum, illis non prodesse per modum absolutionis, sed per modum suffragij: tum quia, cùm Pōtifices Indulgentias concedunt Defunctis, expresſè addunt, *per modum suffragij*: tum quia Pontifices nullam habent authoritatem in animas purgantes, cùm iam sint extra iurisdictionem ipsorum, qui potestatē à Christo acceperunt tantùm in oues in terris pascendas, iuxta illud Matthæi 16. *Quodcunq; solueris super terram, erit solutum & in Cælis.* Quibus verbis potestas concessa Petro, eiusque successoribus limitatur tantùm ad homines super terram degentes. Non enim *Ly super terram* referri debet ad eos tantùm, qui soluunt, vt quidam putant; sed etiam ad eos, qui soluuntur, vt Gelasius Papa declarat Canone *Legatur* 24 q. 2. & patet: quia nullum actum iurisdictionis in eos Ecclesia exercere potest: cùm omnis actus iurisdictionis requirat aliquam notitiam, quam de animabus purgantibus Ecclesia habere nequit.

Michael Medina.

Defunctis Indulgētias prodesse per modū suffragij communis est sententia.

Matth. 16.

Gelasius Papa.

169. Nec refert, quòd interdum Ecclesia defunctos excommunicet, eosque ab excommunicatione absoluat: nam hoc tantùm facit obligando viuentes, ne, vel pro illis orent, debitæq; sepulturæ mandent; vel vt liberentur à prohibitione, qua prohibebantur, ne pro illis orarent, debitoque honore prosequerentur. Cæterùm difficultas non parua est in explicando, in quo differat Indulgentia per modum suffragij ab Indulgentia per modum absolutionis. De quo tres reperio potissimas sententias.

In quo differat Indulgentia per modum suffragij, ab Indulg. per modum absolutionis.

170. Prima sententia affirmat differre: quia Indulgentia per modum suffragij applicatur Defunctis solùm mediatè, & indirectè, mediante scilicet aliquo fideli viatore, cui immediatè conceditur sub conditione, vt eam offerat animæ purganti. Indulgentia per modum absolutionis est, quæ directè, & immediatè conceditur. Ita S. Thomas supplemento ad tertiam partem quæst. 71. art. 10. Bonauentura in 4. distinct. 20. artic. vltimo q. penultima: Richardus artic. 3. quæst. 3. Durandus quęst. 4. num. 12. Fundamentum est: quia animæ purgantes non sunt subiectę iurisdictioni Pontificis: ergo non potest Pōtifex eas immediatè, & directè per Indulgentias à pœnis Purgatorij liberare: quia hic actus, vt suprà probatum est, nonnisi in subditum exerceri potest.

S. Thomas. Bonauent. Richardus. Durandus.

171. Sed contrà: nam hæc sententia virtute negat Indulgentias prodesse Defunctis: quoniam in hac sententia non ipsa Christi satisfactio per Indulgentiam concessa; sed opus, sub cuius conditione Indulgentia conceditur viuis, pro Defunctis oblatum, Defunctis prodesset. Aut certè si non tantùm opus à viuente prętitum, sed Indulgentia ipsa prodest Defunctis: interrogo, cur illa applicata à viuente prodest Defunctis, & non prodest applicata ab ipso Pontifice? cùm non sit essentiale Indulgentię, vt ea applicetur mediante aliquo opere pio, sed applicari possit absque vllo opere, si sufficiens causa subsit, vt sequenti sect. constabit. Aut cur poterit priuata persona directè, & immediatè per sua opera satisfactoria Defunctos iuuare, & non poterit Pontifex per opera satisfactoria Christi, & Sanctorum ex communi Ecclesię thesauro eruta? Ad fundamentum huius sententiæ constabit ex declaratione 3. sententię.

172. Secunda sententia in eo inter suffragium, & absolutionem discrimen constituit: quod per absolutionem Pontifex ipse immediatè tāquam Christi minister absoluit à pœna, cui Indulgentiam concedit: per suffragium verò non ipse Pontifex immediatè, sed Deus, cui Pontifex æquiualens pretium offert ex thesauro satisfactionum Christi, & Sanctorum: Quod pretium Deus ex pacto, & promissione tenetur à suo Vicario oblatum acceptare. Quo fit, vt Indulgentia non minus pro Defunctis, quàm pro viuis concessa, quoad suum effectum sit infallibilis: cùm vtraque fundetur in pacto, & promissione Christi. Nam illa verba Matthæi 16. *Quodcunque solueris super terram, erit solutum & in Cælis*: non minùs se extendunt ad defunctos, quàm ad viuos. Hanc docent Sotus in 4. dist. 21. q. 2. a. 3. *§. est tamen hic dubium*: Nauarrus Tract. de Indulgentijs: Suarez disp. 53. sect. 3. Valentia disp. 7. de Indulgentijs q. 20. pun. 5. Coninck disp. 12. dubio 10. Nugnez in 3. partem tom. 2. q. 20. art. 3. in sua peculiari quæstione de satisfactione pro pœnis Purgatorij difficul. 4. concl. 3. Tannerus tom. 4. disp. 6. q 8. à numero 91.

Matth. 16.

Sotus. Nauarrus. Suarez. Valentia. Coninck. Nugnez. Tannerus.

173. Fundamentum huius sententiæ est: quia potestas applicandi per Indulgentias satisfactiones Christi, & sanctorum ex communi thesauro Ecclesiæ non minùs concessa est Vicario Christi pro defunctis, quàm pro viuentibus: ergo non minùs Indulgentia applicata illis, quàm istis erit infallibilis. Antecedens probatur ex præcitatis verbis Matthæi 16. quę cùm sint generalia, restringi non debent ad solos viuentes.

174. Non parum roboris huic sententię addit authoritas Leonis X. qui in Bulla ad Caietanum, suum in Germania Legatum missa ita scribit. *Per præsentes tibi significandum duximus, Romanam Ecclesiam: quam reliquæ tanquam matrem sequi tenentur, tradidisse Romanum Pontificem Petri clauigeri Successorem, & Iesu Christi in terris Vicarium, potestate clauium, quarum est aperire regnum Cælorum, tollendo illius in Christi fidelibus impedimenta (culpam, scilicet & pænam pro actualibus peccatis debitam, culpam quidem mediante Sacramento pænitentiæ; pænam verò temporalem pro actualibus peccatis secundùm Diuinam iusti-*

tiam

dulgentia percipiendum non solùm requiritur mystica vnio membri cum Ecclesia, sed etiam subiectio, quoad spiritualem iurisdictionem, quam Catechumeni non habent.

159. Ad 1. Confirmationem, negatur consequentia: nam ad participandam satisfactionem per modū suffragij à priuata persona oblatam, non requiritur subiectio, cùm non sit actus iurisdictionis, sed purę Eleemosynæ Spiritualis, quam vnusquisque de suis bonis operibus, quorum est absolutus Dominus, alijs elargiri potest.

160. Ad 2. Confirmationem, negandum est, Catechumenos quoad hoc assimilari nouitijs Religionis: nam hi quoad Spiritualem iurisdictionem sunt perfectè subiecti Ecclesiæ, quæ eos participes reddere potest Spiritualium bonorum Religionis, cui subiecti nō sunt Catechumeni; defectu cuius subiectionis nequeunt esse participes per Indulgentiarum fructus.

An excommunicatus sit capax Indulgentiæ?

161. Quæstio non est de excommunicato perseuerante in peccato, propter quod imposita illi fuit excommunicatio: nam hunc ex sequenti sect. à fortiori constabit, nō esse Indulgentiæ capacem, propter statum peccati. Sed quęstio tantùm est de excommunicato iustificato per contritionem, ab excommunicatione nondum absoluto.

Sà. Henriquez. Suarez.

162. Affirmant aliqui apud Sà verbo *Indulgentia* nu. 2. Negant Henriquez lib. 7. de Indulgentijs cap. 18. num. 2. Suarez disp. 52. sect. 2. num. 3. & merito. Ratio verò est: quoniam excōmunicatio priuat subiectum participatione communium bonorum Ecclesiæ: ergo quamdiu quis manet excommunicatus, non est capax participationis Spiritualis thesauri Ecclesiæ, qui per indulgentiam dispensatur.

163. Confirmatur: Si excommunicatus statim per gratiam iustificatus participaret communia bona spiritualia Ecclesiæ, non esset quoad hunc effectum necessaria absolutio ab excommunicatione. Nam eatenus hæc necessaria est quatenus excommunicatio priuat subiectum huiusmodi participatione Ecclesiasticorum bonorum. Notat autem Henriquez, excommunicatum accipientem Bullam Cruciatæ, consequi fructum Indulgentiæ, quia talis Bulla simul absoluit ab excommunicatione, ac proinde priusquam effectum Indulgentiæ conferat, reddit subiectum capax.

Excommunicatus accipiens Bullam Cruciatæ, consequitur fructum Indulgentiæ. Henriquez.

An, & quo pacto prosint defunctis Indulgentiæ?

Bellarmin. Suarez.

164. Non defuerunt Catholici, qui negarunt, Indulgentias prodesse defunctis, vt legere est apud Bellarminum lib. 1. de Indulgentijs cap. 14. & Suarez disp. 53. sect. 1. Quæ sententia, Iudice Patre Suarez, sine errore defendi non potest.

Certa veritas est in dulgentias prodesse defunctis. Toletus.

165. Est igitur certa, & indubitata veritas, Indulgentias prodesse defunctis. Cuius oppositam sententiam Toletus lib. 6. cap. 26. appellat Hęresim. Constat. 1. hęc veritas ex communi vsu, & praxi Ecclesiæ: nihil enim tam vsitatum in Ecclesia, quàm applicare Indulgentias pro defunctis. 2. Illam multi Romani Pontifices facto simul, & Doctrina confirmarunt, vt refert Bellarminus ex sententia Gabrielis: qui 1. negauit, Indulgentias prodesse defunctis, postea suum errorem correxit, cùm legit multos Pontifices pro defunctis Indulgentias concessisse: vt peculiari Bulla illas concessit Leo X. in qua Pontifex contra Lutherum Apostolica authoritate declarat, Indulgentias prodesse Defunctis. Quam veritatem antea peculiari etiam Bulla declarauerat Sixtus IV. Et postea Pius IV. viuæ vocis Oraculo, vt testatur Toletus in summa lib. 6. cap. 26.

Bellarmin. Leo X. Sixtus 4. Pius 4.

166. In eandem veritatem conspirant omnes Scholastici in 4. dist. 20. Ratio verò est: quoniam animæ purgantes, propter vnionem Charitatis cum Ecclesia militante, sunt capaces suffragij pro ipsis à viuis oblati: ergo etiam fructus Indulgentiarum. Antecedens expressè definit Pius IV. in Bulla de forma iuramenti professionis, quæ habetur in Concilio Tridentino, his verbis: *Constanter teneo Purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragijs iuuari*. Colligiturque ex Concilio Tridentino sess. 21. cap. 2. & Canone 3. in quibus definit, Sacrificium Missæ non solùm pro viuis; sed etiam pro defunctis nondum ad plenum purgatis ritè iuxta Apostolorum traditionem offerri. Quod etiam ponitur in ipsa forma, qua presbyteratus confertur traditurque à Concilio Florentino. *Accipe potestatem offerendi Sacrificium in Ecclesia pro viuis & defunctis*. Consequentia verò probatur: quia non est maior ratio, cur sint capaces suffragij per Sacrificiū Missæ, & alia pia opera oblati, & non etiam per Indulgentias à Pontifice concessas.

Pius 4. Conc. Trid. Concilium Florent.

167. Dices. Catechumeni viatores sunt capaces suffragij à priuata persona oblati; cū tamen non sint capaces suffragij per Indulgentias applicati. Esto igitur animę purgātes sint capaces suffragij à priuatis personis oblati, haud tamen sequitur, eos fore capaces fructus Indulgentię à Pontifice concessæ. Resp. disparitatem esse: quoniam viuentibus Indulgentiæ immediatè applicantur à Pontifice per modum absolutionis, quæ iurisdictionem requirit in concedente, & subiectionem in suscipiente: Pontifex autem nullam habet Iurisdictionem in Catechumenos nondum Baptizatos. Defunctis verò Indulgentiæ à Pontifice applicantur dependenter à voluntate Christi, qui supremam Iurisdictionem habet in animas purgantes: ac proinde ratio, quæ impedit, quò minùs Pontifex validè Indulgentias applicare possit Catechumenis viuentibus, non impedit,

pedit, quò minùs eas validè applicare possit Defunctis: quia Defunctis non ipse immediatè applicat, sed Christus, qui plenam iurisdictionem habet in omnes.

168. Hac igitur veritate vt certa posita, grauis controuersia superest de modo, quo Defunctis Indulgētiæ prodesse possint. Omnes conueniunt, vno excepto Michaële Medina apud Bellarminum proximè citatum, illis non prodesse per modum absolutionis, sed per modum suffragij: tum quia, cùm Pōtifices Indulgentias concedunt Defunctis, expresè addunt, *per modum suffragij*: tum quia Pontifices nullam habent authoritatem in animas purgantes, cùm iam sint extra iurisdictionem ipsorum, qui potestatē à Christo acceperunt tantùm in oues in terris pascendas, iuxta illud Matthæi 16. *Quodcunq; solueris super terram, erit solutum & in Cælis.* Quibus verbis potestas concessa Petro, eiusque successoribus limitatur tantùm ad homines super terram degentes. Non enim *Ly super terram* referri debet ad eos tantùm, qui soluunt, vt quidam putant; sed etiam ad eos, qui soluuntur, vt Gelasius Papa declarat Canone *Legatur* 24 q. 2. & patet: quia nullum actum Iurisdictionis in eos Ecclesia exercere potest: cùm omnis actus iurisdictionis requirat aliquam notitiam, quam de animabus purgantibus Ecclesia habere nequit.

Michael Medina.

Defunctis Indulgētias prodesse per modū suffragij communis est sentent.

Matth. 16.

Gelasius Papa.

169. Nec refert, quòd interdum Ecclesia defunctos excommunicet, eosque ab excommunicatione absoluat: nam hoc tantùm facit obligando viuentes, ne, vel pro illis orent, debitæq; sepulturæ mandent; vel vt liberentur à prohibitione, qua prohibebantur, ne pro illis orarent, debitoque honore prosequerentur. Cæterùm difficultas non parua est in explicando, in quo differat Indulgentia per modum suffragij ab Indulgentia per modum absolutionis. De quo tres reperio potissimas sententias.

In quo differat Indulgentia per modum suffragij, ab Indulg. per modum absolutionis.

170. Prima sententia affirmat differre: quia Indulgentia per modum suffragij applicatur Defunctis solùm mediatè, & indirectè, mediante scilicet aliquo fideli viatore, cui immediatè conceditur sub conditione, vt eam offerat animæ purganti. Indulgentia per modum absolutionis est, quæ directè, & immediatè conceditur. Ita S. Thomas supplemento ad tertiam partem quæst. 71. art. 10. Bonauentura in 4. distinct. 20. artic. vltimo q. penultima: Richardus artic. 3. quæst. 3. Durandus quęst. 4. num. 12. Fundamentum est: quia animæ purgantes non sunt subiectę iurisdictioni Pontificis: ergo non potest Pōtifex eas immediatè, & directè per Indulgentias à pœnis Purgatorij liberare: quia hic actus, vt suprà probatum est, nonnisi in subditum exerceri potest.

S. Thomas Bonauent. Richardus. Durandus.

171. Sed contrà: nam hæc sententia virtute negat Indulgentias prodesse Defunctis: quoniam in hac sententia non ipsa Christi satisfactio per Indulgentiam concessa; sed opus, sub cuius conditione Indulgentia conceditur viuis, pro Defunctis oblatum, Defunctis prodesset. Aut certè si non tantùm opus à viuente prętitum, sed Indulgentia ipsa prodest Defunctis: interrogo, cur illa applicata à viuente prodest Defunctis, & non prodest applicata ab ipso Pontifice? cùm nōn sit essentiale Indulgentię, vt ea applicetur mediante aliquo opere pio, sed applicari possit absque vllo opere, si sufficiens causa subsit, vt sequenti sect. constabit. Aut cur poterit priuata persona directè, & immediatè per sua opera satisfactoria Defunctos iuuare, & non poterit Pontifex per opera satisfactoria Christi, & Sanctorum ex communi Ecclesię thesauro eruta? Ad fundamentum huius sententiæ constabit ex declaratione 3. sententię.

172. Secunda sententia in eo inter suffragium, & absolutionem discrimen constituit: quod per absolutionem Pontifex ipse immediatè tāquam Christi minister absoluit à pœna, cui Indulgentiam concedit: per suffragium verò non ipse Pontifex immediatè, sed Deus, cui Pontifex æquiualens pretium offert ex thesauro satisfactionum Christi, & Sanctorum: Quod pretium Deus ex pacto, & promissione tenetur à suo Vicario oblatum acceptare. Quo fit, vt Indulgentia non minus pro Defunctis, quàm pro viuis concessa, quoad suum effectum sit infallibilis: cùm vtraque fundetur in pacto, & promissione Christi. Nam illa verba Matthæi 16. *Quodcunque solueris super terram, erit solutum & in Cælis:* non minùs se extendunt ad defunctos, quàm ad viuos. Hanc docent Sotus in 4. dist. 21. q. 2. a. 3. *§. est tamen hic dubium*: Nauarrus Tract. de Indulgentijs: Suarez disp. 53. sect. 3. Valentia disp. 7. de Indulgentijs q. 20. pun. 5. Coninck disp. 12. dubio 10. Nugnez in 3. partem tom. 2. q. 20. art. 3. in sua peculiari quæstione de satisfactione pro pœnis Purgatorij difficul. 4. concl. 3. Tannerus tom. 4. disp. 6. q 8. à numero 91.

Matth. 16.

Sotus. Nauarrus. Suarez. Valentia. Coninck. Nugnez. Tannerus.

173. Fundamentum huius sententiæ est: quia potestas applicandi per Indulgentias satisfactiones Christi, & sanctorum ex communi thesauro Ecclesiæ non minùs concessa est Vicario Christi pro defunctis, quàm pro viuentibus: ergo non minùs Indulgentia applicata illis, quàm istis erit infallibilis. Antecedens probatur ex præcitatis verbis Matthæi 16. quę cùm sint generalia, restringi non debent ad solos viuentes.

174. Non parum roboris huic sententię addit authoritas Leonis X. qui in Bulla ad Caietanum, suum in Germania Legatum missa ita scribit. *Per præsentes tibi significandum duximus, Romanam Ecclesiam: quam reliquæ tanquam matrem sequi tenentur, tradidisse Romanum Pontificem Petri clauigeri Successorem, & Iesu Christi in terris Vicarium, potestate clauium, quarum est aperire regnum Cælorum, tollendo illius in Christi fidelibus impedimenta (culpam, scilicet & pœnam pro actualibus peccatis debitam, culpam quidem mediante Sacramento pœnitentiæ; pœnam verò temporalem pro actualibus peccatis secundùm Diuinam iusti-*

tiam

Sacramentali, quàm in foro externo & contentioso delegabilis est ab eo, qui illam ordinario iure possidet; ergo etiam hæc, cùm nulla adferri possit discriminis ratio.

142. Hinc sequitur, non posse Parochum suo Parochiano licentiam concedere, vt ab Episcopo non suo indulgentiam lucretur, quia cum Parochus non habeat potestatem indulgentiam concedendi; cumque dare licentiam, vt ab Episcopo non suo indulgentiam lucretur, sit suam potestatem alteri delegare, non poterit Parochus suo Parochiano licentiam concedere, vt ab Episcopo non suo indulgentiam lucretur. Poterunt tamen Religiosi ab Episcopis Indulgentias lucrari, etiamsi illis subiecti non sint, quia in fauorabilibus Religiosi subdūtur Episcopis. Præterea ex mutuo consensu tacito Episcoporum possunt subditi vnius Diœcesis, visitantes templum alterius Diœcesis, cui ab Episcopo concessa est indulgentia, illam lucrari, vt docent Henriquez lib. 7. de Indulgentijs cap. 32. nu. 2. & Emmanuel Sà verbo *Indulgentia* nu. 16.

In fauorabilibus Religiosi subduntur Episcopis.

Henriquez. Emman. Sà.

143. Quoad 2. verò, si loquamur de potentia absoluta, illa delegabilis est cuicunque viro, etiam Laico, non tamen fœminæ, aut nō baptizato, quoniam hi Spiritualis iurisdictionis capaces non sunt, vt docet Henriquez lib. 6. de Sacramentis cap. 2. nu. 3. & 5. & lib. 7. de Indulgentijs cap. 31. nu. 2. De potentia verò ordinaria delegabilis est cuicunque Clerico, modò primam tonsuram habeat. Vnde in articulo mortis posset moribundus à Clerico tantùm tonsurato ab excommunicatione absolui: quia cùm soleat Ecclesia interdum talibus Clericis potestatem absoluendi ab excommunicatione committere, credendum est, in articulo mortis talem potestatem huiusmodi tonsuratis concedere, vt suprà cum Henriquez docuimus.

Feminæ spiritualis iurisdictionis non sunt capaces. Henriquez.

144. Dices. Sępe Laicus indulgentiam sibi à Pontifice concessam alteri communicat: non posset autem illam alteri communicare, nisi cum illa simul à Pontifice acciperet potestatem eam communicandi: ergo de facto hæc potestas delegatur Laico. Resp. distinguendo Maiorem: communicat illam authoritatiuè, nego; per modum cuiusdam conditionis, qua posita, Pontifex ipse indulgentiam applicat, concedo. Quando igitur Laicus indulgentias à Pontifice obtinet, vt eas possit alijs etiam communicare, non accipit à Pontifice authoritatem indulgentias concedendi; sed solùm se habet vt conditio, qua posita Pontifex easdem indulgentias ad alios etiam extendit. Quo pacto nostri Prouinciales Procuratores cùm à Pontifice Indulgentias accipiunt, alijs communicant.

SECTIO VII.

Quinam sint Indulgentiæ capaces?

145. Cum Indulgentia sit remissio pœnæ temporalis ex condonatis peccatis personalibus relictæ, non poterunt esse Indulgentiæ capaces, qui vel hanc pœnam non habent, vel habere non possunt. Vnde excluduntur 1. Beati, qui nec pœnam aliquam luendam habent, nec habere possunt, cùm nec vllum reatum habeant, nec peccare possint, vt saltem ob pœnam ex remissione talis peccati relictam indulgentiæ capaces esse possint. Cum Beatis excluditur B. Virgo, & si quis alius fuit ab omni peccato præseruatus: quia sicut illa semper fuit à peccato libera, ita & reatu peccati immunis.

Beati non sunt capaces Indulgentiæ.

Nec etiam Baptisma Virgo.

146. Secundò excluduntur damnati, qui sicut peccati remissionis capaces non sunt, ita nec remissionis pœnæ. Nam etiamsi multi damnati præter pœnam æternam, contractam ex peccatis commissis, & non condonatis, habeant etiam aliquam pœnam temporalem, quæ relicta fuit ex peccatis in hac vita condonatis, pro qua dignam Pœnitentiam non egerunt, illa tamen, per coniunctionem cum peccato irremissibili, fit per accidens irremissibilis, & æterna: aliàs in inferno foret aliquis redemptionis locus contra illud, quod Ecclesia docet: *In inferno nulla est redemptio.*

Nec damnati.

147. Contra hanc communem doctrinam de damnatis senserunt aliqui Antiqui Scholastici, vt videre est apud Magistrum in 4. dist. 46. opinantes, suffragia viuorum prodesse damnatis per modum mitigationis, & remissionis pœnarum, quas patiuntur: inter quos fuit Præpositiuus, vt refert S. Thomas supplemento ad 3. partem q. 71. art. 5.

Magister.

Præpositiuus. S. Thomas.

148. Tertiò demum excluduntur infantes, & reliqui omnes rationis vsum nō habentes: quia sicut isti proprium peccatum habere non possunt; ita nec pœnam ex proprio peccato condonato relictam, quam tantùm indulgentia remittit. Non enim indulgentia se extendit ad remittendas pœnas ex peccato originali contractas, vt experientia constat.

149. Superest igitur, vt soli homines ratione vtentes, & in vltimo termino non constituti possint esse indulgentię capaces. Qui in tres classes diuiduntur, in viatores Baptizatos, viatores non Baptizatos, & animas purgantes. Et quidem de primis certum est, eos in omni proprietate capaces esse indulgentiæ: quia vel habent aliquam pœnam temporalem, ex proprijs peccatis condonatis relictam; vel certè illam habere possunt: quia possunt peccare, & de peccatis pœnitere, deque

Qui possint esse indulgentiæ capaces.

eorum

eorum reatu non sufficienter satisfacere, ac proinde pro eius satisfactione, ac remissione indulgentia egere.

150. Contra hanc veritatem coherenter sentire debent ij, qui putant, esse in hac vita aliqua peccata, vel multitudinem peccatorum, quem cumulum appellant, ad quem cùm peruenerit peccator, non est ampliùs capax Pœnitentiæ, ac proinde nec Indulgentiæ, quæ loco pœnitentiæ in satisfactionem pœnæ ex peccato condonato relictæ succedit. Quem errorem supra refutauimus disp. 5. sect. 2. vbi efficacissimis, validissimisque Sacræ scripturæ, ac Patrum testimonijs, nec non rationibus ex principijs Theologicis deductis demonstrauimus, nullum esse peccatum ita enorme, aut cumulum peccatorum adeo ingentem, cuius peccator, dum hanc mortalem vitam viuit, cum auxilio Diuinæ gratiæ, quod semper illi presto est, pœnitere non possit. Sola controuersia remanet de adultis non Baptizatis, proprio actu contritionis iustificatis, & animabus purgantibus.

An Catechumeni sint Indulgentiæ capaces?

151. Affirmant Henriquez lib. 7. de Indulgentijs ca. 28. n. 3. pro qua sententia in suo commentario citat Nauarrum. Eandem quoad Catechumenos defunctos probabilem censent Suarez disp. 53. Sect. 4. nu. 8. Layman de Indulgentijs cap. 6. num. 1. quamuis ille probabiliorem patet oppositã. Fundatur hæc sententia: quoniam Catechumeni iustificati in voto Baptismi fiunt viua membra Ecclesiæ fidei & charitatis glutine ei coniuncta: igitur possunt ipsius Spiritualium bonorum fieri participes.

Affirmant. Henriquez. Nauarrus. Suarez. Layman.

152. Confirmatur 1. Catechumeni merito vnionis, quam per vinculum charitatis habent cum Ecclesia, sunt capaces satisfactionis per modum suffragij à priuata persona sibi oblatæ: ergo ratione eiusdem vnionis erunt capaces satisfactionis, per modum absolutionis à publica persona legitimam potestatem habente ex communi Thesauro Ecclesiæ sibi applicatæ. Confirmatur 2. Catechumeni sunt quasi Religionis Christianæ nouitij: sed nouitij Religionum sunt participes bonorum suæ Religionis: ergo etiam Catechumeni erunt participes bonorum Religionis Christianæ, cuius sunt nouitij.

153. Negant verò citato loco Suarez, Coninck disp. 12. de Indulgentijs dub. 7. Sanchez lib. 4. moralium cap. 37. nu. 37. Layman quoad Catechumenos viatores, & alij authores apud eosdem. *Quæ sententia quoad Catechumenos viatores videtur certa*: quia nullus potest esse indulgentiæ capax, qui non sit Ecclesiasticæ iurisdictioni subiectus. Atqui Catechumenus viator non est Ecclesiasticæ iurisdictioni subiectus; ergo neque Indulgentiæ capax. Maior constat ex dictis, & colligitur ex capite *Quod autem*, de Pœnit. & Remiss. vbi definitur indulgentia non prodesse, nisi subditis. Et ratio id etiam suadet: quia cùm concessio Indulgentiæ sit actus Ecclesiasticæ iurisdictionis, non prodest, nisi subditis. Minor colligitur ex Tridentino sess. 14. cap. 2. vbi docet, Ecclesiam in neminem actum iurisdictionis exercere posse, qui non priùs in ipsam per Baptismi ianuam fuerit ingressus, citans illud Apost. 1. ad Corinth. 12. *Quid mihi de ijs, qui foris sunt, iudicare?*

Suarez. Coninck. Sanchez. Layman.

Conc. Trid.

1. Cor. 12.

154. Confirmatur 1. Non potest Episcopus indulgentias concedere sibi non subditis: ergo nec summus Pontifex Catechumenis. Consequētia probatur: nam ita se habet summus Pontifex erga Catechumenos quoad Spiritualem iurisdictionem, sicut Episcopus quoad eandem Spiritualem iurisdictionem erga Baptizatos sibi non subiectos. Confirmatur 2. Catechumeni ante Baptismum non sunt capaces gratiæ Sacramentalis; ergo nec effectus Indulgentiarum. Consequentia probatur: quia vterque effectus cōfertur ex opere operato Christi: igitur si Catechumenus nō est capax vnius, neque erit capax alterius.

155. Ex dictis infertur, nec posse Ecclesiam cum Catechumenis dispensare in votis: cùm etiam talis dispensatio sit actus Spiritualis iurisdictionis, qui superioritatem in dispensante, & subiectionē in dispensabili supponit. Legatur citato loco Sanchez.

Sanchez.

156. Infertur 2. non esse Indulgentiæ capaces animas, quæ vel cum solo originali, vel cum originali & veniali tantùm ex hac vita discedunt. Neutri enim habent pœnam temporalem ex proprio peccato condonato relictam. Sed primi habent tantùm pœnam damni ex peccato originali contractam: Secundi etsi habent pœnam temporalem sensus, peccato veniali debitam, illam tamen non habent ex veniali condonato relictam: indulgentia autem non remittit pœnam, nisi ex proprio peccato condonato relictam. Perseuerante autem peccato originali, homo nō est capax remissionis peccati venialis: sicut nec, perseuerante mortali, homo est capax remissionis peccati venialis. Quoniā, vt ex disp. de remissione venialium constat, veniale non remittitur, nisi per auxilium constituens hominem familiarem Deo: Quæ familiaritas supponit amicitiam cum eodem Deo: amicitia autem cum Deo esse non potest in homine habituali gratia priuato.

Indulgētia non remittit pœnam nisi ex proprio peccato condonato relictā.

157. Cæterùm quoad Catechumenos defunctos *probabilius* existimo, eis per modū suffragij prodesse indulgentias. Moueor: quia Catechumeni defuncti non sunt ampliùs sub potestate Ecclesiæ, cui limitatè concessa est potestas indulgentiarū, vt non nisi sibi subiectis eas concedere valeat; sed sunt sub potestate Christi, qui sua Passione omnibus profuit. Vnde sicut est ipsorum Redemptor quoad culpæ condonationem, & gratiæ infusionem: ita & perfectus Redemptor quoad pœnæ remissionem.

Catechumenis defunctis per modum suffragij prosunt indulgentiæ.

158. Ad 1. oppositæ sententiæ negatur consequentia: quoniam ad fructum Indulgentiæ

Soluuntur argumenta opposita sententiæ.

pedit, quò minùs eas validè applicare possit Defunctis: quia Defunctis non ipse immediatè applicat, sed Christus, qui plenam iurisdictionem habet in omnes.

168. Hac igitur veritate vt certa posita, grauis controuersia superest de modo, quo Defunctis Indulgētiæ prodesse possint. Omnes conueniunt, vno excepto Michaële Medina apud Bellarminum proximè citatum, illis non prodesse per modum absolutionis, sed per modum suffragij: tum quia, cùm Pōtifices Indulgentias concedunt Defunctis, expresse addunt, *per modum suffragij*: tum quia Pontifices nullam habent authoritatem in animas purgantes, cùm iam sint extra iurisdictionem ipsorum, qui potestatē à Christo acceperunt tantùm in oues in terris pascendas, iuxta illud Matthæi 16. *Quodcunq; solueris super terram, erit solutum & in Cœlis.* Quibus verbis potestas concessa Petro, eiusque successoribus limitatur tantùm ad homines super terram degentes. Non enim *Ly super terram* referri debet ad eos tantùm, qui soluunt, vt quidam putant; sed etiam ad eos, qui soluuntur, vt Gelasius Papa declarat Canone *Legatur* 24 q. 2. & patet: quia nullum actum iurisdictionis in eos Ecclesia exercere potest: cùm omnis actus iurisdictionis requirat aliquam notitiam, quam de animabus purgantibus Ecclesia habere nequit.

Michael Medina.

Defunctis Indulgētias prodesse per modū suffragij communis est sentent.

Matth. 16.

Gelasius Papa.

169. Nec refert, quòd interdum Ecclesia defunctos excommunicet, eosque ab excommunicatione absoluat: nam hoc tantùm facit obligando viuentes, ne, vel pro illis orent, debitæq; sepulturæ mandent; vel vt liberentur à prohibitione, qua prohibebantur, ne pro illis orarent, debitoque honore prosequerentur. Cæterùm difficultas non parua est in explicando, in quo differat Indulgentia per modum suffragij ab Indulgentia per modum absolutionis. De quo tres reperio potissimas sententias.

In quo differat Indulgentia per modum suffragij, ab Indulg. per modum absolutionis.

170. PRIMA sententia affirmat differre: quia Indulgentia per modum suffragij applicatur Defunctis solùm mediatè, & indirectè, mediante scilicet aliquo fideli viatore, cui immediatè conceditur sub conditione, vt eam offerat animæ purganti. Indulgentia per modum absolutionis est, quæ directè, & immediatè conceditur. Ita S. Thomas supplemento ad tertiam partem quæst. 71. art. 10. Bonauentura in 4. distinct. 20. artic. vltimo q. penultima: Richardus artic. 3. quæst. 3. Durandus quęst. 4. num. 12. Fundamentum est: quia animæ purgantes non sunt subiectę iurisdictioni Pontificis: ergo non potest Pōtifex eas immediatè, & directè per Indulgentias à pœnis Purgatorij liberare: quia hic actus, vt suprà probatum est, nonnisi in subditum exerceri potest.

S. Thomas. Bonauent. Richardus. Durandus.

171. Sed contrà: nam hæc sententia virtute negat Indulgentias prodesse Defunctis: quoniam in hac sententia non ipsa Christi satisfactio per Indulgentiam concessa; sed opus, sub cuius conditione Indulgentia conceditur viuis, pro Defunctis oblatum, Defunctis prodesset. Aut certè si non tantùm opus à viuente pręstitum, sed Indulgentia ipsa prodest Defunctis: interrogo, cur illa applicata à viuente prodest Defunctis, & non prodest applicata ab ipso Pontifice? cùm non sit essentiale Indulgentię, vt ea applicetur mediante aliquo opere pio, sed applicari possit absque vllo opere, si sufficiens causa subsit, vt sequenti sect. constabit. Aut cur poterit priuata persona directè, & immediatè per sua opera satisfactoria Defunctos iuuare, & non poterit Pontifex per opera satisfactoria Christi, & Sanctorum ex communi Ecclesię thesauro eruta? Ad fundamentum huius sententiæ constabit ex declaratione 3. sententię.

172. SECVNDA sententia in eo inter suffragium, & absolutionem discrimen constituit: quod per absolutionem Pontifex ipse immediatè tāquam Christi minister absoluit à pœna, cui Indulgentiam concedit: per suffragium verò non ipse Pontifex immediatè, sed Deus, cui Pontifex æquiualens pretium offert ex thesauro satisfactionum Christi, & Sanctorum: Quod pretium Deus ex pacto, & promissione tenetur à suo Vicario oblatum acceptare. Quo fit, vt Indulgentia non minus pro Defunctis, quàm pro viuis concessa, quoad suum effectum sit infallibilis: cùm vtraque fundetur in pacto, & promissione Christi. Nam illa verba Matthæi 16. *Quodcunque solueris super terram, erit solutum & in Cœlis*: non minùs se extendunt ad defunctos, quàm ad viuos. Hanc docent Sotus in 4. dist. 21. q. 2. a. 3. *§. est tamen hic dubium*: Nauarrus Tract. de Indulgentijs: Suarez disp. 53. sect. 3. Valentia disp. 7. de Indulgentijs q. 20. pun. 5. Coninck disp. 12. dubio 10. Nugnez in 3. partem tom. 2. q. 20. art. 3. in sua peculiari quæstione de satisfactione pro pœnis Purgatorij difficul. 4. concl. 3. Tannerus tom. 4. disp. 6 q 8. à numero 91.

Matth. 16.

Sotus. Nauarrus. Suarez. Valentia. Coninck. Nugnez. Tannerus.

173. Fundamentum huius sententiæ est: quia potestas applicandi per Indulgentias satisfactiones Christi, & sanctorum ex communi thesauro Ecclesiæ non minùs concessa est Vicario Christi pro defunctis, quàm pro viuentibus: ergo non minùs Indulgentia applicata illis, quàm istis erit infallibilis. Antecedens probatur ex præcitatis verbis Matthæi 16. quę cùm sint generalia, restringi non debent ad solos viuentes.

174. Non parum roboris huic sententię addit authoritas Leonis X. qui in Bulla ad Caietanum, suum in Germania Legatum missa ita scribit. *Per præsentes tibi significandum duximus, Romanam Ecclesiam: quam reliquæ tanquam matrem sequi tenentur, tradidisse Romanum Pontificem Petri clauigeri Successorem, & Iesu Christi in terris Vicarium, potestate clauium, quarum est aperire regnum Cælorum, tollendo illius in Christi fidelibus impedimenta (culpam, scilicet & pœnam pro actualibus peccatis debitam, culpam quidem mediante Sacramento pœnitentiæ; pœnam verò temporalem pro actualibus peccatis secundùm Diuinam iustitiam*

tiam debitam mediante Ecclesiastica Indulgentia) posse pro rationalibus causis concedere eisdem Christi fidelibus, qui Charitate iungente membra sunt Christi sive in hac vita sint, sive in Purgatorio, Indulgentias ex superabundantia meritorum Christi, & Sanctorum, & tam pro viuis, quam pro Defunctis Apostolica authoritate Indulgentiam concedendo, thesaurum meritorum IESV Christi, & Sanctorum dispensare, & per modum absolutionis Indulgentiam ipsam conferre, vel per modum suffragij illam transferre consueuisse: ac propterea omnes tam viuos, quàm Defunctos, qui veraciter omnes Indulgentias huiusmodi consecuti fuerint, à tanta temporali pœna secundùm diuinam iustitiam pro peccatis suis actualibus debita liberari, quanta concessa, & acquisita Indulgentia æquiualet. Hęc Pontifex. In quo testimonio duo sunt notanda. Primum, quòd eodem modo dicuntur Defuncti, ac viuentes Indulgentiam consequi: sed viuentes infallibiliter Indulgentiam consequuntur, si pręstiterint, quæ in concessione pręscribuntur; ergo & Defuncti. Secundum, quòd eadem Apostolica authoritate vtrisque conceditur: ergo si viuentibus Indulgentia cõceditur authoritate infallibili, fundata in promissione Christi, eadem infallibili authoritate conceditur defunctis.

175. TERTIA sententia discrimen inter Indulgentiam per modum absolutionis, & suffragij in eo collocat, quòd cõcessa per modum absolutionis, infallibiliter sortitur effectum: quia datur ab habente iurisdictionem in eum, cui conceditur. Indulgentia data per modum suffragij, non infallibiliter suum sortitur effectum, etiamsi pręstentur omnia, quę ad eam consequendam pręscribuntur; non defectu valoris satisfactionis, quę per Indulgentiam applicatur, sed defectu promissionis Diuinę de acceptanda satisfactione Christi, & sanctorũ pro Defunctis ab Ecclesia oblata: vt enim Indulgentia in Defunctis suum consequatur effectum, non solùm pendet à potestate Pontificis illam ex thesauro Ecclesię concedentis; sed etiam ex benigna voluntate Dei illam acceptantis.

176. Authores huius sententiæ sunt Alensis 4. p. q. 83. mem. 5. Bonauentura suprà citatus, qui aiunt, Indulgentiam concedi Defunctis per modum Impetrationis, & deprecationis; Caietanus tract. 16. de Indulgentijs q. 5. Melchior Canus lib. 12. de locis Theologicis c. 12. ad 9. §. *quæ vero solam vim impetrãdi:* Petrus Soto lect. 3. de Indulgentijs: Henriquez lib. 7. de Indulgentijs cap. 7. Layman tract. de Indulgentijs cap. 7. ad quam magis inclinat Bellarminus lib. 1. de Indulgentijs c. 14. qui priorem sententiam ait esse *admodum piam*, posteriorem verò *valde rationabilem.* Vnicum fundamentum est, idque efficacissimum: quoniã nulla extat certa authoritas de huiusmodi promissione, qua teneatur Deus Indulgentiam pro Defunctis oblatam acceptare. Nam citata verba Matthęi 16. in quibus præcedens sententia fundatur, non probant, nisi de viuentibus, ad quos tantùm iuxta Gelasij explicationem extenduntur. Nec citata Leonis Bulla huic sententiæ aduersatur, vt mox constabit.

(Alensis. Bonauent. Caietanus. Melchior Canus. Petrus Soto. Henriquez. Layman. Bellarmin. Matth. 16.)

177. Inter has igitur duas postremas sententias hęc posterior mihi *probabilior est.* Moueor 1. ac potissimum: quoniã prior sententia reuera non saluat discrimen inter absolutionem, & suffragium: quod discrimen optimè saluat posterior. Maiorem ostendo: nam in priori sententia nulla apparet differẽtia, ob quam Pontifex potiùs dicatur absoluere à pœna viuentes, quàm Defunctos. Etenim ideo dicitur absoluere à pœna viuentes, quia dũ per potestatem sibi à Christo cõmunicatam satisfactionem Christi, & Sanctorũ ex thesauro Ecclesiæ pro illis Deo offert, qui ex promissione eã loco pœnę in Purgatorio soluendæ tenetur acceptare, dicitur moralis causa talis remissionis. Atqui eodem omnino modo in posteriori sentẽtia Pontifex per potestatem sibi à Christo concessam, ex thesauro Ecclesiæ offert pro Defunctis satisfactionem Christi, & Sanctorum Deo, qui ex promissione illam tenetur acceptare loco pœnæ in Purgatorio soluendæ: Igitur eodem modo dicetur causa moralis respectu vnius, atque alterius.

178. Neque alio modo Deus in priori sententia remittit pœnam propter oblatã satisfactionem Christi pro defunctis, ac pro viuentibus. Nam sicut Deus remittit pœnã defunctis, acceptando loco pœnę Purgatorij satisfactionem Christi, & Sanctorum à Pontifice oblatam: ita eandem remittit viuentibus acceptando satisfactionem Christi, & Sanctorũ à Pontifice oblatam loco pœnę Purgatorij. Nullum igitur in priori sententia assignatur discrimen inter modum, quo Pontifex & Deus viuentibus ac Defunctis debitam pœnam per Indulgentiam remittunt.

179. Quòd autem hoc discrimen saluetur in posteriori sententia, facilè probatur. Nam iuxta hanc Pontifex, etsi tam pro viuis, quàm pro Defunctis habeat à Christo potestatẽ ex communi thesauro Ecclesię, tanquam ex publico ærario Indulgentiam concedendi; quia tamen pro viuis simul habet annexam infallibilem promissionem, qua Deus se obligauit ad eam acceptandam, ad quam acceptandam non se obligauit pro Defunctis, ideo respectu viuorum per concessionem Indulgentiæ est moralis causa remissionis pœnæ, non autẽ respectu Defunctorum: quia respectu Defunctorum remissio pœnæ non pendet à sola voluntate Põtificis, Christi, & Sanctorum satisfactionem offerentis; sed etiam à voluntate Dei illam benignè acceptantis.

180. Confirmatur, quia dum tam seriò Pontifices significant, omnem Indulgentiam pro Defunctis concessam, appellandam esse Indulgentiã per modum suffragij, quo modo non significant appellandã esse Indulgentiã concessam pro viuẽtibus, manifestè ostendũt esse aliquod notabile discrimẽ inter eas: quòd tamẽ in cõtraria sententia non apparet. Vnde sequitur, contrariã sententiã frustratoria reddere

dere verba Pontificum, cùm vix inter vnam, & aliam Indulgentiam, nisi de puro nomine intercedat discrimen.

181. Moueor 2. quoniam citata verba Matthæi 16. *quodcunque solueris super terram, erit solutum & in Cælis*, quibus potissimum nititur contraria sententia, ex Gelasio Papa extenduntur ad solos viuentes, in quos tantùm Pontifex iurisdictionem exercere potest. Dicere autem, vti opposita sententia dicit, quòd neque in defunctos Pontifex iurisdictionem exercet, est hoc tantùm verbis fateri, & contrarium re ipsa profiteri. Quoniã, vt ostendimus, non alio modo in contraria sententia Pontifex iurisdictionem exercet in viuos, quàm per potestatem sibi à Christo concessam applicando illis ex thesauro Ecclesiæ Indulgentiam, quam Deus ex promissione tenetur acceptare.

Matth. 16

Gelasius Papa.

182. Moueor 3. quoniam Purgatorium est Tribunal Christi, in quo sibi tantùm reseruat causas iudicandas: igitur ipsius tantùm est, eas pœnas remittere. Antecedens constat ex dictis, quibus probatum est, Pontificem in animas purgantes nullum ius habere. Consequentia verò probatur: quia sicut solius Christi est, eas pœnas taxare: ita eiusdem erit easdem relaxare.

183. Moueor 4. quia si Pontifex eadem infallibili authoritate posset à pœna liberare animas purgantes, ac potest in terris viuentes, sequeretur 1. breui posse totum Purgatorium per frequentes Indulgentias plenarias euacuare. Nec refert, quòd Pontifex in Indulgentijs concedendis sufficientem debeat habere causam: nam eadem causa, quę sufficit pro Indulgentia plenaria applicanda vni, sufficiens erit pro Indulgentia plenaria applicanda alijs, & alijs animabus, cùm nulla sit maior ratio de vna, quàm de cæteris. Igitur qua ratione Indulgentia plenaria sufficienter applicatur vni, eadem poterit applicari cæteris: sicque breui totum Purgatorium euacuari. Secundò sequeretur, vna tantùm Indulgentia plenaria applicata pro vna anima, frustra pro eadem alias Indulgentias, vel suffragia applicari: cùm tamen communis sensus fidelium sit, adhuc post plenariam Indulgentiam, alias etiam Indulgentias, & suffragia pro eadem anima fructuosa procurari posse, quia certum non sit, per eam animam è Purgatorio liberandam esse: cùm tamen in contraria sententia nullum sit dubium: quippe cùm ex parte animæ nullum possit esse impedimentum, quo minùs Indulgentia statim suum effectum sortiatur: neque ex parte viuentis talem Indulgentiam pro defunctis offerentis; nam multi ex contrariæ sententiæ authoribus putant, Indulgentias etiam à peccatore oblatas prodesse defunctis.

184. Vna huic nostrę sententiæ se obijcit difficultas, quod non videantur omnes Indulgentiæ applicatę defunctis, illis prodesse: nam sæpe Deus illas non acceptat. Ad quã difficultatẽ Resp. negando antecedens. Nam licet ex pacto Deus non teneatur illas pro defunctis acceptare, ex benignitate tamen semper illas acceptat, si non pro toto, saltem pro parte; si non pro quibus offeruntur, saltem pro quibus Deus ipse decreuerit. Nam & hoc piè credendum est de Diuina benignitate; & merita ipsa Christi, quæ pro defunctis offeruntur suo quodammodo iure exigere videntur, vt pro ijs oblata, vacua non redeãt. Quanquam ad saluandum illud dogma, quod Indulgentię prosunt defunctis, necessum non sit, vt omnes, & semper illæ prosint: sed sufficit, si vt plurimum: quia cùm sit propositio affirmatiua, ad eius verificationem sufficit, vt plerumque illę prosint. Sicut etiam dogma Ecclesiasticum est, quòd orationes Ecclesiæ prosint defunctis: cùm tamen non ex certa lege, & pacto; sed ex diuina duntaxat benignitate illis prosint.

Soluitur difficultas.

185. Ad fundamentum 2. sentent. quemadmodum & ad fundamentum 1. patet ex dictis. Ad authoritatem Leonis X. 1. maximum argumentũ nobis esse debet, quòd Põtifex nihil contra hanc nostram sententiam in ea Bulla determinauerit: quoniam Caietanus ipse, ad quem tanquam ad suum legatum eam Bullam in Germania publicandam Pontifex miserat, expresè docet hanc nostram sententiam, quã non docuisset, nec docere potuisset, si sciuisset, eam esse contra mentem Pontificis in Bulla expressam.

Destruitur fundamentũ 2. sent.

186. Secundò si rectè verba ipsa Bullæ expendantur, nihil contra nos continebunt. Nam verba illa: *Tam viuos, quam defunctos à tanta temporali pœna liberari*, optimè verificãtur iuxta limitationem ab ipsomet Pontifice antepositam, nempe viuos à pœna liberari *per modum absolutionis*, defunctos verò *per modum suffragij*, dependenter scilicet ab acceptatione Diuina, quæ quia plerumque Indulgentiã à Pontifice pro defunctis oblatam acceptat, meritò Pontifex absolutè dixit, *tam viuos, quàm defunctos ab ea liberari*.

187. Maiorem difficultatem ingerũt verba illa: *A tanta pœna temporali liberari, quanta concessa & acquisita Indulgentia æquiualet*. Quibus videtur Pontifex significare, quòd Deus semper Indulgentiam pro defunctis oblatam acceptet ad tantam pœnam, pro quanta offertur; cùm tamẽ suprà diximus, illã non semper acceptare ad tantam, sed interdum ad minorem. Verùm hæc difficultas facilè soluitur, si verba ipsa accuratiùs expendantur. Nã verbũ illud *acquisita* respectu defunctorum accipiẽdum est in sensu composito cum Diuina acceptatione, sine qua defuncti Indulgentiã non acquirunt. Posito autem quòd Deus Indulgentiam pro defunctis oblatam acceptet pro tanta pœna, pro qua offertur, rectè sequitur, eos à tanta pœna liberari, quanta concessæ, & acquisitæ Indulgentiæ æquiualet.

188. Illa autẽ verba, *Authoritate, Apostolica*, in quibus Suarez maximè fundatur, non minùs facile in nostra sentẽtia explicantur. Cõcedimus enim, etiam ad dispensandas Indulgẽtias pro defũctis requiri in Põtifice authorita-

Suarez.

tem

tem à Christo communicatam, diuerso tamen modo: nam pro viuis requiritur per modum absolutionis, pro defunctis verò per modum suffragij. Ratio est: quia cùm per Indulgentiam dispensentur merita Christi, & sanctorum, nullusque potestatem habeat dispensandi merita, & satisfactiones aliorum, peculiaris authoritas à Christo concessa requiritur, vt Pontifex legitimè possit Indulgentias etiam pro defunctis dispensare.

189. Quòd autem hæc diuerso modo requiratur pro viuis, ac pro defunctis, constat ex dictis: quoniam pro viuis ea dispensat tanquam minister à Christo constitutus, immediatè, liberando à pœna, eos, quibus Indulgentiam concedit. Pro defunctis verò ea dispensat, offerendo tantùm illa per modum pretij æquiualenti Deo, si ea velit acceptare. Illustratur exemplo. Si Princeps potestatem habeat à Republica liberandi per bona communia aliquos subditos, qui partim essent in carcere sub ipsa Republica, partim sub alio Principe: pro vtrisque necessaria foret potestas à Republica communicata Principi, cùm pro neutris posset absque Reipublicæ authoritate de bonis eiusdem Reipublicæ disponere: cùm tamen pro primis authoritas foret per modum ministri immediatè à pœna absoluentis: pro secundis autem solùm per modum auxilium & pretium offerentis, si alter Princeps vellet oblatum pretium acceptare.

190. Ex his infertur, nullam Indulgentiam applicari posse pro defunctis, nisi quæ à Pontifice pro illis expressè conceditur. Quia cùm nullus, præter Pontificem, authoritatem habeat dispensandi thesaurum meritorum Christi, & Sanctorum; cumque omnis Indulgentia fiat per dispensationem thesauri meritorum Christi, & Sanctorum, nullus pro defunctis Indulgentiam applicare poterit, nisi quam pro ijs Pontifex expressè concedit. Possunt quidem viuentes pro defunctis sua opera, quæ pro lucrandis Indulgentijs faciunt applicare: ipsas tamen Indulgentias applicare non possunt, nisi id expressè à Pontifice sit concessum: quia nullus priuatus homo habet authoritatem offerendi merita Christi, & Sanctorum per modum condigni pretij Deo pro liberandis animabus purgantibus, nisi illam expressè habeat à Pontifice, qui solus, posito opere viuentis, sub cuius conditione Indulgentia conceditur defunctis, pretium satisfactionis Christi Deo offert.

SECTIO VIII.

An & qualis dispositio requiratur ad Indulgentiam lucrandam?

191. Duplex est dispositio, Remota, de qua sect. 6. & proxima, de qua hic. Quæ adhuc duplex est, habitualis, & actualis. Habitualis est status ipse gratiæ, vel peccati, in quo Indulgentiam lucraturus reperitur. Actualis est operatio aliqua ad Indulgentiam lucrandam requisita. De vtraque in hac sectione disputabimus.

Dispositio Remota, proxima.

Habitualis actualis.

An ad Indulgentiam lucrandam requiratur status gratiæ?

192. Negant Mayronus, & Rubio apud Henriquez lib. 7. de Indulgentijs cap 9. in commentario sub litera G, & Suarez disp. 52. sect. 2. nu. 5. Fundamentum est: quoniam per Indulgentiam non infunditur gratia, quæ sola cum peccato pugnat; sed remittitur tantùm pœna, non æterna mortali nondum remisso debita; sed temporalis ex peccatis iam condonatis relicta. Non repugnat autem hanc pœnam per Indulgentiam peccatori remitti: igitur ad Indulgentiam lucrandam non requiritur status gratiæ. Maior est certa. Minor probatur: tum quia sæpe Deus intuitu meritorum Christi maiora beneficia confert peccatoribus, vt pias cogitationes, supernaturalesque affectus; nec non in mea, ac multorum sententia, supernaturalem fidem, & spem, earumque incrementum. Tum maximè, quoniam, vt suprà ostendimus disp. de satisfactione sacramentali, pœnitentia sacramentalis à confessario iniuncta, etiam in peccato adimpleta confert suum effectum quoad remissionem pœnæ temporalis ex peccatis ritè confessis relictæ ex opere operato; ergo & Indulgentia: cùm etiam Indulgentia conferat hunc effectum ex opere operato satisfactionis Christi per ipsius Vicarium legitimè applicatæ.

Mayronus. Rubio. Suarez.

193. Affirmant reliqui Doctores, tam antiquiores in 4. dist. 20. & 45. quam recentiores in proprijs Tractatibus. *Quæ sententia vera est*: colligiturque ex extrauagante *Unigenitus*, de pœnit. & Remiss. in qua Pontifex ait, eos, qui Indulgentia vsi sunt, *amicitiæ Dei participes effectos esse*, supponens Indulgentiam suum effectum non conferre, nisi ijs, qui per gratiam ad eam lucrandam se disponunt: cùm non possint per ipsam Indulgentiam, quę gratiam non confert, amicitiæ Dei participes fieri, sed supponi debent amici. Eandem sententiam probat perpetuus vsus,

Sententia affirmans vera.

& pra-

& praxis Ecclesiæ, quæ nunquam indulgentiam concedit, nisi pœnitentibus, & contritis, vt constat ex ordinarijs formis, quibus solent Pontifices indulgentias concedere. Ratio à priori est: quoniam, vt sequenti sect. ostendam, indulgentia vt sit valida, debet habere sufficientem causam. Cùm enim indulgentia sit quædam dispensatio in iure Diuino de relaxandis pœnis lege Diuina peccatori debitis, nisi sufficientem habeat causam, ob quam talis dispensatio fiat, non erit rationabilis, & iuxta mentem concedentis, ac proinde nec valida. Sicut nec erit valida dispensatio in voto, nisi sufficientem habeat causam. Atqui indulgentia concessa peccatori non potest sufficientem habere causam: ergo non poterit esse valida. Minor probatur: nam sufficiens causa vel est bonum publicum: & hoc aut est grauis aliqua necessitas, in qua implorandum sit speciale auxilium Dei: atqui hoc tantùm abest, vt per huiusmodi indulgentias concessas peccatoribus obtineatur, vt potiùs magis Deus irritetur ad grauiores pœnas infligendas: Aut est reformatio alicuius Prouinciæ, vel totius Christianitatis: & neque hæc per indulgentias peccatoribus concessas obtinetur, vt per se patet. Vel est bonum priuatum ipsius, qui indulgentiam lucratur: & hoc cùm debeat esse condistinctum ab ipsa Remissione pœnæ (quia cùm hæc ipsa pœnæ Remissio sit ipsissima dispensatio in iure Diuino, supponere debet sufficientem causam condistinctam) non videtur posse esse alia, quàm ipsius fidelis iustificatio.

Dispensatio in voto non est valida, nisi sufficientem habeat causam.

194. Dices. Potest Pontifex sub hac forma indulgentiam concedere: *Concedo tibi indulgentiam, si post vnum mensem confessus; vel contritus fueris*: ergo potest indulgentiam validè concedere peccatori. Antecedens probatur; quia talis indulgentia sufficientem habet causam, nempe ipsam futuram iustificationem peccatoris: non enim necesse est, vt causa sit præsens, sed sufficit vt sit futura, vt constat de indulgentia concessa pro auxilio à Deo impetrando.

195. Resp. negando antecedens. Ratio negationis est: quia potestas per indulgentiam absoluendi fideles à pœnis temporalibus est concessa Pontifici, vt humano modo exercenda, vt nimirum ex præuia notitia sufficientis causæ fideles ab huiusmodi pœnis absoluat. Atqui humanus modus non se extendit ad cognoscendam futuram causam liberam, propter quam concedenda est indulgentia. Igitur nequit indulgentia concedi sub conditione confessionis, vel contritionis futuræ.

Indulgentia nequit concedi sub conditione confessionis vel contritionis futuræ.

196. Confirmatur. Vel in eo casu indulgentia statim conferret suum effectum, etiamsi futura non esset confessio, & hoc dici non potest, cùm sit contra mentem concedentis in concessione expressam. Vel non statim conferret, sed tunc, quando conditio poneretur: & habetur intentum nempè quòd indulgentia non sortitur effectum, nisi in subiecto per confessionem, vel contritionem iustificato. Vel demum conferret effectum, si futura sit confessio, vel contritio: non conferret, si futura non sit. Et hoc, præterquam quod est contra mentem concedentis, qui per huiusmodi formam intendit indulgentiam concedere de præsenti, sub conditione futuræ confessionis; est etiam contra modum operandi humanum, qui nequit naturaliter se extendere ad futuram causam liberam, ex cuius notitia debet præsentem indulgentiam concedere. Nec sufficit, illam de præsenti concedere ex præscientia futuræ causæ, quam Deus habet de illa: nam sicut ipsi Pontifici commissa est potestas concedendi indulgentias: ita eidem concessa sunt omnia, quæ ad eam exercendam necessaria sunt, inter quæ est notitia sufficientis causæ, sine qua nequit Pontifex indulgentiam validè concedere.

197. Ad fundamentum oppositæ sententiæ. Respondeo etsi non repugnet, pœnam temporalem ex peccatis condonatis relictam per indulgentiam peccatori remitti, id tamen non expedire, vt mox ostendam. Quare ad primam probationem minoris, negatur paritas: nam hæc vel sunt simpliciter necessaria ad conuersionem peccatoris, cuiusmodi sunt supernaturales cogitationes: vel saltem requiruntur ad connaturalem modum conuersionis, cuiusmodi sunt pij effectus, nec non fides, & spes, earumque incrementum: cùm ex his inchoari debeat peccatoris conuersio. Remissio autem pœnæ temporalis ex peccato condonato relictæ nec simpliciter, nec connaturaliùs est ad peccatoris conuersionem necessaria, cùm illam potiùs supponere debeat.

198. Ad secundam negatur consequentia. Ratio discriminis est: quia indulgentia, vt sit valida, debet habere sufficientem causam vt suprà probatum est. Pœnitentia autem sacramentalis, cùm non sit dispensatio in aliquo iure Diuino; sed executio partis sacramenti iam suscepti, non est, cur etiam in statu peccati adimpleta suum effectum quoad remissionem pœnæ temporalis ex peccato condonato relictæ, quam vt pars sacramenti continet, conferre non possit.

Discrimen inter indulgentias, & satisfactionem sacramentalem.

An Indulgentiæ in peccato mortali acceptæ suum effectum conferant recedente fictione.

Affirmat Henriquez.

199. AFFIRMAT Henriquez lib. 7. de indulgentijs capite 9. numero 3. pro qua multos citat in Commentario sub litera H, quas certius putat reuicturas, si Pontifex in ipsa concessione exprimat, vt adimpletis operibus indulgentia effectum habeat, cùm primùm peccator iustificatus fuerit.

Sententia negat probabilius Sà

200. Negant verò, & *probabiliùs* alij: inter quos Sà verbo *Indulgentia* numero 2. Vix enim hoc priuilegium conceditur Baptismo propter ipsius initerabilitatem. Vnde dicendum erit, quando Pontifex concedit indulgentiam sub illa forma: *adimpletis operibus indulgentia effectum habeat cùm primùm peccator iustificatus fuerit*: indulgentiam suum effectum tunc primò conferre, quando ponitur iustificatio, potiùs ea dicenda sit, quàm reuiuiscere: nam reuiuiscere supponit habuisse aliquando effectum, qui aliquo impedimento interruptus, eo sublato, iterum incipit viuere. Sic dicuntur merita reuiuiscere, quæ aliquando vixerunt vita gratiæ, & postea peccato mortificata, iterum per pœnitentiam incipiunt viuere vita gratiæ.

201. Nec diu potest indulgentia validè accepta tantùm quoad essentiam, conferre suum effectum, sublato obice: quia in indulgentia non est aliquid, quod per modum essentiæ, in homine receptum, causet remissionem pœnæ, vti est in sacramentis externum symbolum, vel internus character: nam opus, sub cuius conditione indulgentia conceditur, non integrat indulgentiam. Nec potest esse ipsa satisfactio Christi in actu primo applicata subiecto per voluntatem concedentis, & intentionem opusque suscipientis: nam Christi satisfactio per indulgentiam concessa, nunquam intelligitur applicata subiecto, nisi quando in illo ponitur dispositio requisita ad effectum causandum.

An Indulgentia prosit defuncto, si executioni mandetur per peccatorem.

Negant Armilla Sà Toletus Bellarmin.

202. NEGANT Angelus verbo *Indulgentia* numero 21. Armilla numero 14. Sà numero 2. Toletus lib. 6. capite 26. Bellarminus lib. 1. de indulgentijs capite 14. Quorum fundamentum est, quia Deus nullum opus à peccatore exhibitum acceptat.

Affirmant probabilius Henriquez Suarez.

203. Affirmant verò Sotus in 4. dist. 21. quæstione 2. articulo 3. §. *tertio*. Henriquez libro 7. cap. 9. numero 6. Suarez disputatione 56. sectione 4. numero 5. & 6. & alij. *Quæ sententia probabilior est*: eaque constabit ex dicendis. Dicendum autem est ad consequendam indulgentiam, non esse necessum, vt opus, sub cuius conditione indulgentia conceditur, in gratia impleatur, sed sufficere, vt homo existat in gratia, quando indulgentiam accipit. Igitur poterit peccator in statu peccati adimplens opus, sub cuius conditione indulgentia cōceditur, fructuosè illam lucrari pro defunctis. Nam ita se habet peccator adimplens opus, sub cuius conditione concessa est indulgentia, ad illā lucrandam sibi: sicut se habet idem peccator adimplens opus, sub cuius conditione, concessa est indulgentia pro defunctis; ad lucrandam illam pro defunctis. Ratio verò à priori est: quia opus, sub cuius conditione conceditur indulgentia, est sola conditio, non causa mouens Deum ad indulgentiam acceptandam. Nec indulgentia inficitur ex malitia personæ operantis, sicut nec inficitur sacrificium Missæ, vel sacramentum ex malitia personæ sacrificantis, vel administrantis: eò quòd suum valorem non habent ex persona proximè operante; sed ex meritis, & satisfactione Christi.

Indulgētia non inficitur ex malitia personæ operantis.

Discrimen inter suffragium & indulgentias.

204. Ex his infertur discrimen inter suffragium, quod priuata persona in proprio opere fundatum offert Deo pro defunctis, & indulgentiam. Nam illud, nisi fiat à persona grata, non prodest defunctis: eò quod suum valorem accipit à persona operante, quæ in peccato existens nullum valorem communicat suis operibus. Nec refert, quòd opus bonum à peccatore exhibitum valeat pro se tamquam meritum de cōgruo apud Deum: quia plus requiritur, vt opus acceptetur pro alijs, quàm pro se. Indulgentia verò valorem habet à meritis, & satisfactione Christi, & sanctorum, qui per peccatum personæ operantis non amittitur. Ex his patet ad fundamentum oppositæ sententiæ.

An idem status gratiæ requiraratur ad participandos alios fauores, qui cum Indulgentia concedi solent.

205. RESPONDEO cum distinctione: nam vel huiusmodi fauores cō ceduntur dependenter à confessione, vel independenter. Si primo modo, vt solet in Iubilæo concedi dispensatio votorum, absolutio à Censuris, & à casibus reseruatis: tunc putatiuè saltem requiritur status gratiæ: quia saltem requiritur confessio probabiliter putata valida, & formata, dependenter à qua huiusmodi fauores conceduntur. Quòd si inculpabili ignorantia confessio fuerit informis, fauores, sicut & indulgentia ipsa, rati fuerunt. Si secundo modo: tunc à fortiori sequitur, tales fauores validos, ac ratos esse.

An ad lucrandam Indulgentiam requiratur aliquod pium opus?

206. HACTENVS de dispositione proxima habituali ad indulgentiam consequendam requisita: nunc de actuali, quæ solet esse aliquod piū opus. De quo primò quæritur, an illud ad indulgentiam lucrandam sit necessarium. Quæ necessitas dupliciter considerari po est, vel simpliciter, vt sine tali opere indulgentia concedi non possit vel ex suppositione, posito quòd indulgētia sub conditione talis operis concedatur.

Duplex necessitas operis pij consideratur potest.

207. Quoad priorem necessitatem, ratio dubitandi est: quoniam vt indulgentia sit rata, sufficientem postulat causam condistinctam ab ipsa egestate subiecti: quæ alia esse non potest, quàm pium aliquod opus, quo fideles, vel simpliciter in gratia se reponant, vel in accepta se perficiant. Verùm opposita sententia nō modo *probabilior est*, sed authoritate Gregorij VII. *omnino vera.* Hic enim lib. 2. Epist. 61 absque vllo opere iniuncto indulgentiam concessit Episcopo Laodicensi: & lib. 6. Epist. 15. plenariam omnium peccatorum indulgentiam, nullo opere postulato impertite fratribus in Monasterio Massiliēsi commorantibus. Quam etiam sequitur Suarez disp. 52. sect. 4 num. 4.

Sententia probabilior Gregor. 7.

Suarez.

208. Constat 1. de indulgentia oblata pro defunctis: nam illa prodest defunctis absq; vllo opere ab illis requisito. Nec refert, quòd illud requiratur ab aliquo viuente, mediante quo conceditur indulgentia dēfunctis: quia posset tale opus à viuente non exigi; sed immediatè ab ipso Pontifice indulgentia applicari defunctis: cùm de facto opus, quod pro defunctis à viuentibus exigitur, non exigatur tanquam causa, quæ ipsam indulgentiam cohonestet: nam independenter ab illo debet Pontifex aliam habere causam, quam apprehendat vt honorificam Deo, & vtilem Ecclesiæ.

209. Constat 2. ratione: quoniam ad validitatem indulgentię tria requiruntur, & sufficiunt, authoritas in concedente, gratia in recipiēte, & pietas in causa. Quæ omnia esse possunt, etiamsi sub nullius operis cōditione indulgētia concedatur: vt si Pontifex indulgentiam concedat morienti in statu gratiæ, vel alicui fideli ad illum in fide animandum, & confirmandum. Confirmatur: nam solent Episcopi sola benedictione, nullo opere requisito, concedere populo indulgentiam 40. dierum, quam ipsi ordinaria potestate concedere possunt.

Ad valorē indulgentiæ tria requiruntur.

210. DICES. Ergo etiam posset indulgentia validè concedi existenti in peccato. Nam, vt suprà probatum est, eatenus non posset Pōtifex existenti in peccato indulgentiā validè concedere, quatenus indulgentia in peccatore non posset sufficientem causam habere: Igitur si aliunde, quàm ex ipso opere eius, qui indulgentiam lucraturus est sufficientē causam habere potest, poterit eam validè peccatori concedere.

211. Resp. Negando consequentiā. Ad cuius probationem negandum, indulgentiam applicatam peccatori sufficientē causam habere posse. Quia cùm indulgentia non solùm respiciat vtilitatem communē Ecclesiæ; sed etiam priuatam personæ, cui conceditur, nō erit sufficiens causa illa, quæ excludit priuatam vtilitatem personæ, cui conceditur. Vt igitur causa indulgentiæ sit adæquatè sufficiens, non sufficit, vt includat solam vtilitatem communem Ecclesiæ, exclusa vtilitate personæ, cui conceditur.

212. Ex his infertur 1. à fortiori indulgentiā concedi posse sub conditione operis præcepti. 2. Semper necessariam esse contritionē, vel confessionē ad validitatem indulgentiæ, quæ conceditur existenti in peccato, cùm nequeat sine contritione, aut confessione indulgentia sufficientem habere causam, in peccatore.

Indulgētia concedi potest sub cōditione operis præcepti.

213. Dubitari verò potest, an cōtritio probabiliter tantū putata, vel cōfessio valida, & informis sufficiat ad indulgētiam lucrandā. Negāt Henriquez l. 7. de indulgētijs c. 9. n. 5. vbi ait, si quis veram confessionem ex ignorantia informē fecerit, aut cōmunicauerit in peccato, adhuc superesse tēpus indulgentiam lucrandi per cōtritionem, tanquam per vltimū opus. Quibus supponit, confessionē validam, & informem non sufficere ad effectum Indulgentiæ: Suarez disp. 52. sect. 3. num. 6. sequiturq; ex opinione eorū, qui ideo putāt, nō posse cum fructu indulgentiam applicari peccatori, quia remissio pœnę, quę per indulgentiā confertur, supponit subiectum gratū Deo: ac proinde putatiuè tantū cōtritus, vel confessus indulgentiam non lucrabitur.

Negat Henriquez.

Suarez.

214. Ego verò coherenter ad mea principia assero, talem hominem lucraturum indulgentiam. Moueor: quoniam, vt causa, propter quam indulgentia conceditur, sit sufficiens, necesse non est, vt illa re ipsa sit talis, sed satest, vt iuxta prudentem rationem probabiliter censeatur talis. Qui autem ad indulgentiam accedit putatque contritus, vel informiter, sed validè confessus, affert causam probabiliter putatam sufficientem: ergo indulgentiam lucratur. Maior, in qua tantùm est difficultas, probatur primò. Nam talis causa probabiliter tantum putata sufficit ex parte concedentis, vt sequenti sect. ostendam: ergo etiam ex parte indulgentiam lucrantis. Consequentia probatur: nam dispositio subiecti, & motiuum concedentis integrant vnam causam adæquatè sufficientem ad validitatem indulgentiæ: ergo si ex parte concedentis sufficit probabiliter tantùm putata, eadem sufficiet ex parte subiecti indulgentiam lucrantis. Secundò, sufficit contritio probabiliter putata ad effectum sacramentorum viuorum, quæ statum gratiæ supponunt: ergo etiam ad effectum indulgentiæ, quæ etiam statum gratiæ supponit. Cæterùm non asserimus, huiusmodi hominem consequi remissionem omnium pœnarum; sed tantùm earum quæ supponunt peccata iam condonata, & nondum quoad pœnam adæquatè remissa. Vnde non posset hic lucrari indulgentiam plenariam.

215. *Obijcies* 1. Vt rata sit dispensatio in matrimonio, non sufficit, vt duo re ipsa in tertio gradu cognationis coniuncti, secundùm communem æstimationē probabiliter censeantur cōiuncti tantùm in quarto. Ergò nec erit sufficiens causa ad indulgentiam lucrandam contritio probabiliter tantùm putata. 2. Probabiliter tantùm contritus, vel informiter, & validè confessus non consequitur effectum contritionis, & confessionis; ergo nec indulgentiæ.

Sanchez.

216. Resp. ad 1. non deesse apud Sanchez lib. 8. de matrimonio disp. 24. num. 20. qui existiment, talem dispensationem esse ratam. Idque probant ex l. *Barbarius* ff. de officio Prætoris, quæ lex statuit, ne irriti reddantur actus publici à non habente authoritatem celebrati, vt quando publici Ministri secundùm communem æstimationem habentur tales, etiamsi re ipsa non sint, valida sint eorum acta. Sed quidquid sit, an talis dispensatio esset rata, dispar est ratio de causa probabiliter putata sufficiente ad indulgentiam, & de arctiori gradu consanguinitatis in petitione non expresso: nam hic saltem sciri poterat, vel debebat ab ipsis contrahentibus. At sæpè causa ad indulgentiam sufficiens non semper potest, vel à concedente, vel à lucrante sciri, vt in proposito casu est contritio probabiliter putata, & cōfessio informis, & valida.

217. Ad secundū negatur consequentia. Ratio discriminis quoad contritionem est: quoniam, vt hæc gratiam conferat, non pendet ex prudenti arbitrio hominis, qui conteritur, sed ex voluntate, & lege Dei, qui statuit, illi tantùm gratiam conferre, qui re ipsa contritus esset. Iudicium verò de sufficientia causæ ad indulgentiam validè concedendam non sibi reseruauit, sed commisit suo vicario, quem indulgentiarum dispensatorem constituit: cum cuius officio tale iudicium per se connexum est: quia cùm debeat, causa cognita, & examinata, rem prudenter dispensare, ipsi debuit hoc iudicium de sufficientia causæ committi. Quoad confessionem verò validam, & informem ratio disparitatis est: quia talis confessio deficit in dolore alicuius peccati inuincibiliter ignorati, quod absque dolore remitti non potest.

Resolutio quoad posteriorem necessitatis partem.

218. Quoad posteriorem verò necessitatem ex suppositione quòd indulgentia concedatur sub conditione alicuius operis pij, nulli dubium est, indulgentiam non profuturam, nisi illud adimpleatur, vt à concedente exigitur. Quin etiamsi quis absque culpa impotens fiat ad illud exequendm indulgentiam non lucrabitur, vt optimè S. Thomas in supplemento ad 3. partem quæst. 27. art. 3. & cum eo reliqui Scholastici in 4. dist. 20. Cæterùm sufficit, tale opus moraliter adimplere eo modo, quo sufficeret ad præceptum Ecclesiasticum adimplendum. Vnde si quis in parua materia, vel ieiunium frangat, vel Missam violet, vel orationem decurtet, sub quorum operum conditione concessa est indulgētia, indulgentiā lucrabitur. Nā huiusmodi opera non censentur strictiori iure à Pontifice præscripti, quàm præscribantur præcepta ipsa Ecclesiastica. Atque hæc certa sunt: quæ sequuntur, dubia.

S. Thomas.

An opus iniunctum debeat in statu gratiæ adimpleri?

Affirmat Caietanus, Petrus Soto.

219. AFFIRMANT Caietanus tom. 1. Opuscul. tract. 10. de suscipientibus indulgentias qu. 2. & tract. 15 q. 9. Petrus Soto lect. 3. de indulgentijs. Fundamentum Caietani duplex est: Primum quia id solent Pontifices in forma concessionis exprimere, dum indulgentiam his verbis concedere solent: *qui contriti, & confessi tale, vel tale opus præstiterint.* Secundum, quia thesaurus vitalis nonnisi per vitales causas dispensari debet. Sed thesaurus indulgentiarum est vitalis, quippe qui ex viuis Christi, & sanctorum satisfactionibus constat: ergo nonnisi per vitalia fidelium opera applicari debet. Confirmatur, nam opera in peccato facta non sunt grata, & accepta Deo, ergo nec apta ad indulgentiam lucrandam.

Negat Bellarminus.

220. Negant cæteri Theologi. Distinguit verò Bellarminus lib. 1. de indulgentijs cap. 13. Nam vel opera, quæ pro indulgentia lucranda iniunguntur, etiam in peccato facta conferunt ad finem, propter quem iniunguntur, vt si pro indulgentia lucranda imponatur

imponatur Eleemosyna pro fabrica alicuius loci pij, & tunc ad Indulgentiam lucrandam talia opera proderunt. Si verò ea in peccato facta non conferunt ad finem, propter quem iniunguntur, vt si ad placandum Deum imponantur opera mortificationis, & orationis, talia in peccato facta ad Indulgentiam lucrandam non proderunt: quia Deus non placatur operibus mortuis in peccato factis.

221. His relatis duplex in proposito dubio distinguenda est quæstio: Prima, an simpliciter nequeat Pontifex ad Indulgentiam fructuosè applicandam exigere opus in gratia non factum. Secunda, an posito quod in voluntate ipsius sit, illud exigere, vel non exigere, quando iudicandum sit, quod illud exigat in gratia exequendum?

222. Quoad priorem quæstionem Caietani, & Soti opinio est, quòd non possit, vt ex eorum posteriori fundamento constat. Cæteri verò concedunt posse. Quæ opinio *probabilior est*: quoniam sufficit, vt homo sit in gratia, quando Indulgentiam lucratur, hoc est quando pro Indulgentia lucranda vltimum præstat opus. Ratio est: quia opus ad Indulgentiam non concurrit vt causa mouens, sed vt pura conditio: nam causa mouens est sola Christi, & sanctorum satisfactio legitimè à Pontifice applicata, quæ virtutem remittendi pœnam non accipit à persona operante, sed à meritis Christi & sanctorum.

Caietanus Sotus.

Opus ad Indulgentiam concurrit vt pura conditio.

223. Quoad posteriorem quæstionem, certum est, Pontifice expressè exigente illa, vt in statu gratiæ fiant, non profutura, nisi in statu gratiæ perficiantur. Ratio, quia potest Pontifex sub tali conditione illa exigere. Arqui non valet Indulgentia, nisi iuxta mentem concedentis eam fidelis exequatur. Sola igitur difficultas superest, vnde colligendum sit quando ea exequenda sit in statu gratiæ, dum Pontifex id apertè non explicat.

224. Ad quam difficultatem. Respondeo id primò colligi ex fine, propter quem huiusmodi opera iniunguntur, vt rectè notauit Bellarminus. Secundò quando confessio, vel contritio in forma concessionis præcedunt reliqua opera, quę pro Indulgentia lucranda iniunguntur: vt si dicatur, *Qui confessi, & contriti tale opus præstiterint, Indulgentiam consequentur.* Ratio est: quia cùm non semper confessio, & contritio in forma concessionis reliquis operibus pro Indulgentia iniunctis præmittantur, quando præmittuntur, debent ob aliquem finem præmitti, quem finem Pontifex non intendit, quando illa non præmittit. Atqui hic alius esse non potest, quàm vt Indulgentiam lucraturus se in gratia reponat, vt in eo statu reliqua iniuncta opera exequatur. Alioqui nulla huius præmissionis assignati posset ratio. Neque putandum est, temere Pontificem hanc variationem in forma concessionis seruare.

Bellarmin.

225. Ad 1. fundamentum Caietani patet ex dictis. Ad 2. negatur maior: non enim est necesse, vt semper viua opera Christi per viuas dispositiones recipientis applicentur, vt patet de ijsdem Christi operibus, quæ per sacramenta mortuorum applicantur peccatoribus. Potuit enim Christus ad sua merita cõmunicãda talibus operibus esse cõtentus. Quòd autem de facto sit contentus, constat tum à paritate sacramentorum, tum authoritate Theologorum. Ad confirmationem, esto bona opera peccatoris non sint grata Deo in ordine ad vitam æternam: possunt tamen esse grata in ordine ad alium effectum, vti de facto talia opera à Deo acceptantur, tum ad effectum sacramentorum mortuorum, tum ad auxilia supernaturalia subsequentia danda.

An opus ad Indulgentiam requisitum debeat esse non solùm ex obiecto, sed etiam ex circumstantijs honestum?

226. NVLLI dubium est, opus ad valorem Indulgentiæ requisitum, saltem ex obiecto debere esse honestum: cùm non possit Pontifex ad valorem Indulgentiæ requirere opus ex obiecto malum; cùm non possit ad valorem Indulgentiæ exigere opus, quod cedat in destructionem eius, cui Indulgentia conceditur: esset enim contra intrinsecum finem Indulgentiæ, quæ semper ordinatur in bonum fidelium. Neque etiam dubium est, si Pontifex præscribat opus ex obiecto & circumstantijs honestum, non lucraturum Indulgentiam, qui illud non exequitur, vti præscribitur. Controuersia tantùm est: an ad valorem Indulgentiæ opus necessariò debeat esse honestum, non solùm ex obiecto; sed etiam ex circumstantijs.

227. Affirmant Petrus Soto lect. 3. de Indulgentijs, & alij apud Suarez disputatione 52. sectione 6. Fundantur: quia Deus pro Indulgentia non acceptat opus ex circumstantia malum: cùm non sit dignum, vt propter ipsum Christi, & sanctorum satisfactio applicetur.

Affirmat Petrus Soto.

228. Negant Suarez loco citato, Coninck disputatione 11. dub. 8. Nugnez 3. p. tom. 2. quæstione 27. articulo 3. dub. 5. Fundamentum est: quia Pontifex validè Indulgentiam concedere potest, nullo ex parte lucrãtis requisito opere: ergo à fortiori poterit Indulgentiam validè concedere, requisito opere ex obiecto tantùm honesto.

Negant Suarez, Coninck Nugnez.

229. Valentia disputatione 7. de Indulgentijs quæstione 20. punct. 5. distinguit: nam vel opus pro Indulgentia postulatum, est externum, vt Eleemosyna: & illud sufficere

Distinguit Valentia.

ficere ait ad Indulgentiæ valorem, etiamsi fiat ex prauo fine peccati venialis. Vel est internum, vt oratio: & tunc nisi sit ex omnibus circunstantijs honestum, non erit ad Indulgentiæ valorem sufficiens. Idem fere docet Bellarminus lib. 1. de Indulgentijs cap. 13. *Quæ sententia probabilior est:* probaturque hoc discursu. Ad valorem Indulgentiæ requiritur, vt iniunctum opus fiat iuxta intentionem concedentis, quæ vel ex verbis ipsis, vel ex fine colligitur: finis autem, propter quem conceditur Indulgentia Eleemosynam largientibus, est necessitatis subleuatio: qui finis habetur ex Eleemosyna, etiam ex veniali facta. Contrà verò finis, propter quem conceditur Indulgentia interiorem actum virtutis exercentibus, est tum vtilitas operantis, tum gloria Dei. Quem finem non consequitur, qui illum ex prauo fine venialis exercet. Dixi, *interiorem actum virtutis:* quia si cum interiori actu iniungatur opus externum, vt oratio vocalis, vel Missæ auditio: tunc valebit Indulgentia, etiamsi attentio interna, cui coniungitur oratio externa, inficiatur ex aliquo prauo fine peccati venialis. Quia tunc saltem oratio externa cedit in gloriam Dei, & ædificationem aliorum.

Bellarmin.

230. Cęterùm dupliciter potest prauus finis peccati venialis concurrere ad opus in Indulgentia postulatum, vno modo concomitanter: & tunc nullo pacto impedit Indulgentiæ valorem: alio modo formaliter per modum finis, vel circumstantiæ eiusdem operis: & tunc impedit opus internum à Pontifice postulatum, propter vtilitatem ipsius operantis, & Dei honorem.

Dupliciter potest prauus finis peccati venialis concurrere ad opus in indulgentia postulatum.

231. Ad fundamentum 1. sententiæ negandum est, opus ex obiecto honestum non esse aliquo præmio saltem temporali dignum: præsertim cùm tale opus non sit causa mouens Deum ad pœnam remittendam; sed tantùm conditio.

232. Ad fundamentum 2. Resp. illud solùm probare primam partem 3. sententiæ. A fortiori constat, non debere tale opus esse supernaturale vel quoad essentiam, vel quoad modum. Quocirca etiamsi opus ad Indulgentiam postulatum sit actus fidei, vel Charitatis, sufficiet actus fidei, vel Charitis naturalis, modò ex aliquo prauo fine intrinseco non vitientur.

233. Maior difficultas est, an si opus ad Indulgentiam requisitum sit exempli causa contritio, sufficiat contritio probabiliter tantum putata. Affirmatiua pars sequitur ex suprà dictis. Etenim sicut talis actus sufficit ad consequendum effectum sacramentorum viuorum: ita sufficiet ad consequendum effectum Indulgentiæ. Quòd autem contritio putata non sufficiat ad gratiam consequendam, sufficiat autem ad effectum indulgentiæ obtinendum, ea est: quia infusio gratię non pendet ex contritione vt putata à Iudicio humano, vti pendet Indulgētię effectus, sed vt putata à iudicio Diuino.

An si quis iubeat famulum Eleemosynam pro Indulgentia dare, & non det, Indulgentiam lucretur?

234. NEGANT aliqui apud Sà verbo *Indulgentia* num. 4. mouentur: quia ad Indulgentiam lucrandam requiritur opus à concedente præscriptum reipsa executioni mandatum. Affirmat Sà. Mihi distinguendum est: nam vel Dominus est conscius, famulum Eleemosynam non dedisse: & tunc, nisi iterum iubeat illum re ipsa Eleemosynam dare, Indulgentiam non lucrabitur: Cùm sciens, & volens amittat opus pro indulgentia postulatum, quod non fuit sola voluntas largiendi Eleemosynam; sed externa ipsa Eleemosynæ largitio. Vel non est conscius: & tunc censeo cum Sà, illum Indulgentiam lucraturum: quia sufficit, vt probabiliter putet, Eleemosynam à se imperatam executioni mandatam esse. Sicut qui probabiliter putat, se veram elicuisse contritionem, aut formatam fecisse confessionem, Indulgentiam lucratur.

Negant aliqui.

Affirmat Sà.

An possit vnus Indulgentiam lucrari per opus alterius?

235. COMMVNIS sententia negat, nisi id exprimatur in cōcessionis forma. Ratio: quia quando Pontifex requirit opus censetur illud requirere ab ipsomet, qui Indulgentiam lucraturus est, tanquam dispositionem ad effectum Indulgentiæ consequendum.

Communis sententia negans.

236. Quòd autem possit Pontifex concedere Indulgentiam vni sub conditione operis alterius, constat à paritate Indulgentię, quam concedit defunctis sub conditione operis viuentis. In quo casu non requiritur gratia in operante; sed solùm in lucrante Indulgentiam: sicut cùm conceditur defunctis, nō requiritur gratia in viuente operante Indulgentiam pro defuncto. Ratio est: quia causa mouens non est opus à peccatore factum, sed satisfactio Christi, & sanctorum. Nec est eadem ratio de suffragio vnius oblato pro altero: nam suffragium valorem suum habet ab operante, qui si non est in gratia, nullum valorem confert suo operi. Contra hoc sentit Caietanus tract. 10. de Indulgentijs quæst. 2. ad 2. asserens, ad valorem Indulgentiæ requiri gratiam in vtroque.

Caietanus.

An

An eodem opere posset quis diuersas Indulgentias lucrari?

237. CONVENIVNT omnes, diuersis operibus diuersas posse nos indulgentias lucrari: Exempli causa, si plures sint Ecclesiæ, quibus diuersæ sint Indulgentiæ concessæ, per diuersas visitationes diuersas lucror Indulgentias. Illud tamé controuersum est, an eodé opere diuersas valeam lucrari Indulgentias, vt si habeam plura numismata, quorum vnicuique concessus sit vnus annus Indulgentiæ, recitando *Pater* & *Aue*, an recitãdo vnum *Pater* & *Aue*, lucrer omnes Indulgentias omnibus numismatis concessas.

Cõtrouersia proponitur.

138. Affirmat Henriquez lib. 7. de Indulgentijs cap. 17. num. 5. Negant verò Suarez disp. 52. sect. 8. num. 10. Et Coninck disp. 12. dub. 9. Mihi verò distinguendum est: nam si idem opus erit proportionata causa pro omnibus Indulgentijs, poterimus eodem opere omnes simul lucrari: secus si idem opus non erit proportionata causa pro omnibus. Ratio est: quoniam, vt sequenti sect. ostendam, vt Indulgentia sit valida, requirit proportionatam causam, qua deficiente, Indulgentia suum effectum non sortitur.

Affir. Henriquez. Negat Suarez. Distinguo.

An quis eandem Indulgentiam posit sæpius de die lucrari?

239. HOc dubium non intelligitur, quando Indulgentia est addicta diei, quia tunc non possumus eam, nisi semel de die lucrari; sed quando est perpetua, vel per multos dies, aut annos perenniter concessa: & tunc docent Henriquez lib. 7. de Indulgentijs cap. 17. num. 6. Sà verbo *Indulgentia* num. 7. valere toties, quoties repetitur opus, sub cuius conditione Indulgentia concessa est. Notat autem Henriquez, si Indulgentia concedatur in hac forma: *Quoties quis visitauerit talem Ecclesiam, consequetur tertiam partem remissionis peccatorum*: etiamsi millies in die eam visitet, nõ consequetur Indulgentiam omnium pœnarum: sed prima vice consequetur remissionem tertiæ partis; secunda vice, tertiam duntaxat partem earum pœnarum, quæ superstites fuerunt, & sic deinceps, vt nimirum semper consequatur tertiam partem earum pœnarum, quæ supersunt: quia sic sonant verba concessionis, quæ omnia probabilia sunt.

Henriquez. Sà.

An quando in forma concessionis exprimitur confessio, necessariò ad valorem indulgentiæ illa permittenda sit?

240. DIXI *quando in forma concessionis exprimitur*: nam quando de illa nulla fit mentio, nulli dubium est non necessariò illam præmittendam esse, quando indulgentiam lucraturus est in gratia. Difficultas tantum est, quando in ipsa forma cõcessionis exigitur confessio, vt cùm dicitur: *Indulgentiam concedimus omnibus confessis.*

241. Ad quam difficultatem respondeo cum distinctione: nam vel confessio exigitur tanquam opus pium, sub cuius conditione conceditur Indulgentia, sicut exigitur Ieiunium, vel templi visitatio: & tunc necessariò præmittenda est, si indulgentiam lucraturus habeat peccata mortalia, secus si tantùm venialia: quia sicut Ecclesia non obligat fideles ad annuam confessionem, nisi peccatorum mortalium; ita nec Pontifex ad indulgentiam lucrandam, vt ex communi sententia Doctorum notauit Suarez disp. 52. sectione 3. num. 5. Si verò tantùm exigitur, vt per eam homo se disponat ad indulgentiam consequendam: tunc multò minùs erit necessariò præmittenda, si lucraturus indulgentiam sit in gratia: quia tunc non exigitur, nisi propter statum gratiæ; Quando verò confessio exigatur, vt conditio ad indulgentiam lucrandam, quando verò vt dispositio ad statum gratiæ consequendum, colligendum erit ex verbis cõcessionis. Hæc posterior pars est contra Sà verbo *Indulgentia* num. 3. qui ad valorem indulgentiæ semper requirit confessionem actualem, quando illa in concessione exigitur: pro qua sententia citat etiam alios: quæ quidem tutior est, minùs tamen probabilis.

Resolutio difficultatis. Suarez. Sà.

242. Cæterùm dubitari potest, an cùm in Iubilæo exigitur confessio, si post confessionem homo mortaliter peccet, ad indulgentiam lucrandam sufficiat contritio absq; noua confessione. Negat Suarez loco præcitato numero 7. mouetur: quia talis confessio debet esse de omnibus mortalibus, vsque ad tempus indulgentiæ commissis, nam illa refertur ad tempus ipsum indulgentiæ: ergo comprehendit omnia mortalia vsque ad tempus indulgentiæ commissa. Ex quo infert, quòd si quis post confessionem, antequam indulgentiam lucretur, recordetur aliquod peccatum oblitum, teneri ad illud confitendum, alioquin indulgentiam non lucrabitur: secus si non recordetur: quia tunc tale peccatum non impedit effectum indulgentiæ, etiamsi Pontifex expressè requirat confessionem omnium peccatorum: quia intelligitur requirere confessionem omnium peccatorũ humano mo-

Alia proponitur difficultas. Suarez.

do in-

do integram. Quæ sententia non solùm est tutior, & in praxi adhibenda, sed etiam *probabilior*, præsertim cùm exigitur confessio omnium peccatorum.

243. Notant autem communiter Doctores, peccata oblita tempore Iubilæi, etiamsi reseruata sint, posse postea à quocunque absolui, sicut & à censuris, nec non & in votis oblitis dispensari. Imò si quis ex causa non potuit tempore Iubilæi confessionem perficere, poterit illam perficere post Iubilæum, & ab omnibus reseruatis absolui, & cum ipso in votis dispensari: quia per inchoatam confessionem acquisiuit ius ad indulgentiam, & ad omnia priuilegia in Bulla concessa. Verùm tutius est, intra tempus Iubilæi à censuris, & reseruatis absolui, & in votis dispensari, & postea extra illud à reliquis peccatis non reseruatis absolui. An autem possit quis in vtraque hebdomada à reseruatis absolui, quidam negant: concedunt, & *probabiliùs* alij: nam vbi Iubileus vel indulgentia non restringit, non debemus nos restringere. Cætera quæ de Iubilæo dici possent, petenda sunt ex Nauarro, Henriquez, Laymann, & alijs, qui de eo fusè tractant.

Nauarrus Henriquez Laymann

SECTIO IX.

An & qualis causa requiratur ad Indulgentiæ validitatem?

244. Quæstio est de causa finali extrinseca, propter quam moueri debet Pontifex ad indulgentiam concedendam. Quam quidem certum est, requiri saltem ad actionis honestatem: non enim licitè potest Pontifex indulgentiam concedere absque aliqua causa honesta, quæ ipsum impellat ad eam concedendam. Quia cùm concessio indulgentiæ sit dispensatio in pœnis lege diuina peccatori taxatis, vt licitè fiat, requirit honestam aliquam causam distinctam ab ipsa remissione pœnæ, & intrinseca vtilitate, quam secum affert. De qua duplex est difficultas: prima, an sit necessaria ad valorem indulgentiæ: Secunda quanta, & qualis esse debeat.

Prima sententia Henriquez. Sà.

245. Nonnulli apud Henriquez lib. 7. de Indulgentijs cap. 4. num. 1. & Sà verbo *Indulgentia* num. 1. putarunt, ad valorem Indulgentiæ non esse necessariam causam distinctam ab vtilitate, quam Indulgentia ipsa secum affert. Potissimum huius sententiæ fundamentum est: quoniam Pontifex est à Christo constitutus dispensator Indulgentiarum. Dispensator autem ad validè dispensandum non semper prærequirit causam distinctam ab vtilitate, quàm secum affert dispensatio ipsa: ergo &c. Maior constat ex dictis. Minor probatur: nam si quis accipiat bona temporalia dispensanda egenis, vt validè ea dispenset, non prærequirit distinctam causam ab ipsa egestatis subleuatione. Ergo nec Pontifex, qui thesaurum Ecclesiæ dispensandum egenis à Christo accepit, vt validè illum dispenset, prærequirit causam distinctam ab ipsa spiritualis egestatis subleuatione.

246. Confirmatur 1. Nam potestas dispensandi Indulgentias, est per se ordinata ad subleuandam spiritualem egestatem fidelium, vt quod ipsi non habent ex suis meritis, & satisfactionibus, mutuentur ex meritis, & satisfactionibus Christi, & sanctorum. Igitur hæc sola causa erit sufficiens, vt hic thesaurus validè dispensetur: quia quod est sufficiens ad principalem finem, propter quem talis potestas concessa est, erit sufficiens ad valorem actus eiusdem potestatis, quo principalis finis ipsius obtinetur.

247. Confirmatur 2. nam etiam si dispensator non distribuat bona temporalia iuxta voluntatem Domini, à quo dispensanda accepit, adhuc distributio non erit inualida. Ergo etiamsi Pontifex non distribuat bona spiritualia iuxta voluntatem Christi, à quo dispensanda suscepit, adhuc talis distributio inualida non erit. Antecedens probatur: nam nisi quis in distribuendo, vel plura bona donet minùs dignis, minùsque egentibus; vel pauciora magis dignis, magisque egentibus, non tenebitur ad restitutionem, neque qui plus accepit, quàm debuit; neque qui malè dispensauit.

Secunda sententia.

248. At cæteri Scholastici in 4. dist. 20 & recentiores omnes vnanimi consensu affirmant, ad valorem indulgentiæ, præter ipsam causam intrinsecam, quæ est spiritualis egestatis subleuatio, requiri causam aliquam extrinsecam finalem, quæ moueat Pontificem ad indulgentias fideliter, prudenterque dispensandas, quæ præter intrinsecam vtilitatem, quam affert personæ, cui conceduntur, redundet in aliquam Ecclesiæ vtilitatem, bonum commune, & Dei, sanctorumque gloriam.

249. Hæc sententia 1. colligitur ex ipsis Pontificibus, qui semper in concessione indulgentiæ apponunt causam, ob quam mouentur ad indulgentiam concedendam, vt propter reformationem Ecclesiæ, publicam pacem, Christianorum Principum concordiam, Catholicæ Religionis propagationem, Hæreticorum reductionem, & similia. Quin aliqui Pontifices expressè declararunt huius causæ necessitatem. Clemens VI. in extrauagante *Vnigenitus*, de pœnit. & remiss. loquens de potestate dispensandi hunc thesaurum, ait, illum commissum esse *per suos in terris Vicarios fidelibus salubriter, & proprijs, & rationabilibus causis dispensandum.* Martinus V. in fine Concilij Constantiensis post damnatos articulos Wicleffi, & Ioannis Huss in quodam interrogatorio quorundam articulorum, de quibus interrogandi sunt, qui de fide suspecti censentur,

Clemens 6.

Martin. 5.

inter

inter alios, vnus est: *Vtrum credant, quod Papa omnibus Christianis verè contritis, & confessis, ex causa pia & iusta possit concedere Indulgentias in remissionem peccatorum?* Leo X. in Epistola ad Caietanum suum legatum in Germania 7. sect. citata definit; *posse Romanum Pontificem Petri clauigeri successorem, & Iesu-Christi in terris vicarium, potestate clauium pro rationabilibus causis concedere eiusdem Christi fidelibus, qui charitate iungente membra sunt Christi, siue in hac vita sint, siue in Purgatorio, indulgentias ex superabundantia meritorum Christi, & sanctorum.*

Leo X.

250. Secundò probatur ratione. Omnis potestas, quæ conceditur ad dispensandum in lege superioris, ad validè suum actum exercendum, prærequirit sufficientem causam distinctam ab vtilitate, quam dispensatio ipsa affert personæ, cum qua dispensatur. Potestas concessa Pontifici ad indulgentias ex thesauro Ecclesiæ inpartiendas, est potestas dispensandi in lege Diuina: ergo ad validè suum actum exercendum, prærequirit sufficientē causam distinctā ab vtilitate, quam Indulgentia ipsa affert personæ, cui conceditur. Minor patet: nam potestas concedendi indulgentias, est potestas remittendi pœnas, quas propter actualia peccata condonata Deus ipse lege Iustitiæ vindicatiuæ peccatori taxauit. Maior probatur: nam omnis dispensatio in lege, & iure Superioris præiudicat communi obseruantiæ legis, quam ob publicum bonum semper expedit ab omnibus seruari. Ergo nisi sit aliqua causa, & vtilitas maior, quæ huiusmodi communis legis obseruantiæ præualeat, valida non erit: quippe cùm talis potestas sub hac conditione censeatur à superiore concessa. Nec sola vtilitas, quam dispensatio ipsa in lege lata confert personæ, cum qua dispensatur, sufficiens est, ad dispensationem validandam, vt per se patet. Alioqui si illa esset sufficiens, vt dispensatio ipsa censeatur præualere legis obseruantiæ, fuisset etiam sufficiens, vt lex ipsa à principio non poneretur. Cùm igitur causa imponendi legem præualuerit vtilitati, quam persona priuata haberet ex non impositione legis, non poterit sola dispensatio in lege præualere obseruantiæ legis, ac proinde esse sufficiens causa ad validè dispensandum in lege.

251. Confirmatur 1. Nam indulgentia relaxat pœnitentias propter peccata remissa iniunctas, quarum relaxatio non solùm præiudicat iustitiæ vindicatiuæ, quam peccator iure naturali, & Diuino seruare tenetur; sed etiam maiori vtilitati, quam pœnitens ipse ex actibus pœnitentiæ perciperet. Cùm per indulgentiam solùm lucretur remissionem pœnæ temporalis, quam in Purgatorio luere debebat: per pœnitentias verò non solùm remissionem talis pœnæ; sed etiam augmentum gratiæ, & gloriæ. Igitur nisi sit aliqua causa distincta ab ipsa remissione pœnæ temporalis, quam indulgentia in pœnitente causat, valida non erit.

252. Confirmatur 2. Nam ob eandem rationem nec dispensatio in votis, præsertim solemnibus, nec dispensatio in Matrimonio rato & non consummato, erit valida, nisi præter ipsam vtilitatem, quam dispensatio affert Personæ, cum qua dispensatur, sit alia causa, quæ præualeat voti, & Matrimonij obseruantiæ. Quòd si interdum dispensatio in votis non affert distinctam causam, id solum est, quando dispensatio fit per declarationem, seu interpretationem iuris Diuini, quod in eo casu non obliget. At verò quotiescunque intercedit vera dispensatio, & non tantùm interpretatio iuris Diuini, necessaria est aliqua honesta causa, quæ præualeat obseruantiæ legis.

253. Ex dictis infertur, cur possit Pontifex etiam sine causa validè, esto non licitè dispensare in lege, & iure humano, non autem in Diuino: quia ius humanum pendet à sola voluntate ipsius, quam etiam sine causa reuocare potest: qua reuocata, non ampliùs lex habet vim obligandi, cùm totam vim obligandi habeat à voluntate Pontificis, qui non solùm formaliter continet suam voluntatem; sed etiam virtute aliorum Pontificum, qui legem tulerunt, voluntatem. At verò ius Diuinum pendet à voluntate Dei, quæ numquam censetur moraliter reuocari, nisi ex causa, quæ censeatur illi magis platitura: quia cùm Deo res placeant iuxta suas proprias bonitates, quò res est melior, & honestior, eò censetur Deo magis placere.

Cur validè dispensari possit in iure humano etiam sine caussa, non verò in iure diuino.

254. Ad fundamentum oppositæ sententiæ neganda est Minor, quando dispensatio bonorum non solùm ordinatur ad egestatem subleuandam, sed ad alias etiam vtilitates. Vnde si distributio bonorum temporalium non solùm ex institutione Domini ordinata esset ad pauperes subleuandos; sed etiam ad eorum animas in spiritu iuuandas, tali conditione omissa, irrita foret bonorum distributio, vtpote contra voluntatem Domini, sine qua nihil validè efficitur.

255. Ad 1. Confirmationem negatur Antecedens: falsum quippè est, potestatem indulgentias dispensandi esse tantùm ordinatam ad egestatem fidelium subleuandam; sed etiam ad vtilitatem Ecclesiæ, & honorem Dei.

256. Ad 2. negandum est, validam esse dispensationem, si non fiat secundùm voluntatem Domini. Cuius voluntas non semper est, vt cum summo rigore ipsius bona dispensentur, vt videlicet magis egentibus plura, minùs verò pauciora distribuantur. Nam nisi in commissione exprimat, censetur committere prudenti iudicio, & voluntati dispensatoris. Cæterùm in nostro casu ex declaratione Pontificum, & ex natura ipsa rei colligimus, sub hac conditione concessam esse Ecclesiæ potestatem dispensandi thesaurum satisfactionum Christi, & sanctorum.

An

An causa ad valorem Indulgentiæ requisita non solum debeat esse iusta sed etiam proportionata?

Negant S. Thomas Durandus Paludanus

257. NEGANT S. Thomas in supplemento ad 3. partem quæst. 25. art. 2. in O, & ad primum: Durandus in 4 dist. 20. quæst. 4. num. 9. Paludanus ibidem S. Antoninus 1. p. titul. 10. cap. 3. §. 1. Valentia disp. 7. de indulgentijs quæst. 20. punct. 4. & alij. Probatur 1. indulgentia non nititur causæ, propter quam conceditur, sed Christi satisfactioni: ergo etiamsi non sit proportionata causæ, erit valida. 2. Sæpè Pontifices propter eandem causam modò maiorem, modò minorem indulgentiam concedunt: ergo indulgentia quoad valorem non pendet ex proportione causæ: alioqui non posset modò maior, modò minor pro eadem causa concedi. 3. Interdum leuissimas ob causas maximæ conceduntur indulgentiæ: velut cùm Pontifex plenariam indulgentiam concedit omnibus, qui eius benedictionem accipiunt, vel qui pro fabrica templi nummum dat. 4. Si requireretur opus non solùm pium; sed etiam proportionatum indulgentiæ, sequeretur, pœnam non remitti propter satisfactionem Christi, & sanctorum per indulgentias applicatam, sed propter opus ipsum. 5. Est commune Theologorum proloquium, ad indulgentiam tria requiri, & sufficere, authoritatem in concedente, charitatem in recipiente, & pietatem in causa. Ergo sufficit, vt causa sit tantùm pia. 6. Quia non videtur quam causæ proportionem habeat indulgentia plenaria concessa defunctis.

S. Antonin. Valentia.

Tria ad indulgentiam requirũtur & sufficiũt.

Affirmant Caietanus Sotus Petrus Soto Henriquez Bellarmin. Suarez Coninck Nugnez Laymann probabilius

258. Affirmat verò Caietanus tomo 1. opuscul. tract. 15. de indulgentijs cap. 4. Sotus in 4. distinctione 21. quæstione 2. articulo 2. §. *dubium autem est*: Petrus Soto de indulgentijs lect. 3. Henriquez lib. 7. de indulgentijs cap. 14. Bellarminus lib. 1. de indulgentijs cap. 12. Suarez disputatione 53. sect. 3 Coninck disp. 12. dub. 6. Nugnez tom. 2. in 3. partem quæstione 25. articulo 3. difficul. 2 concl. 1. & 2. Laymann tract. de indulgentijs cap. 5. & alij. Pro eadem multi etiam citantur antiqui Scholastici, qui tamen id expresè nõ docent: sed solùm aiunt, requiri causam iustam, & rationabilem: an autem etiam requiratur proportionata, nihil dicunt.

Probabilior Clemens 6

259. Inter has duas sententias, hæc posterior est *probabilior*: eamq; indicat Clemens VI. in extrauagante *Vnigenitus* de pœnit. & remiss. vbi non solùm ad indulgentias ex communi thesauro Ecclesiæ dispensandas requirit causam rationabilem: sed etiam diuersas pro partiali, & totali indulgentia. Est autem totalis indulgentia plenaria, quæ maiorem requirit causam. Partialis verò, non plenaria, quæ minorem causam postulat. *Quem thesaurum*, inquit, *salubriter fidelibus dispensandum, & proprijs, & rationabilibus causis, nunc pro totali, nunc pro partiali remissione pœnæ temporalis pro peccatis debitæ* &c. Pro cuius sententiæ explicatione,

260. Notandum, hanc proportionem mensurandam esse tum inter causam, & indulgentiam, vt pro maiori maior, pro minori indulgentia minor causa requiratur: tum inter opus ipsum, quod ad causam consequendam, tanquam medium assumitur, vt si ad hæreticorum conuersionem, impetrandam concedatur indulgentia plenaria omnibus recitantibus semel *Pater*, non videtur tale opus esse medium proportionatum ad talem finem impetrandum. Quo fit, vt sæpè causa, propter quam indulgentia conceditur, integretur ex ipso opere, sub cuius conditione conceditur indulgentia: nam hoc plerumque assumitur vt medium ad consequendum finem, propter quem mouetur Pontifex ad indulgentiam concedendam. Quæ plerumque est aliqua publica vtilitas Ecclesię. His adnotatis,

261 Probatur hæc sententia 1. ab absurdo. Etenim si ad indulgentiam validè concedendam non requireretur causa proportionata, posset concedi indulgentia plenaria omnibus, qui semel tantùm recitauerint *Aue*: ac proinde propter semel tantùm recitatum *Aue* liberarentur ab omnibus pœnis, ac pœnitentijs tam in hac vita, quàm in futura debitis. Quæ indulgentia cederet in maximum Ecclesiasticæ disciplinæ detrimentum. Qua de causa Pontifices, vt suprà vidimus, indiscretas indulgentias, vt Ecclesiasticæ disciplinæ eneruatiuas damnant. Præterea in opposita sententia nulla foret indulgentia indiscreta, cùm nulla sit, quæ aliquam piam causam non habeat.

262. Secundò. Implicat in ipsis terminis, causam esse iustam, & rationabilem, qualem ad valorem indulgentiæ requirunt Pontifices, & simul non esse proportionatam. Nam iusta, & rationabilis causa dicitur, quæ commensurationem habet cum effectu, ad quem ordinatur. Hoc ipso enim, quod proportionem non habet cum effectu, ad quem dirigitur, nequit esse iusta & rationabilis.

Quæ sit causa sufficiens in votis dispensandis

263. Tertiò. Certa Doctorum sententia est, in votis dispensandis, non quamcunque causam esse sufficientem; sed eam duntaxat, quæ spectatis omnibus, censetur Deo magis placitura, quàm placeret obseruantia ipsa voti. Ergo nec quælibet causa erit sufficiens ad dispensandum in lege Diuina de relaxandis pœnis à Deo peccatori taxatis; sed ea duntaxat, quæ censetur magis placitura Deo, quàm placeret obseruantia ipsa Diuinæ legis de pœna soluenda. Confirmatur: quia non solùm contra Christi voluntatem facit, qui sine vlla causa indulgentiam concedit;

cedit; sed etiam qui sine sufficiente, & proportionata causa illam impertit, cùm non minùs vnus, quàm alter, sit dissipator meritorum Christi.

264. Ad 1. oppositæ sententiæ negatur consequentia. Nam esto indulgentia non nitatur causæ, propter quam conceditur, requirit tamen illam, vt iuxta voluntatem Christi prudenter dispensetur.

265. Ad 2. Negatur etiam consequentia: tum quia sæpè vna causa est sufficiens pro maiori indulgentia, pro qua tamen minor conceditur, cùm non sit contra valorem indulgentię excessus, bene tamen defectus causæ. Tum quia eadem causa, addita tantùm noua circumstantia, fit sufficiens, quæ sine illa sufficiens non esset.

266. Ad 3. Sæpè causæ, quę nobis non videntur sufficientes, sunt re ipsa sufficientes, vt apparet in exemplis allatis: nam frequentia illi populi coram summo Pontifice cedit in magnam venerationem capitis, & authoritatem sedis Apostolicæ. Præterea licet Eleemosyna à singulis distributiuè data, sit parua res: spectata tamen collectiuè in ordine ad finem, ad quem dirigitur, magna æstimanda est: cùm dirigatur ad constructionem templi, vel alterius loci pij, qui cessurus est in maximum cultum Dei, & vtilitatem fidelium.

267. Ad 4. neganda est sequela: nam proportio, quam habere debet opus, sub cuius onere indulgentia conceditur, non est in ratione satisfactionis; sed in ratione medij ad finem consequendum, qui semper est gloria Dei, & vtilitas Ecclesiæ. Ad 5. negatur consequentia: nam pietas, quæ in causa requiritur, debet esse proportionata indulgentiæ, vt iam probatum est.

268. Ad 6. Negatur antecedens. Etenim non desunt iustę, & rationabiles causæ, propter quas defunctis concedi possit indulgentia plenaria: vt quòd defunctus fuerit de Ecclesia bene meritus; aut propter aliquam vtilitatem, quæ ex liberatione animę è purgatorio in Ecclesiam militatem redundat: quia videlicet excitatur Charitas fidelium erga defunctos, roboratur fides pœnarum Purgatorij, quas multi hæretici negant, vel alia persimilis vtilitas. Alioqui sola gloria accidentalis, quæ ex liberatione animæ è Purgatorio accedit Beatis, non videtur sufficiens causa: aliàs ea sufficeret ad liberandas omnes animas è Purgatorio; sed debet cum ea aliqua alia connecti, quæ redundet in aliquod emolumentum Ecclesiæ militantis.

An sufficiat causa probabiliter tantùm putata sufficiens?

269. RATIONES pro parte negante sunt: Primò. Non valet indulgentia collata ab habente potestatem probabiliter tantùm putatam: ergo nec collata ex causa probabiliter tantùm æstimata. Non est valida absolutio collata pœnitenti putatiuè tantùm attrito: ergo nec indulgentia concessa fideli ex causa probabiliter tantùm putata sufficienti: sicut nec indulgentia collata peccatori probabiliter putato iusto. Tertiò, non est adæquatè remissiua reatus pœnitentia iniuncta à confessario probabiliter tantùm putata adæquata reatui. 4. Nullum sacramentũ est validum collatum ex materia, vel forma probabiliter tantùm putata.

Rationes pro parte negante adferuntur.

270. His tamen non obstantibus, communior sententia affirmat. Ita Henriquez lib. 7. de indulgentijs cap. 14. numero 3. Suarez disp. 54. sect. 3. numero 11. & alij multi apud eosdem: sequiturque ex dictis sect. præcedente. Ratio: quia Christus hanc potestatem suo vicario concessit exercendam more humano: mos autem humanus est, vt ex probabili notitia sufficientis causæ Pontifex moueatur ad indulgentiam concedendam: ergo valet indulgentia etiam ex causa probabiliter tantùm putata. Minor constat: quia sæpè homo nequit res, prout in se sunt, attingere, cùm ad illas feratur per alienas, & abstractiuas species. Maior probatur: nam sicut Christus in reliquis, in quibus plenam potestatem suo vicario tradidit, tradidit illam vt exercendam more humano dependenter ab ipsius Iudicio, & prudentia: ita putandum est, eidem tradidisse & hanc. Antecedens constat de potestate, quam Pontifex habet dispensandi in votis, ligandi, & soluendi à censuris, conferendi beneficia, quæ omnia, vt valida rataque sint, sufficit, vt causa, propter quam ad hæc operanda moueatur, probabiliter tantùm putetur sufficiens: Quod sapienter docuit Sanchez lib. 8. de Matrimonio disputatione 17. numero 8. Et ratio est: quia hoc exigit rectus ordo Ecclesiasticus: alioqui maxima foret in Ecclesia turbatio, innumerabilesque generarentur in conscientijs fidelium scrupuli, si dubitare possent de validitate talium actuum.

Communior sententia affirmans Henriquez. Suarez.

Sanchez.

271. Dixi, *in quibus plenam potestatem suo Vicario tradidit*: quoniam in sacramentis exercendis plenam potestatem illi non tradidit, vt eorum validitas penderet ab humano, & prudenti Iudicio ipsius. Nam cùm hæc sint prima Ecclesiæ fundamenta, pendere debuerunt ex solo infallibili iudicio Christi, vt sic stabiliora, ac firmiora forent.

272. Ad 1. rationem oppositæ sententiæ, negatur consequentia. Etenim licet potuerit Christus ratas habere Indulgentias applicatas ab habente tantùm potestatem probabiliter putatam; sicut lex *Barbarius* ratos habet publicos actus celebratos ab habente potestatem vulgò tantùm probabiliter æstimatam; id tamen expediens non fuit, ne occasio daretur fidelibus credendi plura esse in Ecclesia capita: quia cùm ad solum caput Ecclesiæ spectet, Indulgentias dispensare, si quiuis probabiliter tantùm putatus authoritatem habens validè Indulgentias concedere posset, non parua occasio daretur credendi, plura esse in Ecclesia capita, ad quæ talis potestas spectaret. Contrà verò ad conseruandam authoritatem sui vicarij, decens fuit, vt etiam Indulgentiæ ex causa probabiliter tantùm putata, ab ipso concessæ valerent.

273. Ad 2. negatur consequentia: tum quia attritio integrat essentialiter sacramentum pœnitentiæ, in quod Pontifex authoritatem non habet. Tum quia attritio vel essentialiter, vel saltem connaturaliter prærequiritur ad remissionem peccatorum præsertim mortalium. Vnde non solùm necessaria est in sacramento pœnitentię, sed etiam Baptismi, esto ad Baptismum non concurrat vt pars essentialis. Alia verò, quę vel sacramentum essentialiter non integrant, vel nō sunt re ipsa ad effectum sacramenti necessaria, erunt valida, etiam probabiliter tantùm putata: vt si confessarius absoluat à reseruato probabiliter putato non reseruato, valet absolutio.

274. Ad illud, quod dicitur, non valere Indulgentia collata peccatori probabiliter tantùm putato iusto, distinguendum est: nam si ipsemet peccator probabiliter putet se esse iustum, valet Indulgentia, vt præcedenti sect. ostensum est: si tantùm putetur iustus à solo concedente Indulgentiam, non valebit Indulgentia: quoniam vt dispositio ad lucrandam Indulgentiam sit sufficiens, non satis est, vt censeatur sufficiens à solo concedente; sed etiam à recipiente, cùm sit proprius actus ipsius.

275. Ad 3. negatur consequentia: quoniam pœnitentia à confessariò iniuncta, cùm sit pars sacramenti, sicut à Christo habet causare suum effectum; ita causare tantum, vel tantum effectum. Contrà verò Indulgentia sicut à concedente habet suum effectum conferre, ita ab eodem habet tantum, vel tantum effectum conferre, posita tantùm sufficienti causa probabiliter putata. Ad 4. constat ex dictis.

An causa, propter quam conceditur Indulgentia, debeat esse publica?

276. AFFIRMANT Albertus in 4. dist. 20. art. 17. Sotus dist. 21. quæst. 1. articul. 2. §. *At verò*. Fundamentum Soti est: quia thesaurus communis, qualis est Indulgentiarum, nonnisi propter commune bonum validè dispensari potest. Confirmat ex praxi, & vsu Ecclesiæ, quæ semper Indulgentias solita est concedere ob publicas necessitates. *Affirmant Albertus Sotus.*

277. Negant cæteri Scholastici. *Quæ sententia probabilior est:* sufficit enim, vt Indulgentia mediatè tantùm redundet in bonum commune, mediante priuato bono singularis personæ; modò in ea causa iudicetur sufficiens. Cùm etiam bonum personæ particularis spectet ad bonum commune, quod ex particularibus coalescit. Licet igitur Indulgentia, quæ per Iubilæum concedi solet toti Ecclesiæ, vel alicui regno, aut Prouinciæ, postulet causam communem, & vniuersalem Indulgentiæ proportionatam; Indulgentia tamen, quæ conceditur priuatæ personæ, non requirit causam communem, sed sufficit priuata personæ proportionata. *Negant cæteri.*

278. Ad fundamentum Soti, negatur Antecedens: nam etiam ex thesauro communi prouideri potest priuatis necessitatibus personarum, quatenus sunt membra communitatis. Neque facienda est vis in similitudine thesauri temporalis, cuius bona sæpe dispensari non possunt, nisi ob publicas causas: quoniam hæc bona subsunt potestati Reipublicæ, quæ sub hac conditione vult, vt illa distribuantur. Thesaurus autem Indulgentiarum immediatè subest potestati summi Pontificis, qui illum à Christo dispensandum accepit, non solùm pro toto corpore; sed etiam pro singulis membris Ecclesiæ. *Soluitur arg. Soti.*

279. Ad confirmationem negandum est, ita fuisse vniuersalem in Ecclesia vsum concedendi Indulgentias ob publicas causas, vt nunquam legantur concessę ob particulares priuatis personis. Nam & Gregorius VII. vt præcedente sect. vidimus, Indulgentiam concessit Episcopo Leodicensi; & Innocentius IV. sanctę Claræ, dum illam ægrotam inuiseret: & Paulus IV. Ignatio Loyolæ Societatis nostræ Patriarchæ: qui, vt in eius vita lib. 4. cap. 16. scribit Petrus Ribadeneira, proximus morti per Ioannem Polancum suum Secretarium benedictionem, & Indulgentiam suorum peccatorum à Pontifice petiuit, qui, vt idem ipsius vitæ author testatur, *libentissimè impertitus est*. Et licet aduersarij dicere possint, prædictos Pontifices Indulgentias talibus personis *Gregor. 7. Innocent. 4. Paulus 4.*

sonis concessisse, tanquam insigniter benemeritis de Ecclesia, ac proinde ob publicas causas. Non video tamen, cur dici non possit, tam his, quàm alijs priuatis personis Indulgentiam ob solas priuatas causas concedi posse, vel ad eos ad fidem magis excitandos, vel ad animandos ad benè alacriterque moriendum.

An quando causa non est sufficiens pro tota Indulgentia, saltem valeat pro parte, pro qua censetur sufficiens?

280. NEGATIVA pars videtur asserenda: eò quòd Indulgentia valet, pro quanto conceditur: ergò si non habet sufficientem causam pro quanto conceditur, etiamsi habeat pro aliqua parte minori, non erit valida.

Pars affirmatiua probabilior.

281. Affirmatiua tamen pars videtur *probabilior* 1. quoniam vt suprà diximus, quando Episcopus concedit Indulgentiam maiorem, quàm possit, talis Indulgentia erit valida quantum ad id, quod potest: ergo quando Pontifex concedit Indulgétiam X. annorum, quæ non habet causam sufficientem nisi pro V. valebit saltem quoad V. annos. 2. Quando Pontifices Indulgentiam concedunt, habent absolutam, & efficacem voluntatem, vt illa, quantum fieri potest, sit fructuosa ei, cui conceditur: ergo habent implicitam voluntatem, vt si non valeat pro toto saltem valeat pro parte. Vnde Bonifacius VIII. in Extrauagante *Antiquorum*, maiorem concedit Indulgentiam ijs, qui deuotiùs Basilicas sanctorum Petri, & Pauli visitauerint. Ergo signum est, Pontifices habere voluntatem, vt Indulgentia valeat iuxta subiecti dispositionem, & causæ proportionem.

282. Cæterùm quoad praxim nunquam dubitandum est, Indulgentiam à Pontifice concessam sufficienti carere causa: quoniam, vt suprà probatum est, non requiritur, vt causa re ipsa sit sufficiens: sed sufficit, si tantùm probabiliter æstimetur talis. Præsumendum autem est, semper Pontifices Indulgentiam concedere ex causis probabiliter iudicatis sufficientibus: alioqui peccarent, concedendo Indulgentiam ex causa non iudicata sufficienti. Sicut peccarent dispensando in voto ex causa non iudicata sufficienti: quia excederent limites suæ potestatis, quam cum hac conditione à Christo acceperunt.

283. Notat Henriquez lib. 7. de Indulgentijs, cap. 15 num. 2. quando Pontifex pro Indulgentia imponit aliquid indeterminatum, tunc videri intendere, quod non consequatur plenam Indulgentiam, nisi qui ple nè præscriptum opus impleuerit: Vt si concedat Indulgentiam X. annorum quicunque pro sua facultate Eleemosynam fecerit, diuiti paruam Eleemosynam facienti correspondebunt quidem X. anni Canonicę pœnitentiæ extensiuè, non autem intensiuè, vti respondebunt Eleemosynam largienti suæ facultati proportionatam. Etenim cùm variæ fuerunt in primitiua Ecclesia pœnitentiæ pro peccatis assignatæ; quidam enim semel tantùm in hebdomada ieiunabant; alij bis, alij ter: alij insuper preces, & Psalmos addebant, poterit idem pœnitentiæ annus plenior, & intensior respondere vni, quã alteri, secundùm pleniorem pœnitentiam, quàm vnus annus præ alio continebat: & consequenter plus etiam, vel minus remitti de pœna Purgatorij, cui huiusmodi Canonicæ pœnitentię respondebant, vt suprà declaratum est.

An possit Indulgentia esse valida ex malo fine concessa?

284. NEGATIVA pars videtur ex dictis sequi. Cùm enim dictum sit, ad indulgentię valorem requiri causam iustam, & piam, hoc ipso quod concederetur ob malum finem, non esset iusta, & pia, & consequenter ad valorem Indulgentiæ sufficiens. Quia tamen potest Indulgentia ex malo fine concessa habere piam causam externam, vt si Indulgentia concedatur Eleemosynam largientibus pro fabrica templi, quæ tamen à concedente ad malum finem ordinaretur, difficultas tunc est, an in tali casu Indulgentia esset valida.

Respondetur ad difficultatē propositum.

285. Ad quam difficultatem respondendum est cum distinctione: nam vel de malo fine concedentis constat Indulgentiam lucraturo; vel non. Si constat, nequit Indulgentia esse valida: quia nequit Indulgentia esse valida, nisi propter piam causam probabiliter saltem putatam. Cùm enim debeat esse propter aliquid, quod probabiliter putetur magis placiturum Deo, quàm obseruantia ipsa legis de soluenda pœna Diuina voluntate peccatori taxata; cumque nequeat praua causa, cognita vt talis, placere Deo, non poterit esse sufficiens ad Indulgentiæ valorem. Si non constat Indulgentiam lucraturo, & bona fide exequitur ea, quæ pro Indulgentia præscribuntur, valebit Indulgentia. Ratio: quia licet concessio Indulgentiæ deprauetur prauo fine concedentis, haud tamen deprauatur ipsa iniuncti operis executio, quæ honestè supponitur fieri ab ipso indulgentiam lucraturo. Ergo si aliàs tale opus est sufficiens pro concessa Indulgentia, prauus finis concedentis Indulgentiæ valorem non irritabit.

286. Confirmatur vtraque pars: nam causa Indulgentiæ semper est aliqua spiritualis vtilitas Ecclesiæ, saltem mediata, &

gloria Dei, sed quando constat de prauo fine concedentis, nec spiritualis vtilitas Ecclesiæ, nec gloria Dei esse potest: cū nequeat Deus glorificari praua actione tam ex parte concedentis; quàm ex parte recipientis Indulgentiam, qui dum scit prauum finem, propter quem Indulgentia conceditur, moraliter eidem prauo fini cooperatur. Contrà verò, quando prauus finis concedentis non constat Indulgentiam lucraturo, potest saltem ipsa executio operis iniuncti honestè fieri, ac proinde esse vtilis Ecclesiæ, & honorifica Deo, cùm illa non inficiatur ex prauo fine concedentis.

287. Dices. Vt causa ob quam Indulgentia conceditur sit vtilis Ecclesiæ, sufficit, vt sit tantùm temporalis. Potest autem causa temporalis esse vtilis Ecclesiæ, etiamsi praua sit. Respondeo negando maiorem: nam licet possit Indulgentia concedi propter causam temporalem, non tamen propter puram causam temporalem; sed vt ordinatam ad aliquem finem Spiritualem: alioqui concedere Indulgentiam ob purum lucrum temporale esset simonia.

Non licet concedere indulgentiā ob causam puram temporalē.

SECTIO X.

Quot modis possint Indulgentiæ cessare?

288. Qvadrifariam possent Indulgentiæ cessare: Primò ex parte concedentis: Secundò ex parte personæ, cui conceduntur: Tertiò ex parte rei, in qua Indulgentiæ conceduntur: Quartò ex parte causæ, propter quam conceduntur. De singulis dicendum est breuiter.

289. Dico 1. Non cessant Indulgentiæ sola morte concedentis, nisi id saltem implicitè fuerit in concessione expressum. Ratio prioris est: quia Indulgentia est beneficium liberaliter à Principe concessum: beneficium autem, vt constat ex capite *Si super gratia*, de officio & potestate Iudicis legati in 6. non expirat morte concedentis: *Æquum* inquit ibi Bonifacius VIII. *esse censemus, vt sicut ipsa gratia, licet nondum sit in eius executione processum, morte non perimitur concedentis.* Idem sancitur regula 16. iuris in 6. vt beneficium à Principe concessum sit perpetuum. Ratio posterioris est: quoniam nullum beneficium se extendit vltra voluntatem Principis, verbis etiam implicitis expressam. Quod addo propter illa verba *Vsque ad nostrum beneplacitum*: quæ posita in concessione beneficium restringunt ad mortem concedentis: secus si dicatur: *Vsque ad beneplacitum sedis Apostolicæ*: nam hæc est perpetua.

Beneficium non expirat morte concedentis.

Bonifac. 8.

290. Dico 2. Cessant Indulgentiæ per reuocationem concedentis. Ratio, quia indulgentiæ non solùm in fieri; sed etiam in conseruari pendent à voluntate concedentis. Nec est eadem ratio de sacramentis, quę semel data non possunt ampliùs quoad effectum reuocari: nam sacramenta, excepta Eucharistia, consistunt in ipsa actiua datione Ministri, & passiua susceptione subiecti, quæ ad effectum causandum non pendet à voluntate ministri, sed ab institutione Christi. Indulgentia autem consistit in ipsa voluntaria applicatione satisfactionis Christi, & sanctorum, à Pontifice facta, quæ quamdiu effectum non habet, semper pendet à voluntate concedentis, qui semper potest illam reuocare. Nec solùm indulgentia reuocari potest ab ipso concedente; sed etiam à superiore, vel ab æquali. Vnde indulgentia concessa ab Episcopo, reuocari potest à Pontifice: & indulgentia concessa ab vno Pontifice reuocari potest ab alio. Porrò dupliciter indulgentiæ reuocari possunt; vno modo per solum interiorem actum reuocantis: 2. per actum etiam exteriorem. Difficultas est, an reuocari possint per solum actum interiorem.

Indulgentia non tantùm reuocari potest ab ipso concedente.

Tripliciter reuocari possunt indulgentia.

291. Dico 3. possunt indulgentię reuocari solo actu interiori concedentis. Est communis, quam docet Suarez disp. vlt. sect. 2. num. 10. Ratio: quia indulgentia non solùm pendet ab exteriori, sed etiam ab interiori actu concedentis: ergò eo tantùm reuocato, cessat indulgentia. Confirmatur. Etiamsi Pontifex externo actu concedat indulgentiam, si non habet internum, quo velit eam concedere, non valet indulgentia: ergò etiam non reuocato externo actu, interno tantùm reuocato, cessat indulgentia. Quo fit vt solo actu interno posito, non posito etiam externo, non valeat indulgentia: quia hæc ab vtroque actu simul pendet. Sicut etiamsi minister ponat omnia externa Symbola ad sacramentum requisita, solo interno actu non posito, non ponitur sacramentum. Atqui ita pendet Indulgentia quoad suum valorem, etiam postquam concessa est, à voluntate concedentis, vti pendet sacramentum à voluntate ministri, dum perficitur.

Suarez.

292. Dico 4. De facto Indulgentię non cessant, donec earum reuocatio legitimè promulgetur, vt ad notitiā eorū, quibus concessæ sunt moraliter peruenire valeat. Est communis sententia Doctorum. Ratio: quia non præsumitur aliter Pontificem indulgentias reuocare, quàm soleat alias gratias, & indulta.

293. Maior difficultas est, an sit etiam necessarium, vt ipsa actualis notitia reuocationis perueniat ad aures indulgentiam possidentis. Inclinat Filliucius cap. 9. quæst. 8. dicto 3. pro quo etiam citat Nauarrum, & Cordubam. Quam opinionem piam, & fauorabilem, quamuis incertam, putat Suarez.

Filliucius. Nauarrus. Corduba.

294. Mihi verò *probabilis est*, quando cū indulgentia sunt cōiuncta alia priuilegia vt nimirum possit cum indulgentiam lucra-

turo dispensari in votis, absolui à censuris, & casibus reseruatis. Secus, quando cum indulgentia non sunt coniuncta huiusmodi priuilegia. Ratio prioris est: nam ea voluntas præsumenda est in Pontifice, quæ sit magis fauorabilis saluti animarum: talis est voluntas non reuocandi indulgentiam, cum qua sunt coniuncta hæc priuilegia, nisi postquam reuocatio peruenerit ad notitiam eius, cui indulgentia concessa est. Maior probatur: nam semper in reuocatione priuilegiorum præsumitur Pontifex nolle obesse animarum saluti. Minor constat: quia magnum esset onus, si postquam aliquis suam confessionem fecit, & à peccatis & censuris bona fide absolutus est antequam notitiam habuerit reuocationis indulgentiarum, debeat confessionem repetere. Idem dicendum erit de dispensatione votorum. Ratio posterioris est: quia quando indulgentia non habet talia priuilegia annexa, nullum est periculum animarum, si illa cesset, antequam eius reuocatio perueniat ad notitiam eius, cui concessa fuit.

Dupliciter concedi potest indulgentia personæ.

295. DICO 5. Cessat indulgentia, defuncta persona, cui fuit concessa. Notandum, dupliciter posse indulgentiam concedi personæ: Vno modo immediatè ipsi personæ; alio limitatam ad certam rem. Primo modo expirat cum persona: secundo transire potest ad alios, ad quos transit res ipsa, cui indulgentia concessa est.

296. DICO 6. Cessat indulgentia tantùm quoad vsum, accedente personæ, cui indulgentia concessa est, excommunicatione. Ratio: quia excommunicatio priuat subiectum participatione communium bonorum spiritualium, & consequenter participatione indulgentiarum. Dixi, *tantùm quoad vsum*: quia recedente excommunicatione, potest homo vti indulgentia, quam antea habebat.

297. Dubitari potest, an possit indulgentia cessare per solam renuntiationem eius, cui conceditur. Ratio dubitandi: quia sicut non est valida indulgentia, si non acceptetur; ita nec si acceptata renuncietur. Resp. tamen negatiuè, nam esto possit quis per renuntiationem priuare se vsu indulgentiæ, haud tamen tollere potest virtutem ipsius. Quòd inde patet, nam etiam post renunciationem, poterit, si velit, illa vti, eiusque fructum percipere. Ratio est, quia renunciatio indulgentiæ non irritat voluntatem concedentis, à qua virtus indulgentiæ pendet.

298. Ad rationem dubitandi negandum est, indulgentiam, si non acceptetur, non esse validam defectu acceptationis, sed defectu concessionis: nam hoc ipso, quod non acceptatur, Pontifex censetur reuocare suam concessionem. Vnde si fingatur, Pontificem concedere indulgentiam Petro non acceptanti, indulgentia erit valida quoad actum primum: quia deposita renunciatione, poterit Petrus illam lucrari; cùm ea supponatur habere consensum concedentis, à quo indulgentia habet suam virtutem.

299. DICO 7. Cessat indulgentia, perdita, vel destructa re, in qua conceditur. Ratio, quia talis indulgentia data est dependenter à tali re; qua pereunte, cessat indulgentia.

300. DICO 8. Inualida est posterior indulgentia concessa loco habenti aliam indulgentiam, nulla facta mentione prioris indulgentiæ in petitione posterioris: constat ex 57. regula Cancellariæ, in qua statuitur, irritam esse posteriorum Indulgentiam, si nulla mentio fiat prioris: nam tunc posterior habetur vt subreptitia.

301. DICO 9. Non cessat indulgentia, cessante causa, propter quam concessa est. Ratio: quia causa non debet proportionari indulgentiæ quoad durationem: potest enim concedi indulgentia perpetua propter fabricam templi intra vnum mensem absolutam. Ex dictis in præcedente sect. constat, quod si Indulgentia concessa pro semper, non sit sufficiens nisi pro determinato tempore, valitura sit pro eo determinato tempore pro quo censetur sufficiens.

Atque hæc de Indulgentijs, ac de tota Theologia Scholastica, quæ in Scholis nostris vbique terrarum doceri, atque explicari solet, hoc postremo tomo concludo, anno reparatæ salutis M. DC. XXXX. confirmatæ Societatis IESV *centesimo in Cæsareo atque Academico Collegio Viennensi eiusdem Societatis* IESV, *Vrbano VIII. Pontifice Maximo, & Ferdinando III Romanorum Imperatori Augustissimo Christianam Rempublicam gubernantibus. Quem tomum vnà cum reliquis meis omnibus, quos hactenus impressi, vel impressurus sum, Ecclesiæ Romanæ Censuræ reuerenter submitto: in cuius emolumentum atque vtilitatem, vt totum hoc mei Theologici cursus opus triginta duorum annorum labore elucubratum cedat, precor Deum Ter. Opt. Max. cuius gloriæ & honori totius Societatis nostræ desudat industria.*

TYPOGRAPHVS LECTORI.

DEDISSEM publicæ luci quartum & quintum Tomum subtilissimi huius Clarissimiq; Auctoris, eodem anno, quo octauum hunc, Studiose Lector, votisq; tuis fecissem satis, vt meis; nisi dedito præter spem omnem Regi Galliæ Atrebato, Duacum nimis vicinum cum sua Vniuersitate florentissima hæsisset attonitum. Typi nihilominus nostri sudant, non bellicis terroribus, sed veris laboribus, qui tanti operis immortalitatem spectant. Omnia me antè deficient, quàm expectationem Tuam diutius suspendam, nedum fallam. Inuito Marte ac Bellona, gemellos tomos enitor quartum & quintum: Nec desiderari ab orbe patiar alia tanti Auctoris opera. Certior per Tomos sex esse potes, an quidpiam doctrinæ Theologicæ antiquioris aut recentioris, Scholasticæ aut Moralis omittat; an totam fidelissimè breuissimeq; alleget, an sententias suas solidissimis Philosophiæ principijs nõ fulciat, stabiliatq; neruosissimè ac summo iudicio; an vllam Theologiæ difficultatem defugiat; an quæstionibus recens natis lucem non afferat opportunam: Tuum de his erit iudicium, Candide Lector; meum est votis Tuis & Orbis promptissimo typorum sudore obsequi, & de literarum studijs bene mereri, aduersa etiam bellorum tempestate.

FACVLTAS R. P. PROVINCIALIS PROVINCIÆ AVSTRIACÆ.

CVM Sacræ Cæsareæ Maiestatis decreto omnibus & singulis Typographis & Bibliopolis, ac alijs quamcunque librariam negotiationem exercentibus seriò, firmiterque inhibeatur, ne quisquam vllos libros à nostris Patribus hactenus editos, vel imposterum edendos, intra Sacri Romani Imperij Regnorum, & Dominiorum suæ Cæsareæ Maiestatis hæreditariorum fines, simili vel alio characteris genere, aut forma, siue in toto, siue in parte recudere, vel aliò recudendos mittere, aut alibi etiam impressos adducere, vendere, & distrahere, clam, seu palam, citra iudicium ac testimonium supradictorum Patrum audeat, vel præsumat: Concedo ego IOANNES RVMER Societatis IESV per Austriæ Prouinciam Præpositus Prouincialis (potestate mihi ad id facta ab Admodum R. P. N. Generali Mutio Vitellesco) soli Viduæ BALTAZARIS BELLERI Duacensis Typographi facultatem excudendi CVRSVS THEOLOGICI Tomum VIII. de Sacramento Pœnitentiæ & Extremæ-vnctionis à R. P. FRANCISCO AMICO Societatis Nostræ Theologo conscriptum, atque à deputatis ad id Patribus lectum, & approbatum. In quorum fidem hoc ei testimonium, & Priuilegium ad decennium manu nostra subscriptum & sigillo munitum dare voluimus.

Viennæ 5. Ianua. Anno M. DC. XXXX.

IOANNES RVMER.

INDEX
OMNIVM QVÆ IN HOC VIII. TOMO CONTINENTVR.

PRIOR NVMERVS DISPVTATIONEM; POSTERIOR verò eiusdem disputationis numeros, in quos vnaquæq; à principio ad finem vsque partitur, designat.

Abbas.

Episcopi, vel Abbates Episcopalem Iurisdictionem habentes non egent approbatione. disp. 15. num. 97.
Approbationem dare possunt Episcopi; abbates autoritatem Episcopalem exercentes. Vicarij Episcoporum. 15. 106.
Abbatibus non competit potestas Indulgentias concedendi. 20. 120.

Abbatissa.

Abbatissa licet sit exempta, non habet facultatem in iure eligendi sibi confessarium absque licentia superioris. 15. 55.

Absolui, Absoluo, Absolutio.

Actus quo Sacerdos pœnitentem absoluit, est iudicialis. 10. 62.
Cur sententia absolutoria verbis proferri debeat. 11. 46.
Sacerdos per hæc verba, Ego te absoluo à peccatis, *verè pœnitentem absoluit à culpa, & pœna æterna.* 11. n. 80.
Probabilius est superiorem non posse absoluere tantùm à reseruatis sine vrgente causa. 13 189.
Etiamsi peccato reseruato sit annexa excommunicatio, adhuc potest in casu vrgentis necessitatis inferior Sacerdos indirectè absoluere à tali peccato, cum onere petendi à Superiore absolutionem ab vtroque. 13. 214.
Extra casum reseruatum etiam cum onere comparendi coram superiore, non potest inferior Sacerdos absoluere pœnitentem habentem casum reseruatum. Valida tamen erit absolutio si intercedat bona fides pœnitentis. 13. 221.
Potest confessarius absoluere eum, quem euidenter scit peccatum commisisse, nec esse confessum. 13. 331.
An quilibet Sacerdos completam potestatem habeat absoluendi quemlibet in foro pœnitentiæ, sententia affirmans verior. 15. 4.
Adferuntur quatuor modi explicandi sententiam affirmantem. 15. 4. & seqq.
Quis sit probabilior modus explicandi, asseritur. 15. 12.
Potestas absoluendi, necessariò præsupponit potestatem consecrandi. 15. 27.
Potestas absoluendi separari potest à potestate consecrandi, & cur. 15. 27.
Quando Sacerdos accipiat potestatem consecrandi, & quando potestatem absoluendi. ibid.
Qui ob solum defectum interioris dispositionis à confessario in ipsa sacramentali duntaxat confessione deprehensum non absolueretur, posset pœnas ab Ecclesia impositas incurrere. 18. 118.
Phreneticus potest post phrenesim vnius anni vi præteriti doloris à peccatis absolui. 12. 78.
Probabilius est generaliter absolutum à superiore, non posse deinde quoad reseruata oblita a quocunque absolui ex voluntate Superioris præsumpta ex generali absolutione, nisi voluntas Superioris aliunde constet. 13. 241.
Potest sacramentaliter absolui qui signa tantùm ostendit contritionis. 13. 248.
Potest moriturus absente Sacerdote absolui ab excommunicatione etiam publica, & reseruata à Clerico tantùm tonsurato, imò secundùm Dianam à Laico. 13. 151.
Pontifex potest à quolibet Sacerdote cui se sponte submisit, absolui. 15. 13.
Absolutio *in sacramento pœnitentiæ non requiritur, vt dispositio ad gratiam sed vt causa extrinseca.* 15. 46.
Sacramentalis absolutio, est vltima sententia decretoria, absoluens reum ab omni vinculo peccatorum, quo ligatus tenebatur. 9. 68.
Vis sacramenti pœnitentiæ, non in sola absolutione, principaliter tamen in ea sita est. 10. 38.
Quomodo absolutio sit vltimum complementum sacramenti pœnitentiæ. 10. 79.
Dans absolutionem in plurali validè facit, sed peccat venialiter. 11. 34.
Superfluè in forma absolutionis infertur distributiuum omnibus. 11. 36.
Superfluè additur in forma absolutionis, à peccatis confessis, à peccatis contritis. 11. 37.
Absolutio à peccatis est sacramentalis, ab Excommunicatione non est sacramentalis; sed fori contentiosi. 11. 29.
Absolutio est actus authoritatem exercentis. 11. 37.
Absolutio forma Græcorum non deprecatiuo, sed imperatiuo modo profertur. 11. 39.
De essentia formæ absolutionis est vt proferatur voce humana. Exceptio firmat regulam. 11. 44.

An sacramentalis absolutio impendi possit absenti? referuntur varia sententia. 11. 48. *& sequentibus.*

Forma absolutionis postulat præsentiam reale. 11.70

Verus sensus formæ absolutionis assignatur. 11.89

Cur ad absolutionem, & consecrationem sine intentione prolatam non sufficiat si virtualiter repetatur, sufficiat vero confessionis repetitio virtualis. 12.67

Absolutio Ministri ex intentione mortaliter mala non irritat sacramentum. 13.2

Illicitum est sacramentalem absolutionem iterare super eadem peccata noua confessione non informata; nisi fortè Sacerdos dubitet inualidam fuisse priorem defectu attentionis vel debitâ pronunciationis. 13.32

Quid faciendum à Ministro in dubio an fuerit absolutio valida, & quomodo eam liceat iterare. 13.33

Vna sacramentalis absolutio, cadens super peccata multorum, plura numero sacramenta potest constituere. 13 34

Absolutio potest habere effectum, ac proinde esse efficax & fructuosa, etiam cadens supra peccata iteratò confessa. 13.40

Tam nequit absolutio dimidiari quàm confessio. 13.194

Cur per generalem absolutionem Censura tolli possint, & non reseruari casus. 13.245

Absolutio sacramentalis dari non potest dependenter à conditione futura. 13.246

Quæ sit Materia Sacerdotis absoluentis? 15.21

Pœnitentia sacramentalis non valet conferre suum effectum ex opere operato ante absolutionem sacramentalem. 16 87

Quando sit imponenda noua pœnitentia ei, qui cum nouis peccatis, statim post sacramentalem absolutionem ad confessionem redit. 16.114

Verbum absoluo *in sacramento pœnitentiæ propriè sumitur, contra Abulens.* 11.21

Sacerdos per hæc verba. Ego te absoluo à peccatis, verè pœnitentem absoluit à culpa, & pœna æterna. 11.71. *& seqq.*

Reijciuntur plures modi quibus Sacerdos absoluere dicitur à peccatis. 11 86

Cur sententia absolutoria verbis pronunciari debeat. 11.46. Vide *confessio.*

Actus, actio.

Actus supernaturales sunt productiui specierum supernaturalium & non naturalium. 1.94. 97

Omnis actus reflexus circa actum directũ supernaturalem, supernaturalis est. 1.125

Repugnat actum fieri Physico concursu gratiæ, & non esse in entitate supernaturalem. 2. 3

Actus pœnitentiæ non potest esse naturalis, sed supernaturalis, non solùm quoad modum, sed etiam quoad substantiam. 2.34 *& seqq.*

Actus quo Hæreticus credit articulum fidei, est naturalis. 3.37

Actus inefficax est verè virtuosus licet imperfectè. 3.44

Non omnis actus meritorius est dispositio cum sacramento ad iustificationem. 3 49

Penes motiua & obiecta sumẽda est distinctio actuum. 3.57

Actus pœnitentiæ extrinsecè tantùm coniunctus cum actuali motione Dei; non est vltima dispositio ad iustificationem. d. 4. 18

De essentia actus liberi est actiuè procedere à principio intrinseco. 4. 22

Potest quis vno actu ferri in plura aliquo ordine inter se connexa. 4. 25

Actus principaliter specificatur ab obiecto quo. 4.26

Quid sit vnum actum virtute contineri in altero. 4. 34

Peccator interdum iustificatur per actum pœnitentiæ, interdum per actum Charitatis, cum voto saltem implicito pœnitentiæ formalis. 4.78.

Nullus actus elici potest sine suo motiuo formali expressè volito. 4. 120

Tota specificatio liberi actus in Deo sumitur ex obiecto. 6.140

Circumstantia ingratitudinis non confert actui nouam speciem malitiæ, nisi expressè intendatur. 7. 14

Non implicat redire eundem numero actum Physicum peccati. 7.25

Actus indiuiduantur ex concursu Dei. 7.25

Ad indiuiduationem actus, non concurrit Deus vt primò determinans, sed vt determinatus ab ipsa creata voluntate. 7. 26.

Non repugnat diuinæ bonitati, vti miraculis, ad reproducendum actum peccati. 7.32

Nequit actus supernaturalis specificari ex motiuo naturali. 12. 50

Actus naturalis circa motiuum supernaturale, non potest versari formaliter, sed tantùm materialiter & terminatiuè. 12. 43

Eadem lege præcipitur actus & medium ad actus executionem necessarium. 17.25

Omnes actiones morales debent diuino dictamini positiuè conformari. 1. 71

Repugnat actionem mutari intrinsecè non mutata entitate termini. 4.21.

Actio est ipsa formalis communicatio termini. 4.21

Implicat vnam & eandem actionem esse, simul entitatiuè naturalem & supernaturalem. 4.22

Supposito quod aliquam actionem exercemus naturali iure, tenemur illam integram exercere. 4 59

Adulterium *quid importet supra fornicationem* 13. 91

Affectus *internus quando sit perfectus.* 7. 14

Affirmatione *in vna implicitè potest intelligi alia.* 20. 57.

Amor *virtualis inclusus in cõtritione in quo differat à formali.* 2. 26

Angeli *mutare possunt sententiam sed difficulter.* 1. 140.

Cur non repugnet fuisse habitum pœnitentiæ infusum Angelis viatoribus. 1. 140

Apostatæ. 17.34

Apostoli *iure Diuino acceperunt potestatem absoluendi quoscunque ad se accedentes.* 15. 14

Approbare, Approbari, Approbatio.

Duo sunt modi approbandi. 15. 91

Non potest Sacerdos regularis, approbatus tantum ab Episcopo audire confessiones secularium, sine facultate sui Prouincialis: potest tamen eligi sine facultate sui Prouincialis, à quolibet siue seculari, siue Regulari per bullam siue Iubilæum. 15. 112

A quo Episcopo debeat approbari Sacerdos vt idoneus ad hoc munus reputetur. 15. 113

Approbatus ab uno Episcopo, censetur approbatus pro tota Ecclesia per se, potest tamen adhuc Episcopus unius Diœcesis examinare Sacerdotem Episcopi alterius Diœcesis, ut illi oues suas committat: quilibet Sacerdos approbatus absolutè à suo ordinario, eligi potest à quolibet per priuilegium Bullæ aut Iubilæi 15. 125

Sacerdos approbatus pro uno tantùm loco vel diœcesi, non potest eligi nisi ab incolis illius loci aut diœcesis. 15. 125

Potest Episcopus noua suborta causa approbationem semel datam reuocare. 15. 132

Potest Episcopus Sacerdotem regularem ab alio Episcopo approbatum, iterum pro sua Diœcesi approbare. 15. 133

Potest Episcopi successor iterum approbare Regularem approbatum à suo prædecessore. 15. 134

Non potest Episcopus Sacerdotem Regularem ante ab ipso approbatum, si postea mutauit domicilium, iterum ipsum examinare, cùm denuo ad eius Episcopatum reuertitur, nisi noua suborta causa. 15. 135

Approbatio Episcopi ad sacramentum pœnitentiæ conficiendum requiritur. 15. 91

Vtrum approbatio per antecedens examen, aut alio modo quo Episcopo visum fuerit facta, sit necessaria necessitate sacramenti an tantùm præcepti. 15. 93

Ab approbatione non eximitur publicus Doctor aut Lector Theologiæ. 15. 95

Approbatio Episcopi non est necessaria pro absoluendis iis qui constituti sunt in articulo mortis. 15. 96

Superiores Religionum egent approbatione Episcopi. 15. 97

Quinam possint approbationem dare. 15. 106

Approbatio Episcopi reipsa obtineri debet, nec sufficit petita. 15. 107

Episcopus iniustè negans approbationem peccat. 15. 107

Approbatio Regularis ab Episcopo facta qua indicatur idoneus ad confessiones audiendas sufficit, nec requiritur alia superioris proprij. 15. 110

Præter approbationem ordinarij requiritur etiam iurisdictio à proprio Superiore, ut secularium confessiones audiat Regularis. 15. 110

Episcopus potest simul cum approbatione dare etiam Iurisdictionem Sacerdoti Regulari habitanti intra suam Diœcesim absque ulla licentia sui superioris, quantum attinet ad validitatem sacramenti. 15. 111

Habens Parochiale beneficium potest ubique eligi ad confessiones audiendas, absque noua approbatione. 15. 124

Sacerdos mutans domicilium ex una Diœcesi in aliam ut sit idoneus ad audiendum confessiones illius Diœcesis, ad quam migrat & aliorum, eget noua approbatione Episcopi sub cuius Diœcesi fit. 15. 126

Non tamen eget noua approbatione si postea ad eandem Diœcesim redeat. 15. 126

Idem dicendum de Religiosis, qui ex una Diœcesi migrant in aliam. 15. 126

Potest Episcopus noua suborta causa approbationem semel datam non solum à Sacerdote seculari sed etiam à Regulari reuocare. 15. 132

Argumentum; qui potest maius, potest & minus, non valet nisi quando potestas minor includitur in maiori. 19. 47

Attritio.

Attritio implicitè ordinatur ad Deum. 3. 4

Attritio est sufficienter libera, licet sit ex metu concepta. 3. 6

Attritio ut cum sacramento sufficiat ad iustificationem, debet includere spem veniæ. 3. 12

Quæ peccati turpitudo sit sufficiens motiuum Christianæ attritionis. 3. 15

Peccatum contra Deum finem naturalem non deletur sola attritione naturali, sed contritione naturali. 3. 15

Attritio implicitè & mediatè conuertit peccatorem ad Deum. 3. 20

Attritio detestatur peccatum ut est offensa Dei implicitè, non explicitè. 3. 22

Attritio nunquam fieri potest contritio intrinsecè, sed extrinsecè. 3. 22

Sola attritio supernaturalis quoad substantiam est sufficiens dispositio cum sacramento ad iustificationem. 3. 31

Non omnis attritio supernaturalis quoad substantiam est sufficiens cum sacramento ad iustificationem. 3. 39

Attritio inefficax elicita ex motiuo supernaturali est supernaturalis quoad substantiam. 3. 41

Attritio requiritur ad sacramentum ut extrinseca causa productiua gratiæ, & ut intrinseca dispositio ad eandem gratiam reijciendam. 3. 46

Ad effectum sacramenti consequendum non sufficit attritio supernaturalis extrinsecè. 3. 48

Attritio non euadit supernaturalis per passiuam ordinationem ad effectum supernaturalem sacramenti. 3. 48

Attritio ex speciali auxilio ordinis naturalis elicita est insufficiens dispositio ad iustificationem in sacramento. 3. 54

Attritio & contritio distinguuntur inter se per diuersa motiua formalia. 3. 58

Non quæuis attritio supernaturalis exponitur cuilibet peccato. 3. 60

Attritio potest esse informis, contritio non item. 3. 61

Non semper una attritio, etiam si sit efficax respectu peccati quod detestatur sufficit ad iustificationem peccatorum in sacramento obtinendam. 3. 62

Duplex est attritio altera Vniuersalis, altera particularis. 3. 64

Quando attritio censeri possit vniuersalis. 3. 66

Vt attritio sit cum aliquo sacramento sufficiens dispositio ad iustificationem sufficit ut illa ex quocunque motiuo supernaturali eliciatur. 3. 67

Supernaturalis attritio non est condigna satisfactio pro offensa veniali. 6. 105

Maiori iure contritio exigit remissionem venialis quàm attritio. 6. 111

Nec attritio nec contritio per se sumpta sunt adæquata abstersio maculæ venialis peccati, sed ut coniuncta cum restitutione specialium auxiliorum, in odium peccati subtractum. 6. 117

Tum attritio quàm contritio vocatur à Tridentino pœnitentia. 9. 75

Attritioni sacramentali magis intrinseca est detestatio præteritæ vitæ, quàm propositum emendationis futuræ. 12. 15

Attritio ad effectum sacramenti requisita debet esse supernaturalis. 12.25
Ad attritionem sufficientē ad effectum sacramenti pœnitentia motiuum debet esse supernaturale. 12.30
Attritio in confessione mortalium debet esse vniuersalis, vel ex motiuo cadente per se super omnia peccata, vel certè ex singulis peccatis mortalibus debent singula elici attritiones particulares, quæ singula expressè cadant super singula peccata, implicitè autem & virtute super omnia. 12.32
Attritio in confessione venialium non necessario debet esse vniuersalis. 12.32
Attritio in sacramento pœnitentiæ non est sola obicis remotio sed pars essentialis. 12.34
Attritio sufficiens ad effectum sacramenti debet esse supernaturalis quoad substantiam. 12.35.& seqq.
Non necessario debet attritio tempore vel natura præcedere confessionem. 12.58
Infirmus qui defectu doloris supernaturalis inuincibiliter ignorati confessus est & communicauit inualide, vt sacramenti Extrema-vnctionis virtute iustificetur, debet elicere attritionem saltem supernaturalem. 19.115
Infirmus qui existens in peccatis cum sola attritione incidit in phrenesim, si postea aliquem habeat vsum rationis, nec vllum dare possit signum confessionis, tenetur conari ad actum contritionis, vt saltem probabiliter putet se ad hoc sacramentum Extrema-vnctionis accedere in statu gratiæ, vt à peccatis iustificari possit. 19.116
Attritio virtualis quæ. 6.56. vide contritio.
Auersio ab vltimo fine est fundamentum inimicitiæ inter Deum & peccatorem. 48
Eadem priuatio specialium auxiliorum, & habet rationem maculæ, & rationem auersionis Dei à iusto. 6.139

Auxilium & Auxilia.

Per subtractionem auxilij sufficientis tollitur potentia ad bonum. 5.53
Quædam auxilia diuina sunt cōmunia cuiuis iusto debita; hæc non amittuntur per venialia. 6.78
Principium cui debentur auxilia diuina est duplex permanens & transiens. 6.79
Quotuplex sit genus auxiliorum diuinorum. 6.139
Eadem priuatio specialium auxiliorum, & habet rationem maculæ & rationem auersionis Dei à iusto. 6.39
Posita retractatione iusti cōfirmantur specialia auxilia iure & virtute. 6.154
Ius ad specialia auxilia fundatur in ipsa promissione & pacto Dei inito cum iustis. 6.156
Non datur summum auxilium gratiæ, quo maior dari non possit. 8.49

Baptismus, Baptizatus.

Ad Baptismum accedens cum perfecta contritione priusquam illum suscipiat accipit remissionem peccatorum. 5.32
Baptismus fictè susceptus, recedente fictione reuiuiscit ad totum effectum quem contulisset sine fictione susceptus. 8.9
Baptismus immediatè ordinatur ad Characterem, vltimate & Principaliter ad gratiam regeneratiuam. 8.12.
Baptismus, Confirmatio & ordo complentur in ratione sacramenti per ipsum spiritualem characterem. 13.66
Ad Baptismi susceptionem iure Diuino tenentur omnes. 17.7
Dupliciter gentiles obligantur ad Baptismum suscipiendum. 17.39
Dispar est ratio in materia Baptismi Eucharistiæ & Extrema-vnctionis. 19.43
In forma Baptismi exercitè exprimitur remota materia per ipsam absolutionem. 19.87
Baptismus tollit obstaculum peccati originalis. 19.113.
Character est causa initerabilitatis Baptismi, Confirmationis, Ordinis. 19.182
Præceptum confessionis obligat omnes Baptizatos habentes conscientiam peccati mortalis. 17.34
Beatitudo includit securitatem. 5.44
Beatitudo mensuratur ex perfectione visionis Dei. 8.31
Beati non omnia per species intuitiuas, sed aliqua etiam per species tantum abstractiuas intelligunt. 1.91
In Beatis manet habitus spei. 1.134
Cur fides non maneat in Beatis. 1.136
Benedictio Episcopi essentialiter requiritur ad naturam sacramenti Extrema-vnctionis sine qua irritum esset hoc sacramentum. 19.40
Quænam Episcopi benedictio requiratur & sufficiat ad sacramenti Extrema-vnctionis validitatem. 19.51
Beneficium est quidam fauor procedens ex liberali & benigna voluntate Principis ad honorandam personam cui confertur. 20.72
Vt dispensatio voti, ligatio atque solutio à Censuris, collatio beneficiorum valida & rata sit sufficit vt causa propter quam ad hæc operanda mouetur Pontifex probabiliter tantùm putetur sufficiens. 20.270.
Beneficium non expirat morte concedentis. 20.89
Nullum beneficium se extendit vltra voluntatē Principis verbis saltem implicitis expressam. 20.289
Bestialitas nec diuersificatur à diuersitate suppositorum nec brutorum. 13.92
Bonum morale merè naturale nullam habet connexionem ex natura sua cum gratia. 2.45

C.

Capitulum sede vacante. 15.106
Concilium Prouinciale non habet potestatem indulgentias concedendi nisi ratione Episcoporum in eo inclusorum, neque capitulum diœcesanum sede vacante. 20.140
Cardinales eorumq; familia immediatè subijciuntur Pontifici. 15.46
Cardinales habent facultatem in iure eligendi sibi confessarium absque licentia superioris. 15.55
Approbationem dare non possunt Cardinales Episcopalem iurisdictionem non habentes. 15.106
Nec Abbatibus nec Cardinalibus competit ordinaria potestas indulgentias concedendi. 20.120
Officium Cardinalis tantum est esse consiliarium Papæ in eoq; eligendo ius suffragij habere. 20.120

Casus

Casus reseruati.

In casibus reseruatis nihil potest directè inferior Sacerdos nisi in articulo mortis vel in probabili periculo mortis. 13.183

Non solum peccata externa sed etiam interna, & pure mentalia (non tamen venialia) à Prælatis & superioribus reseruari possunt. 13.184

Probabilius est superiorem non posse absoluere tantū a reseruatis sine vrgente causa. 13.189

Probabilius est inferiorem non debere reconfiteri reseruata, quando absolutus tantùm à reseruatis, mittitur absoluendus à non reseruatis. 13.196

Vrgente necessitate tuendi vitam famam, vitandi scandalum, aut seruandi praeceptum annuæ confessionis potest inferior Sacerdos pœnitentem directè absoluere à non reseruatis, indirectè vero à reseruatis, cum onere adeundi superiorem pro reseruatis. 13.205

Etiamsi peccato reseruato sit annexa Excommunicatio, adhuc potest in casu vrgentis necessitatis inferior Sacerdos indirectè absoluere à tali peccato cum onere petendi à superiore absolutionē ab vtroq;. 13.214

Extra casum reseruatam etiam cum onere comparendi coram superiore, non potest inferior Sacerdos absoluere pœnitentem habentem casum reseruatum, valida tamen erit absolutio, si intercedat bona fides pœnitentis. 13.221

Si confessarius regularium petat licentiam absoluendi à reseruato casu possitne absoluere non obtenta licentia? 13.224

An absente superiore per vnum diem naturalem à domo, possit Minister aut eius vicarius concedere facultatem absoluendi à reseruatis absque onere obligandi pœnitentem ad comparendum coram superiore cùm domum redierit. 13.230

Probabilius est pœnitentem teneri in casu necessitatis simul cum non reseruatis confiteri etiam reseruata inferiori Sacerdoti. 13.233.

Quando ex causa pœnitens absoluitur à superiore a reseruatis directè, indirectè à non reseruatis, & postmodum ab inferiore Sacerdote absoluitur à non reseruatis duplex fit sacramentum. 13.237

Probabilius est generaliu est generaliter absolutum à superiore, non posse deinde quoad reseruata oblita à quocunque absolui ex voluntate superioris præsumpta ex generali absolutione, nisi voluntas superioris aliunde constet. 13.241

Cur per generalem absolutionem censuræ tolli possint, & non reseruari casus. 13.245

Cur possit quis absolutus à reseruatis virtute alicuius Bullæ aut Iubilæi de oblitis absolui etiam transacto tempore Iubilæi. 13.246

Qui fictè confitetur superiori reseruata manet absolutus quoad obligationem ea manifestandi iterum superiori. 13.146

Potest Sacerdos habens casum reseruatum cum Excommunicatione vrgente necessitate inferiori Sacerdoti confiteri, non tamen tenetur. 12.269

Qui habent casum reseruatum & præuidet defuturum sibi confessarium idoneum, tenetur præuenire tempus, vt per idoneum absolui possit. 1892.

vide *confessio, dispensatio.*

Causa *nulla producit effectum suum nisi constituta in suo esse.*

Causare *effectum per se est vi suæ primæ institutionis ad illum causandum ordinari.* 19.120

Character *sacramentalis manet in damnatis & non abolelur per peccatum.* 7.10

Per characterem cōplentur in ratione sacramenti Baptismus, Confirmatio, Ordo. 13.66

Character est causa initerabilitatis Baptismi, Confirmationis, Ordinis. 19.182

Sacramenta quæ characterem non imprimunt sunt iterabilia. 19.182

Charitatis *Dei super omnia actum qui elicuit non tenetur postea ad pœnitentiam formalem exercendā ex motiuo charitatis, sed potest illam exercere ex quouis motiuo alio inferioris virtutis.* 4.80

Motiuum Charitatis virtualiter est diuisibile. 4.124

In articulo mortis tenemur ex præcepto charitatis erga nos ipsos, si aliter non possumus per interpretem, imò & coram alijs etiam cum notabili detrimento famæ sacramentaliter confiteri, si moraliter certi non sumus de contritione. 17.67

Contra inclinationem charitatis facere negatiuè non est peccatum. 9.57

Habitus luminis & charitatis non excedunt gratiam. 8.54.

Christus, Chrisma.

Pœnitentia est in Christo secundùm affectum seruandi illæsum ius Diuinum & detestandi peccata ab alijs commissa. 1.14

Qua ratione Christus liberè operatus sit in operibus præceptis. 7.30

Christus nullum sanauit in corpore, quin etiam sanaret in anima. 19.8

Est in Ecclesia spiritualis quidam thesaurus, constans ex Christi & sanctorum satisfactionibus. 20.6

Christi passiones, & multorum sanctorum satisfactiones non sunt sufficienter a Deo remunerata. 20.7

Opera satisfactoria Christi, habent infinitam vim satisfaciendi ob vnionem cum persona verbi. 20.8

Satisfactio dignitatem sumit a persona satisfaciente.

Omnis remuneratio quam Christi opera habuerunt fuit finita. 20.8

Quidquid Christus meruit aut satisfecit totum cessit in nostrum meritum & satisfactionem. 20.12

Posse opera alijs applicare quoad rationem meriti speciale Christi priuilegium est. 20.14

Omnia opera tam Christi quàm sanctorum quæ non fuerunt condignè remunerata, manet sub potestate & dominio Ecclesiæ fidelibus dispensanda. 20.12

Per Chrisma in Concilijs, & à Pontificibus aliquando intelligitur simplex vnctio. 19.33

In Pontificali Romano simplex oleum appellatur Chrisma. 19.33.

In casu necessitatis potest loco olei Sacerdos vti Chrismate. 19.35

Circumstantiæ *notabiliter tantùm aggrauantes sunt confitenda.* 13.110

Circumstantia cognationis spiritualis, non autem filiationis spiritualis est explicanda. 13.116

Duæ solum modo circumstantiæ notabiliter aggrauantes sunt sub præcepto manifestanda, quantitas damni & diuturnitas actus. 13.118

Regula, ad dignoscendas circumstantias notabiliter aggrauantes. 13.119

Clauibus indirectè subyci quid est ? 13. 132
Duæ sunt claues Ecclesiæ, altera scientiæ, altera potestatis. 15. 28
Virtus Clauium mediatè se extendit ad alterius, quàm pœnitentis bonum. 16. 63
Claues non solum sunt ad ligandum absolutè & sub peccato, sed etiam conditionatè & sub pœna tantùm. 16. 86
Sacerdos non potest virtute clauium obligare alium ad satisfactionem pro pœnitente exequendam, etiamsi is sponte se offerat ad huiusmodi pœnitentiam exequendam. 16. 105
Claues Sacerdotis non extendunt se, nisi ad pœnitentem. 16. 105
Cognationis spiritualis circumstantia, non filiationis spiritalis est explicanda. 13. 116
Coitus frigidi & Eunuchi reducitur ad peccatum contra naturam. 13. 91
Coitus cum Dæmone reducitur ad Sodomiam. 13. 92
Cœmeterium in fauorabilibus semper comprehenditur nomine templi. 20. 86

Communicare, Communio.

Damnatus ad mortem tenetur si potest ieiunus communicare. 18. 104
Si quis praeueniendo articulum mortis non posset ieiunus communicare, teneretur communicare non ieiunus. 18. 104
Non potest occulto peccatori confesso & non absoluto petenti communionem denegari, potest tamen & debet si sit publicus. 14. 10
Probabile est, quod qui in Paschate legitimè impeditus, sacram communionem distulit vsque ad Pentecosten possit etiam cum communione maioris commoditatis causa differre cōfessionem praecedentis anni. 18. 88
Tempus Paschale communionis non nunquam praeueniendum est. 18 93.
Quam pœnam incurrant iure communi transgressores huius praecepti. 18 106
Pœna statuta capite Omnis est propter transgressores praecepti confessionis vel communionis. 18. 107
Communio sacra concupiscentiæ ardorem restinguit. 19. 113
Concubitus cum infideli Iudæa, turca, specialem malitiam addit fornicationi. 13. 91
Concursum actus peccaminosi reproducendo eundem numero, Deus non est causa particularis. 7. 31
Conditio de futuro non suspendit effectum de praesenti. 7 45
Cōdonatio extrinseca Dei nō debet peccatū moraliter efficienter. 6. 127
Deus per extrinsecam condonationem cedendo iuri indignationis, non tollit peccatum. 6. 131

Confessarius, Confessio.

Quo sensu confessarius sit iudex arbitrarius. 10. 53
Confessorem oportet esse cautum in circumstantia complicis exigenda. 13. 178
Non potest confessarius complicem monere, nisi de licentia pœnitentis, quæ tamen sola sine complicis consensu sufficit. 13. 179
An teneatur confessarius monere pœnitentem bona fide, sed inualidè confessum. 13. 326
Quando confessarius teneatur pœnitentem instruere de rebus necessarijs, quarum ille inuincibili ignorantia laborat. 13. 327
Si confessarius à pœnitente interrogetur, tenetur etiam si videat pœnitentem esse in bona fide, & inuincibili ignorantia laborare veritatem illi dicere. 13. 329.
Potest ac debet confessarius monere pœnitentes laborantes ignorantia inuincibili de valore Matrimonij, vt sibi mutuo debitum reddant. 13. 329
Potest confessarius absoluere eum qui euidenter scit, peccatum commisisse, nec esse confessum. 13. 331
Non potest confessarius fuga, aut quouis facto, suæ vitæ, famæ, ac proprijs bonis consulere, si ex eo facto reuelctur aliquod peccatum in Confessione auditum. 14 2
Non potest confessarius impendens malum, quod pœnitēs tertiæ personæ aut Reipublicæ machinatur manifestare, si periculum sit ex ea manifestatione deueniri in notitiam personæ machinantis. 14. 6
Interrogatus confessarius de peccatis in confessione auditis, potest & debet etiam cum iuramento dicere ea se nescire. 14. 7
Interrogatus confessarius, an absoluerit publicum vsurarium, aut concubinarium, debet respondere se functum esse suo officio. 14. 8
Non potest confessarius de peccatis in confessione auditis cum ipsomet pœnitente loqui extra confessionem. 14. 14.
Ex nullo praecepto humano potest confessarius obligari ad manifestandum peccatum in confessione auditum. 14. 15.
Non potest confessarius ad explicandum peccatum proprium in confessione reuelare peccatum alterius in confessione auditum. 14. 16
Tenetur Sacerdos peccatum sub sigillo cōseruare, etiam quando dubitat, an illud in confessione audiuerit. 14. 17
Tenetur Confessarius sub sigillo confessionis celare peccatum complicis etiam si absque necessitate complex sit à pœnitente in confessione manifestatus. 14. 19.
Potest confessarius de licentia pœnitentis, de ipsius peccatis loqui extra confessionem. 14. 27
Quid faciendum sit confessario si errorem in ipsa confessione commiserit, qui vel sacramentum reddat inualidum vel vergat in graue damnum vti. 14 28
Quid si Pœnitens extra confessionem à confessario rogatus, vt sibi licentiam concedat, vt defectum in confessione commissum ei aperiat, & ille nolit licentiam dare, an possit tunc confessarius illi defectum aperire. 14. 29
An possit Confessor vti notitia aliquando ex Confessione comparata. 14. 40
Omnes qui possunt iurisdictionem in hoc foro delegare, possunt etiam facultatem eligendi confessarium concedere. 15. 51.
Religiosi & moniales immediatè subijciuntur proprio superiori. 15. 46
Quinam habeant facultatem in iure eligendi sibi confessarium absque licentia superioris. 15. 55
In quibus casibus fideles ius habeant eligendi sibi confessarium. 15. 60
Ex sola consuetudine nullus habet ius sibi eligendi confessarium. 15. 61

Duplex

Duplex est facultas eligendi Confessarium altera in iure concessa: altera ab homine. 15.61

Facultas eligendi confessarium quàm ampla sit. 15.63

Non extenditur ad casus & censuras reseruatas Pontifici nisi peculiariter exprimatur. 15.63

Quinam vti possint priuilegio de eligendo confessario à sede Apostolica concesso. 15.67

Nullus superior nostræ Societatis infra generalem habet potestatem eligendi sibi confessarium intra vel extra Societatem absque licentia Generalis nisi in casu itineris, aut quando deputatum confessarium à superiore habere non potest. 15.72

Facultatem eligendi sibi confessarium Religiosis iter agentibus quinam Pontifices concesserint. 15.74

Quis ordo seruandus sit Religiosis Societatis nostræ, in eligendo confessario dum iter agunt. 15.75

Explicatur Bulla Clementis VIII. quo superioribus Regularium mandatur, vt in singulis domibus, pro maiori vel minori numero subditorum plures confessarios deputent. 15.80. & seqq.

Non potest sibi Generalis confessarium extra societatem eligere, nisi in casibus in quibus hanc facultatem posset subditis concedere. 15.88

Quotiescunque Pontifices in suis Bullis & indultis, exprimunt se facultatem concedere eligendi confessorem ab ordinario approbatum talis conditio necessario seruanda est. 15.102

Habens Parochiale beneficium potest vbique eligi ad confessiones audiendas absque noua approbatione. 15.124

Quilibet Sacerdos approbatus absolutè à suo ordinario, eligi potest a quolibet per priuilegium Bullæ aut Iubilæi. 15.125

Sacerdos approbatus pro vno tantùm loco vel Diœcesi non potest eligi nisi ab incolis illius loci, aut Diœcesis. 15.125

Sacerdos mutans domicilium ex vna Diœcesi in aliam vt sit idoneus ad audiendum confessiones illius Diœcesis ad quam migrat & aliorum, eget vna approbatione sub cuius Diœcesi sit. 15.156

Non tamen eget noua approbatione si postea ad eãdem Diœcesim redeat. 15.126

Idem dicendum de Religiosis, qui ex vna Diœcesi migrant in aliam. 15.126

Idem dicendum de pœnitentibus Religiosis quando per priuilegium Bullæ vel Iubilæi eligunt sibi confessarium. 15.126

Potest Episcopus facultatem concedere suis subditis eligendi sibi quemcunque Sacerdotem à suo ordinario approbatum. 15.128

Idem potest Parochus sed cum aliquo discrimine. 15.128

Actus satisfactionis sacramentalis ex prauo fine etiam peccati mortalis elicitus valet ad implendũ præceptum à confessario iniunctum de satisfaciendo pro peccatis commissis modo per talem actum impleatur substantia ipsa satisfactionis. 16.37

Quiuis legitimus confessarius mutare potest pœnitentiam ab alio etiam superiore impositam; sed nonnisi in confessione auditis peccatis propter quæ fuit imposita. 16.44

Confessarius potest pro pœnitentia sacramentali imponere opus applicandum defunctis. 16.62

Verius est confessarium non posse sine pœnitentia dimittere eum quem putat probabiliter non suscepturum pœnitentiam. 16.63

Probabilius est confessarium non teneri iniungere satisfactionem illi, quem certo nouit satisfecisse pro toto reatu. 16.68

Confessarius non tantùm est Iudex, sed etiam Medicus. 16.83

Confessarius nullo casu tenetur imponere pœnitentiam alteri exequendam. 16.105

Regulariter non licet confessario imponere pœnitentiam alteri implendam, quamuis in aliquo casu possit. 16.108

Confessio est supernaturalis extrinsecè & denominatiuè. 2.74

Cur requiratur ad dignam susceptionem Eucharistiæ sacramentalis confessio, & Ecclesia non sit contenta sola contritione. 5.36

Posito præcepto de præmittenda sacramentali confessione, ad eo qui conscius est peccati mortalis, omnes tenentur eam præmittere, etiamsi, aliàs certi essent de iustificatione per contritionem comparata. 5.36

Sacramentum confessionis formaliter includit pœnitentiam. 9.75

Sacramentum confessionis non esse inuentum humanum, copiosis Patrum testimonijs, ijsque locupletissimis declaratur 10.18

Quam confessionem Nectarius Constantinopolitanus Episcopus abrogarit. 10.33

Nutus aliquando supplet vicem confessionis. 10.97

Contritio & confessio non sunt proximè & actu sacramentum, donec moraliter coniungantur cum absolutione. 10.98

Confessio quando sit solùm cõditio, quando verò Materia proxima intrinsecè constituens sacramentum. 10.100

Confessio est actus personalis, quatenus inchoari debet ad ipso pœnitente. 11.66

Confessio non est essentialiter secreta. 67.

Duplex est modus confitendi siue antecedente, vel comitante dolore. 12.61

Cur ad absolutionem, consecrationem sine intentione prolatam, non sufficiat si virtualiter repetatur, sufficiat vero confessionis repetitio virtualis. 12.67

Quanto tempore possit pœnitens ante confessionem elicere contritionem. 12.76

Venialium confessio requirit dolorem expressum & formalem. 12.91

Quid sit confessionem validam esse sed informem. 12.97

Confessio potest esse informis, vel ex parte absoluentis, vel ex parte pœnitentis. 12.97

Quas conditiones requirat sacramentalis confessio. 13.1

Confessionis integritas alia est materialis, alia formalis. 13.71

Confessio duplici modo potest esse integra formaliter. 13.71

De fide est confessionem sacramentalem debere esse integram formaliter vni Sacerdoti factam. 13.74

Quod cõfessio debeat esse integra formaliter ius est diuinum. 13.80

Formalis integritas confessionis euidenter deducitur ex Euangelio. 13.81

Explicandus est in confessione, primus & secundus gradus consanguinitatis, qui notabilem deformitatem supra reliquos addunt. 13. 92

Explicandæ sunt circumstantiæ, quæ peccatum de veniali mutant in mortale. 13. 93

Circumstantiæ quæ opponuntur diversis virtutibus sunt explicandæ. 13. 94

Quæ eandem virtutem in ordine ad diversos actus specie, notabiliter lædunt. 13. 95

Quæ autem à malitia mortali excusant. 13. 96

Quid ei faciendum qui non potest conie͏ctare probabilem numerum peccatorum, propter multitudinem peccatorum, aut temporis diuturnitatem. 13. 101

Confessio non sit invalida defectu integritatis specificæ malitiæ, quando non data opera, sed bona fide omittitur. 13. 104

Non est explicanda intensio actus nisi sit læsiva distinctæ virtutis. 13. 113

Circumstantia cognationis spiritualis, non æquè Filiationis spiritualis est explicanda. 13. 116

Verius est explicandam esse circumstantiam Religiosi Sacerdotis professi. 13. 117

Duæ solummodo circumstantiæ notabiliter aggravantes, sunt sub præcepto manifestandæ, quantitas damni & diuturnitas actus. 13. 118

Quando sit exprimenda circumstantia loci. 13. 122

Confessio non semper debet esse integra materialiter. 13. 129

Quæ causæ ab integritate Confessionis excusent ex parte pœnitentis, absolventis, & tertia persona. 13. 133

Licitum est ad suum peccatum explicandum personam complicis indirectè manifestare. 13. 168

Non solùm potest, sed etiam tenetur pœnitens quando aliter suum peccatum explicare non potest, indirectè complicem manifestare. 13. 174

Quando aliter fieri non potest, non modo persona complicis, sed quæcunque alia manifestanda est. 13. 177

Quando iteranda sit confessio. 13. 253

Mendacium quando irritet, aut non irritet confessionem. 13. 253

Non semper tenetur omnes subsequentes repetere qui invalidam confessionem fecit. 13. 263

Non sufficit si quis duas confessiones invalidas duobus distinctis Sacerdotibus, vnicuique repetere invalidè confessa, sed necessarium est vni omnia reconfiteri. 13. 265

Probabilius est non repetendam esse confessionem factam ab Excommunicato antequam sit ab Excommunicatione absolutus. 13. 267

Quando confessio sit aut non sit repetenda quæ facta est Excommunicato. 13. 272

Probabilius est non teneri pœnitentem repetere confessionem factam Sacerdoti in Iurisdictione dubio, quamuis oppositum sit secutus. 13. 275

Valida est confessio facta Sacerdoti qui cum falsâ licentia ordinary aliorum excipit confessiones. 13. 122

Non est absurdum vt materia sufficiens fiat ratione præcepti adiuncti necessaria confessionis. 13. 290

Non potest confessarius fuga aut quouis facto, suæ vitæ, famæ, ac proprijs bonis consulere, si ex eo facto reuelatur aliquod peccatum in confessione auditum. 14. 5

Non potest confessarius impendens malum quod pœnitens tertiæ personæ, aut Reipublicæ machinatur manifestare, si periculũ sit ex ea manifestatione deueniri in notitiam personæ machinantis. 14. 6

Interrogatus confessarius de peccatis in confessione auditis, potest & debet, etiam cum iuramento negare ea se scire. 14. 7

Negari non debet schedula in testimonium, quod sint confessi, ijs qui illam petunt, etiam si absoluti non sint, quando ex negatione schedulæ deueniri posset in notitiam negatæ absolutionis: oppositum tamen est probabile. 14. 9

Non potest confessarius de peccatis in confessione auditis cum ipsomet pœnitente loqui extra confessionem. 14. 14

Ex nullo præcepto humano potest confessarius obligari ad manifestandum peccatum in confessione auditum. 14. 15

Non potest confessarius ad explicandum peccatum proprium in confessione reuelare peccatum alterius in confessione auditum. 14. 16

Tenetur confessarius sub sigillo confessionis celare peccatum complicis, etiamsi absque necessitate complex sit à pœnitente in confessione manifestatus. 14. 19

Potest confessarius de licentia pœnitentis, de ipsius peccatis loqui extra confessionem. 14. 26

Quid faciendum sit confessario si errorem in ipsa confessione commiserit qui vel sacramentum reddat invalidum vel vergat in graue damnũ tertij. 14. 28

Quid si pœnitens extra confessionem à confessario rogatus, vt sibi licentiam concedat, vt defectum in confessione commissum ei aperiat, & ille nolit licentiam dare, an possit Confessarius illi defectum aperire. 14 19

An possit confessor vti notitia aliquando ex confessione comparata. 14. 40

Non potest negari suffragiũ indigno ex sola confessione cognito, nec superior subsidiũ ab officio etiã alias voluntate superioris amouibili mutare. 14. 42

Pontificis familia immediatè subijcitur Pontifici. 15. 46

Cardinales eorumque familia immediatè subijciuntur Pontifici. 15. 46

Religiosi & Moniales immediatè subijciuntur proprio superiori. 15. 46

Qui oblitus est pœnitentiæ sacramentalis non tenetur confessionem repetere. 16. 96

Quando sit imponenda noua pœnitentia ei qui cum nouis peccatis, statim post sacramentalem absolutionem ad confessionem redit. 16. 114

Confessio est iure Diuino præcepta. 17. 2

Concilia & Pontifices præceptum confessionis non posuerunt, sed tẽpus solummodo determinarũt. 17. 3

Difficultas præcepti de confessione non obstitisset, quin ab Ecclesia ferri potuisset. 17. 14

Posset Ecclesia directè & per se solum præcipere confessionem de peccatis externis, quo præcepto posito obligaretur pœnitens iure Diuino vna cum externis confiteri interna, actumque doloris, ad hoc sacramentum necessarium elicere. 17 15

Confessio informis, sed valida dupliciter admittitur ab authoribus. 17. 23

Per confessionem informem ex defectu integritatis ob ignorantiam etiam mortaliter culpabilem non satisfit praecepto diuino. 17.24

Per confessionem informem ex defectu doloris inculpabiliter se non extendentis ad peccata inuincibiliter oblita, vel ex defectu doloris reipsa insufficientis impletur praeceptum diuinum. 29

Praeceptum confessionis obligat omnes Baptizatos habentes conscientiam peccati mortalis. 34

Pueri baptizati cum peruenerint ad eam aetatem in qua fuit doli capaces, & conscientiam peccati mortalis habere possunt obligantur ad hoc praeceptum. ibid.

Item omnes Haeretici. ibid.

Apostatae. ibid.

Degradati. ibid.

In gratia confirmati, aut immunes ab omni peccato vt fuit. B. Virgo, non tenentur hoc praecepto, 35

Infideles adulti nō tenentur praecepto confessionis. 38

Quando praeceptū confessionis fideles per se aut etiā per accidens obliget referuntur varij casus. 41

Dupliciter fideles ad sacramentalem confessionem obligari possunt. 44

Praeceptum confessionis per se etiam extra articulum aut periculum mortis obligare aliquando longè probabilius est. 52

Quo tempore obligasset ante determinationem Ecclesiae certò dici non potest. 60

Dupliciter potest fieri confessio per scriptum. 73

Praeceptum de annua confessione, distinctum est à praecepto Eucharistię, obligans ad distinctum peccatum. 18.4

Non satisfacit praecepto Ecclesiastico de annua confessione, qui non satisfacit praecepto diuino de confessione validè facienda. 14

Praeceptum Ecclesiasticum annuae confessionis est modificatio diuini. ibid.

Pueri rationis vsum habentes, obligantur ad praeceptum Ecclesiasticum de annua confessione. 17

Pontifex subiacet praecepto Ecclesiastico annuae confessionis. 21

Praeceptum annuae confessionis non solum longinquius differri, aut in eo dispensari posset, sed etiam abrogari validè, non tamen licitè. 22

Probabilius est non teneri hoc praecepto venialia tantum habentes. 24

Probabilius est non teneri ad cōfessionē hāc annuam, qui cum venialibus habet aliquod mortale, quod ratione infamiae, vel alterius iusta causa poenitens non posset confiteri. 31

Non tenetur confiteri consensum internum qui excusatur ab actus externi confessione. 32

Qui annuae confessionis praeceptum implere nō potest, non tenetur de peccatis contritionem elicere. 38

Praeceptum annuae confessionis non obligat pro determinata aliqua parte anni. 46

Diligentia quae à Pastoribus Ecclesię adhibetur eo tēpore quadragesimali, non est signum tunc temporis, sub praecepto faciendam esse confessionem sacramentalem. 57

Probabilissimum est, tempus à quadragesima in quadragesimam assignatum ab Ecclesia pro annua cōfessione, ita vt vltra tempus inter quadragesimam, & quadragesimam contentum non liceat confessionem differre. 60

Quis sit finis praecepti confessionis. 68

Praeceptum annuae confessionis est modificatio praecepti diuini. 68

Obligat verò praeceptum annuae confessionis neglecta, tamdiu vsque dum aliquando impleatur. 70

Praeceptum annuae cōfessionis formaliter est affirmatiuum, virtualiter negatiuum. 72

Omittens confessionem in periculo mortis, nō tenetur postea cum periculum euasit, illam quamprimùm facere. 79

Cur praeceptū annuae confessionis intra annū non impletum statim obliget initio sequentis anni. 79

Quo tardius ad confessionem accedimus, eò magis obligatio crescit ad reconciliationem, & satisfactionem exhibendam. 80

Cur confessio in articulo mortis obliget. 80

Contritio in lege Euangelica non supplet locum confessionis. 81

Qui vel malitia confessoris vel quocunque alio defectu etiam non culpabili sacramentum confessionis non suscepit, tenetur quamprimum confessarium nactus fuerit confiteri. 82

An semper nouo peccato distincto peccet, qui aduertens se ad praeceptum confessionis adimplendum teneri, non adimplet. 85

An qui confessionem pręcedentis anni omisit, possit per confessionem anni subsequentis vtrique praecepto satisfacere, & anni praecedentis elapsi & subsequentis inchoati. 87

Probabile est quod qui in Paschate legitimè impeditus sacram communionē distulit vsque ad Pentecosten, possit etiam cū cōmunione maioris cōmoditatis causā differre cōfessionē praecedētis anni. 88

Teneri aliquādo poenitentem tempus confessionis anticipare, communis est Scholasticorū sententia. 90

Qui habet casum reseruatum, & praeuidet defuturum sibi confessarium idoneum, tenetur praeuenire tempus vt per idoneum absolui possit. 92

Poena statuta capite Omnis *est propter transgressores praecepti confessionis, vel communionis.* 107

Ad sacramentum Extremę-vnctionis per se non requiritur confessio. 19.220

Duplex est modus confitendi sine antecedente, vel comitante dolore. 12.59

Confitens *sine dolore prauio, si post confessionē ante absolutionem illum eliciat probabilius est talem confessionem sufficientem futuram.* 63

Poenitens potest validè per interpretem aut scriptū confiteri. 13.18

Praeceptum de confitendis peccatis est diuinum. 48

Num peccata dubia teneamur confiteri nec ne, dubium est, probabilis est vtraque sententia, affirmās probabilior. 55

Confitendae sunt omnes species atomae morales peccatorum. 88

Si plures species Physicae non variant moralem confitendae non sunt. 90

Si vna species Physica continet plures morales omnes distinctè confitendę sunt. 90

Circumstantiae quae opponuntur diuersis virtutibus sunt explicandae. 94

Quę tandem virtutem in ordine ad diuersos actus specie notabiliter laedunt. 95

Quae actum à malitia mortali excusant. 96

Cōfitēdus est distinctè numerus omniū peccatorū. 98

Numerus peccatorum non est Metaphysicè, sed moraliter confitendus. 13.98
Quid ei faciendum, qui non potest coniectare probabilem numerum peccatorum propter multitudinem peccatorum, aut temporis diuturnitatē. 102
Circumstantia notabiliter tantum aggrauantes sunt confitenda. 110
Non est explicanda intensio actus nisi sit læsiua distincta virtutis. 113
Circumstantia cognationis spiritualis, non aquè filiationis spiritualis est explicanda. 116
Verius est explicandam esse circumstantiam Religiosi Sacerdotis professi. 117
Duæ solummodo circumstantiæ notabiliter aggrauantes sunt sub præcepto manifestandæ, quantitas damni, & diuturnitas actus. 118
Quando sit exprimenda circumstantia loci. 122
Peccatum ex causa omissum, quando sit confitendum. 150
Licitum est ad suum peccatum explicandum personam complicis indirectè manifestare. 168
Non solum potest sed etiam tenetur pœnitens quando aliter suum peccatum explicare non potest indirectè complicem manifestare. 174
Quando aliter fieri non potest, non modo persona complicis, sed quæcumque alia manifestanda est. 177
Probabilius est inferiorem non debere reconfiteri reseruata quando absolutus tantum à reseruatis mittitur absoluendus a non reseruatis. 196
Probabilius est pœnitentem teneri in casu necessitatis simul cum non reseruatis confiteri etiam reseruata inferiori Sacerdoti. 233
Potest Sacerdos habens casum reseruatum cum excommunicatione, vrgente necessitate, inferiori Sacerdoti confiteri, non tamen tenetur. 68
Qui confessus est mortale dubium, si postea aduertat fuisse mortale, illud tenetur confiteri vt certum. 278
An aliquando reconfitenda sint peccata validè & directè confessa? 280
Possitne Ecclesiasticum præceptum pœnitentem directè obligare ad reconfitenda peccata semel validè confessa? 304
Non est absurdum vt Materia sufficiens fiat ratione præcepti adiuncti necessaria confessionis. 290
In Societate seruatur lex nō obligans ad mortale, sed adstringens per modum regulæ de confitendis peccatis iterum, validè iam antè confessis. 293
An obligetur ad reconfitenda peccata iam semel validè confessa, si superior facultatem concedat subdito confitendi sua peccata inferiori Sacerdoti sub conditione vt eadem iterum sibi confiteatur. 311. 315
An teneatur confessarius monere pœnitentem bona fide, sed inualidè confessum. 326
Duo ad fractionem sigilli requiruntur reuelatio confessi peccati & personæ proditio. 14. 4
Negari non debet schedulam petentibus in testimonium quod sint confessi ijs, qui illam petunt, etiam si absoluti non sint, quando ex negatione schedulæ deueniri posset in notitiam negatæ absolutionis: oppositum etiam est probabile. 9
Sub sigillo naturali celandi sunt errores, quis pœnitens committit in ipsa confessione. 26
Quo pacto confiteri proprio Sacerdoti sit de iure Diuino. 15. 31
Qui duplex habet domicilium confiteri potest alterutri Parocho cui libuerit. 45
Milites, Studiosi & Mercatores cōfiteri possunt Parocho illius loci in quo reperiūtur. Vagabūdi cōfiteri tenētur in loco, in quo actu vagantur. Peregrini nisi peregrinationē instituant in fraudem confitendi alieno, relicto Parocho proprio, cōfiteri & communicante possunt in loco vbi reperiuntur. 45
Pœnitentes regulares confiteri possunt cuilibet Sacerdoti ab Episcopo non approbato. 98
Superiores Religionum concedere possunt suis Religionis facultatem, vt extra Religionem cuilibet Sacerdoti ab Episcopo non approbato possint confiteri. 98
De iure equites S. Ioannis, S. Iacobi, Calatrauæ, Alcantaræ, Montesæ confiteri possunt de iure cuilibet Sacerdoti ab Episcopo non approbato, si licentiam à superiori suo habuerint, quamuis de facto consuetudo sit in contrarium. 99
Ex quo scripturæ loco obligatio ad confitendum ducatur. 12.5
Nemo tenetur statim ac commissum est peccatum confiteri. 17.43
Vi præcepti diuini, neque in articulo mortis, neque extra illum tenemur per interpretem confiteri si aliter non possumus. 64
In articulo mortis tenemur ex præcepto Charitatis erga nos ipsos si aliter non possumus per interpretem. imo & coram alijs etiam cum notabili detrimento famæ sacramentaliter confiteri, si moraliter certi non sumus de contritione. 67
Qui moraliter certus est de contritione non tenetur in articulo & periculo mortis per interpretem confiteri. 68
Quomodo quis teneatur aut non teneatur confiteri per scriptum. 73
Probabilius est non teneri ad confessionem hanc annuam, qui cum venialibus habet aliquod mortale, quod ratione infamiæ, vel alterius iustæ causæ pœnitens non possit confiteri. 18 31
Non tenetur confiteri consensum internum, qui excusatur ab actus externi confessione. 32
Probabile est quod quacunque anni parte homo sit confessus adhuc tenetur in quadragesima confiteri si conscientiam habeat peccati mortalis. 62
Qui toto anno nullum mortale peccatum commisisset, si postea in quadragesima incideret in aliquod mortale, teneretur vi præcepti annuæ confessionis illud confiteri. 63
Qui non est confessus intra annum teneri statim confiteri initio sequentis probabilius est & praxi Ecclesiæ conformius. 67
Ecclesiæ Prælati excommunicare solent omnes eos qui intra annum non sunt confessi. 67
Si quis intra annum propter inopiam confessoris confiteri non potuit, tenetur initio sequentis anni, cum primum copiam confessarij acceperit confiteri. 81
Qui vel malitia Confessoris, vel quocunque alio defectu etiam non culpabili sacramentum confessionis non suscepit, tenetur quamprimum confessarium nactus fuerit confiteri. 82
Qui vel sine interiori dolore vel peccata merè interna

na non confiteretur, Ecclesiæ præcepto, de semel in anno confitendo non satisfaceret, non tamen incurreret pœnas Ecclesiasticas transgressoribus impositas. 18. 111
Quando infirmus confiteri non potest, si cognoscit se esse in peccato, debet cum dolore ad sacramentum Extrema-unctionis accedere. 19. 123
Vide Sigillum, Pœnitentia, Contritio, Peccatum, &c.
Confirmatio tollit obstaculum inbecillitatis Christiani militis, ne in defensione veræ fidei coram hostibus succumbat. 19. 113
Conformari voluntati Diuinæ præcipienti semper tenemur, non consulenti: siue negatiuè, non positiuè tenemur conformari. 9. 58

Consecrare, Consecratio.

Eadem materia remota Eucharistiæ non potest fieri proxima Materia noua consecrationis. 13. 69
Cur vna particula sine alia consecrari possit, & non remitti vnum peccatum sine alio. 13. 79
Si Sacerdos, qui hostiam consecrauit, deficiat vt non possit secundam speciem consecrare, potest alter Sacerdos calicem dumtaxat consecrare, non consecrata alia hostia. 19. 146
Alter Sacerdos, dum vnus hostiam consecrat, posset validè calicem consecrare. 19. 146
Cur ad absolutionem, & consecrationem sine intentione prolatam non sufficiat, si virtualiter repetatur, sufficiat vero confessionis repetitio virtualis. 12. 67
Quando Sacerdos accipiat potestatem consecrandi, & quando potestatem absoluendi. 15. 27
Iurisdictionis potestas delegari potest, non tamen consecrationis, & cur? 15. 37
Consuetudo per decennium à populo seruata cum tacito consensu principis obtinet vim legis. 18. 55.
Contemnere Deum est illum deserere vt vltimum finem. 6. 94
Contineri virtute vnum actum in altero quid sit. 4. 34

Contritio, Contritus.

Contritio præter actum pœnitentiæ includit actum Charitatis, & reliquarum virtutum Theologalium. 1. 50
Contritio excludit omnem affectum peccati. 3. 60
Attritio potest esse informis, contritio non item. 3. 61
Omnis contritio prouenit ex timore filiali, attritio prouenire potest, ex seruili. 3. 63
Vt contritio sit proxima dispositio ad gratiam procedere debet ex supernaturali dilectione Dei. 4. 6
Perfecta contritio, non necessario supponit dilectionem Dei formalem a qua imperatur, sed sat est virtualis. 4. 25
Contritio solius naturæ viribus elicita non est dispositio de congruo ad iustificationem. 4. 31
Saluatur perfecta contritio cum sola dilectione virtuali. 4. 52
Implicat vt contritio quà contritio est formaliter detestetur vnum peccatum mortale, quin simul detestetur omnia. 4. 116
Peccata vt offensiua Dei tanquam amici super omnia dilecti non sunt conditio sine qua non eliceretur contritio, sed sunt ipsum formale motiuum. 4. 120
Motiuum contritionis in sua formali ratione includit, vt debeat voluntatem peccatoris actu mouere ad detestandum omne peccatum. 4. 121
Nullum peccatum est adeo graue nec multitudo peccatorum adeò magna, vt nequeat vera contritione extra sacramentum deleri. 5. 26
Contritio tam latè se extendit quàm sacramentum pœnitentiæ. 5. 27
Ad Baptismum accedens cum perfecta contritione priusquam illum suscipiat accipit remissionem peccatorum. 5. 32
Contritio Charitate perfecta non est ipsa forma iustificationis sed tantùm dispositio. 5. 33
Contritio alia elicitur ex perfecta, alia ex non perfecta, siue imperfecta charitate. 5. 34
Cur contritione posita terminatur pœna æterna, non verò semper temporalis. 5. 63
Sola contritio aut dilectio Dei super omnia finis supernaturalis est condigna satisfactio pro offensa veniali à iusto exhibita. 6. 108
Contritio de solis mortalibus, aut de vno tantùm veniali non est sufficiens satisfactio pro omnibus venialibus. 6. 109
Discrimen inter contritionem exhibitam à peccatore pro mortali, & à iusto pro veniali peccato. 6. 116.
Quare contritio non est condigna satisfactio pro peccato mortali. 6. 116
Nec attritio nec contritio per se sumpta sunt adæquata absterfio maculæ venialis peccati, sed vt coniuncta cum restitutione specialium auxiliorum in odium peccati subtractorum. 6. 117
Contritio non est adæquata absterfio maculæ peccati mortalis, sed vt coniuncta cum infusione gratiæ habitualis. 6. 117
Non quæuis contritio est forma incompossibilis cum peccato veniali. 6. 105
Contritio respectu gratiæ præteritæ non habet se vt dispositio. 8. 49
Datur de contritione speciale præceptum. 9. 5
Peccator iure naturæ tenetur ad contritionem. 9. 5
Præceptum contritionis est affirmatiuum. 9. 23
Quando præceptum contritionis obliget variæ referuntur sententiæ. 9. 34
Sola memoria commissi peccati & nondum remissi, etiam vt practicè detestabilis non obligat ad contritionem. 9. 43
Contritio non obligat ad detestanda peccata nondum remissa diebus festis. 9. 44
Contritio per se non obligat, nisi in quibusdam casibus ad detestanda peccata nondum remissa. 9. 45.
Quando contritio obliget per accidens ad detestanda peccata nondum remissa. 9. 46
Quando contrio obliget ad detestanda peccata aliàs detestanda. 9. 46. & seqq.
In lege Euangelica præceptum contritionis commutatum est in præceptum confessionis. 9. 63. & seqq.
Contritio peccata remittit, in voto confessionis. 9. 68

Nemo nec in articulo mortis, tenetur ad contritionem, qui per confessionis sacramentum iustificatus est. 9. 70
Sufficit homo tutam viam in fine vitæ eligat etsi non tutiorem. 9. 72
Tutius est moribundum ad contritionem excitare, sub consilio non sub præcepto. 9. 73
Tam attritio quàm contritio vocatur à Tridentino pœnitentia. 9. 75
In contritione inuoluitur votum implicitum confessionis. 10.67
Contritio & confessio non sunt proximè & actu sacramentum, donec moraliter coniungantur cum absolutione. 10.98
Contritio fit sensibilis per confessionem. 10. 105
Contritio est effectus pœnitentiæ virtutis, non sacramenti. 10. 107
In lege naturæ sufficeret contritio cum obseruantia solius iuris naturalis. 12. 12
Quanto tempore possit pœnitens ante confessionem elicere contritionem. 12.76
Contritio præcedens post peccatum pœnitentia remissum, reuiuiscet vt meritum ad præmium non vt dispositio ad sacramentum. 12. 96
Contritio non confert suum effectum sacramentalem ante, sed post absolutionem sacramentalẽ. 10.118
Contritio in veteri lege duplici titulo obligabat iure diuino. 17.6
Assignatur discrimen inter contritionem putatam & sacramentum validum, attamen informe. 32.
Qui moraliter certus est de contritione non tenetur in articulo & periculo mortis per interpretem confiteri. 17. 69
Qui annuæ confessionis præceptum implere non potest non tenetur de peccatis contritionẽ elicere. 18 38
Contritio cadit sub præceptum Ecclesiæ saltem mediatè. 18. 40
Contritio in lege Euangelica non supplet locum confessionis. 18.81
Maiori iure exigit contritus remissionem venialium, quàm attritus. 6,111
Vide *confessio pœnit. dolor.*
Conuersio *vera nullas patitur veniæ moras.* 4.185. & 5. 11
Ius resumendi pristinum odium in Deo, sub conditione si homo iterum peccauerit, non impedit amicabilem conuersionem Dei ad hominem. 7 58
Credens *vnum articulum fidei, cur non credat omnes reliquos actu. Sicut detestans vnum peccatum propter Deum summè dilectum detestatur omnia reliqua vel virtute, vel expresè.* 4. 121
Culpam *non semper tenemur plus detestari quàm pœnam.* 3. 5
Culpa sicut liberè causatur, ita liberè ea destrui debet. 6.8.& 131
Nulla culpa mortalis de facto remittitur absque infusione gratiæ. 20.3
Damnatis *pœnitendi locus non permittitur, nec peccandi beatis.* 5 44
Damnatus *ad mortem tenetur si potest ieiunus communicare.* 18. 104
Debitum *aliud est legale, aliud morale.* 4 54
Omnia obsequia impensa Deo sunt illi iure stricto debita. 8.17
Degradati *tenentur seruare præceptum annuæ confessionis.* 17. 34.

Delegare.

Quis possit ministros primò delegare. 10. 4
Quinam possint in hoc foro pœnitentiæ iurisdictionem delegare. 15. 47
Actus delegandi distinctus est ab actu absoluendi. 47
Delegatus non potest alteri potestatem subdelegare. 48
Iurisdictio à Pontifice delegari potest in perpetuum, non autem à reliquis inferioribus Prælatis. 15 48
Omnes qui possunt iurisdictionem in hoc foro delegare, possunt etiam facultatem eligendi confessarium concedere. 15. 51
Delegatio *est actus iurisdictionis.* 20. 109
Deprecatio *est actus supplicantis.* 11. 37
Determinatio *quoad indiuiduum supponit determinationem quoad speciẽ. Determinare primò quid sit.* 7. 26

Detestari, Detestatio.

Dupliciter potest peccator detestari peccatum vel vt offensa Dei est formaliter, vel vt offensa Dei est materialiter. Formaliter vt malũ nostrum. 2. 12
Non semper tenemur plus detestari culpam quàm pœnam. 3. 5
Dupliciter detestari possumus turpitudinem peccati contra virtutem supernaturalem, 3. 16
Qui iustificatur absque pœnitentia formali omissa ex inuincibili ignorantia peccatorum, tenetur ea cùm primum mentem subeunt detestari. 4 79
Cur credens vnum articulum fidei, non credat omnes reliquos actu, sicut detestans vnum peccatum propter Deum summè dilectum detestatur omnia reliqua vel virtute, vel expresè. 4. 121
Potest peccator actu aliquo charitatis elicito ex motiuo alicuius perfectionis diuinæ detestari vnum peccatum, quin simul eodem actu detestetur cætera. 4. 122
Dupliciter possumus detestari peccata, vel immediatè & expresè, vel mediatè & virtute. 12. 90
Detestatio peccati propter Deum formaliter auertit peccatorem à creatura, & formaliter indirectè conuertit peccatorem in Deum. 4 28
Expressa detestatio peccatorum est ad iustificationem necessaria iure naturæ ex ipsa reconciliationis natura. 4 59
Detestatio formalis est effectus naturaliter consequens dilectionem efficacem Dei. 4. 66
Quo casu iustificaretur sequens probabilem sententiã, quæ dicit non esse necessariam detestationem formalem peccatorum in eo qui peccauit. 4 75
Vide *confessio, peccatum.*
Deus *est finis cui pœnitentia, non formale motiuum, quo proximè mouetur quis ad detestanda peccata,* 1. 16
Cur Deus actus purus non trahat visionem beatificam in ordinem actus puri. 3. 38
Cur Deo & satisfacere, & detestari peccatum teneamur, proximo verò tantùm satisfacere. 4 41
Deus est pronior ad præmiandum quam ad puniendum. 5. 24
Deus nequit extrinsecis rebus grauiter offendi, secluso virtuali contemptu ipsius. 6. 103
Deus ad rationem specificam peccati dum physicè concurrit non liberè, sed necessario ex suppositione agit. 3.30

Dilectio.

Tripliciter dilectio Dei includitur in actu pœnitentia. 1. Virtualiter elicitiue. 2. Formaliter imperatiuè. 3. Concomitanter. 4.12
Quauis dilectio ex qua per se nata est sequi formalis detestatio quorumcumque peccatorum mortaliũ, quæ menti occurrerent est sufficiens dispositio ad iustificationem. 4.13
Non est sufficiens dispositio ad gratiam iustificantem dilectio, quæ non statim peccatorem excitat, vel ad formalem detestationem peccatorum quorum memoriam habet; vel ad diligentem discussionem eorum quæ probabiliter menti possunt occurrere. 4.58
Dilectio ad iustificationem concurrit vt dispositio. 4.70
Obedientialis dilectio includit promptam & efficacem voluntatem in omnibus Deo placendi. 94.
Dilectio est inefficax sine formali proposito. 4.101
Dilectio sola discernit inter Filios Dei, & Filios Diaboli. 5.18
Sola contritio aut dilectio Dei super omnia finis supernaturalis est condigna satisfactio pro offensa veniali à iusto exhibita. 6.108
Dilectio Dei quæ actu non se extenderet ad detestanda omnia venialia non est sufficiens satisfactio pro omnibus venialibus. 6.109
Diligentia *quæ à Pastoribus Ecclesiæ adhibetur tempore quadragesimali non est signum tunc temporis sub præcepto faciendam esse confessionem sacramentalem.* 18.57
Diligere *potest homo naturaliter Deum vt authorem bonorum naturalium dilectione saltem inefficaci.* 2.44

Dispensare, Dispensatio.

Pontifices nunquam præsumuntur dispensare nisi exprimant. 15.105
Quid sit propriè dispensare. 17.8
Non posse summum Pontificem dispensare vt oleum à simplici Sacerdote benedictum sit apta materia sacramenti Extrema-vnctionis probabilius est. 19.45
Ecclesia non potest cum cathecumenis dispensare in votis. 20.155
Potestas dispensandi à iure diuino absque præiudicio tertij latè est interpretanda, secus quando est cum præiudicio tertij. 20.75
Cur nequeat Pontifex à votis, vel iuramentis dispensare sine causa. 20.76
Pontifex cum causa etiam à solemni voto Religionis potest dispensare. 20.76
Etiamsi dispensatio tanquam odiosa sit strictè interpretanda; non est tamen strictè interpretanda potestas ipsa. 20.79
Peccata oblita tempore Iubilæi, etiamsi reseruata sint, possunt postea à quocunque absolui, sicut & à censuris. Imò & in votis dispensari. 20.243
Si quis ex causa non potuit tempore Iubilæi confessionem perficere, poterit illam perficere post Iubilæum, & ab omnibus reseruatis absolui, & cum ipso in votis dispensari. 20.243
Tutius est intra tempus Iubilæi à censuris & reseruatis absolui, & in votis dispensari, & postea extra illud à reliquis peccatis non reseruatis absolui. 20.243
Cur valide dispensari possit in iure humano etiam sine causa, non vero in iure diuino. 20.253
In votis dispensandis ea duntaxat causa est sufficiens quæ spectatis omnibus censetur Deo magis placitura quàm placeret obseruantia ipsa voti. 20.263
Pontifex peccaret dispensando in voto ex causa non iudicata sufficienti, aut concedendo indulgentias ex causa non indicata sufficienti. 20.282
Dispensatio in voto non est valida nisi sufficientem habeat causam. 20.193
Omnis dispensatio in lege & iure superioris præiudicat communi obseruantia legis. 20.250
Dispensatio in Matrimonio rato & non consummato, item in votis solemnibus non erit valida, nisi præter ipsam vtilitatem, quam dispensatio affert personæ cum qua dispensatur, sit alia causa, quæ præualeat voti & Matrimonij obseruantiæ. 20.252
Si dispensatio in votis non affert distinctam causam, id solum est quando dispensatio fit per declarationem, seu interpretationem iuris diuini, quod in eo casu non obliget. 20.252
Dispensatio si non fiat secundùm voluntatem Domini inualida est. 20.256
Vt dispensatio voti, ligatio atque solutio à censuris, collatio beneficiorum valida & rata sit, sufficit vt causa, propter quam ad hæc operanda mouetur Pontifex probabiliter tantùm putetur sufficiens. 20.270
Vide *casus reseruati.*
Displicentia *virtualis quando sufficiat ad effectum sacramenti pœnitentiæ, quando non.* 12.18
Dispositio *debet esse in eodem ordine cum forma ad quam disponit.* 2.40
Omnis dispositio ad iustificationem debet inchoari à gratia Dei. 2.42
De ratione connaturalis dispositionis est vt sit eiusdem ordinis cum forma ad quam disponit. 3.12
Primarius effectus formalis dispositionis est, habilitare subiectum ad formam ad quam disponit. 3.12.
Ad connaturalem dispositionem requiritur vnitas ordinis inter dispositionem & formam ad quam dispositio tendit. 3.32
Hæc ordinis vnitas requiritur non solùm in Physicis, sed etiam in moralibus inter dispositionem & formam. 3.34
Dispositio comparatur ad formam ad quam disponit vt physica proprietas ipsius. 3.51
Dispositio ad iustificationem, altera est perfecta, altera imperfecta. 3.53
Non est sufficiens dispositio ad gratiam iustificantem dilectio quæ non statim peccatorem excitat, vel ad formalem detestationem peccatorum quorum memoriam habet; vel ad diligentem discussionem eorum quæ probabiliter menti possunt occurrere, 4.58
Dispositio debet esse eiusdem ordinis cum forma ad quam disponit. 12.29
Dispositio semper solet esse proprietas formæ ad quam disponit. 12.44

Doctor publicus aut Lector Theologiae non eximitur ab approbatione. 15.95

Dolor.

Dolor ex gehennæ metu conceptus non facit hominem magis peccatorem & hypocritam, sed est verum donum Dei contra Lutherum. 3.2
Non quicunque dolor ex quouis motiuo infra motiuum charitatis conceptus est sufficiens cum sacramento ad iustificationem. 3.11
Dolor non tantùm ad effectum sacramenti pœnitentiæ, sed etiam ad essentiam eius est necessarius. 10.96
Dupliciter requiri potest dolor ad sacramentum pœnitentiæ: vno modo ad constituendam essentiam; alio ad percipiendum fructum ipsius. 12.1
Quis dolor requiratur ad effectum sacramenti pœnitentiæ consequendum, referuntur variæ sententiæ. 12.6
Ad effectum sacramenti pœnitentiæ non sufficit dolor inefficax. 12.33
Dolor sufficiens ad sacramentalem accusationem debet esse adæquatè retractatiuus offensæ Dei. 12.47
Dolor de peccatis propter Deum authorem naturæ elicitus non est sufficiens cum hoc sacramento ad gratiam iustificationis obtinendam. 12.51
An dolor ad validitatem huius sacramenti requisitus debeat necessario confessionem præcedere, aliquot sententiæ referuntur. 12.53
Dolor essentialiter loquendo non est causa confessionis. 12.59
Dolor internus potest per alia signa, quàm per confessionem manifestari. 12.59
Duplex est modus confitendi sine antecedente vel comitante dolore. 12.63
Confitens sine dolore prauio, quin & omisso proposito si post confessionem ante absolutionem eliciat dolorem & propositum suscipiendi sacramentum, probabilius est eam sufficientem futuram. 12.63.64
Dolor est pars sacramenti quatenus est actus proprius pœnitentis. 12.73
Phreneticus potest post phrenesim vnius anni vi præteriti doloris à peccatis absolui. 12.78
Pœnitens si post dolorem nouum peccatum committat, nouum debet dolorem elicere cadentem super omnia mortalia præterita, non autem super omnia venialia. Sed sufficit si cadat super vnum tantùm veniale, si nullum adsit mortale. 12.86
Etiamsi prior dolor de peccatis non fuerit vniuersalis de omnibus, sed proprius & particularis de singulis, adhuc ad validitatem sacramenti post nouum peccatum, requiritur nouus dolor cadens super omnia. 12.87
Venialium confessio requirit dolorem expressum & formalem. 12.91
Dolor de venialibus non debet se virtute extendere ad omnia, sicut dolor de mortalibus. 12.92
Confitens tantùm venialia si post ipsorum sufficientem dolorem incidat in aliquod veniale, talis dolor per subsequens peccatū interrumpitur. 12.94
Si præcedens dolor vel fuit vniuersalis cadens super omnia, vel particularis tantùm de vno, cuius simile in specie post dolorem committatur, omnino ille retractatur. 12.94
Præcedens dolor si per subsequens peccatum veniale tantum fuit interruptus, non retractatus, potest nouo tantum actu voluntatis applicari & fieri moraliter præsens confessioni & absolutioni. 12.94
De dolore sufficiente ad validitatem, non verò ad effectum sacramenti variæ opiniones. 12.100
Dolor reconciliatiuus tam valet ad effectum, quàm ad essentiam huius sacramenti. 12.105
Refelluntur omnes modi quibus dolor dicitur sufficiens ad validitatem sacramenti non verò ad effectum. 12.107
Vt dolor dicatur virtualiter se extendere, ad omnia peccata etiam oblita, necesse non est vt procedat ex motiuo formaliter, & expressè vniuersali, sufficit si procedat ex motiuo virtute tantùm, & implicitè cadente super omnia. 12.112
Non sufficit vt nouo tantùm actu voluntatis prior dolor applicetur super eadem peccata de nouo confessa: sed requiritur vt nouus sit dolor à priori distinctus. 13.37
Quisque tenetur ante confessionem, vel etiam ante absolutionem formalem dolorem eius peccati mortalis elicere quod tunc occurrit, quamuis illud antea vt oblitum virtualiter sit detestatum. 13.58
Posset Ecclesia directè & per se solùm præcipere confessionem de peccatis externis, quo præcepto posito obligaretur pœnitens iure diuino vnà cum externis confiteri interna, actumque doloris ad hoc sacramentum necessarium elicere. 17.15
Per confessionem informem ex defectu doloris inculpabiliter se non extendentis ad peccata inuincibiliter oblita, vel ex defectu doloris reipsa insufficientis impletur præceptum diuinum. 17.29
Vide *contritio, attritio.*
Dona *supernaturalia duplicis sunt generis, alia per se, alia per accidens subsequuntur ad iustificationem.* 8.1
Quid faciendum illi qui venialia habet & mortale dubium. 18.29
Vide *pœnitentia, contritio.* &c.

Ecclesia.

Ecclesia habet potestatem in actus etiam secretos, vt constat de hæresi secreta vel occulta, quæ modo prodeat in actum vel signum externum, incurrit pœnas. 13.306
Ecclesia potest præcipere confessionem de venialibus externis. 13.309
Duæ sunt claues Ecclesiæ altera scientiæ, altera potestatis. 15.28
Quomodo Ecclesia habeat aut non habeat potestatem in actus internos. 17.12
Non potest Ecclesia immediatè præcipere totum sacramentum pœnitentiæ, prout de facto à Christo institutum est. 17.12
Tota authoritas quam habet Ecclesia in spiritualibus est per ordinem ad externum regimen Hyerarchicum. 17.12
Difficultas præcepti de confessione non obstitisset, quin ab Ecclesia ferri potuisset. 17.14

Quo tempore obligasset ante determinationem Ecclesia certo dici non potest. 17.60
Ecclesia nullum actum punire potest, qui sub ipsius iudicium cadere non potest. 18.112
Nullus actus sub iudicium Ecclesiæ cadere potest nisi externo aliquo signo deprehendi valeat. 18.112
Ecclesia modificando per determinationem temporis præceptum diuinum, fideles obligat ad seruandum etiam præceptum diuinum, non immediatè vi sua, sed consequenter vi diuinæ authoritatis. 18.114
Ecclesia non posset excommunicare eos qui in sacro audiendo non haberent internam intentionem. 18.120.
Bona opera sanctorum computanda sunt inter bona Ecclesiæ, eo, quod membra sint Ecclesiæ. 20.15
Ecclesia non potest cum Catechumenis dispensare in votis. 20.155
Ecclesiasticum *præceptum possitne pœnitentem directè obligare ad reconfitenda peccata semel valide confessa.* 13.287.& 304.
Effectum *eundem repugnat cõseruari duplici actione naturali & supernaturali.* 4.23
Effectus licet non possit integrare suam causam, vt causam formaliter; potest tamen eam integrare in ratione entitatis siue materialiter. 10.87
Ad eundem effectum non solent duo sacramenta per se institui. 19.93
Eleemosynæ *præceptum non semper data occasione obligat.* 9.23
Eleemosyna facta per famulum ex consensu Domini censetur actus ipsius Domini. 16.110

Episcopatus, Episcopus.

In ijs Episcopatibus, in quibus imposita est pœna excommunicationis transgressoribus præcepti Ecclesiastici ipso facto incurrenda, non requiritur iudicis sententia. 18.106
Episcopus non potest non admittere ad ordinem habentem dimissorias quem tamen nouit in Confessione esse irregularem. 14.40
Episcopus potest non admittere ad examen ordinandorum quem scit per confessionem esse irregularem. 14.40
Episcopus respectu suæ diœcesis, & Pontifex respectu omnium fidelium est proprius Sacerdos. 15.40
Habent facultatem in iure eligendi sibi confessarium absque licentia superioris, Episcopi, eorumq; superiores. Qui nomine Episcopi intelligantur hic. Comprehenduntur etiam Episcopi qui consecrati Episcopatui renuntiarunt. Item Episcopi Vicarius. 15.55
Episcopi vel Abbates Episcopalem iurisdictionem habentes non egent approbatione. 15.97
Possunt approbationem dare, Episcopi, Vicarij Episcoporum, Episcopi electi & consecrati, nondum tamen iurisdictionem habentes, Episcopi nominatim excommunicati. 15.106
Episcopus iniustè negans approbationem peccat. 15.107.
Si Episcopus Religiosos à suis superioribus præsẽtatos, & manifestè idoneos sine causa reijceret, posse nihilominus audire confessiones plures sentiunt. Contrarium tamen verius est. 15.108.& 109
Episcopus potest simul cum approbatione dare etiam iurisdictionem Sacerdoti Regulari, habitanti intra suam diœcesim absque vlla licentia sui superioris quantum attinet ad validitatem sacramenti. 15.111
Potest Episcopus facultatem concedere suis subditis eligendi sibi quemcumque Sacerdotem à suo ordinario approbatum. 15.128
Non potest Episcopus sine iusta causa approbationem semel datam reuocare. 15.131
Potest Episcopus noua suborta causa approbationem semel datam, non solum à Sacerdote sæculari, sed etiam à Regulari reuocare. 15.132
Potest Episcopus Sacerdotem Regularem ab alio Episcopo approbatum, iterum pro sua Diœcesi approbare. 15.133
Potest Episcopi successor iterum approbare Regularem approbatum à suo prædecessore. 15.134
Non potest Episcopus Sacerdotem Regularem ante ab ipso approbatum, si postea mutauit domicilium, iterum ipsum examinare, cùm denuo ad eius Episcopatum reuertitur, nisi noua suborta causa. 15.135
Pontifex vel Episcopus potest sacramentalem pœnitentiam extra iudicium sacramentale per applicationem indulgentiæ mutare. 16.48
Tam Episcopis quam Archiepiscopis, & consequenter primatibus ex proprio numere, & ordinaria potestate competere indulgentias concedere vero similius est. 20.107
Episcopos in sua Diœcesi, Archiepiscopos in tota prouincia indulgentias posse concedere iure non diuino sed humano habent. 20.107
Solus electus & confirmatus Episcopus licet non consecratus sit indulgentiam concedere potest. 20.110
Episcopus qui Episcopatui renunciauit, nequit ordinaria potestate indulgentiam concedere. 20.110
Potest Episcopus suis subditis, etiam extra propriam Diœcesim existentibus indulgentiam concedere. 20.111
Potest vnus Episcopus licentiam concedere suis subditis vt indulgentiam lucrentur ab alio Episcopo. 20.112
Vnus Episcopus potest suam iurisdictionem alteri delegare Episcopo, imò etiam simplici Sacerdoti, vel Clerico. 20.112
Episcopus non potest indulgentiam concedere pro defunctis. 20.113
Si Episcopus vel Archiepiscopus in concedendis indulgentijs excedat potestatem sibi à iure concessam, eius concessio est irrita solùm quoad excessum, non autem quoad quantitatem indulgentiæ quam concedere potest. 20.114
Episcopi præter indulgentias vnius anni in dedicatione Basilicæ, & 40. dierum alijs temporibus non possunt in foro pœnitentiali plures concedere. 20.115
Episcopi non succedunt quo ad omnia Apostolis. 20.117
In fauorabilibus Religiosi subduntur Episcopis. 20.142.
Equites *S. Iacobi Calatrauæ Alcanteræ Montesæ*

confiteri possunt de iure cuilibet Sacerdoti ab Episcopo non approbato, si licentiam à superiore suo habuerint quamuis consuetudo sit in contrarium. 15.99

Excommunicatio, Excommunicatus.

Ecclesiæ prælati excommunicare solent omnes eos qui intra annum non sunt confessi. 18.67
Ecclesia non posset excommunicare eos, qui in sacro audiendo non haberent internam intentionem. 18.120
In Clementina prima excommunicantur ipso facto Religiosi qui Clericis, aut Laicis præsumpserent absque Parochi licentia in articulo mortis tam hoc quàm Eucharistiæ sacramentum ministrare. 19 150
Una excommunicatio tolli potest non sublata altera. 13.75
Excommunicatio non inhabilitat subiectum ad sacramenta recipienda, nec illud subtrahit à iurisdictione Sacerdotis non habentis potestatem super excommunicationem, solùm prohibet ne licitè possit ad ea accedere. 13.268
Excommunicatio contra eos qui præceptum annuæ confessionis non seruarunt, non fertur ob solam violationem præcepti, sed etiam propter obligationem adimplendi præceptum. 18.67
In ijs Episcopatibus, in quibus imposita est pœna excommunicationis transgressoribus præcepti Ecclesiastici ipso facto incurrenda non requiritur iudicis sententia. 18.106
Mentalis Hæreticus excommunicationem non incurrit, nisi externo aliquo signo suam hæresim manifestet. 18.112
Absolutio ab excommunicatione pendet à sola voluntate absoluentis nullo requisito consensu ex parte absoluendi. 20. 26
In articulo mortis posset moribundus à Clerico tantum tonsurato ab excommunicatione absolui. 20. 143
Excommunicatus non potest prohiberi ne celebret aut communicet propter vitandum scandalum. 13. 219
Excommunicatus non potest iurisdictionem delegare. 15.52
Excommunicatus, nominatim denuntiatus. & publicus percussor Clerici non est capax iurisdictionis absoluendi. 15.54
Prælati etiam excommunicati gaudent priuilegio eligendi sibi Confessarium. 15.56
Quando Sacerdos excommunicatus possit & debeat sacramentum Extremæ-unctionis solum propter infirmi vtilitatem, ne sine fructu illius moriatur, mininistrare. 19.200
Excõmunicatus an sit capax indulgentiæ. 20.162
Excommunicatus accipiens Bullam cruciatæ consequitur fructum indulgentiæ. 20.163

Extrema-vnctio.

Effectus sacramenti Extremæ-vnctionis producitur partibiliter ad singulas vnctiones. 11. 13
Cur forma Extremæ-vnctionis deprecatoriè proferatur? 11.40
Sacramentum Extremæ vnctionis iterare non licet durante eadem infirmitate. 13. 68
Error Lutheri & Caluini de sacramento Extremæ-vnctionis. 19. 2
Extremam-vnctionem esse sacramentum fides Catholica docet. 19.5
Vnde colligatur sacramentum Extremæ-vnctionis. 19. 14
Sacramentum Extremæ-vnctionis est consummatiuum pœnitentiæ sacramenti. 19.9
Sacramentum hoc nequit nisi fidelibus ministrari. 19.10
Ad sacramentum Extremæ-vnctionis requiritur fides Ministri non subiectiua, sed obiectiua. 19.16
In sacramento Extremæ-vnctionis res tantùm est gratia, sacramentum tantùm est ipsa externa vnctio, res & sacramentum simul est spiritalis animi hilaritas. 19.22
Sacramentum Extremæ-vnctionis à Christo immediatè fuit institutum. 19.24
Probabile est hoc sacramentum vnà cum sacramento pœnitentiæ fuisse institutum. 19. 24
Non tamen certum est hoc sacramentum non fuisse à Christo ante resurrectionem institutum. 19.28
Cur ab Euangelistis non fuerit huius sacramenti mentio facta. 19.29
Materia remota sacramenti Extremæ-vnctionis est oleum oliuarum. 19.32
Simplex duntaxat oleum sine mixtura vlla alterius liquoris esse materiam idoneam huius sacramenti colligitur ex sancto Iacobo. 19.33
Probabilius est oleum balsamo mixtum esse validam huius sacramenti materiam. 19.34
In casu necessitatis potest loco olei Sacerdos vti Chrismate. 19.35
Proxima materia huius sacramenti est vnctio. 19. 36.
Sacramentum Extremæ-vnctionis consistit in ipso vsu & applicatione materiæ. 19. 36
Episcopi benedictio essentialiter requiritur ad naturam huius sacramenti, sine qua irritum esset hoc sacramentum. 19.40
Dispar est ratio in materia Baptismi, Eucharistiæ, & Extremæ-vnctionis. 19. 43
Non posse summum Pontificem dispensare, vt oleum à simplici Sacerdote benedictum sit ipsa materia huius sacramenti probabilius est. 19.45
In nullo casu ministrandum est hoc sacramentum in oleo non benedicto ab Episcopo. 19.50
Oleum Catechumenorum est sufficiens materia huius sacramenti. 19.51
Vnctio renum propter modestiam non est adhibenda fœminis: nec vnctio pedum adhiberi solet Monachis & Monialibus. 19.52
Non omnes septem vnctiones requiruntur ad validitatem huius sacramenti. 19.54
Nec in formam crucis vnctio; sed possunt infirmi simpliciter inungi. 19.56
Potest vnctio fieri immediatè virga aliqua lignea vel argentea 19.58
Si nulla vrgeat necessitas seruandus est ritus quem in hoc sacramento seruat Ecclesia Romana, vel certè illa, sub cuius ditione est infirmus. 19. 59
Quot vnctiones sufficiant ad hoc sacramentum perficiendum, referuntur tres diuersæ sententiæ. 19. 60.
Sacramentum Extremæ-vnctionis institutum est

ad abstergendas reliquias peccatorum. 68
Sententia tres de vnctionibus ad hoc sacramentum requisitis probabiles sunt, tertia est omnium tutissima, & in praxi seruanda quantum fieri potest. 71
Quomodo hoc sacramentum tempore pestis sit administrandum. 73
De fide est formam deprecatiuam esse sufficientem ad huius sacramenti validitatem. 80
Cur huius sacramenti forma debeat esse deprecatiua tres rationes assignantur. 81
Non est probabile formam indicatiuam esse sufficientem ad validitatem, huius sacramenti. 82
Quæ verba in forma huius sacramenti contenta sint de essentia. 87
Non est necesse distinctè exprimere materiam remotam huius sacramenti. ibid.
Tam verba quæ diuinam misericordiam, quàm quæ omnes sensus exprimunt, sub præcepto proferenda esse omnes Doctores notant. ibidem.
Valeas, in forma qua vtebatur Ecclesia Ambrosiana, est deprecatiuum verbum. 89.
Duplex est effectus huius sacramenti materialis alter, alter spiritualis. 91
Effectus spiritualis huius sacramenti duplex est 91.
Sacramentum hoc peculiariter institutum est ad disponendum hominem ad introitum gloriæ. 103.
Refutatis alijs duabus sententijs probabile est proprium effectum huius sacramenti consistere in quibusdam specialibus auxilijs ordinatis ad roborandum animum infirmi contra difficultates, & tentationes in articulo mortis occurrentes, consequenter verò & tamen aliquo modo per se, & ex secundaria intentione esse remissionem omnis culpæ tam mortalis quàm venialis, nec non reatus pœnæ ex peccatis relicta. 101
Probabilissima est sententia asserens hoc sacramentum per se institutum esse ad remittenda ea peccata, siue mortalia siue venialia sint, quæ non sunt per alia sacramenta remissa, nec non ad excitandum roborandumque animum infirmi, ad patienter tolerandas difficultates morbi, tentationesque in mortis articulo occurrentes superandas: & si expedierit etiam ad corporis salutem conferendam. 105
Cur remissio peccatorum in forma huius sacramenti exprimatur vltimo loco. 106
Remissio peccatorum est primarius effectus huius sacramenti. 11
Infirmus qui defectu doloris supernaturalis inuincibiliter ignorati confessus est & communicauit inualidè vt sacramenti Extrema-vnctionis virtute iustificetur debet elicere attritionem saltem supernaturalem. 115
Hoc sacramentum per se institutum est ad remittenda peccata occulta. 116
Quodnam sit discrimen inter hoc & alia viuorum sacramenta. 118
Quàndo infirmus confiteri non potest, si cognoscit se esse in peccato, debet cum dolore ad hoc sacramentum accedere. 123
Dolor de peccatis in sacramento Extrema-vnctionis vel nullo modo requiritur, vel requiritur vt dispositio ad consequendum effectũ sacramenti. 124
Sacramentum hoc collatum peccatori accedenti sine dolore est validum in ratione sacramenti. 124
Essentia ipsius non pendet ex actibus suscipientis sicut sacramenti pœnitentia. 124
Sanitas quam in extremis vnctus acquirit non semper est effectus huius sacramenti. 128
Quomodo intelligenda sint ea verba (si saluti animæ expedierit) contenta in forma Extrema-vnctionis. 128
Quando effectu conferatur in hoc sacramento plures referuntur sententia. 132. & 180
Probabile est gratiam conferri in hoc sacramento cùm primùm quinque vnctiones absoluuntur cum totidem formis illis correspondentibus. 134
Probabile est in singulis vnctionibus, & formis vnctionibus correspondentibus partialem gratiam conferri. 135
Probabile est gratiam in hoc sacramento statim conferri cùm primùm prima vnctio cum sufficienti verborum forma applicata fuerit. 137
Solus Sacerdos est minister huius sacramenti; nomine Sacerdotis venit etiam Episcopus. 139
Nequit hoc sacramentum valide confici hoc modo a pluribus Sacerdotibus, vt vnus solam subministret materiam vngendo, altero formam proferente. 143
Potest hoc sacramentum validè confici à pluribus Sacerdotibus, non solùm successiuè, sed etiam simul. 145
Etsi possent validè, non tamen possent licitè plures Sacerdotes hoc sacramentum conficere. 146
Secundus Sacerdos non obstante quod primus vnam vel alteram vnctionem adhibuit, posset licitè omnes quinque adhibere. 149
Etsi validè hoc sacramentum à quouis Sacerdote administrari possit, non tamen licitè, nisi vel in extrema necessitate vel de proprij Pastoris saltem tacita licentia. 150
Ad hoc sacramentum conficiendum non requiritur vt Sacerdos sit expositus, & ad confessiones audiendas approbatus. 150
Si constet Parochum iniustè licentiam negare, potest quicunque Sacerdos sacramentum hoc in extremis constitutis ministrare, quemadmodum & sacramentum Eucharistiæ. 150
Probabilius est Parochum publicè excommunicatum posse licentiam concedere ad hoc sacramentum ministrandum. 150
Duplex est huius sacramenti subiectum proximum & remotum. 151
Subiectum remotum huius sacramenti est solus homo viator. 152
Si de vita inungendi dubitatur, inungendus est sub conditione saltem tacita, si est viuus. 152
Subiectum huius sacramenti capax est homo graui ac periculosa infirmitate laborans. 153
Infirmitas est conditio requisita non solùm ad effectum, sed etiam ad valorem huius sacramenti. 153.
In collatione huius sacramenti non est exspectandus vltimus planè mortis articulus, quo infirmus nullum actum deuotionis amplius possit elicere. 154.
Subiectum ad hoc sacramẽtum supponitur vt conditio essentialiter ad id requisitum. 156

Non

Non potest hoc sacramentum ministrari constituto in articulo mortis, si talis infirmus non sit. 157.

Qui pestem contraxit, vel venenum accepit, item qui præ nimia senectute deficere incipit, & fœmina partui proxima sunt capaces huius sacramenti, si dolor tantus sit parientis, vt de earum morte timeatur. 157

Ad validitatem huius sacramenti requiri vt infirmitas sit grauis, & ex natura sua periculosa, opinio est Suarez. 158

Ad valorem huius sacramenti satis est, vt morbus probabiliter putetur periculosus. 160

Nec pueri, nec perpetuò amentes sunt huius sacramenti capaces. 162

Pueris in ea ætate ministrandum est hoc sacramentum, in qua illis ministratur Eucharistia, imo in qua capaces sunt pœnitentiæ. 162

Sacramentum hoc ad sui validitatem postulare, vt subiectum aliquando peccauerit actualiter probabilius est. 169

Probabilius affirmatur Extremam vnctionem licitè ministrari posse ijs qui nullum de facto ostendunt rationis vsum, esto illum antea habuerint. 174.

Propter solum effectum secundarium non debet hoc sacramentum administrari. 176

Non est necesse vt hoc sacramentum actu petatur quando confertur, sed satis est vt aliquando ab infirmo petitum fuerit. 177

Non est necessaria petitio huius sacramenti expressa, sed sufficit interpretatiua & virtualis. 177.

Non licet infirmo existenti in peccato cum sola attritione cognita ad hoc sacramentum accedere. 178

Minister potest ac debet existenti in peccato sacramentum hoc conferre, etiamsi agnoscat tantum esse attritum. 178

Quando infirmus compos sui attritionem elicuit, & cum attritione cognita hoc sacramentum petiuit, postquam statim in amentiam incidit, ministrandum est ei hoc sacramentum. 180

De fide est posse hoc sacramentum iterari. 182

Durante eadem necessitate & eodem morbi statu non potest hoc sacramentum iterari. 184

Quoties variatur morbi status vt de periculoso fiat non periculosus; & rursus de non periculoso fiat periculosus, toties iterari potest hoc sacramentum. 185

Si quis hoc sacramentum suscepit tempore quo morbus non censebatur periculosus, potest postea hoc sacramentum repetere, quando idem morbus euadit periculosus. 186

Duplex est minister huius sacramenti, alter cui ex officio incumbit, alter in defectum proprij ministri. 195

Tenentur ex communi Doctorum sententia omnes superiores sub præcepto ad mortale obligante, suis subditis hoc sacramentum ministrare. 196

Tam Religionum Prælatos quàm Parochos ex iustitia ad hoc sacramentum ministrandum suis subditis teneri probabilius est. 197

Longè probabilius est quod tempore interdicti in quo hoc sacramentum prohibetur, ministrari possit à Parocho moribundo, qui nullum aliud sacramentum suscipere potuit. 198

Quo casu simplex Sacerdos qui in necessitate succedit in defectū proprij Pastoris, teneatur sub mortali saltem ratione charitatis hoc sacramentum ministrare, quando ab infirmo petitur? 199

Quando Sacerdos excommunicatus possit & debeat hoc sacramentum solùm propter infirmi vtilitatem, ne sine fructu illius moriatur, ministrare? 200

Probabilius est tempore pestis non teneri Parochum cum periculo vitæ hoc sacramentum administrare. 203

Duplex est ritus in administrando hoc sacramento, alter substantialis, alter accidentalis. Item alius præcedens alius in ipsa sacramenti administratione seruandus. 211

Ritus præcedens alius est remotus, alius proximus. Sacerdos in defectu olei eiusdem anni, poterit vti oleo alterius anni. 213

Non est repetendum sacramentum, si Sacerdos per errorem infirmum vnxit chrismate. 214

Adhibendus est Sacerdoti vnus saltem Clericus si haberi potest. 215

Quæ preces sint præmittendæ huic sacramento. 216

Quæ in ipsa sacramenti collatione sint seruanda. 217.

Ornamenta vt sunt superpelliceum, & stola necessariò sunt adhibenda, nisi periculum damnationis infirmi aliud suadeat. 217

Sacramentum hoc conferendum est post sacramentum confessionis & Eucharistiæ. 219

Quas ob causas prædictus ordo mutari possit. 220

Ad sacramentum hoc per se non requiritur confessio. 220.

Si infirmus haberet peccatum mortale, quod non deberet confiteri Sacerdoti Extremam-vnctionem ministranti posset contritus suscipere sacramentum Extremæ-vnctionis, & postea alteri Sacerdoti confiteri. 220

Si nullam haberet spem alium confessarium habendi cui posset mortale conferri, probabilius est teneri aliquod veniale confiteri. 210

Quando infirmus sub conditione sit vngendus. 221

Spectata natura & institutione huius sacramenti non est necessarium necessitate medij nec præcepti. 189.

Ratione scandali vel contemptus posset infirmus grauiter peccare ommittendo hoc sacramentum. 190.

Secluso contemptu & scandalo, si nulla subsit causa committendi illud, peccabit venialiter, non autem mortaliter. 190

Illi qui infirmi curam gerunt, nisi sint Parentes, coniuges, non tenentur sub mortali hoc sacramentum procurare. ibidem

Quo casu posset infirmus defectu aliorum mediorum obligari ad hoc sacramentum suscipiendum. 193

Vide Vnctio extrema.

Eucharistia.

Eadem materia remota Eucharistiæ non potest fieri proxima materia nouæ consecrationis. 13. 69

Quomodo infideles obligentur ad Eucharistiam sumendam. 17. 39

Sacramentum tam pœnitentiæ, quàm Eucharistiæ

obligare

obligare fideles ad præueniendum, si probabiliter prauident in articulo mortis defuturam ipsorum copiam, communis est sententia. 18. 98
Sacramentum Eucharistiæ fideles obligat, ne ex hac vita discedant absque hoc cœlesti diatico. 18. 101.
Dispar est ratio in materia Baptismi, Eucharistia, & Extrema-vnctionis. 19. 43
Eucharistia carnalis concupiscentia ardorem extinguit. 19. 113

Fauor. Fides, Finis, Forma.

Potestas fauores & gratias concedendi non ad ordinarios iudices, sed supremum Principem & Pastorem spectat. 20. 98
Quando præceptum confessionis fideles per se, aut etiam per accidens obliget referuntur varij casus. 17. 41
Dupliciter fideles ad sacramentalem confessionem obligari possunt. 17. 44
Dantur plures habitus fidei, Charitatis, non vero plures fides, Charitates. 1. 115
Cur habitus fidei, & spes maneāt in peccatore; habitus pœnitentia deperdatur. 1. 137
Finalis *impœnitentia quando sit tantum circumstantia peccati, & quando sit peccatum speciale.* 9. 9
Finis *proximus qui, & obiectum formale in habitibus practicis coincidunt.* 1. 68
Fœminæ *spiritualis iurisdictionis non sunt capaces.* 20. 141.
Forma *illa moraliter opponitur alteri, quæ tantum ponit, quantum altera sustulit.* 16. 123
Forma tollitur vel per suspensionem physici concursus, vel per formalem incompossibilitatem. 124
Implicat tolli physicam formam à subiecto nulla facta mutatione in creatura. 6 125
Nulla forma intrinseca subiecto, tolli potest sola extrinseca forma. 125
Quæ sit forma sacramenti pœnitentia, referuntur aliquot sententia. 11. 1
Quare forma sacramentorum propria ministri voce proferri debeant, & non materia. 13. 22
Christus instituit formas sacramentorum propter significationem formalem. 19. 89
Vnde colligatur forma deprecatiua sacramenti Extremæ vnctionis 90
Fortitudo, *Temperantia, & alia virtutes possunt per actus suos satisfacere imperatiuè, non elicitiuè.* 1. 60
Furtum *vnum illatum pluribus non est multiplex sed vnum duntaxat peccatum.* 13. 102
Gaudium *de dolore & displicentia peccati est actus pœnitentia.* 2. 15
Gentiles *dupliciter obligantur ad baptismum suscipiendum.* 17. 39

Gloria, Gratia.

Vnde proueniat quod de facto meritum gloria, & gloria eiusdem sint ordinis. 3. 49
Repugnat connaturaliter augeri gloriam non aucta gratia. 8. 53
In potestate hominis est ad gratiam se præparare, sed collato speciali auxilio Dei. 2. 45
Peccatorem non semper excitari actu diuina gratia ad pœnitentiam non prouenit ex parte Dei excitare nolentis, sed ex parte peccatoris impedimentum apponentis. 5. 49. 50
Gratia pugnat non quouis peccato mortali. 57
Gratia habitualis non requiritur formaliter ad remissionem venialis. 6. 82
Semper ad remissionem venialis infunditur gratia concomitanter. 85
Gratia habitualis non dignificat nisi actus supernaturales à se elicitos. 104
Nequit Deus restituere peccatori contrito gratiam habitualem ex puro motiuo liberalitatis, & non ex motiuo reconciliationis. 143
Gratia pendet meritoriè in conseruari à creatura. 7. 10
Implicat habere gratiam sanctificantem, & non esse verè sanctum. 7. 54
Infusio gratia sanctificantis est distinctum beneficium ab ipsa contritione. 76
Virtutes supernaturales sunt gratia connaturaliter debita. 8. 1
Gratia non dignificat opera nisi in ipsa influendo. 21
Gratia præterita dignificare potest opera præsentia, non vero gratia præsens opera præterita. 48
Gratia est radix omnium supernaturalium perfectionum, 53
Verius est gratiam deperditam non restitui in fine vita, sed statim atque pœnitentia acta est. 62
Vt homo sit dignus recipere gratiam non sufficit vt fuerit dignus quando elicuit meritum, sed debet esse dignus quando recipit gratiam. 71
Quando non recuperare gratiam sit speciale peccatum, 9. 10
In gratia confirmati, aut immunes ab omni peccato vt fuit Beata Virgo non tenentur præcepto confessionis. 17. 35
De facto gratia iustificans per se non infunditur nisi vel per sacramentum baptismi & pœnitentię, vel per actum contritionis cum voto ad hæc sacramenta. 20. 31
Per alia sacramenta interdum per accidens potest infundi gratia iustificans. ibidem.
Potestas fauores & gratias concedendi non ad ordinarios iudices, sed ad supremum Principem & Pastorem spectat. 98

Habitus.

Habitus infusi dantur vt sint proxima principia actuum supernaturalium. 1. 81
Datur habitus pœnitentia acquisitus actibus pœnitentia infusa. 84
Habitus pœnitentię acquisitus est eiusdem rationis cum habitu eiusdem virtutis infuso genericè, vel etiam reductiuè. 85
Ex frequentatione actuum supernaturalium gignitur habitus. 88
Nullus habitus potest potentiam facilitare nisi per ordinem ad motiuum, ad quod potest habitus ipse se extendere. 90
Potentia inorganica sunt habitus capaces. 1. 91
Habitus ex supernaturalibus actibus comparatus est in essentia supernaturalis. 92

Habitus supernaturalis acquisitus immediatè facilitat potentiam. 93
Habitus ex actibus supernaturalibus genitus est diuersæ speciei ab infuso. 97
Habitus supernaturalis infusus dat posse simpliciter, acquisitus tantum facilitat. 97
Habitus supernaturalis acquisitus supplet influxum obiecti, non potentia. ibidem.
Habitus acquisitus supernaturalis in quo distinguatur ab infuso & ab actibus. 114
Habitus supernaturales acquisiti manent in damnatis & peccatoribus. 116
Non omnis habitus supernaturalis sufficienter disponit hominem ad finem supernaturalem. 122
Vt aliquis habitus possit esse in subiecto non otiosus sufficit vt in illo aliquem actum ex proprio motiuo exercere possit. 133
Habitus pœnitentiæ est in Christo & B.Virgine. Angelis, Beatis omnibus. 132
In beatis manet habitus spei. 134
Cur habitus Fidei & Spei maneat in peccatore, habitus verò pœnitentiæ perdatur. 137
Aliqui habitus ordinantur ad statũ gratiæ inchoandum, aliqui ad eum perficiendum, aliqui directè opponuntur peccato. 138
Cur præter actum charitatis, remaneant etiam habitus alij supernaturales in beatis. 139
Habitus supernaturales infusi dantur propter actus supernaturales quoad substantiam. 1 39
Habitus luminis & charitatis non excedunt gratiam. 8.54
Hæreticus *mentalis excommunicationem non incurrit, nisi externo aliquo signo suam hæresim manifestet.* 18.112
Hæretici frustra Epistolam sancti Iacobi reyciunt. 19. 17
De horis Canonicis *vno die intermissis præceptum cur non obliget vt altero die recitentur, obliget verò præceptum annuæ confessionis neglectum tamdiu vsque dum aliquando impleatur.* 18.70
Humanitas *cur peccatis sub conditione tantùm remissis possit hypostaticè assumi à Deo.* 7.61

I.

Ignorantia *potest principio esse vincibilis, & malæ fidei, quæ tamen postea fieri potest inuincibilis & bonæ fidei.* 13.328
Impœnitentia *finalis quando sit tantum circumstantia peccati, & quando sit peccatum speciale.* 9.9
Impossibile *moraliter reputatur, quod difficulter fit.* 5.29
Incarnationis *Domini finis fuit, hominem perfectè redimere, non solùm à peccato sed etiam à pœna peccati.* 20.13
Incestus *quid addat supra furtum, homicidium, fornicationem.* 13. 91
Incestus non contrahitur inter confessorem & pœnitentem. ibidem.

Indulgentia.

Indulgentiæ in peccato susceptæ non conferunt effectum, confert autem satisfactio in peccato exhibita. 16.33
Pontifex vel Episcopus potest sacramentalem pœnitentiam extra iudicium sacramentale per applicationem indulgentiæ mutare. 48
Indulgentia quid nominis sit. 20.2
Quinam primo indulgentias impugnarint. 3
Est in Ecclesia spiritualis quidam thesaurus constans ex Christi & sanctorum satisfactionibus. 6
Est de fide. 21
Christi passiones & multorum sanctorum satisfactiones non sunt sufficienter à Deo remuneratæ. 7
Omnium sanctorum opera sufficienter sunt remunerata in ratione meriti, non tamen in ratione satisfactionis. 10
Omnia opera tam Christi quàm sanctorum quæ non fuerunt condignè remunerata, manent sub potestate, & dominio Ecclesiæ fidelibus dispensanda. 12
Ecclesia succedit in bona spiritualia sanctorum, quãdo non est, qui ad illa iure succedere possit. Sicut in bona ciuium succedit Respublica, quando ex familia non est qui possit legitimè succedere. 14
Sancti non possunt quo ad rationem meriti sua opera alys applicare. 14
Bona opera sanctorum computanda sunt inter bona Ecclesiæ, eò quòd membra sint Ecclesiæ. 15
Potestas dispensandi spiritualem thesaurum Ecclesiæ residet in summo Pontifice, tanquam in supremo capite totius Ecclesiæ. 17
Beatus Gregorius Anno 590. putatur primus exercuisse vsum indulgentiarum. Qui post Gregorium Pontifices indulgentias concesserunt plures referuntur. 19
Probabile est reseruari in thesauro Ecclesiæ eorum iustorum superabundantes satisfactiones, qui post multa opera satisfactoria in peccatum inciderunt, aut etiam damnati sunt. 22
Concessionem indulgentiarum esse actum non ordinis sed iurisdictionis tantùm vnanimis est Doctorum sententia. 24
Quid sit potestas concedendi indulgentias. ibid.
Potestas indulgentiarum limitari potest iuxta voluntatem concedentis. ibid.
Potestas indulgentiarum nec remittit peccata, nec pœnas debitas peccatis in foro sacramentali, sed extra illud per modum cuiusdam iuridicæ absolutionis. ibid.
Pontifex vt persona publica potest sibi indulgentias concedere vt persona priuata. 27
Episcopi non possunt extra suas diœceses indulgentias concedere: Potest Archiepiscopus toti prouinciæ eas concedere. 29
Actus concedendi indulgentias est actus absolutionis coniunctam habens solutionem. 30
Indulgentia respectu hominis cui applicatur habet rationem puræ misericordiæ. ibid.
Indulgentia secundum se, & respectu Dei spectata includit actum iustitiæ. ibid.
Indulgentiæ non absoluunt fideles à vinculo mortalis culpæ. 31
Ferè certùm est indulgentias nõ absoluere à vinculo peccati venialis. 33
Si indulgentiæ concessæ essent propter ipsum actum contritionis, vel sacramenti pœnitentiæ, adhuc re-

missio pœna æterna non esset effectus indulgentiarum. 20. 34
Probabilius est per indulgentias directè & immediatè tolli sacramentales pœnitentias. 41
Potuit Christus instituere sacramentum pœnitentiæ tanquam supremum tribunal in ferenda sententia de peccatis, & retinere potestatem relaxandi pœnas in eo latas, eamq; communicare per indulgentias suo vicario. 42
Non tenetur pœnitens ad seruandam pœnitentiam sacrament. si probabiliter indulgẽtias lucratus est. 46.
Omnes indulgentiæ extendantur ad quascunque pœnas etiã pro quibus nulla est iniuncta pœnitẽtia. 52
Cùm Pontifices indulgentias concedunt, non præsumuntur concedere nisi iuxta Canones. 55
Quando indulgentia sine vlla restrictione, conceduntur, extendi ad omnes pœnas, quas homo ex peccatis contraxit, probabilius est. 56
Non remittunt pœnas iniunctas ab Ecclesia, persoluendas in foro externo. Quid sit indulgentia. 59
Cùm conceduntur indulgentiæ 40. vel 100. dierũ aut annorum, intelliguntur dies vel anni earum pœnitentiarum, quæ iuxta antiquam Ecclesiæ consuetudinem, imponebantur pœnitentibus. 61
Quid fuerit quadragena, quid septena? 61
Indulgentiæ possunt concedi, mediatè & immediatè. 64.
In concessione mediata requiritur actus personæ, cui est applicanda. ibid.
Lucratur illam, qui nesciens ipsam, præstat omnia, ad rem lucrandam necessaria. ibid.
Potestas indulgentiarum concessa est Ecclesiæ absque restrictione verborum, non signi sensibilis. 65
Sciens internam voluntatem Pontificis indulgentiam concedentis, adhuc sine externo signo eam non consequeretur. ibid.
Potestas concedendi, est amplè interpretanda. 72
Concessio si fit de solis pœnitentiis iniunctis, strictè; si de non iniunctis, latè est interpretanda. 77
Amplè interpretanda est potestas indulgentiam concedendi per delegationem alteri communicatam, nisi aliunde constet illam limitari voluntate Pontificis. 80
Quando indulgentiæ conceduntur ad preces alterius, mensurandæ sunt iuxta intentionem petentis in supplicatione expressam. ibid.
Indulgentia diuiditur 1. quo ad quantitatem pœnæ. 2. quo ad durationem temporis. 3. quo ad subiectum. 84
Subdiuiditur in plenariam & partialem. 82
Plenaria non differt à Iubilæo nisi quo ad singularia priuilegia & fauores. ibid.
Intelligitur Pontifex plenariam concedere, quotiescunque concedit indulgentiam simpliciter. 83
Subdiuiditur in perpetuam & temporalem. 84
Quando intelligenda sit concedi perpetuo. ibid.
Diuiditur in personalem, localem & realem. 85
Indulgentia quæ religioni vel communitati conceditur, nisi expresse limitetur, intelligitur perpetua. ibid.
Quando indefinitè conceditur personis, extenditur ad omnes, imo ad ipsum concedentem. ibid.
Concessa templo extenditur ad Cœmeterium. 86
Si concessa est visitanti vel oranti in Ecclesia, sat erit ante vel propè ipsam orare. 86
Si concessa altaribus 5. sufficit ex vno vertere se ad reliqua. ibid.
Sat est Religiosis propriam Ecclesiam visitare, quando in Bulla Ecclesia ponitur indefinitè. 88
Quando templum dirutum, siue in eodem loco, cui erat indulgentia concessa, siue in alio reædificatur, probabilius est perseuerare indulgentiam. 89
Indulgentia realis bifariam potest concedi. 91
Indulgentia applicanda imaginibus vel numismatis, quæ sanctos vel beatos exprimunt. 92
Pontifex indulgentiã numismatis concedens, semper præsumitur concedere, sub conditione actus honesti, erga imagines exercendi. 95
Summus Pontifex ordinaria potestate toti Ecclesiæ indulgentias concedere potest: eiq; diuino iure est communicata. 97
Parochi nullo ordinario iure illam habent. 98
Peccatum mortale in concedente non impedit indulgentiæ valorem. 109
Indulgentia ab Episcopo excommunicato vel suspenso non tolerato inualida est. ibid.
Quinam possint indulgẽtias concedere. 107. & seqq.
Probabilius est legatum Apostolicum in sua legatione, & summum pœnitentiarium potestate ordinaria indulgentias concedere posse. 119
Quæ Abbatibus, Cardinalibus, Religionum Prælatis nullo iure competit. 125
Probabilius nec Concilio Generali. 132
Prouinciali non nisi ratione Episcoporum, quos includit. 140
Delegare hanc potestatem possunt omnes, qui eam ordinario iure possident. 141
Etiam Laico de potentia absoluta; Tonsurato de ordinaria. 143
Non potest Parochus suo Parochiano licentiam concedere, vt ab Episcopo non suo indulgentiam lucretur, quam possunt Religiosi lucrari. 142
Soli homines ratione vtentes, & in vltimo termino non constituti sunt indulgentiæ capaces. 149
Non Catechumeni viatores. 153
Nec animæ, quæ cum originali ex hac vita discedunt. 156
Ad participandam satisfactionẽ per modum suffragii à priuata persona oblatam non requiritur subiectio quoad spiritualem iurisdictionem. 159
Certa & indubitata veritas est indulgentias prodesse defunctis. 165
Per modum suffragii. 168
Etiam Catechumenis. 167
Indulgentia concessa per modum absolutionis infallibiliter sortitur effectum, data per modum suffragii, non infallibiliter. 175
Deus ex benignitate indulgentias pro defunctis oblatas semper acceptat, licet non teneatur, saltem pro parte, & pro quibus Deus ipse decreuerit. 189
Nulla applicari potest pro defunctis, nisi expresse concessa. 190
Dispositio ad eas requisita alia remota, alia proxima, alia habitualis, alia actualis. 191
Ad eam lucrandam requiritur status gratiæ, ob necessitatem sufficientis causæ, quam indulgentia requirit. 193
Indulgentia non potest concedi sub conditione confessionis, vel contritionis futuræ. 195

Probabilius est indulgentias in peccato mortali acceptas non conferre suum effectum recedente fictione. 20.200
Probabilius est indulgentiam prodesse defunctis, si executioni mandetur per peccatorem. ibid.
Indulgentia non inficitur ex malitia personæ operantis. 203
Assignatur discrimen inter suffragium personæ priuatæ in proprio opere fundatum, & indulgentiam. 204
An requiratur status gratiæ ad participandos alios fauores, qui cum indulgentia concedi solent. 205
Indulgentia absque vllo opere pio possunt concedi. 207
Sufficiunt, authoritas in concedente, gratia in recipiente, & pietas in causa. 209
Necessaria est contritio vel confessio existenti in peccato. 212
Probabiliter putans se esse contritum aut validè confessum lucratur indulgentias: 214
Seu remissionem pœnarum, quæ supponunt peccata iam condonata. 214
Quando conceditur sub conditione operis pij, nil proderit, nisi illud impleatur, vt exigitur. 218
Posset exigi opus in gratia non factum cùm concurrat vt pura conditio. 222
Causa mouens est Christi & sanctorum satisfactio. ibid.
Vnde colligitur exequenda opera in statu gratiæ, dum Pontifex id apertè non explicat. 224
Non est necessarium, vt semper vina opera Christi per viuas dispositiones recipientis applicentur. 225
Opus ex obiecto debet esse honestum. 226
Vel etiam ex circumstantijs. 229
Prauus finis peccati venialis concurrit ad opus concomitanter, vel formaliter. 230
Si opus requisitum sit contritio, sufficiet probabiliter tantùm putata. 233
An si quis iubeat famulum Eleemosynam pro indulgentia dare, & non det, indulgentiam lucretur. 234
Non potest vnus eam lucrari per opus alterius. 235
Posset vni concedi sub conditione operis alterius. 236
An eodem opere possit quis diuersas lucrari. 237
An eandem sæpius de die. 239
An quando in forma concessionis exprimitur confessio, necessario ad valorem indulgentiæ illi præmittenda sit. 240
An si post confessionem homo mortaliter peccet sufficiet ad illam contritio absque noua confessione. 242
Si quis post confessionem recordetur peccati obliti, tenebitur ad illud confitendum, alioquin indulgentias non lucrabitur. 242
Ad valorem indulgētiæ præter causam intrinsecam, requiritur extrinseca finalis. 243
Potestas indulgentias concedendi est ordinata ad egestatem fidelium subleuandam, ad vtilitatem Ecclesiæ, & honorem Dei. 255
Causa ad illius valorem requisita debet esse iusta & proportionata. 257
Vnde mensuranda sit proportio hæc. 260
Contra valorem indulgentiæ, non est excessus causæ, bene tamen defectus causæ. 265
Propositio illa non est in ratione satisfactionis; sed in ratione medij ad finem, qui est gloria Dei, & vtilitas Ecclesię militantis. 267
Nō solius triumphantis gloria per liberationem animæ purgantis. 268
Quòd ad indulgentias lucrandas sufficiat causa probabiliter tantùm putata sufficiens, communior est sententia. 270
Etsi non sit publica causa. 277
Quando causa non est sufficiens pro tota indulgentia, valet pro parte, pro qua censetur sufficiens. 281. 281
Nunquam dubitandum est, an indulgentia concessa sufficienti careat causa. 282
Aliàs Pontifex peccaret, si causam non iudicaret sufficientem. ibidem.
Si constat indulgentiam lucraturo, concessam esse malo fine, indulgentia nequit esse valida, secus si non constet. 285
Non licet eam concedere ob causam purè temporalem. 287
Quadrifariam possunt indulgentiæ cessare. 288
Non sola morte concedentis, nisi id saltem implicitè fuerit in concessione expressum. 289
Sed per reuocationem concedentis. 290
Reuocari potest ab ipso concedente, à superiore, vel æquali. ibid.
Vel solo actu interiori concedentis. 291
At non cessat, donec eius reuocatio legitimè promulgetur. 292
An sit necessarium vt ipsa actualis notitia reuocationis perueniat ad aures indulgentiam possidentis. 293
Cessat mortua persona cui fuit concessa: si limitatæ ad certam rem, transire potest ad alios, ad quos res transit. 295
Cessat quo ad vsum, accedente persona, cui concessa est excommunicatione. 296
Non per solam renunciationem eius, cui conceditur. 297
Sed perdita vel destructa re in qua conceditur. 299
Inualida est posterior, concessa loco habenti aliam, nulla facta mentione prioris in petitione posterioris. 300
Non cessat cessante causa propter quam concessa est. 301.
Vide *Dispensatio, Episcopus.*
Infideles *adulti non tenentur præcepto confessionis.* 17.38
Quomodo infideles obligentur ad Eucharistiam sumendam. 39
Ingratitudinis *circumstantia nō confert actui nouā speciem malitiæ nisi expresse intendatur.* 7.14
In intellectu *nihil est, quin priùs fuerit in sensu.* 19.68.
Intentio *in quauis forma sacramenti est ratio formaliter integrans, & principium proximum eliciens ipsam formæ enunciationem.* 12.67

Iudex, Iurisdictio, Ius, Iustificatio.

Quis sit Iudex arbitrarius. 10.53
De ratione Iudicis sacramentalis est proferre sententiam verbis. 11.46
Iudicium *sacramentale non subalternatur publico in omnibus.* 11.28

Sacerdos

Sacerdos non habet iurisdictionem in peccata non baptizatorum. 13.50
De facto ad absoluendum sacramentaliter semper est necessaria iurisdictio. 15.26
Nullus inferior exercere posset iurisdictionem, quam habet in suos subditos contradicente superiore. 39
Iurisdictio tamdiu durat in parocho, in Pontifice, in Episcopo, quamdiu in eis durat officium Pastoris, quo cessante cessat. 41
Iurisdictio ordinaria immediatè non terminatur ad loca, sed ad personas. 42
Quinam possint in hoc foro pœnitentię iurisdictionem delegare. 47
Qui iurisdictionem delegatam habet à Pontifice, posset confessiones audire vbique terrarum, nulla licentia petita ab ordinarijs. 50
Iurisdictio si delegetur sine facultate subdelegandi, non potest nisi Sacerdotibus ab ordinario approbatis, si conceditur cum facultate eam subdelegandi, poterit etiam non Sacerdoti delegari. 53
Præter approbationem ordinarij, requiritur etiam iurisdictio à proprio superiore, vt secularium confessiones audiat regularis. 110
Iurisdictionem potest Episcopus dare Sacerdoti regulari habitanti intra suam diœcesim absque vlla licentia sui superioris, quantum attinet ad validitatem sacramenti. 111
Non omnis actus iurisdictionis exerceri potest in inuitum, sed solus ille, qui nullum requirit consensum ex parte eius, in quem exercendus est. 20.26
Vide Delegare, Excommunicatio, Episcopus.
Quod sit ius diuinum connaturale. 13.126
Quisque licitè vti potest iure suo, etiam cum incommodo alterius. 168
Nullus potest ius diuinum præscribere. 20.122
Cur validè dispensari possit in iure humano etiam sine causa, non vero in iure diuino. 20.253
Peccator interdum iustificatur per actum pœnitentiæ: interdum per actum charitatis cum voto saltem implicito pœnitentiæ formalis. 4.78
Non posset etiã de potẽtia absoluta peccator cum sola attritione ordinis naturalis in sacramento pœnitentiæ iustificari. 12.52
In nullius rei voto peccator iustificatur quam vel baptismi, vel pœnitentiæ. 5.33
Iustificatio est ipsa gratia, & donorum infusio, qua formaliter fit ipsa peccatorum remissio. 4.17
Quæ sint causæ iustificationis. 5.33
Vide Confessio, pœnit.
Iustitia perfecta requirit 3. conditiones, perfectam iurium alteritatem, compensationis æqualitatem, debitum compensandi ex aliquo iure ortum. 1.54
Iustitia alia est perfecta, alia imperfecta. ibid.
Donum iustitiæ originalis in hac vita nemini restituitur.

Laus, Lex.

Quid sit laus. 8.32
Lex includit actum intellectus, & voluntatis. 1.47
Tota lex naturalis sine speciali gratia per Christum seruari non potest. 2.43
Consuetudo per decennium à populo seruata cum tacito consensu Principis obtinet vim legis. 18.55
Lex creata est expressa manifestatio legis increatæ. 3.22

M.

Mala, quæ non possunt præuideri, non sunt causaliter libera. 5.46
Martyrium actu perpessum habet aliquod priuilegium, quod non habet in voto tantùm susceptum. 4.87
Mors secuta est duratione Martyrij. 4.87
Matrimonium inter absentes contractum tenet. 11.57
Matrimonium tollit difficultates, quæ inter coniuges occurrere solent. 19.113
Medij ad salutem necessarij quodnam sit proprium munus. 4.36
Eadem lege præcipitur actus, & medium, ad actus executionem necessarium. 17.25
Homo potest mereri excitationem ad pœnitentiam non positiuè, sed negatiuè. 5.50
Non omnis actus meritorius est dispositio, cum sacramento ad iustificationem. 3.49
Meritum vt sic ex natura sua non petit esse einsdem rationis cum prœmio. ibid.
Vnde prouentiat quod de facto meritũ gloria, & gloria eiusdem sint ordinis. ibid.
Cur merita peccato mortificata dicantur reuiuiscere. 8.2
Merita peccato mortificata per pœnitentiam ad pristinum prœmium reuiuiscere communis est sententia & fusè probatur. 4. & seqq.
Meritum immediatè ordinatur ad gratiam, vltimatè ad gloriam æternam. 12
Tres conditiones requiruntur ad meritum. 13
Merita peccato mortificata acceptari debere post actam pœnitentiam ad pristinum prœmium nulla ratio naturalis ostendit. 14
Opera ipsa meritoria secundùm se considerata etiam peccato mortificata condigna manent prœmio vitæ æternæ, & sic habent aliquid de iustitia supposita liberalitate Dei. 16
Quid sit manere merita in diuina acceptatione. 20
Vt opera nostra sint meritoria debent procedere ex gratia etiam habituali. 21
Opera nostra sunt meritoria per modum obsequij. 21
Quo sensu ad reparationem futuri lapsus non detur meritum. 22
Deus aliquo modo dici potest moueri ex meritis præteritis ad dandam gratiam peccatori. 22
Peccator per lapsum non aboles, sed impedit merita. 24
Merita solùm ad prœmium accidentale, & non ad essentiale, item non ratione rei, sed tantùm in ratione prœmij, reuiuiscere falsum esse demonstratur. 26. & seqq.
Merita post pœnitentiam resurgunt ad totum prœmium essentiale. 59
Assignatur satisfactionem inter, & meritum discrimen. 20.22
Reditus meritorum post pœnitentiam est opus solius misericordiæ. 8.16

Ministri *nouæ legis per quid differant à Ministris veteris legis.* 11. 83
Quare forma sacramentorum propria Ministri voce proferri debeant. 13. 22
Quid faciendum à Ministro in dubio, an fuerit absolutio valida, & quomodo eam liceat iterare. 13. 33
Ordo idoneorum Ministrorum egestatem tollit. 19. 113.
Missas *duas aut nec audire qui debet pro pœnitentia, satisfacit, si omnes in diuersis altaribus eodem tēpore simul audiat.* 16. 112
Motiuum *trahit actum quem specificat, ad eundem ordinem in quo ipsum est.* 3. 35

O.

Obedientia *respicit ius vt præceptiuum formaliter.* 1. 47
Obex *ad sacramentum est affectus ad peccatum.* 3. 45.
Obiectum *virtutis materiale, & medium ad proximum eius finem consequendum sunt idem.* 1. 66
Obiectum materiale potest includere formale non constitutiuè & in recto, sed terminatiuè, & in obliquo. 69
Obsequia *omnia impensa Deo sunt illi iure stricto debita.* 8. 17
Odium *verum non necessario fundatur in amore boni proximè; sed vel proximè; vel remote.* 3. 8
Ius resumendi pristinum odium in Deo, sub conditione si homo iterum peccauerit non impedit amicabilem conuersionem Dei ad hominem. 7. 58
Efficax odium Dei necessario terminatur ad actuale peccatum creaturæ. 64
Offendi *in bonis extrinsecis Deum quid sit?* 6. 100
Rex non potest in sua persona leuiter offendi à rustico. 102
In rebus externis dupliciter potest offendi Rex, primò per ablationem tantùm rerum externarum: secundo per virtualem contemptum ipsius Regiæ personæ. 103
Deus nequit extrinsecis rebus grauiter offendi, seclusò virtuali contemptu ipsius. 103
Nequit Deus per peccatum offendi, quin aliquod eius ius lædatur. 1. 33
Offensa venialis sumit ordinem à bono quo priuat. 6. 94.
Offensa est quidam voluntarius contemptus personæ. 94.
Vide *Retractare.*
Oleum *Catechumenorum etiam est simplex absque vlla mixtura.* 19. 33
In Pontificali Roman. simplex oleum appellatur Chrisma. 33
Potestas consecrandi oleum infirmorum per se non includitur in potestate conficiendi corpus & sanguinem Christi Domini. 47

Operatio, Opera.

Operatio *omnis augetur per propriam delectationem.* 2. 16
Regula & mensura recta operationis est res ipsa operanda secundùm se. 12. 15
Finis practicæ operationis est res ipsa secundùm se. 12. 15.
Opera in statu peccati facta cur dicantur mortua. 8. 21
Per opera bona moralia ex speciali auxilio ordinis naturalis tantùm facta, non possumus omnia mandata diuina implere. 12. 49
Opus morale auxilio ordinis naturalis factum est aliqua dispositio remota ad gratiam extra sacramentum, non est autem idem opus cum sacramento dispositio proxima ad gratiam. 50
Interdum opera aliàs præcepta censentur comprehensa inter opera in satisfactionem à Confessario imposita. 16. 90
Omnis remuneratio, quam Christi opera habuerunt, fuit finita. 20. 8
Duo habet opus honestum à iusto factum, rationem videlicet meriti, & rationem satisfactionis. 10
Posse opera alijs applicare quoad rationem meriti speciale Christi priuilegium est. 14
Vide *indulgentia, meritum.*
Ordo *non includit subiectum, cui confertur, vt partem constituentem sui, necessariò tamen supponit illud vt conditionem ad sui valorem essentialiter requisitam.* 19. 156
Defectu capacitatis subiecti non imprimitur character ordinis fœmina. 156

Parochus *tantùm putatus censetur ex tacita concessione Ecclesiæ habere omnem potestatem ad suum officium ritè obeundum.* 13. 276
Si constet Parochum iniustè licentiam negare, potest quicunque Sacerdos sacram. Extrema-vnctionis in extremis constituto ministrare quemadmodum & sacram. Eucharistia. 19. 150
Habens parochiale beneficium potest vbiq; eligi ad cōfessiones audiendas absq; noua approbatione. 15. 114
Idem potest parochus concedere, sed cum aliquo discrimine. 128
Paschale *tempus communionis nonnunquam præueniendum est.* 18. 93

Peccator. Peccatum.

Peccatum formaliter conuertit peccatorem in creaturam, virtualiter & interpretatiuè auertit à Deo. 4. 28
Plus tenetur peccator ad remouendum malum, quod intulit Deo, quàm ad volendum ei bonum. 64
Macula peccati sub conditione tantùm remissi radicaliter maneret in præterito peccato. 7. 58
Deus potest peccata ad certum tempus dimittere. 64
Ad reditum peccatorum non est necessarium vt peccator sciat peccata esse tantùm sub conditione remissa. 76
Nec nouum voluntarium distinctum à priori. 79
Redire potest peccatum. 1. vt circumstantia aggrauans. 2. secundùm eandem malitiam, quam primò productum habuit. 82
Cur ad peccatum Adami necessaria fuerit notitia de transfundendo peccato in posteros. 83
Reditus peccati quoad solam imputabilitatem potest fieri sine actione physica peccati redeuntis. 85.
Peccatum non minuit intrinsecum valorem meriti;

sed tantùm impedit ius ad gloriam. 8.36
Ex peccatis per accidens potest bonum reportari. 68
Quando non recuperare gratiam sit speciale peccatum. 9.10
Sola permanentia in peccato non addit super peccatum nisi circumstantiam temporis. 24
Homo semper tenetur non esse inimicus Dei actu, non verò semper tenetur non esse inimicus habitu. 30.
Peccatis occurrentibus tenemur non consentire negatiuè, non positiuè dissentire. 61
Venialia non dicuntur simpliciter peccata, sed tantùm secundùm quid, & analogicè. 10.57
Venialia à Sacerdote possunt remitti, non tamen absolutè retineri. 56
Solùm peccatum mortale claudit cœlum. 57
Veniale non claudit, sed tantùm retardat introitum in cœlum. ibid.
Dupliciter Sacerdos retinere potest peccata in foro pœnitentiæ. 61
Peccata remissa per contritionem, remissa sunt per ordinem ad confessionem. 64
Peccata non sunt pars constituens sacramentum, sed materia remouenda. 12.79
Peccatum veniale ex surreptione moralem connexionem praui doloris cum sacramentali absolutione non impedit. 94
Quæ sit regula ad dignoscendum, quæ circumstantiæ mutent moralem speciem peccati. 13.91
Vnde numerica distinctio peccatorum colligenda. 99.
Probabilius est non teneri præcepto confessionis venialia tantùm habentes. 18.24
Quid faciendum illi qui venialia habet, & mortale dubium. 29
Radix peccatorum est in quinque corporis sensibus. 19.68
Male explicantur reliquiæ peccatorum per pronitatem ad malum, & difficultatem ad bonum. 110
Reliquiæ peccatorum debent esse eiusdem rationis cum iis, quorum sunt reliquiæ. 112
Phreneticus *posset post phrenesim vnius anni vi præteriti doloris à peccatis absolui.* 12.78
Peccatum *omne est contra voluntatem Dei, vel explicitam, vel implicitam, non tamen semper contra explicitam.* 1.48
Omne peccatum mortale includit auersionem à Deo fine & obiecto supernaturali. 3.12
Omne peccatum committitur cum aliqua notitia Dei finis supernaturalis. ibid.
Peccatum contra Deum finem naturalem non delctur solâ attritione naturali, sed contritione naturali. 18
Supposita fide ius naturæ dictat peccata esse retractanda. 4.37
Peccata detestabilia vt offensiua Dei tanquam amici super omnia dilecti non sunt conditio sine quâ non eliceretur contritio, sed sunt ipsum formale motiuum. 120
Nullum peccatum est adeo graue, nec multitudo peccatorum adeo magna, vt nequeat vera contritione extra sacramentum deleri. 5.26
Deus nulli in hac vita ob quamcunque multitudinem aut grauitatem peccatorum, denegat auxilia gratiæ ad salutem necessaria. 45
De fide est secundùm potentiam ordinariam vnum peccatum mortale non posse remitti sine alio. 56
Implicat Deum remittere vnum mortale sine alio in hoc statu naturæ eleuatæ ad finem supernaturalem. 57
Nullum mortale remitti potest sine gratia sanctificante in hoc statu. ibid.
Quædam auxilia diuina sunt communia cuicunque iusto debita. Hæc non amittuntur per venialia. 6.78
Nulla gratia habitualis incompossibilis est cum peccato veniali. 6.82
Peccatum veniale non est solùm deordinatio actus circa bonum commutabile, sed aliqua etiam deordinatio à familiaritate Dei. 86
Peccatum veniale non est priuatio gratiæ habitualis. 83
Peccatum veniale coniunctum cum mortali in altera vita punitur pœna æterna per accidens. 90
Dato quod aliquis obiret cum veniali actuali & originali solo, tale peccatum veniale per accidens punitur pœna æterna. 91
Dari potest condigna satisfactio à iusto pro suo peccato veniali. 94
Per veniale non deserimus Deum vltimum finem, sed solùm feruorum circa Deum. ibid.
Peccatum mortale est immediatè contra voluntatem Dei, veniale tantùm mediatè. 96
Cur peccatum mortale dici debeat esse immediatè contra voluntatem Dei, non verò veniale. 98
Quid sit peccatum habituale. 120
Extrinseca condonatio Dei non delet peccatum moraliter efficienter. 127
Deus per extrinsecam condonationem cedendo iuri indignationis non tollit peccatum. 131
Peccatum veniale non includit priuationem gratiæ habitualis. 137
Hæc forma adæquatè sumpta est incompossibilis etiam de potentia absoluta cum peccato veniali. 140
Deus efficaciter retractanti veniale supposito pacto non potest non remittere. 146
Peccata venialia in vita non retractata remittuntur in instanti intrinseco mortis. 166
De facto peccata semel dimissa non redeunt per subsequens peccatum, nec quo ad culpam, nec quo ad pœnam. 7.6
Remissio peccati præteriti non pugnat cum subsequente culpa. 10
Præteritorum peccatorum remissio non pendet meritoriè in conseruari à creatura. ibid.
Per subsequens peccatum redeunt peccata priora remissa per modum circumstantiæ aggrauantis. 11. & 12.
Non secundùm eandem pœnam, quam præterita peccata ex proprio obiecto meruerunt, redeunt vt circumstantia peccati subsequentis; sed solùm secundùm eam, quæ consequitur ex malitia peccati subsequentis, vt formaliter aggrauati ex remissione præcedentium. 13
Peccata sunt in duplici differentia. 14
Peccata, quorum malitia consummatur in ipso affectu interno voluntatis, non contrahuntur nisi per

peruexpressum affectum. 7.14

Peccata, quorum malitia consummatur in aliqua operatione distincta ab ipso interno affectu voluntatis, contrahuntur per affectum etiam interpretatiuum. 14

Peccatum subsequens semper nos priuat maiori gratia, quàm peccatum praecedens. 16

Non implicat redire eundem numero actum Physicum peccati. 25

Non repugnat diuinae bonitati vti miraculis ad reproducendum actum peccati. 32

Idem numero actus peccati reproductus est vnus physicè, moraliter duplex. 33

Implicat etiam de potentia absoluta redire eadem peccata remissa quoad imputabilitatem, posita remissione prout de facto fit 36

Absolutè non implicat eadem peccata semel remissa redire quoad moralem imputabilitatem. 37

Peccatum habet moralem efficacitatem maiorem ad destruendum meritum, quàm contrà. 43

Quo pacto possit peccatum esse sub conditione tantùm remissum, & nihilominus vere, & re ipsa esse remissum. 52

Vide *confessio, poenitentia, offensa*

Pœna *debita peccato mortali gratis condonatur peccatori ex meritis Christi, non ex proprijs.* 20.11

Peccator solùm satisfacit pro ea pœna temporali, in quam commutata fuit aeterna, quando remissa est illi culpa. 11

Indirectè potest remitti pœna in sacramentali foro iniuncta per subtractionem debiti, etiam ab eo, qui Sacerdos non est. 28

Duplex pœna considerari potest in homine ex condonatis peccatis relicta. 35

Tenere respectu pœnae importat passionem & actionem. 1.4

Pœnalia *potius sunt restringenda quàm amplianda.* 17.30

Pœnitentia virtus & Sacramentum.

Voluntas pœnitendi non est ipsum formale pœnitere. 2.23

Voluntas pœnitendi non habet immediatam oppositionem cum peccato. 24

Ex triplici capite obligatur peccator ad pœnitendum. 1. Ex Charitate erga Deum. 2. Ex Charitate erga se. 3. Ex speciali virtute pœnit. 9.8

Nemo tenetur ex nono praecepto ad statim pœnitendum. 22

Pœnitens *per scriptum non fit praesens Sacerdoti personaliter, sed intentionaliter.* 11.70

Pœnitens semper est ad formale propositum excitandus. 12.5

Non potest pœnitens codẽ actu velle sua peccata confiteri ex prauo motiuo peccati venialis, & sperare veniam peccatorum. 13.8

Voluntas qua pœnitens subijcit clauibus peccata, non integrat intrinsecè sacramentum pœnitentiae. 11

Sacerdos habet potestatem obligandi pœnitentem ad satisfactionem acceptandam. 16.3

Tenetur sub mortali tam Sacerdos conuenientes satisfactiones pœnitentibus iniungere; quàm pœnitens eas acceptare & exequi. 8

Non potest pœnitens propria auctoritate commutare sibi pœnitentiam à confessario iniunctam etiam in euidenter meliorem. 54.& seqq.

Pœnitens tenetur pœnitentiam exequi vt partem sacramenti. 55

Virtus clauium immediatè se extendit ad pœnitentis bonum, mediatè verò etiam ad alterius bonum. 63

Quando teneatur pœnitens satisfactionem suo tempore non impletam, alio tempore implere. 92

Sacerdos non potest virtute clauium obligare alium ad satisfactionem pro pœnitente exequendã, etiamsi is sponte se offerat ad huiusmodi pœnitentiam exequendam. 105

Potest pœnitens iniunctam pœnitentiam adimplere tempore operis aliàs praecepti. 111

Teneri aliquando pœnitentem tempus confessionis anticipare cõmunis est Scholasticorũ sententia. 18.90

Non tenetur pœnitens pro eodem debito bis soluere. 20.46

Pœnitentia *virtus praeter resipiscentiam, peccati agnitionem & propositum nouae vitae, importat etiam odium & detestationem peccatorum* 1.n.1

Est quaedam tristitia, concepta ex peccato commisso. 6

Est propriè virtus. 9

Primariò tendit ad prosecutionem boni, secundariò ad fugam, & detestationem mali. 11

Inadaequatè sumpta importat solam fugam mali, adaequatè sumpta dicit etiam prosecutionẽ boni. 3

Est in Christo & beatis tam secundùm affectum seruandi illaesum ius diuinum, & detestandi peccata aliena, quàm propria iam condonata. 14

In peccatum praeteritum efficaciter tendit, non vt praeteritum, sed vt moraliter praesens per modum habitus nondum retractati. 15

Non est generalis aggregatione multarum virtutũ. 23

Sed specialis, eiusq; obiectum est vnum specie. 29

Opponitur omni vitio, quatenus omnia conueniunt sub ratione laesionis iuris diuini. 28

De obiecto eius varia opiniones. 32.& seqq.

Est virtus specialis à caeteris distincta. 43

Obiectum eius est ipsa honestas recompensationis, quatenus resarcitiua est iuris diuini laesi, quod Deus habet vt prima regula in omnes nostras actiones morales. 41

Pœnitentia alia est naturalis & acquisita; alia supernaturalis & infusa. 44

Respicit ius Dei, quod habet in nostras actiones morales, vt directiuum & regulatiuũ formaliter. 47

Pœnitentia non est virtus Theologica. 55

Deus est finis cui pœnitentiae, non formale motiuum, quo proximè mouetur pœnitens. 56

Pœnitentia est species potestatiua iustitiae. 59

Pœnitentiae adaequatè sumptae materiale obiectum sunt omnes actiones morales vt conformabiles cum prima Regula. 66

Inadaequatè sumptae sunt omnia mala culpae, quin & actiones indifferentes, & defectus, qui habent priuationem maioris perfectionis. 70

Seu omnes actiones & positiuè difformes primae regulae, & negatiuè non conformes. 74

Propria peccata personalia etiam condonata. 75

Malum pœnae proximius, quàm malum culpae. 76

Datur pœnitentia per se infusa. 81

Et habitus acquisitus ex actibus pœnitentiae infusae. 84

Qui est eiusdem rationis cũ habitu eiusdem virtutis infuso genericè, & reductiuè. 85

Datur habitus pœnitentiæ naturalis. 1.126.

Quomodo is tendat in ius primæ regulæ. 1.127

Pœnitentiæ habitus est in Christo, B Virgine, Angelis, Beatis omnibus. 132

Cur habitus Fidei & Spei maneat in peccatore, habitus pœnitentiæ deperdatur. 137

Cur non repugnet fuisse habitum pœnitentiæ infusum Angelis viatoribus. 140

Actus pœnitentiæ non semper explicitè sed aliquando implicitè pœnitens exercet. 1.2

Gaudium de dolore & displicentiâ peccati est actus pœnitentiæ. 2.15

Pœnitentia essentialiter consistit in detestatione peccati. 2 22

Importat afflictionem saltem causalem. 29

Actus pœnitentiæ Christianæ est supernaturalis, quoad modum, & quoad substantiam. 34. & seqq.

Datur actus pœnitentiæ naturalis. 42

Quænam sit pœnitentia Christiana. 48

Altera est perfecta, altera imperfecta. 49

Pœnitentia vt formata charitatis habitu non disponit ad iustificationem, & peccati remissionem. 4 17

Actus pœnitentiæ extrinsece tantum coniunctus cum actuali motione Dei non est vltima dispositio ad iustificationem. 4.18

Pœnitentia formalis aliquando necessaria est in eo, qui peccata commisit, & quidem necessitate medij. 35.& 36

Idq; iure naturali diuino ad iustificationem. 37

Peccator aliquando potest per solam pœnitentiam virtualem iustificari. 51

Pœnitentia formalis requiritur vt præceptum naturaliter seruandum. 66

Dilectio ad iustificationem concurrit vt dispositio, pœnitentia vt præceptum naturale. 70

Qui iustificatur absque pœnitentia formali omissa ex inuincibili ignorantia peccatorum, tenetur ea cùm primùm mentem subeant, detestari. 79

Qui elicuit actum Charitatis Dei super omnia, pœnitentiam potest exercere ex quouis alio mot iuo. 80

Pœnitentia formalis quando sit necessaria necessitate medij; quando præcepti. 81

Pœnitentia formalis suppleri potest per actum perfectiorem, in quo virtualiter continetur. 83

Perfecta pœnitentia, teste S. Thoma, est motus, quo anima per gratiam mouetur a statu peccati ad statum iustitiæ. 93

Principalis finis illius est emendatio vitæ. 93

Includit illa obedientialem dilectionem, & propositum formale non peccandi. 94

Detestationem peccati respicit proximè, emendationem vitæ futuræ remote. 106

Per illam vnà cum gratia iustificante infunduntur omnes virtutes supernaturales. 8. 1. *restituitur tota gratia.* 61

Ad viuificanda merita est causa per accidens. 8.60

Semper homo per illam resurgit gratior. 69

Vide *Dilectio, contritio.*

Sacramentum pœnitentiæ *an in omni casu suppleat præceptum contritionis.* 4. 64. & seqq.

Succedit in noua lege contritioni. 5. 27

Posita hominum fragilitate pene fuit necessarium. 35

A Christo est institutum. 10. 4

Est distinctum a sacramento Baptismi. 5

Integrum fuisse a Christo institutum est de fide. 10

Sufficienter ex Euangelio colligitur quoad omnes partes completè. 13. & seqq.

Quam censuram mereatur contraria sententia. 39

In lege Euangelica est medium necessarium ad remissionem peccatorum mortalium post baptismum commissorum. 42

Vnde colligatur hæc necessitas. 43. & seqq.

Sufficienter ex Ioan. 20. quorum remiseritis peccata. 50

Est institutum in fauorem pœnitentis, & honoris diuini. 60

In quo consistat eius essentia. 67. & seqq.

Integratur ex contritione, confessione, & satisfactione. 75

Duplex est eius materia, altera destruenda, altera recompensatiua. 81

Non solum est signum & causa remissionis culpæ; sed etiam signum & causa remissionis pœnæ. 83

Essentialiter constat contritione, confessione & proposito saltem implicito satisfaciendi, tanquã materia, & absolutione iuridica Ministri tanquam forma. 89

Quæ partes vt componant totum sufficit coniunctio moralis. 99

Cur vocetur sacramentum reconciliationis, absolutionis, confessionis, pœnitentiæ, & nunquam satisfactionis. 91

Quid hic sit res, sacramentum, res & sacramentum simul. 108

Sola interior pœnitentia est res, & sacramentum simul. 116

Quæ sit essentialis forma pœnitentiæ. 11. 1. & seqq.

Principalis eius effectus est remissio peccatorum post baptismum commissorum. 7

Verba essentialia formæ sunt: absoluo te. 10. & seqq.

An reliqua verba sint integralia. 15. & seqq.

Cur in Baptismo, Confirmatione exprimatur S. Trinitas, non hic. 25

Forma deprecatoriè prolata est inualida. 37

Inualidum est hoc sacramentum collatum absenti, etsi confessus fuerit præsens. 56

Validum est per absolutionẽ datam præsenti, etiamsi confessio facta sit absenti per scriptum vel nuntium. 60

Ad sacramentum pœnitentiæ requiritur dolor formalis & expressus. 12. 2

Nec sufficit voluntas illud percipiendi. 3

Requiritur etiam propositum non peccandi. 4

Formale, & quando sufficiat vel virtuale. ibid.

Ad effectum illius sufficit attritio. 10

Etiam cognita & putata attritio. 15

Quis sit finis illius. 12

Sacramentum hoc facit ex attrito contritum. ibid.

Quando virtualis displicentia sufficiat. 18

Securius est & in praxi curandum vt attritio præcedat confessionem. 58

Nequit dari sacramentum hoc validum, sed informe. 103

Nec respectu venialium. 117

Sacramentum hoc debet esse reconciliatiuum tam ex parte Dei quam parte peccatoris. 104

Voluntas ex motiuo peccati mortalis elicita non est sufficiens ad hoc sacram. 13.2

Quando cum voluntate ex prauo motiuo peccati venialis fiet sacram. pœnit. quando non. 13. 5

Voluntas est tantùm applicans materiam. 6

Voluntas, quâ pœnitens subijcit clauibus peccata non integrat intrinsecè sacramentum pœnitentiæ. 9

Materia eius non sunt soli actus intrinsecè componentes. 11

Ad essentiam sacramenti necessarium non est vt confessio peccatorum fiat propria voce pœnitentis. 13

Non sufficit ad nouum sacramentum conficiendum nouum tantùm addere confessionem eorundem peccatorum iam confessorum. 36

Eadem peccata valide confessa, & remissa possunt esse materia saltem remota sacramentalis confessionis. 38

Peccata ante Baptismum commissa non sunt, quamuis aliqui esse putent, necessaria ad confessionem materia. 47

Peccata ante Baptismum commissa nec sunt materia sufficiens ad sacram. pœnit. 49

An peccatum dubium possit esse sufficiens. 53

Pœna iniuncta in confessione non est materia confessionis, sed actus Ministri Dei correctiuus culpæ: nec illa sufficit ad nouum sacram. etsi adsit nouus dolor. 61

Ad sacramentum absolutiuum sufficit, vt quantum est de se gratiam conferat peccatorum absolutiuam. 63

Potest pro Pœnitentia iniungi confitenti frequentior confessio. 64

Sacramentum pœnitentiæ iure diuino institutum est per modum Iudicij. 222

Tenetur pœnitens grauem pœnitentiam etiam pro venialibus vel mortalibus aliàs confessis, exequi sub mortali. 16. 15

Pœnitentia est ante absolutionem iniungenda, non tamen peccat, qui eam iniungeret post absolutionem. 16

Non tenetur ad implendam Pœnitentiam qui certò nouit absolutionem fuisse innalidam. 17

Quæ pœnitentiæ sint iniungendæ. 18

Quiuis legitimus confessarius mutare potest pœnitentiam, ab alio etiam superiore impositam; sed non nisi in confessione, & auditis peccatis propter quæ fuit imposita. 44

Pontifex vel Episcopus potest sacramentalem pœnitentiam extra iudicium sacramentale per applicationem indulgentiæ mutare. 48

Probabile est, inferiorem Sacerdotem mutare posse pœnitentiam impositam à superiore propter peccata reseruata, probabilius tamen est non posse. 49

Pœnitens suæ obligationi non satisfaceret, si Rosarium, quod in Pœnitentiam à confessario accepit, non vocaliter, sed mentaliter tantùm oraret. 57

Quanto tempore pœnitentia possit differri. 58

Confessarius potest pro pœnitentia sacramentali imponere opus applicandum defunctis. 62

Verius est confessarium non posse sine pœnitentia dimittere eum, quem putat probabiliter non suscepturum pœnitentiam. n.65.& seqq.

Sacerdos non potest pro grauibus delictis, de quibus non præcessit in pœnitente condigna satisfactio, Pœnitentiam imponere sub consilio. 79

Pœnitentia sub consilio iniuncta aliquando est sacramentalis. 84

Pœnitentia sacramentalis non valet conferre suum effectum ex opere operato ante absolutionem sacramentalem. 87

Quando satisfaciat qui sacramentalem pœnitentiam adimplet solùm quoad substantiam; Quando verò requiratur, vt etiam quoad circumstantias adimpleat. 88

Qui oblitus est pœnitentiæ sacramentalis non tenetur confessionem repetere. 96

Non tenetur Pœnitens aliam facere pœnitentiam, si ad eam quæ sibi à confessario imposita est, fiat impotens. 98

Confessarius in nullo casu tenetur imponere pœnitentiam alteri exequendam. 105

Claues Sacerdotis non extendunt se nisi ad pœnitentem. 105

Ad tria imponitur pœnitentia, ad Medecinam, ad recompensationem, ad remissionem pœnæ temporalis. 108

Regulariter non licet confessario imponere pœnitentiam ab altero implendam, quamuis in aliquo casu possit. 108

Pœnitentia hoc modo iniuncta, vt ab altero impleatur, non esset sacramentalis, nec effectum suum conferret ex opere operato. 109

Potest pœnitens iniunctam pœnitentiam adimplere tempore operis aliàs præcepti. 111

Qui pro pœnitentia debet duas, aut tres Missas audire, satisfacit si omnes in diuersis altaribus eodem tempore simul audiat. 112

Quando sit imponenda noua pœnitentia ei, qui cum nouis peccatis statim post sacramentalem absolutionem ad confessionem redit. 114

Vsus sacramenti pœnitentiæ ab Ecclesia exordio nũquam interruptus est. 17. 2

Non potest Ecclesia immediatè præcipere totum sacramentum pœnitentiæ prout de facto à Christo institutum est. 12

Discrimen inter Baptismum & pœnitentiam. 35

Quod sacramentum pœnitentiæ institutum sit non solùm ad remittenda præterita peccata, sed etiam ad præcauenda futura efficaciter demonstrat ad hoc sacramentum peccatorem teneri per se etiam extra articulum aut periculum mortis 59

Quo tempore obligasset ante determinationem Ecclesiæ certò dici non potest. 61

Sacramentum pœnitentiæ non est tantùm determinatio præcepti pœnitentiæ virtutis. 61

Sacramentum tam pœnitentiæ, quàm Eucharistiæ obligare fideles ad præueniendum, si probabiliter præuident in articulo mortis defuturam ipsorum copiam communis est sententia. 98

Vide *Sacramentum.*

Parochus tempore necessitatis sub mortali peccato tenetur ad administrandum sacram. pœnitentiæ subditis. 19. 206

Quando Parochus excusaretur à dicta obligatione. 207.

Qui est capax Eucharistiæ moraliter etiam est capax sacram. pœnit. 162

Quomodo possit Pontifex etiamsi Sacerdos non sit, per indulgentias remittere pœnitentias sacra-

mentales à confessario pro peccatis iniunctas. 20.38

Tribunal pœnitentiæ sacramenti nulli Hominum est subordinatum in ratione sacramentalis iudicij, quod fertur de peccatis in eo iudicatis; non autem in ratione liberalis condonationis nomine Christi impendendæ. 43

Non tenetur pœnitens ad seruandam pœnitentiam, quam in foro sacramentali accepit, si probabiliter indulgentias lucratus est. 46

Antiquitus pro quouis peccato mortali graui imponebatur pœnitentia 7. annorum, & pro grauissimo adhuc plurium. 20.54

Vide Confessio, contritio, attritio, indulgentia, dolor.

Pontifex potest à quolibet Sacerdote cui se sponte submisit absolui. 15.13

Pontificis familia & Cardinalium immediatè subijcitur Pontifici. 45

Quotiescunque Pontifices non exprimunt, semper præsumendum est facultatem concedere in suis Bullis iuxta formam Concilij. 103

In Pontifice est authoritas determinandi tempus circa frequentiam sacram. pœnitentiæ. 18.1

Potestas dispensandi spiritualem thesaurum Ecclesiæ residet in summo Pontifice tanquam in supremo capite totius Ecclesiæ. 20.17

Ad caput Ecclesiæ spectat, tanquam ad instrumentum Christi & viatores dirigere ad consecutionem æternæ gloriæ, & omnia impedimenta, quæ ab ea retardare possunt, submouere. ibid.

Pontifex vt persona publica potest sibi indulgentias concedere, vt persona priuata. 27

Quomodo possit Pontifex etiamsi Sacerdos non sit per indulgentias remittere pœnitentias sacramentales à confessario pro peccatis iniunctas. 38

Pontifex cum causa etiam à solemni voto Religionis potest dispensare. 76

In sacramentis exercendis non tradidit Christus plenam potestatem Pontifici, vt eorum validitas penderet ab humano, & prudenti iudicio ipsius. 271

Pontifex peccaret dispensando in voto ex causa non iudicata sufficienti, aut concedendo indulgentias ex causa non iudicata sufficienti. 282

Vide Dispensatio.

Potentia in quo differat ab habitu. 1.9

Potentia in nullius virtutis, præterquam charitatis operatione tanquam in termino simpliciter vltimo sistit. 17

Potentiæ inorganicæ sunt habitus capaces. 91

Potestas retinendi peccata concessa est à Christo absolutè. 10.56

Et est auctoritas non remittendi peccata. 61

Apostoli iure diuino acceperunt potestatem absoluendi quoscunque ad se accedentes. 15.14

Potestas absoluendi necessario præsupponit potestatem consecrandi. 27. Illa ab hac separari posset & cur. 27

Quando Sacerdos accipiat potestatem consecrandi, & quando potestatem absoluendi. ibid.

Iurisdictionis potestas delegari potest, non tamen cõsecrationis, & cur. 37

In quibus repertatur potestas ordinaria. 38

Qui ordinariam potestatem à superiore accipit, nisi expressè aliud præscribatur, accipit illam cum potestate delegandi alteri. 78

Sacerdos habet potestatem obligandi pœnitentem ad satisfactionem acceptandam. 16.3

Præceptum.

Deus semper obligat iuxta naturam præcepti. 4.63

Quando modus est de substantia actus præceptũ obligans ad actum, obligat ad modum; secus, si modus non sit de substantia actus. 9.11

Non semper finis præcepti cadit sub præceptum. 44

Præceptum non obligat nisi ad ea, quæ per se connexa sunt cum re præcepta. 13.175

Possitne Ecclesiasticum præceptum pœnitentem directè obligare ad reconfitenda peccata semel validè confessa. 287. & seqq. & n. 304

Non est absurdum vt materia sufficiens fiat ratione præcepti adiuncti necessaria confessionis. 290

Concilia & Pontifices præceptum confessionis non posuerunt, sed tempus solummodo determinarunt. 17.3

Nullus inferior abrogare potest præceptum superioris. 8

Potestas instituendi sacramenta non est eadem cum potestate ferendi præceptum de sacramentis. 13

Per confessionem informem ex defectu integritatis ob ignorantiam mortaliter culpabilem non satisfit præcepto diuino. 24

Per confessionem informem ex defectu doloris inculpabiliter se non extendentis ad peccata inuincibiliter oblita, vel ex defectu doloris, re ipsa insufficientis impletur præceptum diuinum. 29

Præcepta non obligant nisi prout sonant. 37

Præceptum confessionis obligat omnes Baptizatos habentes conscientiam peccati mortalis. 34

Sacramentum pœnitentiæ non est tantùm determinatio præcepti pœnitentiæ. 61

Præceptum confessionis per se etiam extra periculum mortis obligare aliquando, longè probabilius est. 52. &c.

Præceptum Ecclesiasticum annuæ confessionis est modificatio diuini. 18.14

Pontifex subiacet illi præcepto. 21

Præcepta non obligant nisi vt sonant. 52

Quæ sit natura præcepti affirmatiui. 65

Eadem lege præcipitur actus, & medium ad actus executionem necessarium. 17.25

Vide confessio, Ecclesia. &c.

Prælati inferiores exempti, & omnes prælati Religionum, etiam immediati, non tamen Abbatissæ, possunt sine superioris licentia confessarium sibi eligere. 15.55

Vi priuilegij huius non potest prælatus alium ab approbato; ab ordinario, vel à prælato sua Religionis eligere. 58

Tam Religionum prælatos, quàm Parochos ex institutia ad Extremæ-vnctionis sacram. ministrãdũ suis subditis teneri probabilius est. 19.197

Prælati Religionum solùm possunt applicare satisfactiones suorum subditorum per modum suffragij, dum illæ à suis subditis actu exercentur. 20.130

Duplex bonum possunt Prælati Religionum alijs applicare; Vnum per modum impetrationis & meriti de congruo; alterum per modum satisfactorij operis. 131

Prę̃mium

Præmium *duplex respondet nostris meritis, essentiale alterum, alterum accidentale.* 8.25
Præmium est aliquod donum correspondens operi ex libera donatione præmiantis. 26
Quid sit merita acceptari ad præmium essentiale. 29
Præmium magis pendet à voluntate præmiantis, quàm ex natura actus meritorij; cùm præmium principaliter fundetur in liberalitate præmiantis. 12.48
Præscribi *contra Ecclesiæ prohibitionem quando possit.* 15.31
Nullus potest ius diuinum præscribere. 20.121
Præscribere est authoritate publica rem alienam bona fide possessam facere suam. 122
Princeps *potest offendentem acceptare in pristinam gratiam cedendo tantùm iuri, non verò Deus.* 6.133
Priuatio *gratiæ eadem habet rationem maculæ, & rationem odij, & vindictæ.* 81
Eadem priuatio specialium auxiliorum & habet rationem maculæ, & auersionis Dei à iusto. 139
Priuilegium *capiti conceditur in ædificationem membrorum & non in destructionem.* 15.34
Prælati etiam excommunicati gaudent priuilegio eligendi sibi confessarium. 56
Non extenditur hoc priuilegium ad casus reseruatos, & censuras, nisi ad reseruatos ab ipso eligente. 57
Quando priuilegium exspiret morte concedentis. 66.
Duplex clausula opponi solet priuilegio. 66
Vnde priuilegium mortuo concedente vim habeat. 66.
Quinam vti possint priuilegio de eligendo confessario a sede Apostolica concesso. 67
Semper Pontifex priuilegia quæ concedit per Bullas, concedit iuxta decretum Concilij, nisi aliter exprimat. 112
Priuilegium, cuius notitia non est necessaria ad actum honestè exercendũ, operatur à die ipsa concessionis, etiamsi ipsius notitia nondum peruenerit ad ipsum priuilegiatum. 20.64
Priuilegium concessum in bonum animarum toti alicui Religioni, vel communitati, æquiparatur iuri communi. 73
Omnes fauores & priuilegia metu proprio à principe concessa, amplè sunt interpretanda. 80
Propositum *cauendi peccata in futurum est actus pœnitentiæ elicitiuè, Prudentiæ directiuè.* 2.3.18
Duplex est propositum, alterum formale; alterum virtuale. 4.90. *& disp.* 12. *n.* 4.
Extra aliquos casus propositum expressum est necessarium ad iustificationem, vt præceptum naturali iure coniunctum cum detestatione præteritæ vitæ. 100.101.
Dilectio est inefficax sine formali proposito. 101
Proprietas naturaliter consequens contritionem est propositum formale. 102.
Etsi quandoque sufficiat propositum virtuale. 12.4
Pœnitens semper est ad formale excitandus. 5
Pueri *Baptizati cum peruenerint ad eam ætatem, in qua sint doli capaces, & conscientiam peccati mortalis habere possunt, obligantur præcepto pœnitentiæ.* 17.34. & 18.17
Pueri rationis vsum habentes obligantur ad præceptum Ecclesiasticum de annua confessione. 18.17.
Pueris in ea ætate ministrandum est sacramentum Extremæ-vnctionis in qua illis ministratur Eucharistia, imò in qua capaces sunt pœnitentiæ. 19.162.
Vide *Extrema-vnctio.*
Punit *Deus sæpè peccatorem ob culpam iam remissam, non tantùm ad emendationem futuræ sed etiam in vindictam præteritæ vitæ.* 5.61
Quid requiratur adhoc vt actus aliquis puniri possit. 17.17
Purgatorium *est Tribunal Christi in quo sibi tantùm reseruat causas iudicandas.* 20.182

R.

Raptus *præter malitiam ex proprio obiecto superaddit ex circumstantia violentiam* 18.91
Ad reconciliationem *requiritur non solùm confessio culpæ, sed eiusdem etiam sufficiens retractatio.* 12.47
Regula *constituitur tantùm per actum intellectus.* 1.47
Prima regula dictat nostras actiones non solùm esse conformandas suo Principio proximè productiuo, sed etiam termino proximo regulatiuo. 73
Prima regula dictat nostras actiones dictamini diuino perfectè esse conformandas. 72

Religiosi.

Religiosi, & Moniales *quoad confessionem immediatè subijciuntur proprio superiori.* 15.46
Fratres Minores, & consequenter reliqui omnes Religiosi, qui per communicationem illud priuilegium participant, possunt semel in anno eligere confessorem de eadem obseruantia, qui de omnibus peccatis reseruatis, & censuris possit eos absoluere, imo & dispensare ab irregularitate, excepto homicidio & mutilatione voluntaria. 59
Superiores Religionum egent approbatione Episcopi ad conficiendum sacramentum pœnitentiæ, nisi annexam habeant Parochiam. 97
Superiores Religionum concedere possunt suis Religiosis facultatem, vt extra Religionem cuilibet Sacerdoti ab Episcopo non approbato possint confiteri. 98
Idem dicendum de Religiosis, qui ex vna Diœcesi migrant in aliam. 126
Idem dicendum de pœnitentibus Religiosis quando per priuilegium Bullæ vel Iubilæi eligunt sibi confessarium. 127
Religiosi ab Episcopis poterunt indulgentiam lucrari, etiamsi illis subiecti non sint. 20.142
In fauorabilibus Religiosi subduntur Episcopis. 142
Regulares non censentur comprehendi in odiosis nisi exprimantur. 15.123
Non potest Episcopus Sacerdotem Regularem ante ab ipso approbatum, si postea mutaunt domicilium, iterum ipsum examinare, cùm denuò ad eius Episcopatum reuertitur, nisi noua suborta causa. 135
Generalis Societatis cui confiteri possit. 86.88
Vide *Societas Iesu, Episcopus.*

Remissio.

Remissio.

Remissa culpa per pœnitentiam semper remittitur pœna æterna, non tamen cum remissione culpæ, semper remittitur pœna temporalis. 5. 60
In paruulis non est necessaria libera cooperatio ad remissionem culpæ originalis. 64
Semper ad remissionem venialis infunditur gratia habitualis concomitanter. 6.85
Remissio peccati præteriti non pugnat cum subsequente culpa. 7. 10
Præteritorum peccatorum remissio non pendet meritoriè in conseruari à creatura. 10
Remissio peccatorum non solùm pendet ex actu peccatoris; sed etiam ex voluntate Dei remittentis offensam. 45
Cur remissio peccatorum in forma Extremæ-vnctionis exprimatur vltimo loco: cùm sit primarius effectus illius sacram. 19. 106
Remissio peccati venialis de lege ordinaria fit per infusionem alicuius gratiæ, supposita aliqua ex parte subiecti dispositione. 20. 33
Deus efficaciter retractanti veniale, supposito pacto, non potest illud non remittere. 6. 146
Deus potest peccata ad certum tempus dimittere. 7 64
Deus remittit peccata auctoritatiuè, Sacerdos dispositiuè. 11. 91
Implicat Deum remittere vnum mortale sine alio in hoc statu naturæ eleuatæ ad finem supernaturalem. 5. 57
De fide est secundùm potentiam ordinariam vnum peccatum mortale non posse remitti sine alio. 56
Remissa culpa per pœnitentiam, semper remittitur pœna æterna, non tamen cum remissione culpæ semper remittitur pœna temporalis. 60
Cur contritione posita, remittatur pœna æterna, non verò semper temporalis. 63
Non potest Pontifex merè gratis remittere pœnam temporalem. 20. 30
Non potest remitti veniale sine mortali. 6. 89
Venialia nequeunt remitti per extrinsecum tantùm fauorem Dei. 123
Nequeunt peccata venialia remitti vel per quamcunque contritionem, & dilectionem Dei extra sacramentum; vel per gratiam habitualem, vel augmentum ipsius dumtaxat cum respectu & intuitu attritionis tanquam dispositionis in sacramento. 134
Forma, qua peccata venialia remittuntur, est efficax retractatio ex parte peccatoris, & restitutio specialium auxiliorum, quæ in odium peccati venialis à iusto subtracta fuerunt. 138
An, & quomodo venialia remittantur in altera vita varia referuntur sententia. 157. & seqq.
Peccata venialia in vita non retractata remittuntur in instanti intrinseco mortis. 166
Quo pacto possit peccatum sub conditione tantùm esse remissum, nihilominus verè, & re ipsa esse remissum. 7. 52
Peccata remissa per contritionem, remissa sunt per ordinem ad confessionem. 10. 64
Cur vna particula sine alia consecrari possit, & non remitti vnum peccatum sine alio. 13. 79
Peccata in sacramento remittuntur in forma iudicij media accusatione rei, & sententia Iudicis. 79
Vide *peccatum, confessio, pœnit.*
Remuneratio *omnis, quam Christi opera habuerunt fuit finita.* 20. 7
Reproducendo *eundem numero concursum actiut peccaminosi, Deus non est causa particularis peccati.* 7. 31
Reseruati casus Vide *casus reseruati.*
Resarcire *quamprimum illatum proximo damnum cur teneamur, non vero quamprimum de peccato pœnitere.* 9. 26
Vide *confessio, dispensatio.*
Retinendi *peccata potestas in Sacerdote formaliter non est potestas obligandi pœnitentem ad confitenda sua peccata: Sed est auctoritas non remittendi peccata, et dupliciter competens.* 10. 61
Retractanti *veniale, vt promissionis? non potest Deus illud iusto non remittere.* 6. 146
Necessarium fuit animæ ex hac vita decedentis posse retractare venialia. 164
Non semper tenemur iure naturali ad retractandam offensam sub formali motiuo offensæ, nisi quando reconciliamur extra sacramentum. 12. 19
Retractatio *non cadit nisi in propria peccata commissa, in aliena verò, & futura, odium & cautela.* 1. 75
Posita retractatione iusti conferuntur specialia auxilia iure, & virtute. 6. 154
Obex gratiæ tollitur per sufficientem retractationem peccati. 12 45

Sacerdos, Sacramentum.

In sacram pœnit. idem potest esse testis & reus, quia est voluntarium, & ordinatur ad internam animi salutem. 11. 3
Remissio peccatorum est proprius effectus Dei, vt agentis principalis per verba absolutionis ab ipso determinata: Absolutio ab excommunicatione est fori contentiosi, non sacramentalis, nec per verba determinata. 4
Inuocatio SS. Trinitatis an sit essentialis forma sacramenti: an exprimi debeat principale agens. 7
Sola duo verba, Absoluo te, *constituunt essentialem formam sacram. pœnit.* 10. & seqq.
Effectus sacram. pœnit. ex intentione Ministri differri potest in finem verborum integralium, à peccatis tuis, *& subsequentiũ accidentalium.* 17
Licet Minister grauiter peccaret sic conficiendo sacram. 18
Siquidem actus humani non operantur vltra intentionem operantis. 19
Minister suspendere potest intentionem explicitam & particularem, non conficiendi sacramentum nisi post omnia verba etiam accidentalia formæ; non reuocata intentione implicita & vniuersali faciendi quod Christus instituit. 22
Si pœnitens non sit dispositus nisi in prolatione illorũ verborum, à peccatis tuis, *tunc accipit gratiam sacram. non postea.* 23
Sacramenta suum effectum causant ad instar causarum naturalium, statim ac sunt, si impedimentum non habeant. ibid.

Verba

Verba exprimentia inuocationem SS. Trinitatis nullam significationem participant verborum essentialium, nec virtutem causandi remissionem peccatorum, quæ est principalis effectus sacramenti pœnit. 24
Attritio pœnitentis concurrit ad sacram. pœn. vt moralis dispositio & materia, non transmutationis, vt panis & vinum in Eucharistia, sed compositionis. 25
Sacram. Sententia procedere debet ex cognitione sufficientis doloris, non minus quàm peccatorum. 26
Baptismo peculiare est suum effectum conferre, etiam recedente fictione, cùm attritionem non requirat vt materiam componentem, sed vt puram dispositionem. Attritio reipsa existens (non tantùm vt præsumpta) est pars essentialiter componens sacram. pœnit. 27
Verba Passio Domini nostri &c. *per se nullum effectum sacram. operantur, sed solum ex intentione absoluentis iniungunt omnia opera bona, quæ facturus est, & mala, quæ patienter toleraturus est pœnitens; est, & mala quæ patienter toleraturus est pœnitens; ita vt opera iniuncta per hæc verba operentur effectum, quem operatur pœnitentia, à confessario iniuncta.* 29
Omnia opera bona in pœnitentiam iniuncta, etiam in statu peccati facta, operantur ex opere operato meritorum Christi remissionem pœnæ temporalis relictæ ex peccatis confessis & remissis. 30
Absolutio data in plurali honoris causa valida est, non sine peccato veniali. 31
Quando vrget periculum mortis expedit vnica absolutione absoluere multos, vt vna ablutione Baptizare plures. ibid.
Verbum Absoluo *semel prolatum supra pœnitentem, vtroq; vinculo, censura & peccati innodatum absoluit.* 32
Absolutio necessariò cadit super omnia peccata mortalia, non super omnia venialia, nisi debito dolore informata. 33
Sacerdos dicitur conferre sacramentum pœnit. quia confert illud quoad præcipuam partem cum morali coniunctione ad reliquas. 10. 103
In casibus reseruatis nihil potest directè inferior Sacerdos, nisi in articulo mortis, vel in probabili periculo mortis. 13. 183
An quilibet Sacerdos completam potestatem habeat absoluendi quemlibet in foro pœnitentiæ sententia affirmans verior est. 15. 4
Sacerdotes vi ordinationis constituuntur Iudices animarum in causa peccati in foro pœnitentiali. 18
Sacerdotes comparantur Iudicibus Chartularijs. 18
Quæ sit materia Sacerdotis absoluentis. 21
Episcopus respectu suæ Diœcesis, & Pontifex respectu omnium fidelium est proprius Sacerdos. 40
Quis sit immediatus Sacerdos respectu singulorum fidelium. 43. & seqq.
In Sacerdote est potestas absoluta ligandi ad pœnã satisfactionem. 16. 4
Tenetur sub mortali tam Sacerdos conuenientes satisfactiones pœnitentibus iniungere; quàm pœnitens eas acceptare & exequi. 8
Solus Sacerdos est Minister sacram. Extremæ vnctionis: nomine Sacerdotis venit etiam Episcopus. 19. 139
Vide *Confessarius.*
Sacramentum *instituere est proprium Christi.* 10. 11
Sacramentum confessionis non esse inuentum humanum copiosis Patrum testimonijs &c. declaratur. 18
Duplex est essentia sacramenti; Physica, & Metaphysica. 66
Triplex est genus Verborum *in sacramento pœnitentiæ, quædam sunt essentialia, quædam integralia, quædam merè accidentalia* 11. 15
Cur in sacramentis Baptismo, confirmatione exprimatur sanctissima Trinitas, non verò in sacramento pœnit. 30
Forma sacramenti pœnit. deprecatoriè prolata est inualida. 37
De ratione Iudicis sacramentalis est proferre sententiam verbis. 46.
In sacram. forma debet esse expressior materia. 47.
Cur sacramenta absenti collata non teneant. 57
Sacramenta nouæ legis efficiũt quod significant. 82
In quo differant. ibid.
Plus potest sacramentum in re, quàm in voto. 88
Forma sacramenti sunt verba humano modo prolata cum debita attentione & intentione faciendi, quod verba ipsa significant. 12. 67
In sacramentis duplex est materiæ applicatio. 70
Si quis in prolatione primi, vel secundi verbi sacramentalis formæ non habuit intentionem, etiamsi habuerit in reliquis subsequentibus verbis, sacramentum fore nullum & totam formam esse repetendam. 71
Nequit dari sacramentum pœnitentiæ validum, sed informe. 102
Materiam sacramenti pœnit. concilia non intelligunt tantùm actus intrinsecè componentes. 13. 11
Ecclesia non potest præcipere, vt sacramentum absq; essentiali materia, aut forma administretur. 14
Essentia sacramentorum ex sola institutione Christi colligi potest. 15
In quo materia aliorum sacramentorum differat à materia sacramenti pœnitentiæ. 17
Quare formæ sacramentorum propria ministri voce proferri debeant. 22
Nequit eadem materia proxima cuiusmodi sunt eadem peccata, vna eademque confessione informata, duo constituere sacramenta. 32
Sacramentum quoad efficaciam principaliùs consistit in forma, quoad multiplicationem principaliùs in materia. 35
Sacramentum in quo differat à sacrificio. 35
Cur aliqua sacramenta iterare liceat, aliqua non, 66.
Aliqua sacramenta consistunt in transmutatione, aliqua in vsu tantùm materiæ. 69
Assignatur discrimen inter contritionem putatam, & sacramentum validum, attamen informe. 17. 32
Ad essentiam sacramenti requiritur & sufficit symbolum externum stabile certa materia, & forma

constans, infallibilem promissionem habens gratia iustificantis. 19.14
Ad eundem effectum non solent duo sacramenta institui per se. 93
Omnia sacramenta instituta sunt ad tollendum aliquod obstaculum vita aterna. 113
Sacramenta conferunt gratiam ad instar causarum naturalium. 132. & 180
Sacramentum statim atque perfectum est effectum confert. 131
Sacramentum quod nequit habere suum finem primarium, nequit etiam habere secundarium. 171
Sacramenta, qua Characterem non imprimunt sunt iterabilia. 182
Vide *pœnitentia sacramentum.*
Sacrum *non obligat nisi in cultum diei festi.* 18.99
Sacrilegium *quam addat malitiam supra furtum, homicidium, fornicationem.* 13.91
Sancti *non possunt quoad rationem meriti sua opera alijs applicare.* 20.14
Sanitas *quam in extremis vnctus acquirit non semper est effectus huius sacramenti.* 19.128

Satisfactio.

Non solùm intentio satisfaciendi Deo pro iniuria illata, sed satisfactio ipsa est actus pœnit. specialis. 2.11
Cur Deo & satisfacere, & detestari peccatum teneamur, proximo vero tantùm satisfacere. 4.41
Homo potest condignè satisfacere pro pœna temporali ex condonato peccato relicta. 16.40
Probabilius est confessarium non teneri iniungere satisfactionem illi, quem certò nouit satisfecisse pro toto reatu. 68
Quando satisfaciat, qui sacramentalem Pœnitentiam adimplet solùm quoad substantiam, quando verò requiratur vt etiam quoad circumstantias adimpleat. 88
Opera satisfactoria Christi habent infinitam vim satisfaciendi ob vnionem cum Persona verbi. 20.8
Peccator solùm satisfacit pro ea pœna temporali, in quam commutata fuit aterna, quando remissa est illa culpa. 11
In quo principaliter satisfactio consistat. 2.11
Datur potest condigna satisfactio à iusto pro suo peccato veniali. 6.94
Non potest actus solius natura viribus elicitus esse condigna satisfactio pro offensa veniali. 104
Supernaturalis attritio non est condigna satisfactio pro offensa veniali. 105
Satisfactio condigna quid sit. 105
Sola contritio aut dilectio Dei super omnia finis supernaturalis est condigna satisfactio pro offensa veniali à iusto exhibita. 108
Dilectio Dei, qua actu non se extenderet ad detestanda omnia venialia non est sufficiens satisfactio pro omnibus venialibus. 109
Ad acceptandam satisfactionem pro peccato veniali necessaria fuit promissio diuina. 118
Satisfactio pro peccato veniali etiam supposita promissione non est ex Iustitia. 119
Satisfactio nulla est condigna qua eget gratia creditoris concomitanter, sicut illa, qua eget gratia antecedenter. 102
Nullus actus peccatoris potest esse condigna satisfactio pro offensa mortalis. 7.45
Satisfactio aduenit in ratione materia integrantis. 10.80
Non integrat sacramentum sub ratione specifica sacramenti, sed sub ratione perfecta entitatis sacramentalis. 87
Vt est in proposito pœnitentis, est pars essentialis. 11.15
Est pars integralis sacram. pœnit. 16.1
Sacerdos habet potestatem obligandi pœnitentem ad satisfactionem acceptandam. 3
Potestas ligandi ad pœna satisfactionem non est solummodo medicinalis, sed extendit se etiam ad imponendum pœnam in vindictam. 5
Tenetur sub mortali tam Sacerdos conuenientes satisfactiones pœnitentibus iniungere, quàm pœnitens eas acceptare & exequi. 8
Non tenetur Sacerdos sub mortali; sed tantùm sub veniali, satisfactionem pro peccatis venialibus iniungere. 12
Satisfactio à confessore iniuncta, vt pars sacramenti, aliquem effectum confert ex opere operato, 23.
Quis sit effectus satisfactionis quem ex opere operato confert. 24
Satisfactio sacramentalis in peccato impleta statim confert suum effectum ex opere operato. 31
Actus satisfactionis sacramentalis ex prauo fine etiam peccati mortalis elicitus valet ad implendum praceptum à confessario iniunctum de satisfaciendo pro peccatis confessis: modo per talem actum impleatur substantia ipsa satisfactionis. 37.
Satisfactio sacramentalis ex prauo fine, etiam peccati venialis adimpleta, non confert effectum opere operato. 38
Interdum opera aliàs pracepta censentur comprehensa inter opera in satisfactionem à confessario imposita. 90
Quando teneatur pœnitens satisfactionem suo tempore non impletam, alio tempore implere. 92
Sacerdos non potest virtute clauium obligare alium ad satisfactionem pro pœnitente exequendam, etiamsi is sponte se offerat ad huiusmodi pœnitentiam exequendam. 105
Est in Ecclesia spiritualis quidam thesaurus constans ex Christi, & sanctorum satisfactionibus. 20.6. *Est de fide n.* 21
Satisfactio dignitatem sumit à Persona satisfacientis. 20.8
Cur pro pœna possit satisfieri post mortem, non autem pro culpa mortali. 6.167
Vide *confessio, pœnitentia, indulgentia, contritio.*
Securitatem *maiorem sequi in rebus vtrimque probabilius quando teneamur.* 4.63
Sententiam *ferre nemo potest incognita causa.* 16.99.
Sigillum *confessionis quid sit,* 14.1
An, & quo iure obliget. 2
Praceptum sigilli est arctius pracepto de integritate confessionis. 16

Tenetur Sacerdos peccatum sub sigillo conseruare etiam quando dubitat, an illud in confessione audierit. 14. 17
Eodem sigillo obsignanda sunt peccata, quæ à pœnitente dicuntur paulo post confessionem, tanquam appendix præcedentis confessionis. 18
Sigillum oritur ex confessione sacramentali. 20
Sub sigillum cadunt peccata etiam futura. 21
Imò & audita à Sacerdote nullam habente Iurisdictionem. 22
Quæ res cadant in hoc sigillum. 24
Sub sigillo naturali celandi sunt errores, quos pœnitens confitendo committit. 26
Quas personas obliget hoc sigillum. 31
Sigillo confessionis non teneri probabiliùs est eum, qui legit Chartam, in qua scripta sunt peccata confitentis. 33
Vide *confessio, pœnitentia.*

Societas IESV.

Uti notitia confessionis ad externam gubernationem non licet hominibus Societatis. 14
Nullus superior nostræ Societatis infra Generalem habet potestatem eligendi sibi Confessarium intra vel extra Societatem absque licentia Generalis, nisi in casu itineris, aut quando deputatum confessarium à superiore habere non potest. 15.72
Quis ordo seruandus sit Religiosis Societatis nostræ in eligendo confessario dum iter agunt. 75
Prouincialis Societatis cui ordinariè confiteri possit, cui quoad reseruata debeat confiteri 78
Generalis Societatis cui confiteri possit in casibus non reseruatis. 86
Cui debeat confiteri casus reseruatos, si in eos incidat. 86
Non potest sibi Generalis confessarium extra Societatem eligere, nisi in casibus, in quibus hanc facultatem possit subditis concedere. 88
Nullus è Societate uti potest priuilegijs Societati concessis, nisi illi per Præpositum Generalem aut per alios ab ipso electos communicetur. 110
Vide *Religiosi.*
Solui *impertas potius condignitatem secundùm æqualitatem, quàm secundùm Iustitiam.* 6.120
Species *actuum supernaturalium sunt supernaturales.* 1.93
Species relicta ab actibus virtutis infusæ voluntatem adiuuant obiectiuè non effectiuè. 117
Dantur species supernaturales relicta & actibus reflexis supernaturalibus. 125
Spei *habitus manet in beatis.* 134
Cur habitus Fidei, & spei maneat in peccatore, habitus pœnitentiæ deperdatur. 137
Actus spei proximè & formaliter tendit ad Deum vt bonum ipsi speranti, virtute autem & implicitè ad Deum secundùm se. 3. 5
Stuprum *quid addat supra malitiam fornicationis.* 13.91
Superior *tenetur solùm cum periculo vitæ in rebus ad salutem animæ necessarijs subditis subuenire, non autem de vtilibus tantum.* 19. 209
Supernaturalitas *est duplex, altera quoad substantiam; altera quoad modum.* 2. 30. & 12.35
Temperantia, *Fortitudo, & aliæ virtutes possunt per actus suos satisfacere imperatiuè, non elicitiuè.* 1.60
Theologicæ Virtutes *directè tendunt in bonum increatum, pœnitentia indirectè.* 39
Timor *mundanus quis sit, quis seruilis.* 3.9
Traditionis *diuina certa regula.* 20.18
Regula S. Augustini ad dignoscendas Traditiones. 10.31
Tristitia *est prima pœnarum.* 1. 4
Tristitia & dolor quomodo differat à displicentia & detestatione peccati. 2. 3
Tristitia non est libera in se sed in causa. 26

V.

Verecundia, *quæ consistit in passione corporis, non est virtus, quæ verò in electione voluntatis, virtus est.* 1.15
Viatoris *vt sic de essentia est sufficiens potentia ad terminum consequendum.* 5. 53
Virginitas *connotat habitum infusum connotata corporis integritate.* 8.63

Virtus.

Nulla virtus primariò est circa malum, sed circa bonum, in cuius prosecutione principaliter versatur. 1. 5
Nulla virtus est circa impossibile, vt tale formaliter. 16
Virtus est habitus perficiens subiectum, illudq; disponens ad optimam operationem, intellige non de optima operatione simpliciter, sed intra certum genus. 18
Quando verificetur dictum Philosophi, virtutis non solùm esse rectè, sed etiam delectabiliter operari. 10
Virtus infusa dat tantùm posse, non autem facilè posse. 10
Quadrifariam virtus generalis dicitur, prædicatione, causalitate, obiecti vniuersalitate, aggregatione multarum virtutum. 22
Virtutes Theologicæ directè tendunt in bonum increatum, pœnitentia indirectè. 38
Eadem est inclinatio virtutis ad seruandum ius ne lædatur, & ad resarciendum læsum. 42
Virtus adæquatè diuiditur in Theologicam & moralem. 54
Virtus moralis diuiditur in virtutem ad se, & ad alterum. 54
Virtus ad se est, cuius obiectum sunt ipsæ passiones operantis. 54
Virtus ad alterum est, cuius obiectum sunt actiones operantis. 54
Virtutes aliæ habent pro obiecto & fine Deum; aliæ pro fine remoto; aliæ pro fine proximo. 57
Virtus non tam ex effectu, quàm ex affectu, proportionato tamen proprio obiecto spectanda est. 62
Vna virtus non potest elicitiuè se extendere ad obiectum alterius virtutis. 61
Omnis virtus inclinat ad suum obiectum formale, & ad remouenda ea, quæ obiecto formali opponuntur. 70
Omnis virtus, quæ ordinat hominem ad finem

supernaturalem est per se infusa. 1.82
Cur præter virtutes morales acquisitas concedendæ sint etiam virtutes morales infusæ, & in quo differant. 118
Virtus quantum est de se importat immobilitatem & perseuerantiam in subiecto. 2.14
Nulla virtus inclinat ad operandum nisi iuxta connaturalem modum operandi subiecti. 4.82
Nulla virtus potest minui d fectu circumstantiæ non libera. 100
Non est vera virtus, quæ non importat firmum propositum perseuerandi in futurum. 95
Virtus debet esse propter ipsam honestatem. 96
Non semper quiuis actus virtutis intendit omnem honestatem expresiè, quæ est in suo obiecto formali. 109
Virtutes aliæ cum pœnitentia pugnant, aliæ non pugnant: hæ omnes reparantur post pœnitentiam. 8.63
Vide *pœnitentia, gratia.*
Visio Beatifica *non producit speciem sui in intellectu Beati, & cur.* 1.120
Visio & dilectio beatifica non excedunt habitus luminis & Charitatis. 8 54
Vnctio-extrema *Renum propter modestiam non est adhibenda feminis: nec vnctio pedum adhiberi solet Monachis & Monialibus.* 19 53
Non est necessarium, vt vnctio immediatè fiat ipsa manu Sacerdotis, sed sufficit, si immediatè virga aliqua lignea, vel argentea. 58
Probabile est in singulis vnctionibus, & formis vnctionibus correspondentibus partialem gratiam conferri. 135
Effectus sacramenti Extremæ-vnctionis producitur partibiliter ad singulas vnctiones. 11.13
Cur forma illius deprecatoriè proferatur. 40
Sacramentum hoc iterare non licet durãte eadem infirmitate. 13.68
Sacramentum Extrema-vnctionis est consummatiuum pœnitentiæ sacramenti. 19.9
Nequit nisi fidelibus ministrari. 10
Ad illud requiritur fides Ministri obiectiua. 16
In sacramento hoc res tantùm est gratia, sacramentum tantùm est ipsa externa vnctio, res & sacramentum simul, est spiritualis animi hilaritas. 22
Materia remota sacramenti Extrema-vnctionis est oleum oliuarum. 32
Probabilius est oleum balsamo mixtum esse validam huius sacramenti materiam. 34
In casu necessitatis potest loco olei Sacerdos vti Chrismate. 35
Proxima materia sacram est vnctio. 36
Quod sacramentum consistit in ipso vsu & applicatione materiæ. 36
Episcopi benedictio essentialiter requiritur ad naturam ipsius. 40
Dispar est ratio in materia Baptismi, Eucharistiæ, & Extrema-vnctionis. 43
Sacramentum Extrema-vnctionis institutum est ad abstergendas reliquias peccatorum. 68
Quomodo hoc sacramentum sit administrandum tempore pestis. 73
Non est probabile formam indicatiuam esse sufficientem ad validitatem huius sacramenti. 82.
Quæ verba in forma huius sacramenti contenta sint de essentia. 87
Effectus spiritualis huius sacramenti duplex est. 91.
Infirmus qui existens in peccatis cum sola attritione incidit in phrenesim, si postea aliquem habeat vsum rationis, nec vllum dare possit signum confessionis, tenetur conari ad actum contritionis, vt saltem probabiliter putet ad hoc sacramentum accedere in statu gratiæ, vt à peccatis iustificari possit. 116
Sanitas, quam in Extremis-vnctus acquirit, non semper est effectus sacramenti. 128
Quando infirmus sub conditione sit vngendus. 221.
Vide *Extrema-vnctio.*

Voluntas, votum.

Voluntas *non potest operari contra motiuum efficaciter intentum.* 3.65
Voluntas ex motiuo peccati mortalis elicita non est sufficiens ad sacramentum pœnitentiæ 132
Voluntas est tantùm applicans materiam, non autem actus sacramentum pœnit. integrans. 6
Vouens si oblitus est voti aliquid æquiualens præstare tenetur. 16.100
Ecclesia non potest cum Catechumenis dispensare in votis. 20.155
Dispensatio in voto non est valida nisi sufficientem habeat causam. 193
Potest in votis dispensari cum eo qui tempore Iubilæi votorum oblitus est. 243
Si quis ex causa non potuit tempore Iubilæi confessionem perficere, poterit illam perficere post Iubilæum, & ab omnibus reseruatis absolui, & cum ipso in votis dispensari. 243
Tutius est intra tempus Iubilæi à censuris, & reseruatis absolui, & in votis dispensari, & postea extra illud à reliquis peccatis non reseruatis absolui. 243
Dispensatio in matrimonio rato & non consummato in votis solemnibus non erit valida, nisi præter ipsam vtilitatem, quam dispensatio affert personæ, cum qua dispensatur, sit alia causa, quæ præualeat voti & matrimonij obseruantiæ. 252
Si dispensatio in votis non adfert distinctam causam, id solùm est, quando dispensatio fit per declarationem seu interpretationem iuris diuini, quod in eo casu non obligat. 252
In votis dispensandis ea duntaxat causa est sufficiens quæ spectatis omnibus censetur Deo magis placitura, quàm placeret obseruantia ipsa voti. 263
Vt dispensatio voti, ligatio atque solutio à censuris, collatio beneficiorum valida & rata sit, sufficit vt causa propter quam ad illud dispensandum monetur Pontifex, probabiliter tantum putetur sufficiens. 270
Pontifex peccaret dipensando in voto ex causa non indicatâ sufficienti, aut concedendo indulgentias, ex causa non indicatâ. 282
Vide *Episcopus, dipensatio.*

FINIS.

DISP.	NVM.	VERSV	LEGE.
1.	98.	14.	intensio
	106.	2.	ad
	107.	4.	probatur
		5.	de diuisione
	114.	8.	habitu
3.	1.	antepen.	atqui
	49.	penult.	gratia
	59.	7.	causatiuo
4.	6.	penult.	Augustini
	35.	23.	commisso
	68.	11.	elicit *non* dicit
	128.	8.	scilicet *non* esset
8.	54.	*in fine hac adde*: si antiqua merita resurgunt ad gloriam, & non ad gratiam, Deus plus præmiaret quem minùs diligeret per gratiam; & cōtrà, minùs præmiaret, quem plus per gratiam diligeret.	

Disp. 20. Num. 102. Versu 15. iure diuino *non* viro.